BB FA 14

BB-SL-333-VI

IV-

BIBLIOTECA BALEAR
DE LOS CORAZONES

BEATI
RAYMUNDI
LULLI
DOCTORIS ILLUMINATI
ET
MARTYRIS
OPERUM
TOMUS VI.

In quo continentur ſequentes Tractatus :

Ars Amativa Boni.
Arbor Philoſophiæ Amoris.
Flores Amoris & Intelligentiæ.
Arbor Philoſophiæ Deſideratæ.
Liber Proverbiorum.
Liber de Anima Rationali.
Liber de Homine.
Liber de Prima, & Secunda Intentione.
Liber de DEO, & JESU Chriſto.



MISSIONARII SS. CC. STÆ MARIÆ DE REGALI

BIBLIOTECA BALEAR. M.ᵗᵉ DE LOS SS. CORAZONES

Cum Privilegio Sacræ Cæſareæ Majeſtatis, & Permiſſu Superiorum.
Anno Salutis Domini MDCCXXXVII.

MOGUNTIÆ,
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA MAYERIANA
Per JOANNEM HENRICUM HÆFFNER.

CENSURA
ET
APPROBATIO CENSORIS
ARCHI-EPISCOPALIS MOGUNTINI.

DOctrina Beati RAYMUNDI LULLI Doctoris Illuminati & Martyris in præcedentibus Voluminibus, Primo potiſſimùm, tantis eſt vindicata Defenſionibus, ac tantis ab ejus Antiquitate, Neceſſitate, & Utilitate Encomiis, & Virorum Illuſtrium Teſtimoniis commendata, Summisque Privilegiis munita, ut ſupervacaneum exiſtimaverim in ejus panegyri eſſe prolixiorem.

Prodeunt DEO Auſpice in hoc Tomo Sexto Speciales Tractatus ejusdem Beati RAYMUNDI, in quibus Principia Generalia Scientiæ Generalis ſecundùm propriam eorum, & communicatam Diſpoſitionem, Ordinationem, Proportionem, & Perfectionem certo, infallibili ac miro Artificio ſunt diffuſa; Id quod, ſicut perſpectum eſt iis, qui Doctoris Illuminati Opera viderunt, legerunt, & intellexerunt, ita illi, qui amore Catholicæ Veritatis, Morumque Integritatis ducuntur, & Æquanimitate, uti & Diſcretione reguntur, non aliud facilè Judicium ferent, & Cenſuram, quàm eam, quòd temerè judicari non poſſit de iis, quorum nulla aut non ſufficiens Notitia habeatur; Atque ita cenſeo

Moguntiæ 11. Septembris 1737.

Philippus Franciſcus Jæger J. U. Doctor,
Eminentiſſimi ac Celſiſſimi Archi-Epiſcopi & Principis Electoris Moguntini Conſiliarius Eccleſiaſticus, & Fiſcalis Major, Eccleſiarum Collegiatarum Sancti Joannis Moguntiæ, & B. Mariæ V. in Monte Francofurti reſpectivè Canonicus Capitularis, & Decanus, Librorum Cenſor Ordinarius.

PRÆFATIO

Ad Lectorem Benevolum.

QUemadmodum universalis Mater Ecclesia continuis Sæculorum vicissitudinibus neque immani tyrannorum crudelitate, neque innumerabilium undequaque insurgentium hæresiarcharum insultibus ab orthodoxo Veritatis tramite deflecti unquam potuit; quin magis tot persecutionibus & adversitatibus agitata profundiores egit radices, & suæ infallibilis Veritatis splendorem per totum terrarum orbem tantò copiosiùs diffudit; ita sanè Universalis Scientia nostri Illuminati Doctoris jam quinque ab hinc sæculis injuriosis malevolorum vituperiis proclamata & condemnata non tantùm supprimi non potuit, sed vel ex eo à zelosis hujus Scientiæ Sectatoribus studiosiùs investigata, laudabiliùs acquisita & excussis quibuscunque adversariorum machinationibus de sæculo in sæculum potentiùs defensa inexpugnabili Catholicæ Integritati fuit gloriosissimè restituta, ut radii hujus Divinæ Scientiæ per totum literatum orbem abundantiùs communicarentur. Nihilominus, cùm nihil adeò durans atque inalterabile in mundo existat, quod vel temporum vel hominum injuriis, si non penitus supprimatur, saltem successivis temporibus æstimatione suâ magna ex parte incipiat destitui; igitur singulari Divinâ Providentiâ & auxilio factum esse non dubitamus, quòd novis semper propullantibus malevolis hâc nostrâ ætate se Authoritate quâ Ecclesiasticâ, quâ sæculari suffultum opposuerit præclarissimus & immortali laude dignissimus magni Operis Lulliani Compilator P. R. D. Ivo Salzinger, Scientiæ Universalis, & quatuor Facultatum Doctor, in Celeberrima & perantiqua Universitate Lulliana Majoricæ declaratus Cathedraticus Primarius, nec non Celsissimi ac Sereniissimi Principum Electorum Moguntini & Palatini Consiliarius Ecclesiasticus respectivè Intimus, qui suis indefessis laboribus, magnis insuper pecuniarum impensis nihil penitus intermisit, quidquid ab humanis viribus ad conciliandam hujus excellentissimæ Artis æstimationem tam ex authoritate famosissimorum Virorum, quàm ex rationum invincibilitate posset desiderari. Hunc in finem feliciùs consequendum prælaudatus P. R. D. Compilator primo Tomo Magni Operis in forma extensa præfixit tot authentica Privilegia ab Augustissimis Romanorum Imperatoribus Carolo V. universáque ejus Imperatoria & Regia familia in anno 1526. à Glorioslissimi Regiminis Carolo VI. in anno 1718. à potentissimis Arragoniæ & Hispaniarum Regibus Alphonso in anno 1449. à Ferdinando in anno 1483. & 1503. & à Philippo in anno 1597. respectivè concessa & confirmata. Hunc in finem providentissimè præfato Tomo inter Prolegomena apposita est Sententia Definitiva Apostolicâ Authoritate lata contra illius temporis injuriosum Sanctitatis & Scientiæ Lullianæ calumniatorem Eimericum (qui speciosâ sui officii generalis Inquisitoris præsumptione inauditas falsitates, quin adeò Bullas Pontificias nullibi visas nec visibiles contra Raymundum confingebat) cujus apertæ falsitatis & impositionis convictus experiri debuit, quòd vigore prætactæ Sententiæ Definitivæ omnia ejus contra nostrum Doctorem cœlitùs Illuminatum dicta, scripta vel facta Authoritate Apostolicâ in hac parte commissa cassarentur, irritarentur, annullarentur & ad nihilum reducerentur, ipséque Doctor Raymundus Lullus & omnia dicta, Scripta & Opera sua & omnia alia ratione prædicta quomodocunque, & qualitercunque, & per quemcunque, & contra quoscunque, & coram quibuscunque processa & actitata ad statum pristinum & primævum restituerentur, ac si in contrarium eorum nihil unquam fuisset dictum, scriptum, vel aliàs quomodolibet emanatum. Hunc in finem in dicto Tomo exhibentur tot Approbationes in favorem ab ipso ortu jam celebratæ Lullianæ Doctrinæ per Academiam Parisiensem in anno 1309. per Philippum Francorum Regem, in anno 1310. per Franciscum de Neapoli Cancellarium Parisiensem in anno 1311. authenticis Instrumentis divulgatæ. Hunc in finem innumera Testimonia Virorum Illustrium Dignitate, Pietate, Doctrinâ & Eruditione toto orbe celeberrimorum omnis Statùs, Nationis, Dignitatis, omniumque fere Ordinum & Conditionum, quæ omnia ibidem maximâ diligentiâ sicut & fidelitate ac sinceritate congesta animum legentis utcunque præoccupati & infensi (nisi præ invidia prorsus insipiat) plenariè convincere vel in mitiorem sententiam trahere multoties comperta sunt. Hunc tandem in finem Sapientissimus Compilator tot authoritatibus adjunxit Rationes irrefragabiles, demonstrando in suo Magisteriali Tractatu Revelationis Secretorum Artis Tomo 1. pag. 6. & seqq. Proprietates & Dignitates hujus Artis & Scientiæ prorsus admirabiles & præcellentes: quòd nempe sit *Universalissima, Certissima, & maximè Infallibilis, Subtilissima, Altissima simul & profundissima, Perfectissima, Ordinatissima, Facillima, Delectabilissima, Utilissima, Artificiosissima, Naturalissima & Divina*; quæ sanè incomparabiles prærogativæ, quantùm sensum & imaginationem Virorum etiam literatissimorum excedunt, tantùm clarissimâ experientiâ in subsequentibus Capitibus hujus Revelationis Secretorum, omnibusque Libris ipsiusmet B. Authoris soli Arti & Scientiæ Lullianæ jure meritissimo attribui posse comprobantur. Unde quis crederet tantam Scientiam Apostolicâ Authoritate vindicatam, tot Privilegiis Imperatorum & Regum suffultam, tot Virorum Illustrium Testimoniis & Encomiis condecoratam, ipsâ tandem ratione & experimento convictam cum ingenti erga DEUM gratitudine suscipi, benignè foveri, sedulò investigari, omnibus viribus promoveri, & pro honore DEI, & Salute proximi toti mundo publicari & communicari non debere? verùm pròh dolor! tantum abest, quòd, quàm plures in mundo ab antiquorum Ethnicorum Inventis in admirabile & supernaturale Lumen æternæ Sapientiæ transire contendant, ut potiùs hunc Splendorem increatæ Sapientiæ DEI, non secus ac Filium ejusdem Unigenitum venientem in hunc mundum aspernentur, convitiis quibuscunque afficiant, & non solùm infami Ligno Crucis, sed orco ipsímet & inferno tanquam hæreticam & abominandam adjudicent, ut adeò venerit hora, quòd religiosissimi aliunde & præclarissimi Viri arbitrentur, se per hoc

præstare obsequium DEO, Joan. Cap. 16. v. 7. nec exinde peccatum ullum se habere existiment, Joan. Cap. 15. v. 24. & quamvis noster Illuminatus Doctor talem Scientiam mundo communicaverit, & talia opera fecerit, quæ nemo alius fecit; attamen horum adversariorum Conatibus literariis utcunque laudabilibus se immiscens infernalis hostis hoc unicum machinatur, ut intellectum humanum tot & tam variis Ethnicorum ut plurimùm fallibilibus Principiis distractum à clara, naturali & facillima Divinæ Cognitionis, ejusque Dignitatum & Proprietatum Luce ad puras probabilitates & interminabiles disputationum modos convertat, amoremque soli DEO debitum ex imbecillitate cognitionis restinguat, & tot animarum millia proprii amoris & vani respectûs idolo sacrificare faciat; quare bene prævidens, quòd adultiores in aliis Scientiis jam enutriti, & in his per plures annos versati magis de pane lucrando, quàm de Scientia acquirenda soliciti novo labore ad incognitam Artem difficulter essent transituri, curam omnem in eo collocat, ut animosam juventutem, quæ opus & laborem magnanimiter aggredi non timeret, falsis adeò & alienis ideis erga hanc Scientiam imbui faciat, à quibus etiam, cùm senuerit, non recederet; Prov. 22. v. 6. nam, quo semel imbuta recens, servat odorem testa diu. Quod damnum, ut infelicius generi humano inferret, callidissimus hostis novit uti improvido & præcipitato Eruditionis studio cujusdam Religiosi Patris è Societate JESU, qui anno 1730. in lucem edidit Libellum dictum: *Notitiæ Ecclesiasticæ Pars tertia, continens omnes hæreses à tempore Apostolorum usque ad tempora nostra, Almæ Congregationi majori Academicæ Bambergensi sub titulo B. Mariæ V. ab Angelo salutatæ in strenam data, Impressa Bambergæ Typis Georgii Andreæ Gertner Reverendissimi Capituli & Almæ Academiæ Typographi.* In quo Libello debitâ Censurâ Ordinarii contra Concilii Tridentini Canones non approbato, præclarus Author sinè veritatis & authoritatis specie incredibiles & horrendas hæreses nostro Illumin. Doctori cum tanta securitate imputavit, quas fortè alii similis genii Historiographi subministraverint, qui talia in præjudicium famæ, & sanctitatis nostri Illuminati Doctoris sinè conscientia retulerunt, quorum indomitæ passioni instar cæci adhæsisse, & sic innocens à sanguine justi esse prætenditur; quis autem suspicari non posset, (quod absit) talem Historiographum hoc non vel ex supina imperitia, quasi antiquorum sæculorum historiis intentus, quasi solus peregrinus in Israël ignoravisset ea, quæ in hac sua ætate & vicinia vix octo ab illo annis facta, & qualia Opera quàm plurimis Privilegiis & Censuris munita universo literato orbe admirante fuerint publicæ luci communicata; ex quo facilè colligere potuisset, quòd illa longè aliter, quàm præconceptæ falsæ opiniones persuaderent, constituta, atque ideo ab omni hæreseos labe immunia esse deberent; quòd ipsum præclarus iste Scriptor historicus aut sciviſſe, aut saltem scire debuisse omni jure præsumendus est: vel quis suspicari non posset, quòd ex zelotypia & æmulatione talia congesserit, quasi timendum esse judicaret, ex publicatione hujus scientiæ exitium usitatæ scientiarum methodi evidentiùs pararì, cùm tamen noster Illuminatus Doctor non venerit tollere, sed per sua generalia Principia adimplere omnes particulares Scientias: vel denique quis suspicari non posset, quòd ex culpabili injuriarum complacentia absque omni sana ulteriori inquisitione contra nostrum Raymundum tanquam fidelem Christi Martyrem innumeris miraculis quotidie clarescentem procaciter sequentem passum influxerit, qui paginâ dicti Libelli 122. de verbo ad verbum est sequens.

Raymundus Lullius, natione Hispanus, patriâ Catalaunus, Philosophus & Theologus, etsi Laicus, circa annum 1260. multa edidit opuscula hæresibus plena, & inter cætera libellum de Invocatione dæmonum, & alia vulgari sermone Catalaunico scripta. Quam doctrinam, quin habuerit à diabolo, vix dubium esse potest, licèt ille asserat, in quodam monte se à Christo sibi apparente in forma & specie Crucifixi eam dedicisse. Quæ omnia Petrus Terracensis Archi-Episcopus, & F. Nicolaus Emericus sententiâ suâ condemnarunt. In quibus voluminibus plures, quàm quingenti errores sunt reperti. Inter quos etiam hi sunt. 1. DEUM habere multas essentias. 2. DEUM Patrem fuisse, antequam Filius esset. 3. Essentiam Divinam non esse otiosam, sed essentiare, naturam naturificare, bonitatem bonificare, &c. 4. Spiritum Sanctum esse conceptum de Patre & Filio. 5. Crimini obnoxios esse illos, qui hæreticos supplicio afficiant. 6. DEUM sibi apparuisse crucifixum, & pro sæculi hujus tenebris illustrandis artem istam contulisse, quæ sit ad omnem scientiam parandam, naturalem videlicet & medicam, & ad jura statuenda methodus generalis, valeatque potissimum ad quosvis evertendos, atque destruendos errores.

Sanè hæc omnia cum tanta securitate asserta piè credulo & inconsiderato Lectori, maximè autem studiosæ juventuti talem abominationem erga ipsum etiam nomen Lullianum necessariò imprimunt, ut vix ullus in conscientia se salvum fore judicaverit, si ejusmodi privatâ licèt authoritate declarati hæretici & condemnati authoris libros vel unico obtutu perlustrare attentaret. Quis enim pro Religioso aliàs, optimæque famæ Historiographo non præsumeret, quòd ea, quæ calamo committit, non ex certa scientia, nempe qualis in historicis probatæ authoritatis possibilis est, sed solùm ex aliorum authorum calumniandi libidine descripta contineantur? veruntamen singula verba manifestissimè demonstrant, ipsum nec primas plerumque paginas profundissimorum Librorum Illuminati nostri Doctoris perspexisse; vidisset enim ferè in omnibus generale argumentum, quod si vel unicum esset, ab omni prorsus hæreseos formalis labe eundem absolveret, salutarem nimirum & humillimam protestationem, se (si quando erravisset) contra Catholicam Fidem, non ex fallibilitate Artis scienter, sed per ignorantiam erravisse hoc Tomo VI. Arte Amativa Boni, pag. 3. §. 7. Videantur etiam fere omnes reliqui Tractatus hujus Tomi. Nimirum:

Arbor Philosophiæ Amoris pag. 66. §. 1.

Flores Amoris & Intelligentiæ, quos ad ipsum Pontificem Maximum Cœlestinum Quintum transmisit pag. 1. §. 3.

Liber Arboris Philosophiæ Desideratæ purissimam atque verè Catholicam Intentionem Beati Doctoris manifestat pag. 1. §. 2. 3. quod idem præstat

Liber de Anima Rationali pag. 1. in Prologo. Similiter

Liber de Homine in Prologo & fine.

Liber Proverbiorum in Prologo.

Liber

Liber de Prima & Secunda Intentione in Dedicatione & in Prologo, & præ aliis clarissimè

Liber de DEO & JESU Christo, ubi in Prologo §. 1. Illuminatus Doctor sequentibus verbis tanquam verè Catholicus comprobatur: *Veruntamen, si in aliquo erramus in hoc Libro contra Catholicam Fidem, vel* NB. *erravimus in aliquibus aliis nostris Libris, submittimus ipsos Correctioni Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ.* Unde cuilibet impartiali animo luculenter manifestum erit, quàm præcipitanter contra omnem Juris & Religionis regulam innocentissimus noster Raymundus infamissimæ hæreseos condemnetur. Ut quid ergo in ulteriorem rei discussionem descendamus cum adversario & historiographo rei Lullianæ adeò ignaro, quem in ipso fundamento jam causâ cadere in aperto est, maximè, cùm ab Ecclesia nullus, nisi contumax, pro declarato hæretico habendus esse censeatur, quod de nostro Raymundo toties se Correctioni Sacrosanctæ Ecclesiæ submittente, & effuso sanguine subscribente nullatenus affirmari, sed potiùs æquè faciliter ex ipsismet suis libris in pluribus locis cognosci potuisset, omnes & singulos hæreticos Articulos non solùm ipsi falsò affingi, sed eorundem contrarium, totâ, ût ajunt, die, ex infallibilibus suis Principiis centenis rationibus & locis juxta Catholicæ Fidei Regulas ad oculum demonstrari.

Unde intermittimus hoc loco orthodoxiam & innocentiam nostri Illuminati Doctoris luculentioribus argumentis cum falsitate, præcipitantia vel ignorantia quorumcunque nostrorum adversariorum conferre, cùm hoc jam in Prolegomenis primi Tomi magni Operis tam abundanter præstitum esse existimemus, ut ad defensionem nostræ Causæ nihil ampliùs quàm eorum viva semper recordatio desiderari posse videatur. Quantum verò Pontificiæ, Imperatoriæ & Eminentissimi ac Serenissimi Protectorum Electorum Principum Moguntini & Palatini Supremæ Authoritatis interfit, Declarationes, Privilegia & Protectoria gratiosissimè & providissimè huic Operi impertita in vigore & debito subditorum respectu manuteneri, causas & Libros in illis non sinè prævia disquisitione susceptos tueri, cunctos denique violatores & contemptores congruâ pœnâ mulctari, hoc totum respectivè Imperialibus & Electoralibus Officialibus ad hoc constitutis, reservatis tamen quibuscunque Juris Divini & humani competentibus, simpliciter committimus. Nostri enim propositi ratio pro nunc hoc unicum postulat, quantum loci angustia permittit, impedire, ne ex tam inconsiderato zelo tantum hæreat, quod publicum literarium & studiosam maximè Juventutem scandalizare & ab investigatione præcellentis adeò Scientiæ absterrere possit; quod ipsum certiùs & meliùs nos evincere non posse confidimus, quàm si authoritatem non solùm cujusdam ex primis Sociis Magni Patriarchæ S. Ignatii, sed etiam aliorum virorum ejusdem Instituti & Inclytæ Societatis quâ famâ Sanctitatis, quâ omnium Scientiarum Eminentiâ longè superiorum authoritati hujus nostri Historiographi opponamus; relinquentes proinde Lectoris Benevoli impartiali judicio, quinam ex utrisque nostri Doctoris Illuminati & prodigiosi Christi Martyris Causam juxta rectæ rationis dictamen, juxta Christianæ Religionis Regulas, & tandem juxta compertam Sanctitatem & infallibilis Veritatis Doctrinam saniori judicio deciderit: ex quo facilè colligi poterit, quàm magnâ animi promptitudine prælaudato Patri Præsidi tanta in Historia retroactorum plurium sæculorum hallucinatio ignoscenda sit, qui hoc ipso in Annalibus & factis propriæ suæ celeberrimæ Societatis se adeò ineruditum commonstravit. Quid autem Viri toto orbe nominatissimi è Societate JESU pro parte nostri Illuminati Doctoris & Martyris sincero animo senserint, similiter jam Tomo primo Magni Operis inter alia Testimonia Virorum Illustrium pag. 9. & seqq. fusiùs videre est, hic tamen pro commodiori Lectoris Benevoli Informatione memoriam illorum renovare magnæ utilitatis fore judicamus. Itaque Testis omni exceptione major esto

Reverendissimus Pater Hieronymus Natalis Sacratus Doctor Parisiensis, unus ex primis Sociis Magni Patriarchæ S. Ignatii: de quo R. P. Joannes Baptista Roldan ejusdem Societatis, Visitator Collegiorum Insularum Provinciæ Aragoniæ in Sermone impresso anno 1699. refert sequentia: Hieronymus Natalis, cujus Personâ, Litteris & Prudentiâ usus est magnus Pater meus & Patriarcha S. Ignatius ad faciendas Constitutiones admirabiles Societatis JESU, postquam rediit Majorcam suam patriam, & studuit uno anno in variis Scriptis Raymundi singulari solicitudine & applicatione, quæsitus postea, quid sentiret de Doctrina illius, sic respondit: *Utinam vulgo homines Donum DEI scirent, & capere vellent, quàm appositа sit hæc Ars, atque Scientia ad Veritatem naturali ratione tradendam, sinè ambage testium & authoritatum.* Quod tanto Patre dignissimum Elogium omne sanè dubium tollit, quale vix abesse publico persuadere conatur prædictus Pater Historiographus: nostrum scilicet Illuminatum Doctorem hanc suam Doctrinam non à DEO, sed à diabolo habuisse; quis enim unquam vidit in Belzebub ejici dœmonia, & à patre mendaciorum Scientiam Veritatis posse exspectari?

Idem R. P. Joannes Baptista Roldan S. J. in prædicto Sermone impresso nostrum Illuminatum Doctorem appellat & probat *quatuor vicibus Beatum, hoc est, Beatum propter Cultum immemorialem, quo gaudet: Beatum, quia bis filius regalatus, & Electus MARIÆ: Beatum, quia in Sapientia Cherubin, quam illi communicavit Christus* (non diabolus) *& denique Beatum, quia fuit elevatus Seraphin in amore, ita, ut ad suum sublimem volatum alæ ipsius Cherubini se retraxerint, & recollegerint.*

R. P. Antonius Ferrando S. J. Doctor Theologiæ & Cathedraticus illius pro opinione PP. Soc. in Universitate Lulliana in Sermone impresso anno 1695. celebrat *Sublimitatem Sapientiæ Raymundi propter Magistrum, qui illam illi infudit, propter Gradum Doctoris, qui illi collatus est, & propter ipsammet Ignorantiam, quæ illum præcesserat,* comparando illam Sapientiam cum similibus prærogativis Doctrinæ Pauli, & illustrando illam Elogiis, *quòd sit bis certa, bis subtilis, & multis vicibus munda & sinè maculis,* extensa ad totum intelligibile & prodigiosa, quia per ipsammet ignorantiam, in qua non modico tempore vixit Raymundus, non solùm fecit lucere & resplendescere suam Sapientiam, sed cum singularitate radiare divinam.

R. P. Franciscus Doms Soc. JESU Vir & Cathedrâ & pulpito celebris in Regno Majoricarum in quodam Sermone de B. Raymundo Lullo impresso 1688. Applaudit illius Sapientiæ comparando illam in toto suo discursu cum illa Sancti Pauli Apostoli: ob rarum & peregrinum exemplum acquisitionis illius; *eò quòd à DEO illam receperit per infusionem in instanti, & sinè studio*; ob extensionem, eo quòd attigerit omne in sua Arte Magna, & in aliis Operi-

bus, quæ promerita ſunt Approbationes Regum, Inquiſitorum Generalium, Legatorum & Commiſſariorum Apoſtolicorum *ac ipſius Concilii Tridentini* &c. &c. quod ultimum

R. P. Petrus Gil S. J. Rector Collegii Montis Sion Majoricæ in Proceſſu ibidem inſtitutuo cum authoritate Ordinarii Anno 1612. Ætatis ſuæ 62. affirmavit cum juramento, ſe audiviſſe dici à Doctore Ludovico Joanne Vileta Canonico Barcinonenſi, qui adſtitit Concilio Tridentino cum Epiſcopo illius Civitatis D. Wilhelmo Caſſador, quòd Patres Concilii, quibus data eſt cura faciendi Indicem Librorum prohibitorum, egerint: utrùm prohibendi ſint Libri Raymundi Lulli, & quòd determinaverint non prohibere illos, *cùm Doctrina illius viſa ſit vera & Catholica*; vide R. P. Cuſturerium infra nominatum Differt. 2. cap. 4. f. m. 320. §. 12.

R. P. Nicolaus Cauſinus S. J. famoſiſſimus ille Compilator Curiæ Sanctæ Tomo 4. Lugduni impreſſo Anno 1674. fol. 128. Sectione 14. de noſtro B. Raymundo ſequentia ex gallico in Latinum translata refert in titulo Sectionis, qui eſt ſequens: Exemplum notabile Amoris mundani transformati in Charitatem divinam: volo vos docere quodpiam valde mirabile in quodam homine mundano & aulico, *qui eſt Theſaurus pluribus occultus, cui invidi fuerunt malevoli, quem perſecuti ſunt ſuperbi, condemnarunt ignorantes,* ſed eſt magnus Servus DEI; ſcilicet ſapiens & pius Raymundus Lullus; poſtea enarrat profanos amores Raymundi, ſuamque reſipiſcentiam & Converſionem vocante ipſum Chriſto à Cruce ad amorem divinum; dein pergit compellando illum Vatem & Prodromum ipſius Sancti ſui Patris Ignatii, comparando hunc cum illo, dicens: verum eſt, quòd primus habuerit Intentionem, quam noſter Pater S. Ignatius tam glorioſè executus eſt; quia voluit erigere Seminaria hominum Sapientum, qui deberent ſe expandere per totum mundum ad promulgandum Evangelium, & ſe ipſos ſacrificandos pro augmento Fidei; in hunc finem multiplicavit ſua itinera Romam, Lugdunum, Pariſios, Avenionem ſollicitando inceſſanter Pontifices & Reges ad hoc Opus adeò excellens &c. &c. Comparationem porro noſtri Doctoris Illuminati & Martyris cum S. Ignatio verè curialem videre poteris ibidem, & in Tomo I. Magni Lulliani Operis inter Teſtimonia Virorum Illustrium pag. 11., quam brevitatis ſtudio hìc non commemoramus

Illuſtriſſimus R. P. Ferdinandus Quirinus de Salazar S. J. Magiſter Poſitivæ Murciæ, Alcalæ & Madriti, Qualificator Sancti Officii, electus Epiſcopus Malagæ, & Archi-Epiſcopus Charcarum, & Conſilii Supremi Inquiſitionis Hiſpaniæ in Defenſione pro immaculata Deiparæ Conceptione edita Compluti 1618. cap. 10. n. 7. noſtrum Raymundum ſpecialem Filium MARIÆ Virginis Immaculatæ comprobat; dicens: Hæc Opinio habet nobilem Patronum Raymundum Lullium in ſpeciali opuſculo, quod de Immaculata Virginis Conceptione compoſuit, ubi totam hanc duplicis tituli Doctrinam accuratè expendit, & Virginis Immunitatem à culpa ex illa aucupatur.

Nec ſolùm Inclyta ſemper Societas JESU, ejusque præmemorati Patres, quibus quàm plures adhuc alios annumerare poſſemus, præclariſſimis ſuis Elogiis ac Teſtimoniis Scientiam Lullianam exornare ſibi curæ habuerunt, ſed etiam integris Voluminibus Cauſam Illuminati Doctoris contra quoscunque adverſariorum inſultus defendere, ac à vituperiis & injuriis hucusque perpeſſis efficaciſſimè vindicare allaborarunt; Inter quos

R. P. Jacobus Cuſturerius S. J. quondam Doctor & Lector Theologiæ in inſigni Collegio Montis Sion, & poſtea in Imperiali Univerſitate Lulliana Majoricæ, ibidem Collegii S. Martini Rector digniſſimus, Qualificator Sacri Officii, & Diœceſis Examinator Synodalis, compoſuit duas Diſſertationes hiſtoricas bene magnas, unam de Cultu immemoriali B. Raymundi Lulli Doctoris Illuminati & Martyris, & alteram de Immunitate Cenſuræ, quâ gaudet ſua Doctrina, cum Appendice ſuæ Vitæ, Impreſſas Majoricæ Anno 1700. Opus lectu digniſſimum, in quo prælaudatus Author fortiſſima quæque Argumenta adducit contra adverſarios Raymundi, qui usque ad ſua tempora inſurrexerunt; quibus efficaciſſimè refutat omnia, quæ hactenus contra Pietatem & Doctrinam Divi Magiſtri noſtri excogitari vel obmoveri potuerunt, quo labore univerſo mundo comprobavit ſe officio Patroni & Advocati pro cauſa noſtri Illuminati Doctoris adeò laudabiliter functum eſſe, quòd non ſolùm nihil ampliùs deſiderari, ſed ipſa ſalus ſui beati clientis exinde ſperari poſſe videatur.

Eſt quidem adhuc aliud Adverſariorum genus, ex quo deſcendiſſe gloriatur P. R. D. Gerardus Caſteel Canonici Ord. S. Crucis Domûs Duisbergenſis Prior, qui, licèt in ſuis Controverſiis Eccleſiaſtico-Hiſtoricis &c. &c. Coloniæ Agrippinæ ſumptibus Joannis Wilhelmi Huiſch Anno 1734. editis pag. 492. Controverſia XLII. verecundari videatur Cauſam noſtri Illuminati Doctoris tot ſingularibus prærogativis & Privilegiis munitam aperto Marte aggredi, & nullâ ſibi hac in parte conceſſâ authoritate illam abominabilis hæreſeos condemnare; amore tamen propriæ eruditionis oſtentandæ magno apparatu argumenta pro & contra noſtrum Raymundum, ſive vera, ſive falſa ſint, undecunque conquiſita taliter conglomeravit, & bona malis, vera falſis ſtudioſè adeò intricavit, ut patente authoris ſententiâ male cautus, & aliunde non meliùs informatus Lector ſinè laborioſa veritatis inquiſitione vix non poſſit in omnium malevolorum ſententiam non condeſcendere; & quamvis ex ipſiusmet Authoris allegatis ad oculum demonſtrari poſſit, quæſtionem aſſumptam de orthodoxia noſtri Illuminati Doctoris non inter dubias & indeciſas, quas prælibatus Author tractare intendit, hiſtorias & plerumque aniles fabulas poſſe recenſeri, tamen nimis credulo quidquid pro noſtro Divo Magiſtro tam ex authoritatibus, quàm ex ratione produceretur, vix unquam ad hoc ſufficeret, ut huic Diſceptationi hiſtoricæ finis poſſet imponi. Veruntamen unicum illudque omnium præſtantiſſimum argumentum ſupereſt, quo tela utriusque generis adverſariorum in propriam conſcientiam retundere, Lectorumque benevolorum animos rectè & juſtè judicandi libertate donare poſſimus; hoc argumentum autem non ex alienis laudibus & encomiis mutuatum, ſed à propriis Meritis, zeloſiſſima Vita, ſingulari prorſus Sanctitate, & glorioſiſſimo tandem Martyrio noſtri B. Doctoris deſumimus; ſi enim juxta effatum S. Ambroſii Epiſcopi Lib. 1. de Virginibus poſt initium, noſtrum B. Magiſtrum omnium hiſtoriarum conſenſu *appellaverimus Martyrem, prædicavimus ſatis. Prolixa laudatio eſt, quæ non quæritur, ſed tenetur. Nemo laudabilior eſt, quàm qui ab omnibus laudari poteſt. Quot homines, tot præcones, qui Martyrem prædicant, dum loquuntur,* maximè illi, qui ad

Sacrum

Sacrum Corpus noſtri Illuminati Doctoris Majoricæ in Eccleſia RR. PP. Franciſcanorum publico cultui expoſitum in omnivariis animæ & corporis neceſſitatibus plerumque prodigioſis miraculis per merita & interceſſionem hujus magni Chriſti Martyris in hunc usque diem præſentiſſimum ſentiunt ſanitatis auxilium; quibus evidentiſſimis & cœleſtibus Signis ipſâmet divina Benignitas Sanctitatem ſui fidelis famuli vult conteſtari indubiam, ejusdemque Doctrinam ab omni hæreſeos maculâ prorſus immunem. Ut autem prædicta non ſolùm ex propenſo & debito Diſcipulorum erga Magiſtrum affectu relata eſſe credatur, libet hìc inſigni quodam Teſtimonio, & compoſito totius Vitæ & Martyrii operoſo Diſcurſu Celeberrimi Hagiographi ſupradicta confirmare. Eſt is

R. P. Joannes Baptiſta Sollerius iterum ex Inclyta Societate JESU, unus eorum Antverpienſium Patrum, quorum lucubrationibus vaſtiſſimum illud & Pientiſſimum Opus intitulatum (Acta Sanctorum) continuatum eſt. Hic præclariſſimus Author Acta Beati Raymundi Lulli Doctoris Illuminati, Bugiæ in Africa Martyris, & Patroni denominatæ ab eo Univerſitatis Majoricenſis *in Tomo V. de Actis Sanctorum Junii* ſingulari labore & ſtudio digeſſit, ac pro officii ſui in hac parte ſibi conceſſi munere primo ſuo conatu illuſtravit & exornavit, refutatis etiam quibuscunque contrariorum argumentis manifeſtiſſimè commonſtrans Raymundum Lullum, magnum divini & humani amoris ſpecimen, magnum tum immenſis laboribus pro Fide Catholica ſuſceptis, ac profuſo ſanguine ſigillatis, tum Libris ſcribendis naturæ ſimul ac gratiæ prodigium maximis quibuscunque Sanctis DEI jure meritiſſimo annumerari; ſi igitur noſter Illuminatus Doctor tantorum Virorum ad hoc ſpecialiter deputatorum judicio, ſicut etiam authentico Seraphici Ordinis Martyrologio pro Sancto DEI Martyre habendus, colendus & venerandus perhibeatur, exinde plene confidimus, verarum Scientiarum Amatores non ſolùm immoderatis, falſis, & maximè injurioſis vituperiis, calumniis & impoſitionibus quorumcunque noſtrorum adverſariorum fidem nullam daturos eſſe, ſed potiùs, ſi quondam à ſimilis genii authoribus decepti, ab aſſecutione infallibilis veritatis deſtituti, atque à deſiderio ſuo fraudati usque huc extiterint, ignoſcant nobiscum illis, quia neſcierunt, quid fecerint; ſed eò majori zelo in illud unicè contendant, ut, quod ex ſingulari Divina Miſericordia intellexerint, pro ſalute proximi & honore DEI in ſæcula Benedicti univerſo mundo ſuâ operâ, ſtudio & favore valeat communicari; ad quod eò magis animentur, cùm juxta Apoſtolum *2. Cor. 10. v. 18.* ille probatus ſit, quem DEUS tanquam juſtiſſimus rerum Arbiter & ridigiſſimus univerſi Cenſor commendans ſimilem fecit maximis ſuis Amicis in Gloria Sanctorum; de quo ex tot ac tantis allegatis & probatis plenariè convicti Libros hujus Beati Authoris tanquam verè Catholicos & rei Chriſtianæ per univerſum orbem Authoritatum & Rationum ſoliditate propagandæ quàm maximè proficuos luce publicâ, omnium recommendatione & acceptatione digniſſimos nobiſcum judicare non pertimeſcant, cùm unicuique inſpicienti clariſſimè pateat, quòd noſter Sapientiſſimus *Intelligentiæ Princeps* in priori Tomo V. totum hoc plenariè compleverit, quidquid ad illuminandum. elevandum & in Sacroſancta Rom. Fide conſolidandum Intellectum poterat excogitari; in hoc autem Tomo VI. reliquas duas Potentias Animæ, Voluntatem ſcilicet & Memoriam, Animam denique Rationalem & totum Hominem profundis adeò & infallibilibus Principiis per rectam Intentionem ad noſtræ Beatitudinis Finem DEUM & JESUM Chriſtum tutè prorſus & ſecurè perducere conatur, ut qui hanc Doctrinam aſſecutus in condigna vita perſeveraverit, nec ab univerſali Matre Eccleſia, nec à Fine ſuo ſe in æternam ſeparari patietur.

Primò igitur noſtra *Tuba divini Amoris* univerſo mundo intonat *Artem Amativam Boni*, in qua incredibili labore ſimul & facilitate conatur humanam Voluntatem ordinare ad amandum magis Creatorem tanquam omnis veri Amoris originem & metam, quàm univerſas creaturas, & ad procurandum & deſiderandum magis publicam Utilitatem, quàm propriam. Eſt autem iſta Ars Amativa quaſi ſemen, ex quo conſurgit

Secundus Tractatus, qui dicitur: *Arbor Philoſophiæ Amoris*, cujus Radices, Truncus, Branchæ, Rami, Folia, Flores & Fructus amœnum adeò aſpectum, dulcem ſaporem & fragrantiam reddunt Amanti, quòd vera Arbor Vitæ æternæ in medio intellectualis Paradiſi poſita non immeritò nuncupari poſſit. Et hoc

Tertiò ex *Floribus* & Fructibus *Amoris & Intelligentiæ* non obſcurè cognoſcitur, cùm plerumque nihil volitum, nihil amatum, niſi cognitum & intellectum; neceſſariò igitur Flores Amoris & Intelligentiæ in uno ſerto colligati proponuntur, cum quibus juxta mentem noſtri Illum. Doctoris Amicus poſſit cognoſcere, amare & contemplari Amatum, qui eſt DEUS in ſæcula Benedictus.

Quartò ſequitur *Arbor Philoſophiæ Deſideratæ*, quæ eſt una *Species Artis Memorativæ*, ad ordinandum, regulandum & confortandum tertiam Potentiam Animæ; nam ſpecies, quas Intellectus regulatè inveſtigando intellexerit, & intellectas ex realibus Entibus affirmando vel negando multiplicaverit, & quas Voluntas bene ordinatè amaverit, has oportet, ut Memoria perduranter conſervet tanquam in ſpeculo ſinè fine & labore contemplandas. Ut autem labilitati hujus Potentiæ magis conſulendo multa Sententia & Scientia in brevi propoſitione unius Proverbii eò firmiùs ad recolendum habituaretur,

Quintò proponit *noſter Salomon Novæ Legis Librum Proverbiorum*, in quibus panditur via regia ad ſciendam Sapientiam & Diſciplinam, ad intelligenda verba Prudentiæ, & ad ſuſcipiendam Eruditionem Doctrinæ, ut audiens ſapiens ſapientior fiat, & intelligens gubernacula poſſideat non ſolùm in aſcendendo ad Supremam Divinæ Eſſentiæ Cognitionem, ſed etiam in deſcendendo ad profundiſſima Naturæ Arcana, donec in Parabolas & Ænigmata Fidei clariùs penetranda, condignis etiam moribus amplectenda ſecuriùs pertingat. Poſtquam igitur in præcedentibus Tractatibus tribus Potentiis Animæ ſingillatim abundantiùs proviſum eſt, nunc

Sextò *incomparabilis Doctor* aggreditur in Novo Libro de *Anima Rationali* laborem de materia omnium Subtiliſſima ſubſtantiæ inviſibilis Animæ intellectualis, tantâ claritate & amplitudine tractandi, quòd nullus unquam Doctorum nec ante, nec poſt ipſum extiterit, qui de re adeò abſcondita quaſi innumeras & plerumque inauditas Quæſtiones infallibilitate Principiorum in pulcherrimo Ordine & determinato numero conatus fuerit reſolvere.

Septimo, cùm noſter Illuminatus Doctor bene

cognoverit, fere nihil minus ſciri ab Homine, quàm quid ſit Homo, & quomodo cum ſe ipſo debeat honorare DEUM, ideo in *Libro de Homine* mirabili prorſus Methodo tractat de Vita & Morte, de Anima & Corpore, & de Potentiis utriusque, de Operationibus naturalibus & artificialibus, de Virtute & Peccato: tractat etiam, quomodo Vitia ſint deſtruenda, & Virtutes quomodo multiplicandæ; quam Doctrinam ut ipſo opere absque periculo propriæ deceptionis ſecuriùs exequereris, ſubjungitur

Octavò *Liber de prima & ſecunda Intentione* tanquam Lapis lydius, quo omnes operationes intellectualis & ſenſualis Hominis eſſent probandæ, fæcesque noſtrarum iniquarum paſſionum detectis periculis perverſæ Intentionis expurgandæ; ut tandem

Nonò in omnibus noſtris actionibus irretortis oculis reſpiciamus in primum Principium & ultimum Finem, qui nobis in *Libro de DEO & JESU Chriſto* luculentiſſimis ſimul & profundiſſimis rationibus per omne Quæſtionis genus exhibetur & declaratur, non alio prorſus fine, quàm ut DEUS, ad quem homo principaliter eſt creatus, eò meliùs poſſet recoli, intelligi & amari.

Ad cujus majorem Gloriam & Honorem non exiguos labores & adverſitates in parando hoc Tomo Sexto absque ſpe alterius præmii ſuſcepimus, quàm ut in gratia & adjutorio Altiſſimi, bonorum omnium benigniſſimi Remuneratoris confidamus, quòd præ cæteris illi, quibus ex vocatione onus propagandæ Fidei & docendarum Scientiarum incumbit, ab indignis manibus noſtris hoſce ſudores accipere non dedignentur, ut juxta deſiderium præcitati Reverendiſſimi Patris Hieronymi Natalis S. J. Donum DEI ſcire & capere poſſint, quàm appoſita ſit hæc Ars & Scientia ad Veritatem naturali rationè tradendam, non indignè ferentes, quòd, ſicut noſter Illuminatus Doctor ſecundùm mentem R. P. Cauſini erat primus, qui habuerit Intentionem, quam Sanctus Patriarcha Ignatius in erigendis Seminariis & fundandis Miſſionibus tam glorioſè executus fuit; ita etiam primus ſit, qui radios Scientiæ ad hunc finem conſequendum ſibi cœlitùs infuſæ in Illuminationem gentium (nam tales ſolo lumine naturæ ducti rationes de ea, quæ in nobis eſt Fide, unicè deſiderant) largiùs diffundat. Sin autem quidam eſſent, qui Libros & Scripta noſtri Illuminati Doctoris legere & intelligere aſpernantes Veritatem omnis Scientiæ ex eodem fonte divinorum Attributorum originariè derivare contemnant, ex quo tamen eſſentiæ omnium rerum ſuo naturali ordine infallibiliter promanarunt, iſti ſaltem pro amore DEI, ſupplicantibus nobis, non patiantur, quòd fama prodigioſi adeò Illuminati Doctoris & Chriſti Martyris abominabili hæreſeos maculâ contra compertam facti veritatem inexcuſabiliter maneat protinus imminuta; cujus reſtitutionem, ut pro parte noſtra facilitaremus, conati ſumus hâc noſtrâ Diſſertatione Innocentiſſimum noſtrum Raymundum non quidem à falſò imputatis erroribus vindicare, utpote à quibus neceſſario ductu ſuorum Principiorum, inſuper etiam innumeris Librorum textibus abundè liberatur, ſed hiſce proteſtamur, hoc unicum intendere, ut ii, qui ipſum Nomen adeò denigratum abhorrent, ad minus Authoritate tot Privilegiorum, Cenſurarum & Approbationum inſignium Virorum à DEO in hunc finem ſpecialiter vocatorum ad videndum & guſtandum dulciſſimos hujus Scientiæ fructus allicerentur; & certi ſumus, quòd diſcuſſâ priùs cauſâ rectum judicium nobiſcum judicabunt, ſicut Regina Saba *3. Reg. cap. 10. v. 6. & ſeqq.* de Salomone Veteris Legis judicabat, non credens narrantibus ſibi, donec ipſa venerit & viderit oculis ſuis, & probaverit, quòd media pars ſibi nuntiata non fuerit, & quòd major fuerit Sapientia & Opera ſui Salomonis, quàm rumor, quem audiverat

Videte igitur & intelligite Viri Mecœnates, Patroni & Fautores noſtrum, totiusque Operis finem non eſſe alium, quàm quem Sancta Romana Eccleſia per potentes adeò & numeroſos Militarium & Regularium Ordines in Converſione tot miſerandorum Paganorum ſummum DEUM penitus ignorantium cum tanta ſolicitudine aſſequi contendit; atque ideo Veſtrâ Potentiſſimâ Protectione & Munificentiâ, Patrocinio & Favore hoc ſaluberrimum Divinum Opus inceſſanter protegere, noſtrosque labores ſub Veſtra Benevolentia propriis ſtipendiis exantlatos per continuatas gratias ac patrocinia fovere non dedignemini: bene ſecuri, quòd gratiſſimum in eo ſervitium ter Optimo Maximo DEO ſitis exhibituri, ſi ad finem adeò laudabilem propagandæ Divinæ Cognitionis & univerſalis Gloriæ hanc quoque Scientiam tanquam indubitatum & maximè neceſſarium medium ab increata Sapientia cœlitùs ſubminiſtratum ad immortalem veſtri Nominis Magnificentiam & innumerabile Sanctæ Fidei incrementum fortiter faciatis promoveri. Vos autem Condiſcipuli in DEO dilectiſſimi, & inter vocatos quàm plurimos à divina Bonitate electi chariſmata meliora æmulantes conatus noſtros veſtris ſtudiis & fervoribus augmentate, atque ſepoſito inani hominum contemptu & reſpectu pro juſtitia DEI in ſuis Sanctis nobiſcum agonizare non dubitetis; erit enim tempus, cùm ſanam Doctrinam hujus univerſalis pro illuſtrandis ſæculi tenebris (ſi Beato Authori fides adſtruenda) divinitùs communicatæ Scientiæ cum gaudio ſuſtinebunt, & in lucidiſſima divinarum & creatarum rerum contemplatione temporaliter & æviternè miſericordiſſimo bonorum omnium Largitori perennium gratiarum referent actiones, in quo erit deſideriorum noſtrorum unica meta &

FINIS.

BEATI RAYMUNDI LULLI
DOCTORIS ILLUMINATI
ARS AMATIVA BONI.

Glorioſiſsime DEUS, Fons & Origo omnis veri Amoris, in tua Virtute, Gratia & Benedictione incipit *Ars Amativa Boni*, ut tu Domine cognoſcaris & ameris à tuo populo, qui vivis & regnas infinitè & æternaliter bonus amabilis DEUS per omnia Sæcula Sæculorum. Amen.

DE *PROLOGO.*

1. BEnedictus DEUS creavit mundum, ut ipſe tanquam ſupremus Finis ſuper omnia cognoſcatur & ametur cum valde alta cognitione & amore: igitur cùm mundus ſit conſtitutus in valde perverſo ſtatu, eſt magna irrecognitio & magna ingratitudo, quia non ſequitur finem, ad quem eſt creatus; & hæc deviatio finis eſt, quia creaturæ in hoc mundo magis cognoſcuntur & amantur, quàm earum Creator noſter Dominus DEUS, & magis deſideratur & procuratur propria utilitas, quàm publica.

2. Unde quantò meliùs poſſumus, cum Adjutorio DEI conabimur, ut DEUS magis cognoſcatur & ametur, quàm omnes creaturæ, & ut publica utilitas magis deſideretur & procuretur quàm propria; quapropter compilamus hanc *Artem Amativam Boni*, per quam datur & monſtratur Amantia, ſicut per *Artem Inventivam* datur & monſtratur Scientia: nam quemadmodum Scientia intitulatur ſub Intellectu, ita Amantia intitulatur ſub Voluntate; Amantia enim eſt defectiva ſinè Scientia, & Scientia ſinè Amantia: idcirco in hac Amantia ſumimus Principia *Artis Inventivæ*, & ſequimur ſimilem modum amandi in Arte Amativa, ſicut ſciendi in Arte Inventiva, ut artificialiter poſſimus cognoſcere Amantiam per Scientiam, & amare Scientiam per Amantiam; nam quantò magis ſcientificè cognoſcemus Amantiam, in tantò altiorem gradum illam elevabimus ad amandum, & tantò clariùs intelligemus Artem Inventivam, & ipſâ magis delectabimur, per quam cognoſcemus Artem Amativam, & etiam propiùs accedemus ad noſtrum propoſitum, quod eſt ligare voluntatem ad amandum Bonum, & obtinere Scientiam rerum verarum; nam per hanc Artem utrumque horum poteſt haberi, ita quòd per Amantiam acquiratur Scientia, & per Scientiam acquiratur Amantia, unâ mixtâ cum altera ſecundùm proceſſum hujus Amantiæ.

3. Igitur Subjectum hujus Amantiæ est amare DEUM, seipsum, & suum proximum, & amare ea, quæ sub istis tribus sunt amabilia, & odire eorum contraria: unde cùm in mundo plerumque odibilia amentur, & amabilia odiantur, ideo applicamus hanc Amantiam, ut amabilia amentur, & odibilia odiantur: unde ut veniamus ad hunc finem, convenit, quòd demus Artem & Doctrinam, quomodo illi, qui volent scire hanc Artem, sciant ligare, submittere & constringere suam voluntatem ad amandum amabilia, & ad odiendum odibilia; & etiam ad magìs amandum ea, quæ sunt magìs amabilia quàm ad ea, quæ non sunt tam digna, quòd amentur, & ad magìs odiendum odibilia, secundùm quòd quædam sunt magìs odibilia quàm alia: igitur Subjectum hujus Amantiæ significatur secundùm hoc, quod diximus; quod Subjectum convenit conservari in toto processu hujus Amantiæ.

4. In *Arte Inventiva* significavimus & dedimus Regulam, quomodo homo sciat ligare suum Intellectum ad cognoscendum Veritatem. Intellectus ligatur ad cognoscendum Veritatem tunc, quando per certa Principia est regulatus & ordinatus ad apprehendendum objectum verum, affirmando illud, in quantum de rebus veris intelligit; velut intelligere, DEUM esse bonum, & hominem esse animal, & sic de aliis; & intellectus non potest constringi neque cogi ad intelligendum contrarium de rebus veris; velut intelligere, DEUM esse malum, & hominem esse lapidem, quia est constrictus & ligatus per modum negationis intelligere, quòd DEUS non sit malus, & quòd homo non sit lapis, & sic de cæteris: nam postquam intellectus intelligit, quòd DEUS sit bonus, & quòd homo non sit lapis, non potest intelligere, quòd DEUS sit malus, & quòd homo sit lapis; iste intellectus est liber in hoc, quod intelligit, sive intelligat per modum affirmationis, sive per modum negationis, tamen est constrictus intrando in cognitionem, quam habet de rebus, quam constrictionem habuit per regulationem & ordinationem principiorum, per quæ habuit certam cognitionem objecti, quod apprehendit; tamen talis constrictio non est contra suam naturam nec contra suam libertatem nec contra alia principia *Artis Inventivæ*, cùm illi sit naturale parere veritatem, quæ est suum objectum, & aliis principiis est naturale regulare & ordinare intellectum ad illum finem, ad quem est creatus: ergò solùm constrictio est in tantum, in quantum est modus, quem magister Artis illi dat, quando per artificium illum inducit & illum adducit & illum ordinat ad intelligendum veritatem eorum, quæ sunt intelligibilia: unde cùm hoc ita sit, secundùm hoc, quod diximus de ligamine intellectûs, per similem modum damus cognitionem ligaminis voluntatis, quod artificialiter inquirimus & monstramus, ut possimus ligare voluntatem ad amandum amabilia, & ad odiendum odibilia; nam quemadmodum veritas est proprium objectum intellectui sub propria ratione affirmandi veritatem, ita bonitas est proprium objectum voluntatis sub propria ratione amandi bonitatem; & contrarium bonitatis est ita proprium objectum voluntati sub odibilitate, sicut falsum est objectum intellectui sub ratione negationis. Istæ duæ supradictæ proprietates Scientiæ & Amantiæ sunt necessariæ æqualiter, per hoc quòd DEUS est æqualiter dignus, quòd cognoscatur & ametur à suo populo, propter quod æqualiter sequuntur alia, quòd sint æqualiter affirmabilia & amabilia, negabilia & odibilia: ergò voluntas est ita ligabilis ad assumendum suum objectum per regulam & ordinationem aliorum principiorum confluentium ad illud objectum, ut voluntas illud assumat, sicut est in intellectu, existente voluntate ita liberâ sicut est intellectus, secundùm quòd suprà diximus: unde ad alligationem voluntatis in amando bonitatem amoris Amati & Amici applicamus hanc Artem, & de hoc damus doctrinam, secundùm quòd in Arte continetur.

5. Hæc Amantia est valde alta, & ex altioribus & generalibus Principiis, quibus possumus, illam compilamus; *& cùm habeamus indigentiam vocabulorum, quæ non sunt in vulgari Lingua, convenit, quòd utamur aliquibus vocabulis, quæ sunt in latino, & etiam aliquibus verbis extraneis, quæ non sunt in usu neque in vulgari neque in latino, sinè quibus non possemus exaltare hanc Amantiam ad tam altum gradum bonitatis sicut convenit, neque possemus venire ad propositum, quod desideramus, neque possemus prædicare neque revelare entitatem & realitatem eorum, quæ sunt, ut amarentur & cognoscerentur.*

6. Intentio, propter quam nos hanc Amantiam ponimus in Vulgari, est, ut homines, qui non sciunt Latinum, possint habere Artem & Doctrinam, quomodo sciant ligare suam voluntatem in amando cum bono amore, & etiam quomodo sciant habere scientiam ad cognoscendum veritatem, & etiam ideo ponimus illam in Vulgari, ut homines, qui sciunt Latinum, habeant doctrinam & modum, quomodo de verbis latinis sciant descendere ad loquendum pulchrè in vulgari, utendo vocabulis hujus Artis; sunt enim multi homines, qui Scientiam in Latino non sciunt transportare de Latino in vulgarem propter defectum vocabulorum, quæ per hanc Artem poterunt habere.

7. Hanc Artem proponimus ponere in Latino, & si placeat DEO, quòd nobis tamdiu velit sustentare vitam ad honorandum suum nomen, proponimus illam transferre in Arabicum, ut homo possit confundere Saracenos, monstrando illis errorem, in quo sunt, & dando illis doctrinam nostræ sanctæ Christianæ Fidei, *cujus Correctioni submittimus hanc Artem & etiam alias, quas fecimus; & si in illis erravimus, non erravimus scienter, sed per ignorantiam.*

8. Saracenis scientibus hanc Artem (& hoc idem sequitur de Judæis & Schismaticis & Paganis, si sit translata in illorum linguam) poterunt Christiani solvere per Artem omnes Objectiones, quas possunt facere contra nos Christianos, & nos poterimus illis facere Objectiones, quas neque per viam rationis neque amoris poterunt solvere; & ideo poterunt per gratiam DEI cognoscere suos errores, & poterunt dirigi ad viam veritatis: unde ratione hujus valde vehementer desideramus, ut in illorum Linguas transferatur; nos tamen, ut illos non faciamus illam vilipendere, in hac Arte non loquimur explicitè de Trinitate neque de Incarnatione, ut illam non omittant addiscere; neque proponimus ponere hunc paragraphum in translatione, quam de illa faciemus in Arabicum.

9. Hæc Ars est valde utilis ad cognoscendum & amandum, secundùm quòd in suo processu manifestatur, & etiam quia per hanc Artem homo potest habere bonos mores, & lucrari virtutes, & elongare se à vitiis. *Homo etiam potest per hanc Artem in brevi tempore habere Scientias, quæcunque sint, addiscendo illas secundùm processum hujus Artis Amantiæ & illius Principia, applicando illa ad hanc Artem amandi*, tentando illa, an sint amabilia vel odibilia, secundùm quòd amabilitas vel odibilitas, affirmabilitas vel negabilitas sunt artificialiter tradita in hac Amantia; nam si principia aliarum Scientiarum & processus, qui fuit in illis, sunt vera, convenit de necessitate, quòd secundùm processum hujus Artis sint affirmabilia & amabilia; & si in quadam illarum Scientiarum sit aliquod falsum principium, ex quo sequatur falsus & malus processus, convenit, quòd secundùm hanc Artem sit negabile & odibile; *cùm Principia hujus Artis sint universalia omnibus principiis aliarum Scientiarum* in amabilitate & affirmabilitate, existentibus illis & suis processibus affirmabilibus & amabilibus, secundùm quòd in hac Amantia manifestè apparet.

10. Multæ adhuc aliæ utilitates sunt, quæ possunt sequi per hanc Amantiam, quas esset longum enarrare: *unde ratione hujus ego homo peccator & indignus, quòd meum nomen scribatur in hac Arte, supplico tantum, quantum possum, Amatoribus boni Amoris, ut adjuvent publicare hanc Amantiam ad hoc, ut per illam adjuvante DEO mundus possit esse in tali statu, quòd sit DEO placens & acceptabilis.*

De Divisione hujus Artis.

HÆc Ars dividitur in *quinque* Distinctiones. *Prima* est de Figuris. *Secunda* de Regulis. *Tertia* de Definitionibus. *Quarta* de Conditionibus. *Quinta* de Quæstionibus.

1. Intentio, propter quam nos ponimus Figuras in hac Arte, est, ut in illis observemus Principia hujus Artis; nam per sensualem speculationem exaltatur intellectus ad speculandum res intellectuales & spirituales, per quam exaltationem exaltatur sua voluntas ad amandum illas; & etiam ut per Figuras detur Doctrina & Ars, quâ unum Principium respondeat alteri, existente quolibet principio in seipso & in alio; & hoc ad inquirendum, inveniendum & multiplicandum modos & rationes, per quas Amicus alligatur & capitur ad amandum cum bono magno & durabili

amore ſuum bonum magnum & durabilem Amatum.

2. Regulæ ponuntur in hac Arte ad regulandum illius Principia & illorum Definitiones & Conditiones, & ad ſolvendum Quæſtiones, ut ad regularitatem illorum Amicus ſciat regulare & ordinare ſuum amorem, ſecundùm quòd convenit ad amandum amabilia, & ad odiendum odibilia indigna, quòd amentur.

3. Intentio, propter quam nos ponimus Definitiones in hac Amantia, eſt, ut homo cum illis inquirat naturam & proprietates amoris & cujuslibet principiorum; nam habitâ cognitione talium rerum, mixtis principiis ad invicem, ſecundùm quòd ſequitur in principio hujus Artis, inveniet modum & naturam inclinandi ſuam voluntatem ad amandum ſecundùm naturam & proprietates, quæ revelant amori ſua principia, in qua revelatione formatur & capitur amor ad amandum, & datur doctrina ſcientiæ in concludendo ſecundùm definitiones principiorum applicando quæſita illis definitionibus.

4. Conditiones ponuntur in hac Amantia ad inquirendum in illis reſponſiones, quæ conveniunt quæſtionibus amoris; in illis enim conditionibus conjunctis & compoſitis ex definitionibus factis ex principiis attingitur Amor & Scientia, cognoſcendo & amando illas conditiones eſſe veras & amabiles; & exiſtente contrario illarum conditionum negabili & odibili.

5. Quæſtiones ſunt in hac Arte eâ intentione, ut homo ſciat inquirere & facere & ſolvere Quæſtiones, & ad inveniendum amorem & veritatem principiorum, quia per talem inquiſitionem lucratur & acquiritur Scientia & Amor, ſecundùm quòd in proceſſu hujus Artis continetur; veruntamen omnes ſupradictas intentiones habemus in hac Arte intentione cognoſcendi & amandi noſtrum Dominum DEUM.

INCIPIT
PRIMA DISTINCTIO,
QUÆ EST
De Figuris hujus Artis.

HÆc Ars dividitur in *quatuor* Figuras. *Prima* eſt ex *novem* generalibus Principiis, quæ ſunt *Bonitas*, *Magnitudo*, *Æternitas* ſive *Duratio*, *Poteſtas*, *Sapientia*, *Voluntas* ſive *Amor*, *Virtus*, *Veritas*, *Gloria*. *Secunda* Figura eſt ex aliis *novem* generalibus Principiis, quæ ſunt *Differentia*, *Concordantia*, *Contrarietas*, *Principium*, *Medium*, *Finis*, *Majoritas*, *Æqualitas*, *Minoritas*. *Tertia* Figura eſt compoſita ex triginta ſex Cameris, in quibus repræſentantur Principia ſuperiùs dicta per literas. *Quarta* Figura eſt compoſita ex tribus Circulis, in ea ſunt duo circuli volubiles, & ſunt cameræ literarum ad ſignificandum Principia & multiplicationem conditionum, inventionum, ſolutionum & quæſtionum hujus Artis.

De prima Figura.

1. IN hac Figura ponitur B. pro bonitate, C. pro magnitudine, D. pro æternitate ſive duratione, E. pro poteſtate, F. pro ſapientia, G. pro voluntate ſive amore, H. pro virtute, I. pro veritate, K. pro gloria. Hæc eſt circularis, & per literas deſcribuntur & aſſignantur ſupradicta Principia ad hoc, ut homo poſſit uti in hac Arte tertiâ & quartâ Figurâ, ſinè qua deſcriptione illis non poſſet uti: eſt etiam Figura circularis eâ intentione, ut ſua circularitas ſignificet mixtionem Principiorum ad invicem, ad inquirendum & ad ligandum amorem ad amandum ſecundùm naturam & proprietatem illorum principiorum.

2. *Principia hujus Figuræ ſunt tam generalia & tam alta, quòd nulla alia principia poſſint eſſe altiora, & ſunt manifeſta per ſe ipſa:* unde ratio, propter quam ſumpſimus tam alta & tam manifeſta Principia, conſiſtit in hoc, quia convenit, hanc Artem Amativam eſſe generalem ad amandum omnia amabilia, & ad odiendum omnia odibilia; & hoc, ut Amicus poſſit ligare voluntatem ad amandum generalia & etiam ſpecialia, quæ ab illis individuantur & deſcendunt.

3. Supra bonitatem non poteſt ullum principium eſſe bonum neque extra illam; quoniam illud principium non poteſt eſſe bonum

bonum ſinè bonitate; ſi enim eſſet bonum, ſuum bonum eſſe eſſet illi malum eſſe, cùm ita ſit, quòd malum eſſet, eſſe bonum ſinè bonitate; neque etiam extra magnitudinem ullum principium poteſt eſſe magnum; ſi enim eſſet magnum, conveniret, quòd eſſet magnum & parvum ſinè contradictione; quod eſt impoſſibile: neque ſupra æternitatem & durationem ullum principium poteſt eſſe æternum nec durare; cùm omne, quod eſt extra æternitatem & durationem, conveniat eſſe in privatione, quia eſſet & non eſſet illud principium; quod non poteſt eſſe: & hoc idem ſequitur de aliis ſupradictis principiis, ad quæ poſſunt applicari omnia alia principia, quæ implicitè exiſtunt in illis; ſicut DEUS, qui eſt magnus, bonus & æternus, & ſicut perfectio, juſtitia, largitas, ſimplicitas, nobilitas, miſericordia, dominium, quoniam omnia iſta principia ſunt bona magna; & ſic de aliis: unde cùm hoc ita ſit, vult hæc Ars Amativa, quòd principia, quæ implicitè exiſtunt in principiis, quæ explicitè ſunt in principiis hujus Artis, reducantur ad modum, ſecundùm quem principia explicita hujus Artis ordinantur in hac Amantia, & ſecundùm illum modum homo de illis judicet & concludat in quæſitis rebus.

De ſecunda Figura.

1. SEcunda Figura eſt ex tribus Triangulis, ſecundùm quòd in illa continetur, per quos incedunt omnia, & in quibus homo poteſt omnia componere & inquirere.

2. Triangulus viridis eſt differentia, concordantia & contrarietas: in quolibet angulorum trianguli eſt ſcriptum ſenſuale & ſenſuale, ſenſuale & intellectuale, intellectuale & intellectuale, ad ſignificandum, quòd differentia, concordantia & contrarietas exiſtant inter ſenſualia & ſenſualia, ſenſualia & intellectualia, intellectualia & intellectualia: differentia, quæ eſt inter *ſenſuale & ſenſuale*, eſt, veluti inter ignem & aërem, & hoc idem de concordantia & contrarietate inter ignem & aquam, aërem & terram; & ſic de aliis his ſimilibus: differentia, quæ eſt inter *ſenſuale & intellectuale*, eſt, veluti inter corpus & animam; & hoc idem de concordantia & contrarietate, quæ eſt inter corpus & animam, exiſtente corpore corruptibili & ſenſibili, & animâ rationali incorruptibili & inſenſibili; & ita de aliis his ſimilibus: differentia, quæ eſt inter *intellectuale & intellectuale*, eſt, veluti inter DEUM & animam, intellectum & voluntatem; & hoc idem de concordantia & contrarietate, quæ eſt inter intellectuale & intellectuale, veluti inter DEUM & dæmonem & voluntatem hominis mali; & ſic de aliis: iſte triangulus ita ordinatus eſt ſubjectum ad inquirendum amabilia & odibilia, affirmabilia & negabilia ſub ratione differentiæ, concordantiæ & contrarietatis.

3. Triangulus rubeus eſt compoſitus ex principio, medio & fine, ut ſit inſtrumentum & objectum ad inquirendum ea, quæ exiſtunt ſub ratione principii, medii & finîs: in angulo, in quo eſt ſcriptum principium, eſt ſcriptum, tempus, quantitas, cauſa, & ſunt in illo ſcripta ad ſignificandum, quòd inquirantur ea, quæ ſunt principiata vel principianda ſub ratione accidentis, veluti *tempus*, quod habet principium, & eſt principium iis, quæ in tempore ſunt principiata; & ſic de *quantitate*, quæ eſt principium, per quod finita ſunt terminata ſub certa quantitate; & hoc idem ſequitur de aliis accidentibus, veluti qualitas, quæ eſt principium, per quod res ſunt quales, & una non eſt alia, ſignificantes in hac Amantia principia ſubſtantialia, veluti *efficiens*, *forma*, *materia & finis*; ſicut vivere, quod eſt finis ipſius comedere & bibere; & amare & cognoſcere DEUM, quod eſt finis ipſius vivere; & ſubſtantia, quæ eſt finis accidentis. Efficiens, veluti homo, qui generat hominem, vel facit bonum vel malum vel quidcunque operans. Forma, veluti anima hominis, quæ eſt forma corpori, cum quo eſt conjuncta. Materia, veluti corpus hominis, quod eſt materia exiſtens ſub forma animæ; & ita de aliis his ſimilibus.

4. In Angulo medii eſt ſcriptum: conjunctio, menſuratio & extremitas: *conjunctio* habet ſignificationem, quòd aliquod ſit medium, quod conjungit aliqua diverſa, ſicut proportio, quæ conjungit formam & materiam, & calor, qui conjungit ignem & aërem: *menſuratio* ſignificat medium, quod eſt inter diverſos terminos æqualiter diſtantes, ſicut punctum exiſtens in medio circuli, vel ſicut aër, qui exiſtit inter ignem & aquam: *medium extremitatis* eſt medium continuum, quod eſt intra extremitates, veluti linea, quæ exiſtit inter duos terminos,

& veluti corpus, quod exiſtit in medio ſuarum extremitatum; & ſic de aliis his ſimilibus.

5. In Angulo finîs eſt ſcriptum: privatio, terminatio, cauſa finalis: *privatio*, ad ſignificandum ea, quæ finiuntur in ſuo non eſſe, veluti homo, qui moritur & finitur, & planta, quæ devenit in privationem: *terminatio*, veluti terminus corporis, qui ultra illum terminum non extenditur; & etiam ſicut terminatio videndi, ultra quam viſus non extenditur: *Finis cauſæ*, veluti DEUS, qui eſt finis omnium rerum, & homo, qui eſt finis divitiarum, & totum, quod eſt finis ſuarum partium; & ſic de aliis his ſimilibus.

6. Triangulus croceus eſt compoſitus ex majoritate, æqualitate & minoritate, in angulis illius eſt ſcriptum: inter ſubſtantiam & ſubſtantiam, ſubſtantiam & accidens, accidens & accidens, ad ſignificandum, quòd majoritas, æqualitas & minoritas exiſtant in cauſis ſubſtantialibus & accidentalibus: *ſubſtantialiter*, veluti DEUS, qui eſt major in bonitate, magnitudine &c. quàm omne quod eſt; & veluti firmamentum, quod eſt majus quàm ignis; & anima rationalis, quæ eſt major in bonitate, magnitudine quàm corpus: *accidentaliter*, veluti accidentia animæ, quæ ſunt majora in magnitudine, bonitate &c. quàm accidentia corporis, & veluti accidentia humani corporis, quæ ſunt majora in bonitate, magnitudine &c. quàm accidentia plantarum: & hoc idem ſequitur de minoritate, cùm majoritas & minoritas ſint per oppoſitum. Æqualitas eſt ſubſtantialiter in DEO, ſicut exiſtere, quod DEUS habet in ſe ipſo, & agere, quod DEUS habet intra ſe ipſum, quæ ſunt æqualia, veluti in anima vel in corpore, in quo bonitas, magnitudo &c. ſunt principia æqualia ſecundùm proportionem & comparationem: æqualitas ſubſtantialium & accidentalium eſt, veluti ſubjectum caloris ignîs, quod eſt æquale quantitati caloris in extenſitate; & hoc idem de colore, qui eſt æqualis colorato: æqualitas, quæ eſt inter accidens & accidens, eſt, veluti æqualitas unius qualitatis exiſtentis in alia, quæ ſub ratione extenſitatis exiſtunt æqualiter per totam ſubſtantiam, veluti calor ignîs, qui exiſtit per totam humiditatem aëris in corpore compoſito ex elementis, & hoc idem ſequitur de aliis his ſimilibus.

7. Iſti tres trianguli, quilibet per ſe ipſum, & omnes tres ſimul, & mixtim quilibet in alio ſunt inſtrumenta ad inquirendum amorem, & ad alligandum voluntatem ad bonum amare ſub forma trianguloram & cujuslibet illarum partium, ſecundùm quòd in proceſſu hujus Artis continetur; nam intelligente humano intellectu ſupradictos triangulos & id, quod ſequitur ex illorum mixtionibus ſub forma veritatis, voluntas ligatur & ſubmittitur ad amandum illa vera ſub forma bonitatis, ita quòd per colligantiam ambarum formarum objectabilium voluntas ligatur ad amandum ſuum bonum Amatum ſub ratione veritatis & bonitatis in omnibus illis, quæ de triangulis poſſunt prædicari.

De tertia Figura.

1. TErtia Figura eſt compoſita ex *triginta ſex* Cameris; cameram appellamus conjunctionem duarum literarum, ſecundùm quòd in Figura repræſentatur, ita quòd B. C. ſint una camera, & B. D. ſint alia camera; & ſic de aliis: in hac Figura quælibet litera habet duo ſignificata, veluti B., quod habet unum ſignificatum ſecundùm primam Figuram, & habet aliud ſecundùm ſecundam Figuram.

2. Intentio, propter quam hæc Figura eſt poſita in hac Amantia, eſt, ut in illa miſceantur prima Figura & ſecunda miſcendo unum principium cum alio, ut per illam mixtionem intellectus attingat id, quod inquirit ſub ratione veritatis, & ut voluntas amet illam veritatem ſignificatam per mixtiones principiorum hujus Scientiæ, ligante intellectu voluntatem ad amandum veritatem revelatam per mixtionem, illuminando & veſtiendo voluntatem veritate amabili in bonitate magnitudinis, durationis &c.

3. Quælibet camerarum eſt ſubjectum generale ad inquirendum particularia, quæ ſub illa generalitate exiſtunt; iſta particularia inquirit intellectus, ut illa monſtret voluntati, ut voluntas illa amet, ſi ſint amabilia, & illa odiat, ſi ſint odibilia, ſecundùm quòd intellectus illa ſumit ſub forma veritatis, affirmando illa, quæ ſunt affirmabilia, & negando illa ſecundùm quòd ſunt negabilia; quæ affirmabilitas & negabilitas exiſtit ſecundùm generalitatem principiorum, & ſecundùm illorum definitiones, explicationes, regulas & conditiones & proceſſum hujus Artis: & hoc ita, quòd omnia iſta exiſtant & remaneant in tali modo, quòd non corrumpatur illorum proceſſus; ita quòd, ſi corrumperetur per affirmationem quæſtionis, ſumatur negatio, & è converſo; & *hæc eſt Regula generalis in hac compilatione.*

4. Tribus modis convenit inquirere particularia deſiderata ad amandum & ſciendum, quæ ſtant ſub univerſalibus, ex quibus hæc Figura eſt compoſita. *Primus* Modus eſt inquirere ea deſcendendo deorſum à cameris ſuperioribus; veluti deſcendere à B. C. ad B. D., & à B. D. ad B. E. &c. *Secundus* Modus eſt aſcendere de cameris inferioribus ad ſuperiores; veluti de B. K. ad cameram C. K., & de C. K. ad cameram D. K.; & ſic uſquequò ad cameram B. C. pervenerit. *Tertius* Modus eſt, quando homo inquirit in parallelo, transferendo ſe à B. C. ad C. D., & à C. D. ad D. E.; & ſic de aliis.

5. In ſupradicta inquiſitione convenit, quòd homo conſervet cuilibet cameræ conditiones, quæ illi ſunt attributæ, ſecundùm Definitiones, Regulas & Conditiones, quòd una camera non ſit contraria alteri, neque perdat ſuas conditiones per conditiones aliarum, imò quòd omnes ſint concordantes & reſpondentes ad invicem, nam tangens unam cameram tangit omnes alias; & hoc eſt ratione mixtionum literarum, ſecundùm quòd in Figura manifeſtatur: *unde omnes cameræ per naturam ſcientiæ ſunt conſonantes & deducibiles ad quamlibet concluſionem, quæcunque illa ſit; & ideo Figura eſt ſubjectum & inſtrumentum ad multiplicandum rationes, & ad inveniendum media ad ſolvendum quæſtiones*; & ſecundùm viam Amantiæ ligatur voluntas ad amandum illam multiplicationem, quam intellectus multiplicat ex veris concluſionibus.

6. In hac Figura & etiam in quarta Figura quælibet camera poteſt eſſe antecedens alias, veluti B. C., quæ eſt antecedens omnes alias, ſecundùm id, in quo conveniunt; nam ſecundùm quòd B. C. conditionantur ſimpliciter inter ſe ipſa, ſunt aliæ conſequentes illarum conditionum ipſorum B. C., & hoc eſt, quia B. conditionatur cum D. E. & aliis; & hoc idem de C.: propter hoc vult hæc Amantia, quòd homo liget voluntatem ad amandum antecedentia & conſequentia, quæ in hac Figura poſſunt inveniri per viam Scientiæ.

De quarta Figura.

1. QUarta Figura eſt compoſita ex tribus Circulis, continente uno circulo intra ſe ipſum duos circulos mobiles; in quolibet circulorum ſunt novem literæ, quibus ſunt deſcripta Principia hujus Artis & Regulæ & Conditiones, & novem Modi faciendi Quæſtiones.

2. Intentio, propter quam Circuli ſunt mobiles, eſt ad hoc, ut homo cum motu illorum poſſit multiplicare modos alligandi voluntatem ad amandum bonum, & ad multiplicandum rationes & argumenta ad ſolvendum quæſtiones ſecundùm ſignificata literarum; nam quot differentiæ poſſunt fieri de cameris Figuræ, tot ſunt modi inquiſitionis & reſponſionum & oppoſitionum; & quia tali multiplicatione multiplicatur voluntas ad amandum, eſt hæc Figura magis generalis quàm aliæ ad ligandum amorem, & ad inveniendum particularia deſiderabilia, ut cognoſcantur & amentur.

3. Sunt *octo* Modi inquiſitionis in hac Figura. *Primus* eſt, quando ex tribus diverſis literis fit una camera, & iſta eſt antecedens omnes alias, veluti B. C. D., quæ componunt unam cameram, & ſunt antecedentia cameras ipſorum C. D. E., D. E. F. & alias, & è converſo, ſcilicet quòd D. E. F. poſſint eſſe antecedentia ipſorum B. C. D. &c. *Secundus* Modus eſt ponere D. medii circuli ſub B. ſupremi circuli, & E. inferioris circuli ponere ſub D. medii circuli, & poſtea F. inferioris circuli ponatur ſub D. medii circuli; & ſic de aliis, uſquequò ſit ad cameram ipſorum B. D. K. *Tertius* Modus eſt, quando E. medii circuli ponitur ſub B. ſupremi circuli, & F. inferioris circuli ponitur ſub E. medii circuli, & poſtea per tot modos moveatur inferior circulus, usquequò formet cameram ipſorum B. E. K.; & hoc idem per ordinem, donec veniat ad quartum & ad quintum modum &c., usque ad cameram B. K. B.: unde ſic diſcurrendo per octo ſupradictos modos poteſt homo multiplicare omnes Conditiones quartæ Diſtinctionis, & illas applicare ad propoſitum & ſubjectum hujus Artis.

In

4. In hac Figura comprehenditur tota Ars, & ſummatim poteſt homo ipſam in illa conſiderare & ſpeculari & habituare; quoniam in literis ſignificantur diviſiones, in quas hæc Ars eſt diviſa, & per mixtionem literarum ſignificatur proceſſus Artis: unde ratione hujus eſt hæc quarta Figura valde utilis & neceſſaria huic Arti; *quam Figuram appellamus Amativam.*

INCIPIT SECUNDA DISTINCTIO, QUÆ EST De Regulis hujus Artis.

REgula eſt utilis & abbreviata Ordinatio Principiorum conſtituta ad hoc, ut homo cum illa poſſit invenire & attingere ea, quæ deſiderat ſcire & amare. Regulæ hujus Artis ſunt multæ; nam omne, quod eſt in hac Arte, eſt Regula ad veniendum ad propoſitum ſui objecti; attamen, ut regulemus Principia Artis cum certis Regulis, eligimus *octodecim* Regulas, cum quibus & in quibus proponimus dare Artem & Doctrinam, quomodo homo ſciat ligare ſuam voluntatem ad bonum amare, & ſuum intellectum ad verum intelligere, applicando iſtas Regulas, Definitiones, Conditiones & Quæſtiones: unde per doctrinam, quam de his octodecim Regulis proponimus dare, poteſt homo dare alias Regulas ſimiles iſtis.

Prima Regula eſt de Simplicitate & Compoſitione. *Secunda* eſt de Intentione & Fine. *Tertia* de Definitione. *Quarta* de Generatione. *Quinta* de Realitate & Ratione. *Sexta* de Punctis tranſcendentibus. *Septima* de Subſtantia & Accidente. *Octava* de Ligamine & Motu. *Nona* de Inquiſitione & Inventione Particularîs in Univerſali. *Decima* de Contemplatione. *Undecima* de Abſtractione & Contractione. *Duodecima* de Audacia & Timore. *Decima tertia* de Spe. *Decima quarta* de Conſolatione. *Decima quinta* de Contritione & Conſcientia. *Decima ſexta* de Patientia. *Decima ſeptima* de Satisfactione. *Decima octava* de Conſideratione. Ut autem in tertia & in quarta Figura poſſimus uti & practicare has Regulas, & illas habere in memoria, ſignificamus illas per literas Figurarum, ita quòd primam & decimam Regulam ſignificamus per B., & ſecundam & undecimam per C., tertiam & duodecimam per D., quartam & decimam tertiam per E., quintam & decimam quartam per F., ſextam & decimam quintam per G., ſeptimam & decimam ſextam per H., octavam & decimam ſeptimam per I., nonam & decimam octavam per K.

REGULA I.

De Simplicitate & Compoſitione.

1. IN hac Regula volumus conſiderare Simplicitates & Compoſitiones rerum ſecundùm Principia hujus Amantiæ, ſicut in generabilibus & corruptibilibus, & in intellectualibus incorruptibilibus; & hanc conſiderationem volumus habere ad hoc, ut demus cognitionem ſimplicitatis & compoſitionis principiorum, ut homo per illam cognitionem habeat Artem & Doctrinam ad inquirendum ea, quæ ſub ratione ſimplicitatis & compoſitionis poſſunt intellectum ducere ad intelligendum vera, & voluntatem ad amandum bona.

2. In corporalibus generabilibus & corruptibilibus conſideramus ſimplicitatem & compoſitionem hoc modo: bonitas &c., in quantum illam conſideramus eſſe univerſale principium, eſt principium ſimplex, ſub quo ſunt omnia bona elementalia: in hac bonitate eſt ſimplex bonificativum & ſimplex bonificabile, quæ ſunt eſſentiales ſimplices partes bonitatis, quæ eſt naturaliter apta nata, ut ſit compoſita ex ſuis partibus; ſed quia bonitas per ſe ipſam non poteſt eſſe compoſita, nam ſi eſſet, eſſet ſuppoſitum per ſe ipſam ſinè magnitudine, duratione &c.; quod eſt impoſſibile: eſt ergò ſimplex bonitas principium in ſe ipſa & in ſuis partibus ſuſtentatum in ſubſtantia compoſita ex illa & aliis ſimplicibus principiis.

De bo-

3. De bonificativo, magnificativo, durativo &c. ſequitur una univerſalis forma, quæ eſt compoſita ex ſuis ſimplicibus partibus, quas diximus; & ideo, quia ex ſimplicibus partibus eſt compoſita, & quælibet pars venit in illam ſimpliciter, remanet hæc forma univerſalis forma ſimplex: ſub hac univerſali forma exiſtit univerſalis materia ſimplex, quæ eſt compoſita ex ſimplicibus principiis ſive partibus, ſcilicet bonificabili, magnificabili &c.; & illa remanet ſimplex, quia ex ſimplicibus principiis eſt compoſita; ſi enim non remaneret ſimplex, perderetur in illa ſimplicitas ſuarum partium; quæ perditio eſt impoſſibilis: & hoc idem ſequitur de univerſali forma: ſunt ergò forma & materia ſimplicia principia univerſalia, quoniam de univerſalibus ſimplicibus principiis ſunt conjuncta; & ſunt principia compoſita, quia ex multis partibus ſunt conjuncta.

4. Iſta duo univerſalia Principia ſunt eſſentiales partes tertii, ſcilicet chaos, quod ex illis eſt compoſitum, & quod eſt per totum hoc, quod eſt ſub luna: iſtud chaos eſt compoſitum, in quantum eſt conjunctum ex multis partibus, & eſt ſimplex, in quantum eſt unum numero, in quo reſtaurantur ſimplicitates, ex quibus eſt compoſitum.

5. In hoc chaos exiſtunt ſimplices ſpecies ſeminatæ in illo & ſuſtentatæ, quæ deſcendunt à ſimplicibus principiis hujus Artis, & etiam exiſtunt in illo quatuor elementa ſimplicia, quæ ſunt potentiæ ipſius chaos, ex quibus ſunt compoſita elementa, in quibus componuntur individua ſpecierum, quæ individua ſunt ſimplicia in quantum ad eſſe univerſale, velut homo, leo, pomum; quæ, in quantum quodlibet eſt individua ſubſtantia, eſt ſimplex numerus.

6. Secundùm id, quod diximus de ſimplicitate & compoſitione corporalium, ſignificatur de ſimplicitate & compoſitione intellectualium, veluti de bonitate &c. animæ cujuslibet hominis; quæ bonitas eſt in uno ſimplici principio illius animæ conjunctæ ex illa bonitate, magnitudine &c. In illa bonitate eſt ſimplex bonificativum & ſimplex bonificabile, ex illo bonificativo & magnificativo &c. eſt una ſimplex forma illius animæ; quia tamen ex multis eſſentialibus & formalibus partibus eſt conjuncta, remanet illa forma compoſita; & hoc idem ſequitur de materia: hæc ambo principia ſunt una rationalis anima, in qua ſunt eſſentiales potentiæ, quæ ſunt memoria, intellectus & voluntas, cum quibus anima operatur ſub ratione ſuorum principiorum. Hæ tres potentiæ ſunt ſimplices, ut ſimplicitas ſuorum principiorum in illis reſtauretur; & ſunt compoſitæ, quia ex multis partibus ſunt conjunctæ, & ſunt individuatæ ſub ratione diverſarum eſſentialium proprietatum; veluti magnitudo, bonitas &c., quæ concurrunt ad conſtituendum memoriam ſub ratione durationis, & ad conſtituendum intellectum ſub ratione ſapientiæ, & ad conſtituendum voluntatem ſub ratione amoris, ita quòd quodlibet principium exiſtens ſimplex ſit diſtinctum in differentia potentiarum, veluti bonitas &c., quæ uno modo eſt ratio ſub memoria, & alio ſub intellectu, & alio ſub voluntate.

7. Rationalis anima & humanum corpus exiſtunt ſub eſſentialibus partibus, ex quibus homo eſt compoſitus & conjunctus; qui homo eſt ſimplex & individuum exiſtens unus in numero, ad quam unitatem concurrunt omnia principia in unitate illorum; quæ unitas principiorum ita reſtauratur in unitate ſubſtantiæ, ſicut ſimplicitas illorum in ſimplicitate, quam diximus.

8. In hoc humano individuo eſt una potentia elementativa, una vegetativa, una ſenſitiva, una imaginativa, una rationativa; & iſtæ potentiæ uno modo ſunt ſimplices, quia ſunt ex ſimplicibus principiis, & quælibet habet ſuum ſpecificum & proprium numerum; & ſunt compoſitæ, quia ex multis partibus ſunt conjunctæ; & omnes inſimul componunt ſimplicem hominem, in quantum eſt unum compoſitum ex multis eſſentiis.

9. In Potentia elementativa ſunt ſimplices potentiæ, quæ ſunt ſpecificæ & individuæ partes duorum univerſalium principiorum, quæ componunt chaos; iſtæ potentiæ ſunt quatuor elementa, quæ ſunt potentiæ ipſius chaos compoſiti individuati, quod eſt elementatum corpus humanum.

10. In Vegetativa ſunt quatuor ſimplices potentiæ, appetitiva, retentiva, digeſtiva, expulſiva; veruntamen quia ex ſuperioribus principiis ſunt conjunctæ, ſunt compoſitæ potentiæ. Et hoc idem ſequitur de po-

de Potentia ſenſitiva, in qua ſunt quinque potentiæ, quæ ſunt ſimplices, ſcilicet quinque ſenſus, qui ſunt compoſiti, quia ex ſuperioribus principiis ſunt conjuncti. Et hoc idem ſequitur de Imaginativa, in qua ſunt imaginativum & imaginabile.

11. Secundùm quòd habuimus conſiderationem de ſupradictis eſſentialibus & ſubſtantialibus ſub ratione ſimplicitatis & compoſitionis, poteſt homo habere cognitionem ſimplicitatis & compoſitionis accidentalium; veluti quantitatis ſuperioris, quæ exiſtit in bonificativo ſimpliciter ſub ratione bonitatis bonificativæ ſub certa quantitate; & hoc idem ſequitur de quantitate bonificabili: ambæ iſtæ quantitates ſunt ſimplices in natura, & ſunt inviſibiles & intenſæ, & componunt unam quantitatem cum aliis quantitatibus extenſam, ſicut de magnitudine, bonitate &c., ex quibus multiplicatur una quantitas extenſa & compoſita ex multis intenſis quantitatibus, exiſtentibus quibuslibet partibus ſubſtantiæ in aliis: unde ſequitur una quantitas ſimplex & compoſita; ſimplex, quia ex multis ſimplicibus partibus quantitatis eſt conjuncta; compoſita eſt, quia ſub ratione multarum diverſarum quantitatum eſt conjuncta.

12. In hoc, quod ſuprà diximus de ſimplicitate & de compoſitione, ſignificatur ſimplicitas & compoſitio ſubjecti hujus Artis, quam inquirimus ſub ratione ſupradictæ ſimplicitatis & compoſitionis; quia habitâ cognitione ſimplicitatis & compoſitionis ſubſtantiæ & ſuarum eſſentialium & accidentalium partium poteſt homo habere cognitionem ſimplicitatis & compoſitionis ſimilitudinum, quæ ex illis partibus, quas diximus, influuntur: unde ratione hujus poteſt homo habere Artem & doctrinam, per quem modum homo poteſt ligare ſe ipſum ad verum intelligere, & ad bonum amare, ſequendo proceſſum hujus Artis, & applicare ad id, quod diximus de hac Regula, regulando cum illa ſub forma ſimplicitatis & compoſitionis principia hujus Artis; quia in hoc, quòd ſapientia & amor ſunt principia ſimplicia & compoſita, ſecundùm quòd diximus, & illa ſunt naturaliter agentia & patientia, eſt in illis naturalis inclinatio, diſpoſitio & habilitas, ut moveantur artificialiter ad objectum hujus Artis in regulando & ordinando ſupradictas ſimplicitates & compoſitiones, & applicando ad propoſitum.

REGULA II.

De Intentione & Fine.

1. IN hac Regula volumus conſiderare ea, cum quibus amor eſt ligabilis ad bonum amare, & intellectus ad verum intelligere ſub ratione intentionis & finîs; eſt autem intentio in *duobus Modis*, ſcilicet *Intentio prima & ſecunda; prima* eſt illa, ad quam ſe habet ſecunda, & *ſecunda* eſt illa, quæ dirigitur ad primam; veluti omnia creata, quæ ſunt per ſecundam intentionem, & DEUS, qui eſt per primam; & ſic in omnibus corporalibus, quæ ſunt per ſecundam intentionem, & homo per primam; & ſicut pulchritudo bonæ fœminæ, quæ eſt per ſecundam intentionem, & ſua bonitas per primam; & ſic de aliis his ſimilibus. Finis eſt complementum rerum, veluti DEUS, qui eſt finis totius quod eſt; & veluti homo, qui eſt finis omnium corporalium quæ ſunt; cùm DEUS omnia illa creaverit propter hominem: unde ratione hujus hoc, quod eſt finis, eſt per primam intentionem, & hoc, quod eſt per ſecundam intentionem, eſt cauſa, quæ ſe habet ad finem; ſicut comedere, bibere, veſtire & habitare, quæ ſunt per ſecundam intentionem, & vivere, quod eſt per primam; quod vivere eſt finis ipſius comedere, bibere, veſtire & habitare.

2. In creatis, ſecundùm quòd ſunt multa & diverſa, ſunt multæ intentiones & fines; & ſecundùm quòd quædam ſunt altiora & nobiliora in bonitate, magnitudine &c., ſunt quædam intentiones & fines ſuper alios; veluti in homine, in quo ſpiritualia ſunt per primam intentionem, & corporalia per ſecundam, cùm anima ſit finis corporis; & veluti in corpore, in quo potentia elementativa eſt per ſecundam intentionem, & vegetativa eſt per primam; & vegetativa eſt per ſecundam intentionem, & ſenſitiva per primam; & ſic de gradu in gradum usque ad rationalem animam, quæ eſt finis & prima intentio potentiarum, quæ ſunt ſub illa, & omnium appertinentium finis & prima intentio eſt anima.

3. Homo eſt per primam intentionem, & anima & corpus illius hominis ſunt per ſecundam; & hoc idem ſequitur de bonitate, magnitudine & aliis principiis, ex qui-

quibus homo eſt conjunctus & compoſitus, quæ ſunt per ſecundam intentionem, & homo eſt per primam; cùm totum ſit majus & nobilius quàm aliqua ſuarum partium.

4. Recolere, intelligere & amare hominis ſunt per primam intentionem, & videre, audire &c. per ſecundam; & bonitas, magnitudo &c. ipſius recolere, intelligere & amare ſunt per primam intentionem, & bonitas, magnitudo &c. denariorum, poſſeſſionum, proſperitatum, honorum, veſtimentorum & aliorum his ſimilium ſunt per ſecundam intentionem.

5. Bonum recolere, intelligere & amare eſt per primam intentionem, & bonitas illius recolere, intelligere & amare eſt per ſecundam: unde ratione hujus virtutes ſunt deſiderabiles per ſecundam intentionem, ut ſint habituatæ bono magno &c. recolere, intelligere & velle.

6. Actus potentiarum ſunt naturaliter per ſecundam intentionem, & potentiæ per primam; ſicut intellectus, qui eſt per primam intentionem, & intelligere, quod eſt per ſecundam; & ſicut videre, quod eſt, ut ſit viſus; & ſic de aliis: attamen contingit per virtutem objecti, quòd opera potentiarum ſint per primam intentionem, & potentiæ per ſecundam; ſicut intelligere Deum, quod eſt melius quàm intellectus, qui intelligit; & ſicut videre colorem, quod eſt quid nobilius quàm ſenſus ſecundùm finem, qui eſt, quòd intellectus poſſit intelligere ratione ipſius videre colorem.

7. Iſte mundus, & omne, quod in eo continetur, eſt per ſecundam intentionem, & alius mundus eſt per primam; cùm iſte mundus ſit ad hoc, ut ſit alius, & non è converſo: & propterea debet homo amare hunc mundum per ſecundam intentionem, & alium per primam.

8. Quoniam DEUS eſt ſupremus omnium, & eſt finis omnium, debet homo amare ſe ipſum per ſecundam intentionem, & DEUM per primam: ideo eſt homo obligatus ad amandum ſuum velle ratione velle noſtri Domini DEI; & homo debet magìs deſiderare intelligere DEUM quàm ſe ipſum; & hoc idem ſequitur de bonitate, magnitudine &c. DEI, quæ homo tenetur magìs deſiderare quàm ſuammet bonitatem, magnitudinem; & hoc idem ſequitur de omni eo, quod DEUS agit in ſe ipſo & extra ſe ipſum, quod eſt magìs amabile quàm ea, quæ homo agit in ſe ipſo & in alio.

9. DEUS amat hominem & omnes alias creaturas per ſecundam intentionem, & ſemet ipſum per primam, cùm ſuus amor non poſſit tantum extendi in amando alia, quantum extenditur in amando ſe ipſum: unde ratione hujus DEUS creavit totum quod eſt, ad ſe ipſum, & hæc eſt finalis intentio, propter quam creaturæ venerunt in eſſe; ex quo ſequitur, quòd DEUS creaverit totum, quod eſt, ut recolatur, intelligatur & ametur ab Angelis & hominibus & omni, quod eſt.

10. In DEO non eſt ſecunda intentio, cùm omne, quod eſt in DEO, ſit prima intentio & finis; DEUS eſt finis ſui ipſius, & eſt ſuamet intentio: unde DEUS amat tantùm ſuam bonitatem quantùm ſe ipſum; & hoc idem ſequitur de ſua magnitudine &c.: ex quo ſequitur, quòd omnis homo teneatur amare DEUM, ſecundùm quòd DEUS amat ſe ipſum; & quia DEUS magìs amat ſe ipſum quàm hominem, omnis homo tenetur magìs amare DEUM quàm ſe ipſum.

11. Secundùm hoc, quod de intentione & fine diximus, vult Amantia, quòd homo diſcurrat illius principia, & quòd illa transmittat ad hanc Regulam; nam ſicut Principia hujus Artis magìs diffuſè ſe communicant partibus eſſentialibus ſubſtantiæ quàm accidentalibus, quia partes eſſentiales ſunt finis partium accidentalium, exiſtentibus partibus eſſentialibus per primam intentionem, & accidentalibus per ſecundam; ita applicando principia ad amandum & ad intelligendum ſub forma intentionis & finîs, applicabuntur magìs ad amandum & ad intelligendum ea, quæ ſunt per primam intentionem quàm ea, quæ ſunt per ſecundam, in qua majori applicatione naturali ea, quæ ſunt finis, ſunt amabilia per primam intentionem, & ea, quæ ſe habent ad finem, ſunt amabilia per ſecundam: unde ſecundùm miniſtrationem naturalem & artificialem datur doctrina ligandi ſuam voluntatem ad amandum bonum, & ſuum intellectum ad intelligendum verum.

REGULA III.

De Definitione.

1. PEr hanc Regulam datur modus definiendi res, ut per illarum definitiones

homo sciat ligare suam voluntatem ad amandum res secundùm suas definitiones; quas definitiones convenit fieri *duobus Modis*, scilicet secundùm *proprietates essentiales* & *proprietates accidentales*, & fiunt sub genere & specie; veruntamen subjecta harum definitionum sunt quatuor generaliter, scilicet *finis*, *agens*, *forma & materia*.

2. Essentialis definitio ignis est, quando definitur per propriam ignitivitatem & ignibilitatem; nam ad nullum aliorum pertinet ignire, nisi ad ignem. Accidentalis definitio est, quando ignis tantùm definitur per propriam qualitatem, quæ illi convenit & nulli alteri elemento, sicut proprius calor, qui ad nullum pertinet nisi ad ignem tantùm; ignis tamen & omnia alia elementa sunt unius corporalis bonitatis, magnitudinis, durationis &c.; sed bonitas, magnitudo, duratio &c. ignis est distincta à bonitate &c. aliorum elementorum; quia duæ supradictæ proprietates sunt positæ in bonitate & aliis principiis ignis, per quas ignis habet esse specificum individuatum & definitum; & hoc idem sequitur de aliis elementis & elementatis.

3. Omnes plantæ sunt de una generali bonitate, magnitudine, duratione &c. vegetativâ & vegetabili; sed quælibet planta definitur secundùm proprietatem essentialem & accidentalem sub ratione vegetationis; veluti palma, quæ tantùm habet proprietatem essentialem generandi dactilos, & multiplicandi suam speciem; & habet proprietatem accidentalem generandi masculum in fœmella palmæ, tangente semine palmæ masculi semen palmæ fœminæ; talis proprietas in nulla alia planta scitur.

4. Definitio corporalium sensuum secundùm proprietatem essentialem est, sicut visus, qui definitur per videre; nam nulli alteri sensui convenit videre nisi visui tantùm; proprietas accidentalis est, quando sua definitio est ratione objecti, sicut per colorem; nam nulli alteri sensui appropriatur color, ut sit illius objectum, nisi visui tantùm.

5. Voluntas definitur per proprietatem essentialem, sicut per velle; nam nulli alteri rei est proprium velle nisi voluntati tantùm. Definitio voluntatis per proprietatem accidentalem est ratione objecti disparati, sicut amabilitas & odibilitas, quæ propriè dantur, ut sint objecta voluntati.

6. Homo definitur in animalitate per essentialem proprietatem, veluti per homificare; nam nullum animal generat hominem, nisi homo tantùm, & nullum animal habet rationem, nisi homo tantùm. Homo definitur per proprietatem accidentalem, veluti per risibilitatem & etiam per emere, scribere &c.

7. Sol definitur per proprietatem essentialem & numeralem, ita quòd magnitudo, bonitas, duratio, potestas, instinctus, appetitus & virtus, ex quibus cœlestia corpora sunt conjuncta, concurrunt in sole ad constituendum unum solem tantùm, & non alium; & hoc idem faciunt de luna, in qua singularitate sol essentialiter definitur in hoc, quòd in illo supradicta principia sint solificata, & in lunâ sint lunificata. Definitio accidentalis solis est, veluti sol est ille planeta, per cujus præsentiam fit dies, & per absentiam nox.

8. Definitio essentialis firmamenti stat in hoc, quod firmamentum sit subjectum, in quo bonitas, magnitudo, duratio &c. sunt in majori extensitate circulari quàm in ullo alio subjecto, firmamento existente circulo composito ex supradictis principiis: veruntamen definitio accidentalis est in hoc, quòd firmamentum sit octava sphæra, quæ intra se continet omnes alias sphæras, & suus circularis motus est ratio ad movendum naturaliter omnes alios corporales motus.

9. Definitio essentialis Angeli stat in hoc, quòd Angelus sit subjectum, in quo sua principia, ex quibus est compositus, scilicet similitudines DEI, quæ sunt bonitas, magnitudo, duratio &c., habent plus entitatis quàm ullum aliud subjectum creatum. Definitio, quæ fit per accidens Angeli, est in hoc, quòd Angelus sit creatura, quæ attingit veritatem rerum, quòd illi non sit necessaria sensitivitas & sensibilitas.

10. Definitio essentialis bonitatis, & sic de aliis principiis hujus Artis, secundùm quòd convenit illa esse, est in hoc, quòd bonitas sit essentialiter ratio, sub qua agens bonum generet bonum. Definitio accidentalis est, veluti magnitudo &c., quæ est bona sub ratione bonitatis existens qualificata sub habitu bonitatis, in quantum est bona magna.

11. Definitio essentialis DEI est, sicut DEUS, qui est bonitas, magnitudo, æternitas, potestas, sapientia & voluntas, quia nulla alia res nisi DEUS tantùm potest esse ista; DEUS etiam est ens, quod est in tantum DEUS per modum operandi in se ipso, quantum per modum existendi; nam quemadmodum DEUS est DEUS per Deitatem, ita est DEUS per intelligere & amare suam Deitatem, unitatem, bonitatem, magnitudinem &c., & per actus suæ Deitatis, unitatis, bonitatis, magnitudinis &c.; talem proprietatem non habet ulla creatura; quia si illam haberet, esset DEUS, & nulla creatura est in tantum id, quod est, per modum operandi, quantum per modum existendi; cùm in illa operari & existere non possint converti: DEO est accidentalis proprietas creare & resuscitare mortuos & facere miracula, & alia his similia.

12. Secundùm hoc, quod superiùs diximus de definitione, datur doctrina, quæ objectatur humano intellectui sub ratione objecti veri, quod objectum verum est bonum, per quod bonum est amabile, & suum contrarium est odibile, per quam odibilitatem & amabilitatem voluntas est ligabilis ad amandum objectum verum definitum secundùm definitiones, quas diximus; cùm amabilitas & odibilitas sint propria objecta voluntatis: igitur hæc Regula definitionum est instrumentum & dispositio, ut homo habeat doctrinam & modum ligandi voluntatem ad bonum amare & multum amare, & ad conservandum illum amorem in durabilitate boni amare; homine magìs amante res secundùm suas definitiones essentiales quàm accidentales, secundùm quòd prædicatum habet majorem naturam & similitudinem cum subjecto, sicut homo, qui est magìs homo per animalitatem quàm per risibilitatem; & sic de aliis his similibus.

REGULA IV.

De Generatione.

1. DAndo cognitionem de Generatione & modo, secundùm quem generantur generabilia, datur doctrina de generatione amoris; per quam doctrinam homo habet cognitionem de ligamine amoris; nam per similem modum, secundùm quem generatur, potest ligari ad amandum bonum.

2. In obviatione, quam simplicia elementa faciunt ad invicem, uno tangente aliud & intrante, agente & movente uno aliud, generantur elementa composita de simplicibus; nam in hoc, quòd simplex ignis non potest augmentari nec corrumpi nec alterari in specie ignis, cùm jam sit completus ignis habens omnes circumstantias, quæ essentiæ ignis conveniunt, ideo convenit, quòd ex illo & ex simplicibus elementis, quæ habent similes conditiones supradicti ignis, sequatur compositum elementum multiplicatum ex omnibus quatuor; iste compositus ignis continet in se simplicia elementa; sed quia habet in se plus de igne quàm de aliis elementis, ideo appellatur ignis, sicut sensibilis aqua, quæ est composita, appellatur aqua, quia in illa compositione est plus de aqua quàm de aliis elementis; & hoc idem sequitur de terra, in qua existunt, quæ est compositum elementum; & de aëre, per quem respiramus, & in quo continemur: ista composita elementa generantur per mixtionem simplicium, & sunt corruptibilia & alterabilia in quantitate, qualitate &c., secundùm mixtionem simplicium; & hoc idem sequitur de omnibus iis, quæ ex illis sunt composita, scilicet *plantis*, *metallis & animalibus*.

3. Planta generat aliam plantam, convertendo in suam speciem composita elementa, cum quibus participat intra se ipsam & extra; hæc generatio fit ideo, quia planta agens hoc, quod convertit in suam speciem de compositis elementis, non potest retinere in suo proprio esse specifico numerali, quod habet per se completè; sed hoc, quod capit, convertendo per modum vegetationis, convertit in nutrimentum, vel in generatione generando aliam plantam dans illi suam speciem, sed non suum proprium numerum, sed aliud individuatum existens sub simili specie; suum proprium numerum non potest illi dare per hoc, quia remanet agens generans & per se existens substantia, & aliud remanet passibile & generabile; nec potest illud retinere in suo numero, quia agens jam est plenum specificâ unitate; nec influentia, quam transmittit, potest esse vacua specifico numero: & ideo convenit, quòd illa influentia transeat in alium numerum generatum: hoc idem sequitur de generatione animalium, modus tamen est diversus, quæ diversitas per se est manifesta.

4. Quemadmodum homo, qui facit bonum, facit illud sub ratione bonitatis, &

BIBLIOTECA BALEAR. DE LOS SS. CORAZONES

quando facit magnum, facit illud ſub ratione magnitudinis, ita generat homo ſub ratione viſûs videre, & ſub ratione auditûs audire &c.: hanc generationem facit homo deducendo in actum id, quod ſecundùm materiam habet in potentia, & ſecundùm formam in habitu; ſicuti videre, quod eſt in potentia, quia viſus conſtituitur ex ſenſuali bonitate, magnitudine &c. viſibili materialiter; & eſt in habitu, quia viſus conſtituitur ex ſenſuali bonitate, magnitudine &c. viſivâ formaliter: unde homo movens ſuum ſenſum ſecundùm modum & naturam illius ſenſûs generat videre, deducendo illud in actum per viam potentiæ & habitûs: hæc generatio fit intra ſenſum, ſed convenit, quòd ibi faciant adjutorium res exteriores, quæ ſunt viſibiles, quia ipſarum viſibilitas eſt convertibilis in viſibilitatem propinquam eſſentialem ſenſûs, juvante tamen ad hanc convertibilitatem luce, diaphanitate, colore &c. eſt oculus organum ſenſatum à ſenſu informante & ſenſante de ſe ipſo illud organum; quod organum habet ſuam naturam ſuſtentatam in natura ſenſûs, ita quòd ambæ naturæ ſint conjunctæ, & exiſtant in una linea continua extenſa per totum illud organum; hæc linea, quam diximus, eſt compoſita ex quatuor elementis, & participat continuè cum linea, quæ eſt inter oculum & ſubjectum coloris objecti objectati ſenſui, qui capit, videndo illud objectum ſubjectatum viſibili colori, quem ſenſus capit, per quod generatur videre; quia linea, in quantum eſt una intra oculum & extra uſque ad objectum elementatum exiſtens ſenſata intra organum repræſentat objectum, quod eſt extra in parte ſenſata; intra exiſtente viſibili remoto, hoc eſt objecto colorato, quod eſt extra convertibile, ut videatur per convertibilitatem viſibilîs intra compoſitum ex ſenſu & organo: igitur generatur videre, ſecundùm id, quod diximus, per lineam continuam compoſitam ex multis partibus exiſtentibus continuè unâ in aliâ; & hoc idem ſequitur de aliis ſenſibus ſecundùm ſuum modum.

5. In homine eſt imaginatio, quæ conſtituitur ex elementali linea ſenſata, exiſtente imaginatione aliâ lineâ, in qua ita apparent ſimilitudines lineæ ſenſatæ & elementatæ & vegetatæ, ſicut faciunt in compoſitis elementis ſimilitudines ſimplicium elementorum; hæc imaginatio eſt ex principiis, quæ ſunt bonitas, magnitudo &c.: & quia quodlibet principium venit ad illam ad conſtituendum ſub ratione actionis & paſſionis, conſtituitur de imaginativo imaginabile ſub ratione bonitatis, magnitudinis &c.: in hoc imaginabili proprio, quod eſt de eſſentia imaginationis, convertit homo in ſuo proprio imaginabili remotum imaginabile ſecundùm modum, quem ſuprà diximus; & ideo attingit in imaginatione ſimilitudines ſenſuum imaginando tunc, quando ſenſibilia non ſunt præſentialiter objectata corporalibus ſenſibus, ideo generatur imaginari, ut homo poſſit reſtaurare abſentia in imaginatione, in qua capit figuras ſenſualium rerum.

6. Humana voluntas eſt conſtituta de intellectuali bonitate, magnitudine &c., & quodlibet principium ad conſtituendum illam venit illuc ſub ratione formæ & materiæ, ſicut bonitas, quæ illuc venit bonificativa & bonificabilis, & magnitudo magnificativa & magnificabilis; unde ratione hujus voluntas eſt amativa & amabilis ſub ratione bonitatis, magnitudinis &c.; & ideo homo, in quo eſt hæc voluntas, generat velle ſub ratione bonitatis, magnitudinis &c.: veruntamen memoria, intellectus & potentiæ conjunctæ cum anima, ex quibus corpus eſt compoſitum, ſunt neceſſariæ ad illam generationem, & etiam ad alia diſparata, voluntate exiſtente conjunctâ cum memoria & intellectu, ex quibus eſt conſtituta rationalis anima; & exiſtens conjuncta cum corpore volificat omnes illas partes ſecundùm id, quod diximus de videre; & memoria memorificat, & intellectus intellectificat voluntatem & partes corporis; & per hanc influentiam unius potentiæ in aliam generatur velle, cum quo voluntas apprehendit amabilia, ſupponibilia & odibilia, ſecundùm quòd ſunt memorabilia & retentibilia & ignorabilia & intelligibilia, affirmabilia vel negabilia.

7. Per ea, quæ ſuprà diximus in hac Regula de Generatione, datur doctrina, per quam homo ſciat artificialiter ligare ſuam voluntatem ad bonum & ad magnum &c. amare conceptum ſecundùm principia, de quibus homo eſt conjunctus & compoſitus, ût diximus; quia natura & modus illius conjunctionis & compoſitionis eſt voluntati naturale opus in bono amare, contrarium eſt illi innaturale opus & contra ſua propria principia & etiam alia principia, cum quibus eſt conjuncta, & cum quibus participat.

REGULA V.

De Realitate & Ratione.

1. HÆc Regula eſt duobus modis conſiderabilis, qui ſunt *Realitas & Ratio*; *per realitatem* intendimus conſiderare entitatem rei conſideratæ; *per rationem* intendimus conſiderare ſimilitudinem & conceptum, quem facit anima rationalis tunc, quando conſiderat realitatem rerum per illarum ſimilitudines; & quoniam amor, quem nos in hac Arte inquirimus, & de quo damus doctrinam, quomodo ligetur ad amandum bonum, eſt concepta cogitatio rationata ad amandum ſimile & conjunctum ex ſimilitudinibus realium rerum, ideo datur doctrina de entitate rerum, & datur doctrina rationis, & datur doctrina & Regula ligandi amorem ad amandum bonum, tractando amorem ſecundùm ſuam entitatem & ſecundùm entitatem realium rerum, conſervando concordantiam inter rationem & reales res in bonitate, magnitudine & aliis principiis hujus Artis, ſequendo proceſſum hujus Amantiæ.

2. Bonitas, ſub cujus eſſe omnia bonificantur, eſt ens reale, & ſua ſimilitudo eſt bonificare, quod eſt ens reale, in quantum à ſubſtantiali bonitate generatur bonum ſubſtantiatum; ſicut agens naturale, quod de ſua bonitate genèrat generatum productum in ens reale ſubſtantiatum; hoc idem ſequitur de bonitate &c.

3. In ſubſtantia compoſita ex magnitudine &c. bonitas eſt magna, & magnitudo eſt bona, & hoc realiter: bonitas magnitudinis eſt ſimilitudo bonitatis, & magnitudo bonitatis eſt ſimilitudo magnitudinis; quæ ſimilitudo eſt ens reale accidentale ſuſtentatum in partibus ſubſtantiæ, quæ ſunt realiter ſubſtantiales, hoc eſt bonitas, magnitudo &c.

4. Ignis ſimplex in elementato eſt ens reale, & ignis compoſitus eſt figura ſimplicis, quæ figura eſt ſimilitudo formæ; illa figura eſt ens ſubſtantiale & reale; & hoc idem ſequitur de aliis elementis & etiam de ipſorum qualitatibus: & ſicut calor ignîs, qui eſt ens reale ſubjectum calori aliorum elementorum, qui eſt ſimilitudo & figura caloris ignîs in aliis elementis, quæ accipiunt habitum à calore caloris ignîs, igne calefaciente illa cum ſuo proprio calore.

5. Criſtallum poſitum ſupra ſubjectum coloratum accipit ſimilitudinem à colore ſubjecti; illa ſimilitudo, quam accipit, eſt reale accidens, quod in criſtallo eſt figura coloris ipſius ſubjecti; hoc idem ſequitur de aliis his ſimilibus, velut apparet in ſpeculo, quod propter ſuam magnam diaphanitatem recipit ſimilitudines rerum ab extra, quæ ſimilitudines ſunt realia accidentia; & hoc idem ſequitur de quinque corporalibus ſenſibus; veluti oculi, qui realiter accipiunt figuras à ſubſtantiis, & ſimilitudines, quas ſpeculum accipit à rebus ab extra.

6. Quando oculi in ſpeculo, quod eſt obliquum, accipiunt ſimilitudines in contraria diſpoſitione objecti, tunc accipiunt reales diſſimilitudines, & anima, quæ illas diſſimilitudines intelligit, concipit rationem accidentalem, in qua illas diſſimilitudines intelligit; hæc ratio eſt ens reale accidentale, quod eſt figura & ſimilitudo rationis realis ſubſtantialis animæ; & hæc ratio, quæ eſt figura & ſimilitudo rationis ſubſtantialis ipſius animæ, eſt ratio, quam nos quærimus, & cum qua volumus ligare amorem ad amandum rationabiliter.

7. Hæc ratio, quam nos inquirimus, eſt ſpeculum intellectuale, in quo ſupradictæ res relucent tunc, quando illa apprehendit objectivè; quod ſpeculum conſtituitur ex ſimilitudinibus ſpiritualibus, ſcilicet ex recolere, intelligere & velle: iſtæ ſimilitudines ſunt figuræ formarum ad intra, veluti recolere, quod eſt figura & opus memoriæ, & intelligere intellectûs, & velle voluntatis.

8. His figuris utitur anima, per rationem attingens & apprehendens in illis objecta, ſecundùm quòd ſunt recolibilia & intelligibilia ad amandum vel odiendum ſecundùm naturalem influentiam animæ, quam habet à ſuis propriis principiis, de quibus ipſa conſtat, videlicet de bonitate, magnitudine &c., quæ conſtituunt memoriam, intellectum & voluntatem animæ tanquam eſſentiales potentias; itaque hoc habito, ſicut dictum eſt, voluntas ligatur per viam rationis ad amandum, quando fit proportio & concordantia inter ſupradictas realitates & ſimilitudines objectorum cum realitate & ratione animæ, ut ipſa anima ſumens exteriora ſecundùm eorum bonitatem, magnitudinem &c. ſignificet & demonſtret in

ſua ratione ſimilitudines ſuorum principiorum interiorum & exteriorum; & quoniam hæc ita tractabilia, ſicut dictum eſt, ſunt naturaliter recolibilia, intelligibilia & amabilia, & contrarium eſt naturaliter odibile animæ, eſt voluntas naturaliter ligabilis ad amandum interiora & exteriora.

9. Quando humana ratio peccat per interiora principia, recipiens exteriora in contrarias ſimilitudines, ſicut guſtus infirmus recipiens dulcedinem pomi in amaritudine, tunc peccant interiora principia transmittendo ſuas reales ſimilitudines rationi, velut peccator, qui, licèt ſuum eſſe ſit realiter de bonitate, magnitudine &c., tamen facit malum ſub ratione bonitatis, & parvum ſub ratione magnitudinis, & habet ſub ratione ſapientiæ ignorantiam, & ſub ratione amantiæ odientiam; hoc idem ſimiliter contingit, quando interiora principia peccant ratione exteriorum objectorum, quemadmodum viſus videndo veras ſimilitudines in obliquo ſpeculo, quod repræſentat diſſimilitudines contra realitatem & rationem earum rerum: unde cùm hoc ita ſit, ût diximus, voluntas eſt ligabilis ad amandum ſimilitudines, & ad odiendum ſupradictas diſſimilitudines.

REGULA VI.

De Punctis tranſcendentibus.

1. PUncta tranſcendentia conſideramus *duobus Modis*: quorum *primus* eſt aſcenſus intellectûs ad intelligendum vera ſuper potentias eidem ſubjectas, quæ vera attingit in ſe ipſo ſecundùm ſuam naturam; potentiæ verò, quæ ſunt ſubjectæ intellectui, ſunt hæ: ſcilicet elementativa, vegetativa, ſenſitiva, imaginativa, quæ ſunt potentiæ corporis, cum quo humanus intellectus eſt unitus. *Secundus* modus eſt tranſcenſus intellectûs ultra vel ſupra propriam naturam, attingens veritatem rei in natura & virtute objecti.

2. Per hanc regulam intellectus illuminat voluntatem ad amandum vera amabilia, & ad odiendum falſa odibilia; hac illuminatione voluntas aſſueſcit & incenditur in natura amandi, amando altiſſima vera & ſupra naturam & poteſtatem amandi, quam habet, ſequens modum intellectûs in tranſcenſu ſubjectarum potentiarum & in amore altiſſimorum objectorum ſupra ſe ipſam.

3. Intellectus tranſcendit corporales ſenſus intelligens elementativam potentiam inſenſibilem; nam ipſi ſenſus non poſſunt attingere ſimplicia elementa, attingunt autem compoſita elementa, cùm ſint ſenſibilia; & ideo intellectus attingit compoſita elementa in ſimplicibus elementis.

4. Iterum intellectus tranſcendit, in vegetativa potentia attingens elementa compoſita & ſimplicia, quæ ſuſtentantur in vegetatis, & ſunt iisdem ſubjecta; ſuſtentantur in eis, quia in ipſis vegetatis habent ſuum eſſe, & ſunt illis ſubjecta, quia de ipſis uniuntur & vivunt, & de ipſis capiunt nutrimentum & augmentum.

5. In quantum intellectus aſcendit intelligens ſenſitivam in vegetativa, aſcendit intelligens vegetativam in ſenſitiva, & ſenſitivam in imaginativa, & iterum ab imaginativa aſcendit intelligens in ſe ipſo ſua principia, ex quibus eſt conſtitutus, quæ ſunt intellectualis bonitas, magnitudo &c.

6. Iſta principia, ex quibus intellectus eſt conſtitutus, ſunt ei magìs intelligibilia quàm principia, ex quibus ſubjectæ potentiæ ſunt conſtitutæ; cùm ſit compoſitus de intellectivitate & intelligibilitate ſuorum principiorum: unde voluntas ſic aſcendens ad amandum, ſicut de intellectu diximus, eſt magìs apta ad amandum naturaliter ſua principia, quàm principia potentiarum ei ſubjectarum; cùm ſit unita de amativitate & amabilitate ſuorum eſſentialium principiorum: unde per ea, quæ dicta ſunt, dando voluntati regulam & doctrinam ad exaltandum ſuum amare, ſicut intellectus exaltat ſuum intelligere, datur regula ad ligandum voluntatem ad magìs amandum ſua principia quàm corporis; hoc enim amare eſt bonum magnum &c. amare.

7. Iterum intellectus aſcendit ſurſum, quando ſupra ſuam propriam naturam attingit DEUM; quia ex hoc, quòd intelligit, DEUM eſſe ens infinitum intellectuali extenſitate per totam infinitam bonitatem, magnitudinem &c., & per totum bonificare, magnificare &c., & æternali duratione per omnes ipſas dignitates & earum actus, tunc in virtute hujus objecti intelligendo attingit ſupra ſe ipſum ſuperans ſuas vires. Eodem modo etiam tranſcendit, quando intelligit, bonitatem, magnitudinem &c. DEI eſſe unum idem numero, videlicet unam numero eſſentiam, permanente quâlibet ipſarum dignitatum ratione reali; & hoc idem eſt de intrinſecis actibus earum: & quoniam iſta per virtutem objecti ſunt intelligibilia intellectui & ſunt vera, convenit, quòd ea ſint magìs intelligibilia quàm ipſamet principia intellectûs, quia magìs intelligit, quando ſumit infinita & æterna quàm finita & principiata.

8. Secundùm hæc, quæ in hac Regula dicta ſunt, eſt data doctrina ligandi voluntatem ad magìs amandum noſtrum Dominum DEUM quàm cætera, quæ non ſunt DEUS; nam quemadmodum DEUS eſt magìs intelligibilis quàm ea, quæ non ſunt DEUS, cùm ſit intelligibilis ſub ratione infinitæ & æternæ bonitatis, magnitudinis &c., ût dictum eſt, ita eſt magìs amabilis quàm omnia alia, quæ non ſunt DEUS, cùm ſit amabilis ſub ratione infinitæ & æternæ bonitatis, magnitudinis &c.; ſed hæc major amabilitas eſt ligativa, voluntas verò ligabilis; & hoc ad magis amandum voluntatem DEI quàm ſemet ipſam, & quàm quæcunque alia creata.

9. Hæc Regula tranſcenſûs eſt inſtrumentum & ſubjectum, per quod Artiſta poteſt elevare ſuam voluntatem de amabilitate in amabilitatem, ſecundùm quòd quædam ſunt magìs amabilia quàm alia, voluntate ſequente lumen intellectûs illuminantis voluntati ſupradictas amabilitates, ut ſecundùm eas aſſueſcat amare.

REGULA VII.

De Subſtantia & Accidente.

1. HÆc Regula & modus ligandi voluntatem ad amandum bonum, & intellectum ad intelligendum verum, datur ſub ratione ſubſtantialium & accidentalium rerum: hæc autem Regula eſt, diſcurrere cum Principiis hujus Artis per decem Prædicamenta, applicando ipſa Principia ad decem Prædicamenta ſecundùm naturam ipſorum Principiorum & Prædicamentorum; nam in iſta applicatione per naturalem concordantiam eſt naturale ligamen & coactio voluntatis ad amandum bonum, & intellectûs ad intelligendum verum.

2. Bonitas, magnitudo &c. ſunt ſimplicia principia, ût in prima Regula diximus, quæ convenit eſſe ſubſtantialia, ut DEUS infundat ſuas ſimilitudines in res ſubſtantiales, quæ ipſi ſunt magìs ſimiles quàm res accidentales; ſicut in bonitatem ſubſtantiæ hominis, quæ eſt magìs ſimilis bonitati DEI quàm bonitati quantitatis hominis: igitur bonitas, magnitudo &c. ſunt ſubſtantialia principia ſecundùm proportionem primæ Cauſæ & ſui effectûs; & tamen manifeſtum eſt, quòd bonitas, magnitudo &c. ſint ſubſtantialia principia, ut ſubſtantia propriè & eſſentialiter ſit de ſubſtantiali bonitate & magnitudine; nam aliter ſua ſubſtantialia principia eſſent alterius naturæ & eſſentiæ, quæ non eſſent ſimpliciter bonitas & magnitudo &c.; & ſic in ſubſtantia eſſet malitia contra bonitatem, & parvitas contra magnitudinem, & privatio contra durationem, & ſic de aliis: unde ſequeretur, quòd in accidentibus ſubſtantiæ ſimpliciter eſſet major bonitas, magnitudo &c. quàm in eorum ſubſtantia, & ſic per accidentia fieret complementum, plenitudo & finis contra eſſentialem naturam ſubſtantiæ tali modo, quòd ſubſtantia ſuſtentaretur in accidentibus, & non è converſo; quod eſt impoſſibile: igitur bonitas, magnitudo &c. ſunt ſubſtantialia principia, bonitate ſuſtentatâ in magnitudine &c. & in ſe ipſa, & exiſtente parte ſubſtantiali, & magnitudine ſuſtentatâ in bonitate &c. & in ſe ipſa, & exiſtente parte ſubſtantiali; & ſic de aliis: & ideo de neceſſitate ſequitur ſubſtantia, exiſtentibus ejus principiis primis in natura & nobilitate, & exiſtentibus iisdem ſubſtantialibus partibus, qualibet earum ſuſtentatâ in ſe ipſa & in alia.

3. In bonitate magnitudo eſt de magnitudine, & duratio de duratione, & poteſtas de poteſtate &c., & è converſo; & ideo bonitas eſt magna ſub ratione magnitudinis, & durabilis ſub ratione durationis, & potens ſub ratione poteſtatis; & propterea oritur quantitas intensè & extensè de eſſentialibus partibus ſubſtantiæ; nam una quantitas eſt in bonitate ſub ratione magnitudinis, & alia ſub ratione durationis, & alia ſub ratione poteſtatis, & omnes iſtæ quantitates ſunt intenſæ & diſtinctæ in natura; quia quantitas, quam bonitas habet ſub ratione magnitudinis, eſt nata de bonitate in magnitudine; & quantitas, quam bonitas habet ſub ratione durationis, exivit à duratione in bonitatem & cæteras: igitur quodlibet ſubſtantialium principiorum habet ſuas intenſas quantitates; & ſicut diximus de bonitate, ita eſt de omnibus.

4. De iſtis intenſis quantitatibus componitur una extenſa quantitas per omnes ſubſtantiales partes, exiſtente quâlibet parte eſſentiali in ſe ipſa & in alia, exiſtente unâ quantitate in alia; & iſta extenſa quantitas ſuſtentatur in lato, longo & profundo corpo-

corporalis ſubſtantiæ compoſitæ de eſſentialibus partibus, quæ ſunt ſubjectæ intenſis quantitatibus intensè, & extenſæ quantitati extenſè: iſta intenſa & extenſa quantitas eſt inviſibilis & ſub colore ſubſtantiæ, & eſt imaginabilis per quantitatem, quam ſenſus capit videndo & tangendo ſuper colorem & figuram ſubſtantiæ; quæ quantitas, quam ſenſus capit, eſt figura & ſimilitudo ſenſui quantitatis intra ſubſtantiam.

5. In bonitate eſt bonificativum & bonificabile, quæ ſunt ſuæ partes eſſentiales & ſubſtantiales, iſtæ partes referuntur ad invicem; quoniam ſi eſt bonificativum, de neceſſitate ſequitur, quòd ſit bonificabile, & è converſo: de iſtis duabus partibus relatis ad invicem ſequitur tertium, hoc eſt bonificare, quod de neceſſitate convenit eſſe in natura bonitatis & in eſſentia ſuarum partium; ſunt igitur tres termini relati ad invicem: de iſtis tribus terminis ſubſtantialibus, qui ſunt de natura & eſſentia bonitatis ſubſtantialis, oritur relatio ſubjectata in illis terminis & in totalitate bonitatis; & hoc idem ſequitur de relatione magnitudinis, durationis &c.: de omnibus iſtis intenſis relationibus ſequitur una extenſa relatio per totam ſubſtantiam; ſubjectum hujus extenſæ relationis ſunt forma & materia & conjunctio ſubſtantiæ; & hæc relatio eſt inviſibilis, quia ſua ſubjecta ſunt inviſibilia.

6. Bonitas habet unam qualitatem per ſe ipſam, & habet aliam per accidens; per ſe ipſam habet qualitatem ſimpliciter, in quantum eſt hoc quod eſt, & non eſt aliud niſi hoc quod eſt, quod non eſt alterius rei ſimpliciter niſi bonitatis tantùm: ſubjectum proprium hujus qualitatis eſt bonitas ſimpliciter, à qua oritur ſuamet propria qualitas accidentaliter, quia bonitas eſt hoc quod eſt, & non eſt aliud, neque aliud eſt bonitas ſimpliciter in rebus creatis; & cum hac qualitate qualificat magnitudinem, durationem &c., magnitudine exiſtente bonâ ſub ratione bonitatis, & durationе ſimiliter. Alia qualitas, quam bonitas habet, eſt magìs accidentalis, & dividitur multis modis, ſicut magnitudo, quam habet ſub ratione magnitudinis, & duratio, quam habet ſub ratione durationis &c.; omnes iſtas qualitates recipit bonitas in ſua propria qualitate, & de omnibus qualitatibus intenſis ſequitur una qualitas extenſa per totam ſubſtantiam.

7. In bonitate, quæ eſt pars ſubſtantialis, eſt bonificativum & bonificabile, quæ ſunt partes ſubſtantiales bonitatis, in quantum una pars ſimplex eſſentialis & ſubſtantialis naturæ & eſſentiæ ipſius ſubſtantiæ non poteſt eſſe per ſe ipſam ſinè aliis partibus ſubſtantiæ; nam ſi eſſet, eſſet ſinè magnitudine, durationе, poteſtate &c.; quod eſt impoſſibile: & quia bonitas non poteſt eſſe per ſe ipſam, ſuum bonificativum, quod habet appetitum operandi, non poteſt operari per ſe ipſum in ſuo proprio bonificabili, nec ſuum proprium bonificabile, quod habet naturam paſſionis, & eſt diſpoſitum, quantum de ſe ipſo, ad ſuſtinendum paſſionem, poteſt eſſe paſſivum ſub propria actione bonificativi: propter hoc actio ſui bonificativi ſtat in habitu ſub ratione formæ, & paſſio bonificabilis ſtat in potentia ſub ratione materiæ; hæc actio & paſſio deveniunt in actum per accidens, ſcilicet per mixtionem principiorum ſubſtantialium, veniente quolibet ad ſubſtantiam cum propria actione & paſſione, unde tunc incipit motus actionis in paſſione, movente ſe formâ ſuper ſuam propriam materiam, movendo illam paſſionem ſub actione exiſtente paſſivâ & motâ per totam ſubſtantiam. Iſta actio & paſſio & motus ſunt res inviſibiles, quia ſunt intra ſubſtantiam; ſed per motum, qui fit extra ſubſtantiam, ſunt res imaginabiles, qui motus extra eſt ſimilitudo motûs intra ſubſtantiam.

8. Bonitas, magnitudo & alia principia ſunt, ſecundùm quòd manifeſtè apparet; nam ſi illa non eſſent, nulla res eſſet; & quia bonitas eſt, & alia ſunt, convenit de neceſſitate, quòd tempus ſit, quia ſinè tempore bonitas creata non poſſet eſſe; & quia tempus eſt ad hoc, ut ſint bonitas & magnitudo & alia in tempore per accidens. In bonitate eſt bonificativum & durificativum ſub ratione durationis, & ſunt bonificabile & durificabile ſub ratione durationis; quæ duratio eſt pars ſubſtantialis ſubſtantiæ, ut divina æternitas ſubſtantialiter transmittat ſuam ſimilitudinem, & ut in ſubſtantia magnitudo non deficiat bonitati & durationi &c., & è converſo; iſta duratio ſubſtantialis eſt ſubjectum tempori ſubſtantiæ, quod eſt accidens ſuſtentatum in illa durationе, & exiens ab ea; veluti bonitas ſubſtantialis, quæ eſt ſubjectum bonitati accidentali, quæ bonitas accidentalis eſt bonitas quantitatis, relationis, qualitatis &c.: igitur tempus eſt duratio accidentium

dentium ſubſtantiæ, & duratio ſubſtantialis eſt ſubjectum temporis, quod eſt ſimilitudo & figura durationis ſubſtantialis. Hoc tempus, quod nos inquirimus, eſt creatum, & eſt indiviſibile univerſaliter, & eſt inviſibile & inimaginabile; ſed in quantum in illo ſunt poſitæ partes ſubſtantiæ univerſalis & particularis, eſt diffuſum ſucceſſivè, exiſtentibus illis partibus ſucceſſivis moventibus & motis, in qua ſucceſſione figura temporis eſt imaginabilis ſub forma temporis præteriti, præſentis & futuri.

9. In bonitate eſt bonificativum, bonificabile, bonificare & bonificatum, & quoniam bonificativum ſinè loco non poteſt eſſe in bonificabili, bonificare, bonificato, de neceſſitate convenit, eſſe locum, ut unus terminus ſit in alio; & hoc idem ſequitur de bonitate, quæ ſit in magnitudine &c., & è converſo; quoniam ſinè loco una pars ſubſtantiæ non poſſet eſſe in alia: igitur locus eſt accidens, quia eſt ad hoc, ut una pars ſubſtantialis poſſit eſſe in alia. Hic locus eſt intra ſubſtantiam, & exit de partibus ſubſtantialibus, exiſtente unâ parte in alia; ſicut bonitas, quæ eſt magna in magnitudine, & è converſo: iſte locus, qui eſt intra, eſt inviſibilis & inimaginabilis, quia quælibet partium eſt ſimpliciter inviſibilis & inimaginabilis per hoc, quòd una pars eſt in alia, & quia ſunt ſub figura ſubſtantiæ; ſed ſua figura eſt viſibilis & imaginabilis, quæ eſt extra ſubſtantiam, ſicut homo, qui eſt ſub habitu coloris vel aëris; vel ſicut vinum, quod eſt in ampulla. Hæc figura eſt compoſita ex continente & contento, in quâ humanus intellectus attingit realitatem loci, qui eſt intra ſubſtantiam.

10. Intra ſubſtantiam eſt una pars in alia, ut ſubſtantia habeat unam quantitatem extenſam & continuam, quam non poſſet habere ſinè ſitu, qui eſt accidentalis pars ſubſtantiæ, in quantum eſt, ut partes ſubſtantiæ poſſint aſſituari ad invicem in una quantitate continua, ſicut bonitas, quæ eſt aſſituata in magnitudine, durationе &c., exiſtens magna ſub ratione magnitudinis, & durans ſub ratione durationis; & hoc idem ſequitur de bonificativo, bonificabili, bonificare & bonificato, quæ ſinè ſitu non poſſent eſſe aſſituata unum in alio. Hic ſitus, quem nos inquirimus, eſt inviſibilis & inimaginabilis, quia eſt ex partibus inviſibilibus & inimaginabilibus procedens ab illis & ſuſtentatus in illis; ſed figura hujus ſitûs eſt circularis, quadrangularis & triangularis viſibilis & imaginabilis, quia eſt in extremitatibus ſubſtantiæ.

11. Habitus eſt accidens, ſecundùm quòd diximus in multis locis; ſed in hoc loco hoc exprimimus fortiter: habitus eſt intra ſubſtantiam, ſicut bonitas, quæ eſt habitus magnitudinis, & è converſo, bonitate exiſtente magnâ ſub ratione magnitudinis, quæ magnitudo in ſe ipſa eſt pars ſubſtantialis; & quia bonitas eſt magna per accidens, exit de magnitudine magnus habitus in bonitate, & de bonitate exit bonus habitus in magnitudine, magnitudine exiſtente bonâ ſub ratione bonitatis; & hoc idem de aliis principiis. Hic habitus, qui eſt intra ſubſtantiam, eſt inviſibilis & inimaginabilis, cùm partes ſubſtantiæ ſint inviſibiles & inimaginabiles; ſi enim eſſent viſibiles, eſſent extra ſubſtantiam, & non intra, & una pars non eſſet in alia, & ſequeretur, quòd quælibet per ſe eſſet ſubſtantia; quod eſt impoſſibile: igitur habitus eſt inviſibilis & inimaginabilis, ſed ipſius figura poteſt videri & imaginari, quia apparet extra ſubſtantiam, ſicut habitus coloris vel figuræ vel virtutis; & ſic de reliquis.

REGULA VIII.

De Motu & Ligamine.

1. CUm hac Regula inquirit homo naturam, quam principia habent ſub ratione motûs & ligaminis, quam inquiſitionem homo facit, ut habeat cognitionem motûs naturalìs, quem voluntas habet ad amandum, & ut per illam naturam homo illam moveat ad amandum, cùm voluntas cum illa natura ſit ligabilis ad amandum bonum; applicando illi naturæ naturalem motum aliorum principiorum, per quem motum voluntas eſt ligabilis; & hoc idem ſequitur de naturali motu intellectûs, per quem intellectus eſt ligabilis ad intelligendum verum.

2. In ſubſtantiali bonitate, quæ eſt eſſentialis pars ſubſtantiæ, eſt bonificativum & bonificabile, & hoc idem ſequitur de ſubſtantiali magnitudine &c., in qua eſt magnificativum & magnificabile; quælibet harum partium eſt in voluntate, quæ eſt potentia ſubſtantiæ, & propterea in voluntate eſt volitivum & volibile ſub ratione natu-

ralis bonificativi & bonificabilis; & propter hoc in voluntate est naturalis habitudo ad movendum se ad amandum bonum, & est ligabilis in natura bonificativi & bonificabilis.

3. Quando in humano corpore multiplicatur calor, igne movente suum calorem in aërem, & de aëre in aquam, & de aqua in terram, & recuperante in se ipso illum calorem, cum quo ligavit & calefecit alias qualitates aliorum elementorum sub ratione magnitudinis, tunc movetur voluntas hominis ad desiderandum humida & frigida sub ratione magnitudinis contra caliditatem & siccitatem; ista voluntas ligatur ad hoc desiderium ratione ligaminis suî & corporis, cum quo anima est conjuncta, cujus animæ voluntas est potentia: igitur si voluntas naturaliter est mobilis & ligabilis ratione corporis, quantò magis est mobilis & ligabilis per sua naturalia & propria principia, dum accidentalis bonitas procedit de substantiali bonitate in substantialem magnitudinem cum accidentali magnitudine, duratione &c. quantificatâ relatâ qualificatâ &c. ad necessitatem boni magni & durabilis velle & amare, quod velle & amare est illi naturale objectum mobile & amabile cum supradictis principiis ad illa mobile & movens, & cum illis est ligabile, in quantum dantur objectivè memoriæ & intellectui, ex quibus procedunt, & movent virtuosè & naturaliter supradictos terminos, existente uno termino in alio conjunctim ad unum objectum compositum de recolere & intelligere.

4. Videre pulchras figuras & pulchra ornamenta movet voluntatem ad carnales delicias & ad honores, sub ratione magnæ pulchritudinis illarum figurarum & ornamentorum est voluntas mobilis ad amandum sub ratione suæ naturalis magnitudinis, quæ habet similitudinem cum exteriori magnitudine, quam diximus, cum qua voluntas est ligabilis ad amandum cum illis vanitates; & hoc idem sequitur de duratione, si voluntas multùm stat in amando illas: veruntamen de bonitate substantiali & naturali voluntatis non procedit bonitas accidentalis in magnitudine & duratione voluntatis, si illa non sint licita ad amandum, sed potiùs procedit contrarium, hoc est malitia, cum qua voluntas est ligabilis ad amandum malum: unde cùm hoc ita sit, per contrarium voluntas est ligabilis ad amandum bonum, quando homo videt pulchras figuras & ornamenta, & bonitas procedit in magnitudinem, durationem &c., quando memoria recolit, & intellectus intelligit malitiam, quæ naturaliter est odibilis, quæ procedit à substantiali bonitate in similitudinem bonitatis.

5. Quando memoria recolit aliquam ignominiam, vel aliquem hominem, qui accepit damnum ab alio, tunc memoria movet & ligat voluntatem ad deamandum & odiendum illum hominem, qui fecit illam ignominiam, vel dedit illud damnum; veruntamen si de substantiali bonitate voluntatis procedit accidentalis magnitudo cum bonitate in substantialem bonitatem & magnitudinem memoriæ, sequetur, quòd voluntas moveat memoriam ad obliviscendum ignominiam vel damnum, & ad recolendum bonitatem & magnitudinem patientiæ, misericordiæ & veniæ, cum quibus voluntas ligat memoriam ad durabile recolere, & se ipsam ad bonum amare, & intellectum ad verum intelligere.

6. Objectum humanæ voluntatis est bonitas, ad quam voluntas non potest moveri ad amandum bonum sinè virtute: unde cùm voluntas naturaliter sit mobilis ad bonitatem, & ad illam non possit pervenire sinè virtute, igitur cum virtute est ligabilis ad amandum bonum, & est disligabilis à vitio & ab amando malum; hoc ligamen & disligamen facit homo, quando ex substantialibus & naturalibus principiis trahit naturales accidentales similitudines, hoc est, quando ex bonitate substantiali trahit bonitatem accidentalem, & ponit illam in magnitudine, duratione &c., & è converso.

7. Et ista fiunt, quando voluntas illa amat, & memoria illa recolit, & intellectus illa intelligit; nam sic recolendo, intelligendo & amando moventur potentiæ, ut per se moveantur naturaliter sub ratione suorum naturalium principiorum, cum quibus capiuntur & ligantur & constringuntur ad amandum bonum, & ad intelligendum verum, & ad recolendum durabile; ad omnia ista movet homo potentias, adjuvante tamen DEO, quando homo illas movet, & discurrit per sua principia naturalia, artificialiter movendo unum principium in aliud, & tangendo unum principium cum alio, recolendo, intelligendo & amando, secundùm quòd unum principium ibi est & existit in alio substantialiter & accidentaliter.

8. Humanus intellectus movendo suum intelligere per ambas propositiones, ex quibus trahit conclusionem, ligatur in conclusione ad intelligendum verum, quod verum intelligere format ex similitudinibus propositionum, quando intelligit illas similitudines in suo proprio intelligibili, & ordinat illas ad unum finem, qui est conclusio composita ex illis similitudinibus; & hoc idem sequitur de voluntate, quando amat duo vera sub ratione unius finîs conjuncti in amabilitate amabilitatum illorum duorum distinctorum; veluti amans, qui amat duas personas similes in amabilitate bonitatis, magnitudinis &c., amando omnes illas amabilitates sub ratione unius finîs, unius amabilitatis, unius bonitatis, magnitudinis &c.: unde ex hoc sic sequitur Amantia, sicut ex intellectu, de quo diximus, sequitur Scientia.

9. Quando magnes tangit acum, tunc de similitudine procedit similitudo in similitudinem, & accidentalis virtus procedit à substantiali virtute magnetis, & oritur in substantiali virtute acûs, quæ recipit illam sub ratione habitûs, miscendo cum proprio virtuoso habitu acûs; & in habitu ligantur ambæ similitudines constitutæ ex illis, qui movet acum ad magnetem, secundùm quòd habitus est magnus in bonitate, duratione &c.

10. Hoc idem suo modo sequitur de Amico & Amato, quando Amatus transmittit suam similitudinem in Amicum per aliqua opera exteriora, vel quando Amicus in suis similitudinibus contemplatur similitudines Amati, movens illas similitudines in humana mente unam in aliam sub ratione bonitatis, magnitudinis &c.; per quem motum & mixtionem similitudinum ligatur Amicus ad amandum suum Amatum, & etiam per multas alias rationes secundùm processum hujus Amantiæ.

REGULA IX.

De Inquisitione & Inventione Particularis in Universali.

1. TOtus processus hujus Artis habet se ad inquirendum & inveniendum Particulare in Universali; sed nos breviter & figuraliter in hac Regula volumus significare modum, secundùm quem homo potest inquirere & invenire particulare in universali, ut cum litera, per quam deducta est Regula ad memoriam in *tertia* & *quarta Figura*, homo possit summatim recolere processum Artis, & venire ad propositum & ad objectum Artis.

2. Principia hujus Artis sunt universalia, sub quibus existunt particularia quæsita; ista particularia convenit inquirere *in quinque Partibus*, in quas hæc Ars est divisa, scilicet in Figuris, Regulis, Definitionibus, hoc est virtutibus, quæ procedunt ab uno principio in aliud, mixtis invicem Conditionibus & Quæstionibus.

3. Ad inquirendum particulare in prima Figura sub ratione subjecti hujus Artis convenit, quòd homo in sua mente circulariter faciat universale conceptum de tota figura, considerando circulationem sub ratione concordantiæ sinè contrarietate, factam de bonitate, magnitudine, duratione &c., & de bonitate, bonificativo, bonificabili, bonificato & bonificare; & hoc idem de magnitudine &c., & de bonificativo, magnificativo &c.; quoniam in nullum horum terminorum cadit contrarietas: unde sic considerando hanc universalem circulationem debet homo descendere ad particulare quæsitum sub ratione bonitatis vel magnitudinis vel bonificativi &c., quærendo de DEO, vel de Angelis, vel de homine, vel de elementis &c.: & si illud particulare positum in supradicta circulatione secundùm datum judicium illius conservat concordantiam illius circulationis sub ratione affirmationis vel negationis, est amabile, & suum oppositum est odibile; in qua amabilitate & odibilitate voluntas est ligabilis ad amandum bonum, & est habitus Amantiæ, & intellectus ad intelligendum verum, & est habitus Scientiæ, per quos habitus particularia sunt invenibilia.

4. Ad inquirendum particulare in universali secundùm secundam Figuram, convenit, quòd homo universaliter in sua ratione concipiat circularitatem secundæ Figuræ compositæ ex suis principiis, hoc est, ex differentia, concordantia &c., sicut est concipere universalem circulationem quatuor elementorum intrantium unum in aliud sub ratione differentiæ, concordantiæ & contrarietatis &c.; & postea convenit, quòd homo applicet supradictum particulare circulationi universali tali modo, quòd particulare concordet cum suo universali,

ita quòd in universali remaneat circulatio facta ex concordantia inter unam partem & aliam; & hoc idem de contrarietate &c. affirmativè vel negativè sub ratione illius particularîs applicati ad universale; quoniam per illam concordantiam particulare est invenibile, & per inventionem est amabile & amatum, intelligibile & intellectum, ex quo sequitur habitus Amantiæ & Scientiæ.

5. In hac Arte tertia Figura est subjectum universale ad inquirendum particulare, sicut si quæritur de aliquo particulari sub ratione B. C. &c., tunc camera B. C. est universale, in quo significantur quatuor conditiones formatæ de B. C. *in Distinctione de Conditionibus.* Istæ conditiones, quæ explicitè sunt in tertia Distinctione, sunt implicitè in camera ipsorum B. C., ita quòd explicitas ipsorum B. C. est universale, & implicitates sunt sua particularia, quæ in camera sunt invenibilia; in qua & per quam invenibilitatem voluntas & intellectus sunt ligabiles.

6. Secundùm quòd diximus de tertia Figura, intelligitur de inquisitione & inventione in quarta Figura; sicut si quæritur de aliquo particulari sub ratione ipsorum B. C. D., debet homo recurrere ad cameram ipsorum B. C. D. in quarta Figura; quæ camera transmittit illum *ad viginti Conditiones*, quæ sunt in *tertia Distinctione* sub ratione B. C. D.: quælibet illarum conditionum est particulare, & debet judicari tali modo, quòd alia particularia remaneant, ut universale habeat subjectum, in quo possit existere & remanere id, quod est, & ut sua particularia possint existere & sustentari in suo universali: veruntamen illa camera habet multas alias conditiones, quæ infinitè in illa sunt implicitæ: unde viginti conditiones, quæ explicitè sunt in tertia Distinctione, & aliæ, quæ implicitè sunt in camera, sunt applicabiles ad cameram cum intelligibilitate & amabilitate sub ratione bonitatis, magnitudinis & durationis; in qua intelligibilitate & amabilitate intellectus & voluntas sunt ligabiles.

7. Secundùm Regulas inquiritur & invenitur particulare in universali hoc modo: scilicet, quòd Principia applicentur ad Regulas, secundùm quòd dabimus doctrinam *in Distinctione de Definitionibus*, & *in Distinctione de Conditionibus*, applicando duas Definitiones ad unam Regulam, tali modo, quòd Regula & Definitiones sint concordantes; quæ concordantia & applicatio est universalis doctrina inquirendi particulare sub sua universali definitione & sub sua Regula, quæ est universalis illi applicationi & inventioni, per quam applicationem & inventionem voluntas est ligabilis ad amandum bonum, & intellectus ad intelligendum verum.

8. In Definitionibus principiorum existit universalis inquisitio, cùm quælibet illarum definitionum sit universale, secundùm quod infinita particularia possunt inveniri; illa particularia possunt inveniri amando vel odiendo, affirmando vel negando, remanente quâlibet definitione id, quod est, & illâ existente generali ad particulare, quod illi applicatur secundùm realitatem definitionis & particularîs tali modo, quòd, si definitio existat ratione propositi, suum oppositum deducatur ad impossibile, & è converso, inquirendo in definitionibus particularia, quæ sunt implicita in ipsis definitionibus; sicut in definitione bonitatis, quæ est ratio agendi bonum sub ratione bonificativi, bonificabilis, bonificati & bonificare, & sub ratione magni & durabilis boni, bonitate existente magnâ sub ratione magnitudinis, & durabili sub ratione durationis &c., & etiam bonitate existente ratione ad agendum bonum sub ratione quantitatis, relationis, qualitatis &c.; & omnia ista sunt particularia *implicita* existentia sub bonitate: unde factâ inquisitione de his omnibus, secundùm quòd diximus, tunc est particulare invenibile, & sua inventio est intelligibilis & amabilis, in qua intelligibilitate & amabilitate intellectus est ligabilis ad Scientiam, & voluntas ad Amantiam.

9. Per conditiones inquirit homo particulare, quâlibet conditione existente universali ad inquirendum particulare, quod stat sub illa conditione, sicut aliqua bonitas contracta ad aliquod individuum, quod stat sub universali conditione bonitatis, quæ bonitas non est contracta ad ullum particulare in illa conditione, quæ est ex universalibus principiis, & in qua implicitè existunt *sex Definitiones*, secundùm quas definitiones debent inquiri particularia, quæ stant sub illis definitionibus; *& si fortè conditio est particularis, vult Ars, quòd applicetur ad conditionem, quæ potest stare sub illa sub ratione universalitatis, & quòd fiat concordantia ambarum secundùm suas definitiones*, affirmando vel negando, amando vel odiendo, applicando omnia ista ad propositum, remanentibus conditionibus & definitionibus sinè ulla calumnia & destructione, per quam remansionem & conservationem voluntas & intellectus sunt ligabiles.

10. Secundùm Quæstiones & processum hujus Artis vult Amantia, quòd homo inquirat particularia in universalibus, sicut quæstiones, quæ transmittuntur ad sua universalia, quæ sunt Figuræ, Regulæ, Definitiones & Conditiones, ad quas transmittuntur conclusiones particulares, & sub modo illius transmissionis existit implicitè modus solvendi per illos terminos universales indestructibiles alias quæstiones, quæ explicitæ non sunt in hac Arte.

11. Ars etiam vult, quòd in tertia & in quarta Figura homo per illarum literas reducat ad memoriam *novem Modos*, per quos potest facere quæstiones; qui novem modi sunt impliciti sub universalibus, quæ respondent quæstionibus sub ratione illorum novem modorum: unde cùm hoc ita sit, datur Doctrina & Ars ligandi voluntatem ad amandum bonum, & intellectum ad intelligendum verum in responsione & solutione quæstionum, quæ est amabilis & intelligibilis, in qua & cum qua amabilitate & intelligibilitate quælibet potentia animæ est inducibilis & ligabilis.

REGULA X.

De Contemplatione.

1. VOluntas voluit contemplari suum Creatorem in rebus creatis, quæ sunt bonæ, magnæ, durabiles &c., & voluntas se extendit tantúm, quantúm potest, ad amandum creaturas, secundùm quòd sunt amabiles, ut in illis amet bonitatem, magnitudinem, æternitatem &c. sui Creatoris; veruntamen deficit in multùm amare, secundùm quòd bonitas, magnitudo, æternitas &c. sui Creatoris sunt amabiles in creaturis, nisi juvetur ab intellectu; nam sinè adjutorio & illuminatione intellectûs voluntas non potest ascendere ad multùm contemplandum & amandum suum Dominum & Creatorem. Et quoniam voluntas illum vult multùm contemplari & amare in rebus creatis, desiderat, quòd intellectus intelligat eas de tota sua potestate, & secundùm quòd DEUS in illis est intelligibilis: unde voluntas ratione hujus desiderii movet intellectum ad intelligendum DEUM in rebus creatis, intelligendo illas de tota sua potestate, per quod intelligere intellectus elevat voluntatem ad magis contemplandum, ut intellectus possit magìs intelligere, & voluntas magìs amare.

2. Voluntas habuit tantum desiderium ad contemplandum DEUM in magnitudine bonitatis, infinitatis, æternitatis &c., & intellectus movit illam tantúm ad amandum verum, quòd voluntas voluit contemplari DEUM in se ipso, in sua Essentia, & in sua Natura, bonitate, magnitudine, æternitate &c.; & primò incepit à voluntate DEI, quam amat in ratione amabundi, amorosi, amativi, amantis, amare, amabilis & amati, & postea omne, quod voluntas assumpsit, amando in divina voluntate comprehendit sub ratione divinæ bonitatis, in qua divina bonitate amat bonificabundum, bonosum, bonificativum, bonificantem, bonificare, bonificabilem & bonificatum; & postea intrat voluntas ad amandum magnitudinem DEI cum omni eo, quod apprehendit de DEO sub forma voluntatis & bonitatis, & cum omni hoc amat & contemplatur in magnitudine magnificabundum, magnosum, magnificativum, magnificantem, magnificare, magnificabilem & magnificatum. Voluntas se voluit adhuc magìs exaltare in amando & contemplando illum, & ascendere cum omni eo, quod assumpsit, ad æternitatem, in qua amat æternificabundum, æternosum, æternificativum, æternificantem, æternificare, æternificabilem & æternificatum; voluntas voluit quiescere in hoc, quod assumpsit de DEO, & putabat habere complementum amoris & contemplandi DEUM, sed similitudo divinæ potestatis, quæ similitudo est una partium essentialium voluntatis, hoc est potestas, fecit illam desiderare, quomodo posset adhuc altiùs contemplari & amare DEUM sub forma potestatis; voluntas voluit altiùs ascendere, & quia se sensit valde afflictam & comprehensam per vim magni & durabilis amare bonum, voluit ejicere unam supradictarum rationum, ut in locum illius poneret contemplationem potestatis, sed non potuit, quia quælibet illarum rationum illam comprehendit ad amandum & contemplandum, & potestas non voluit abstinere, ut voluntas moveretur ad ascendendum: unde propter hoc fuit conveniens voluntati ascendere superiùs

riùs ad contemplandum & amandum in divina poteſtate poſſificabundum, potentoſum, poſſificativum, poſſificantem, poſſificare, poſſificabilem & poſſificatum.

3. Et quia voluntas omnes iſtos terminos debet contemplari & amare cum aliis ſupradictis terminis, fuit adeò comprehenſa amore & contemplatione, quòd vix ſe potuit ſuſtinere, & rogavit intellectum, ut illam adjuvaret, quoniam erat valde comprehenſa ab amore.

4. Intellectus habuit naturalem inclinationem ad contemplandum DEUM per viam ſcientiæ, & aſcendit intelligere in ſapientia DEI ſcientificabundum, ſcientoſum, ſcientificativum, ſcientificantem, ſcientificare, ſcientificabilem & ſcientificatum; poſtea aſcendit altiùs ad divinam virtutem, in qua cum omni eo, quod aſſumpſit in ſapientia, intelligit virtuificabundum, virtuoſum, virtuificativum, virtuificantem, virtuificare, virtuificabilem & virtuificatum: & poſtea aſcendit adhuc altiùs, quam aſcenſionem facit, in quantum magis vult intelligere, & cum omni eo, quod aſſumpſit de ſapientia & virtute DEI, intrat intelligere & contemplari veritatem DEI, in qua intelligit verificabundum, veroſum, verificativum, verificantem, verificare, verificabilem & verificatum; intellectus fuit comprehenſus, & non potuit altiùs aſcendere ad contemplandum, quouſque gloria DEI movit in illo ſuam ſimilitudinem, ſub ratione cujus intellectus motus debet aſcendere ad contemplandam gloriam DEI, in qua intellexit glorificabundum, glorioſum, glorificativum, glorificantem, glorificare, glorificabilem & glorificatum; quando intellectus aſcendit ad hunc gradum gloriæ cum omni eo, quod aſſumpſerat de ſapientia, virtute & veritate, ille ſe ſenſit totum comprehenſum ſcientiis, & tam magnâ ſcientiâ, quòd vix ſe potuit ſuſtinere: unde propter magnum laborem & delectationem, quam intellectus habebat, rogavit voluntatem, ut ſe adjuvaret ad ſuſtinendum ea, quæ conceperat, & quæ contemplabatur.

5. Memoria recolit intellectui id, quod voluntas illam rogabat, & recolit voluntati requiſitionem, quam intellectus illi faciebat, & ideo intellectus adjuvat voluntatem cum omni eo, quod aſſumpſerat de DEO, & hoc idem fecit voluntas, & ideo unus ligavit alium ad contemplandum DEUM in ſupradictis; & quò magìs unus adjuvabat alium, eò magis contemplabatur & magìs erat conſtrictus ad contemplandum, & habebat plura placita & afflictiones.

6. Dum voluntas & intellectus ita contemplabantur DEUM in ſuis Dignitatibus & in opere intrinſeco, quod habent, eſſentia DEI non voluit ſubſiſtere in movendo ſuam ſimilitudinem in ſuo Contemplatore & Amatore, qui ita artificialiter contemplabatur, amabat & intelligebat, imò movit illam ſimilitudinem tam fortiter, quòd voluntas amavit, & intellectus intellexit, quòd omnia, quæ aſſumpſerant, erant & ſunt Eſſentia & Natura divina, Deitas & ſubſtantia ſinè ullo accidente & ſinè omni defectu.

7. Simili modo Deitas DEI movit ſuam ſimilitudinem in ſuo Contemplatore, ut amaret, contemplaretur & intelligeret in DEO unitatem in numero bonitatis, magnitudinis &c., & Eſſentiam & Deitatem & omnia, quæ ſumus contemplati; & ideo voluntas & intellectus tantùm contemplabantur, quòd non poterant magìs contemplari: veruntamen iſta contemplatio non poteſt eſſe tam alta in hac præſenti vita formaliter ſed figuraliter; per quam figuram datur doctrina ad amandum bonum, & ad intelligendum verum, contemplando DEUM ſecundùm ſupradictam Artem, per quam doctrinam ſemper datur Ars ligandi voluntatem ad amandum bonum, & intellectum ad intelligendum verum, quando homo in contemplatione format Figuram, quæ figura ſecundùm proceſſum hujus Artis eſt amabilis & intelligibilis.

REGULA XI.

De Abſtractione & Contractione.

1. CUm hac Regula convenit conſiderare modum, per quem voluntas poteſt ligari ad amandum, & intellectus ad intelligendum, abſtrahendo unum ab alio, & contrahendo unum ad aliud; ſicut voluntas, quæ in abſtracto amat amabilitatem univerſaliter, quæ amabilitas eſt illi quid naturale ad amandum, cùm in qualibet voluntate naturaliter & eſſentialiter ſit amabilitas, quæ amabilitas eſt univerſalis: unde cùm hoc ita ſit, vult hæc Ars, quòd homo liget ſuam voluntatem particularem ad amandum univerſalem & publicam amabilitatem, ut in illa natura ambarum ſupradictarum

dictarum amabilitatum voluntas ligetur ad amandum publicam & univerſalem amabilitatem, à qua publica amabilitate deſcendit bonum magnum durabile &c. amare; & hoc idem ſequitur de intellectu particulari in intelligere, qui poteſt ligari ſub natura univerſalis intelligibilitatis.

2. Ad ligandum voluntatem ad amandum, & intellectum ad intelligendum, non ſufficit univerſalis amabilitas neque univerſalis intelligibilitas ſinè univerſali amativitate & univerſali intellectivitate: unde vult hæc Regula, quòd homo ſuæ voluntati pro objecto det amativitatem generalem, & ſuo intellectui intellectivitatem generalem, ut particularis natura voluntatis amativæ & intellectûs intellectivi ligetur cum natura abſtracta, quæ exiſtit in univerſalitate per viam rationis, ut homo naturaliter concipiat publicum amare & intelligere, quæ conceptio fit cum magnitudine bonitatis &c.

3. Dum voluntas & intellectus ſunt ligati in magno ſupradicto univerſali ſub ratione abſtractionis, contrahitur voluntas ad ſupremam amabilitatem & ſupremam amativitatem; & hoc idem facit intellectus in intelligendo ſupremam intelligibilitatem & intellectivitatem; veruntamen illis non ſufficit aſcendere ſinè amare & intelligere ſupremum amare & intelligere; neque ad ſupremum amare & intelligere poterunt aſcendere, usque dum voluntas amaverit ſupremum Amatum & Amantem, & intellectus intellexerit ſupremum intellectum & intelligentem: unde tunc voluntas & intellectus fuerunt ligati in abundantia amandi & intelligendi per influentiam ſupradictorum, ſub qua influentia homo poteſt ligare voluntatem ad amandum, & intellectum ad intelligendum inferiora.

4. Amare bonitatem in abſtracto eſt voluntati amor naturalis, hoc idem ſequitur de magnitudine, duratione &c., cùm voluntas ſit particularis bonitas, magnitudo, duratio &c.; & hoc idem ſequitur in natura intellectûs: unde ratione hujus poteſt homo ligare & ordinare & adducere ſuam voluntatem & ſuum intellectum in ipſorummet naturam, & in naturam rerum inferiorum: veruntamen omnia iſta non ſunt ſufficientia ad ipſorum ligamen, quousque voluntas & intellectus contrahantur ad ſupremam magnitudinem, bonitatem.

5. Ratio, propter quam voluntas & intellectus non habent complementum, ut ligentur ſinè amare & intelligere ſupremam bonitatem &c. tunc, quando amant univerſaliter & abſtractè bonitatem, magnitudinem &c. non contractas ad ullum definitum, eſt, quia illa abſtractio eſt in ratione animæ; ſed quando anima exaltatur ab illa ratione ad entitatem realem definitam in ſummitate bonitatis &c., tunc venit complementum ligaminis amborum, quæ contrahuntur ad ſuprema: veruntamen adhuc non ſufficiunt quousque contrahantur in quolibet ſupradictorum terminorum, ita quòd conveniat, quòd in ſuprema bonitate &c. voluntas habeat amorem ad bonificativum, bonificantem, bonificare, bonificabilem, bonificatum, quoniam omnia iſta conveniunt ſecundùm naturam ſummitatis bonitatis, magnitudinis &c.

6. Quoniam in humana voluntate & in humano intellectu particulariter & naturaliter una pars eſt contracta ad aliam, videlicet bonitas, magnitudo &c., de quibus ſunt, voluntas & intellectus non haberent ſufficientiam, quouſque contraherent ſupremam bonitatem ad ſupremam magnitudinem &c., ut poſſent venire ad unum ſupremum bonum magnum æternum &c., qui eſt DEUS completus omnibus complementis, & abſtractus in humana ratione ab omnibus defectibus: igitur DEO ſic amato & conſiderato datur doctrina ad ligandum duas potentias, per quas hæc Ars diſcurrit, & ſub iſto ligamine poſſunt ligari & induci ad omnia inferiora, amante voluntate & intelligente intellectu ſub ratione ſupremæ bonitatis &c. & ſub ſuamet ratione: unde cùm hoc ita ſit, vult hæc Amantia, quòd ſecundùm hanc Regulam datam homo liget ſuam voluntatem ad amandum, & ſuum intellectum ad intelligendum, ſequendo ſupradicta naturalia principia.

REGULA XII.

De Audacia & Timore.

1. PEr hanc Regulam poteſt homo inquirere & invenire naturalia, per quæ poteſt ligare & diſponere ſuam voluntatem ad amandum bonum, & ſuum intellectum ad intelligendum veritatem rerum, veluti eſſe animoſum & audacem ſub ratione amandi DEUM & illum cognoſcendi & illi ſerviendi; nam quia DEUS creavit hominem ad ipſum amandum, cognoſcendum & illi ſervi-

ſerviendum, & hic eſt principalis finis, propter quem homo eſt creatus, ſequitur in homine animoſitas & audacia naturaliter, ne ſit timidus & debilis animo in iis, in quibus poteſt noſtrum Dominum amare & cognoſcere & illum honorare & ipſi ſervire; quæ audacia & animoſitas eſt propter finem, qui naturaliter eſt valde amabilis & intelligibilis, & ſuum contrarium eſt valde timibile & odibile; quæ amabilitas & intelligibilitas, timibilitas & odibilitas & ignorabilitas ſunt res naturales, quas nos inquirimus, ad dandum doctrinam, quomodo homo ſciat ſuam voluntarem & ſuum intellectum inducere ad audaciam & ad timorem, conſiderando finem ſecundùm quòd in ſecunda Regula continetur.

2. Illud amare, à quo voluntas facit exulare bonificare, magnificare &c., eſt timibile, odibile & ignorabile, ergò amare, à quo amor facit exulare & ſeparat malificare & minorificare &c., eſt amabile & intelligibile: unde propter hoc ſequitur naturalis exaltatio animosè amandi & intelligendi bonum magnum & durabile amare, conſtructum & veſtitum bono magno bonificare & magnificare &c.; quoniam voluntati eſt magis naturale amare tale amare, & intellectui intelligere tale amare, quàm amare amare per amare terrena, per quod amare ſunt parva ipſa bonificare, magnificare &c.

3. Contra naturam eſt amare vilia, & odire nobilia, & contra naturam eſt magis intelligere vilia quàm nobilia; igitur ſecundùm naturam eſt amare & intelligere contrarium horum ſupradictorum; per quam naturam & contrariam naturam poſſunt homines, qui gaudent amare & intelligere, ligare ſuam voluntatem ad amandum bonum, & ſuum intellectum ad intelligendum verum.

4. In amore amare eſt per primam intentionem, & timere per ſecundam; ideo animoſitas naturaliter eſt ante timorem in amore; per quam naturalem antecedentiam homo poteſt ligare ſuam voluntatem ad amandum bonum; & hoc idem ſequitur de intellectu in intelligendo, cujus affirmatio eſt per primam intentionem, & negatio per ſecundam.

5. Si naturale eſt habere timorem famis, ſitîs, caloris, frigoris, laboris, exilii, periculi & mortis, contra naturam eſt habere timorem bonæ magnæ & durabilis memoriæ, intellectûs & voluntatis; & ſi eſt contra naturam vendere ſuam voluntatem & ſuum intellectum pro auro & argento, contra naturam eſt dare ſuum velle & intelligere perverſis moribus: unde cùm hoc ita ſit, per hæc omnia ſupradicta & per multa alia his ſimilia (veluti timere ſuum inimicum, eſt ſapientia, non timere ſuum inimicum, eſt ſtoliditas) datur doctrina ad inquirendum naturalia, cum quibus homo naturaliter poteſt habere audaciam & timorem ad amandum bonum, & ad intelligendum verum, & in illo bono amando & intelligendo ligare & ordinare ſuam voluntatem & ſuum intellectum.

REGULA XIII.

De Spe.

1. HÆc Regula de Spe aſſignatur in hac Arte ad inquirendum naturas & proprietates, cum quibus homo poteſt ligare & intendere voluntatem ad amandum bonum, & intellectum ad intelligendum verum; ſicut ſpes, quam homo habet in DEO ſecundùm naturam & proprietates noſtri Domini DEI; quoniam ſperare de DEO bonitatem, magnitudinem, durationem, poteſtatem &c., adducunt in hominem bonum magnum potens durabile &c. ſperare, quod eſt opus bonæ magnæ durabilis & potentis Spei: unde tangente homine ſuam voluntatem cum tali ſpe, voluntas eſt ligabilis ad amandum bonum, cùm per talem ſpem ſit amabilis cum amabilitate bona magna & durabili &c.; hoc idem ſequitur de intellectu, cui ſupradicta ſpes eſt intelligibilis ſub ratione bonæ magnæ & durabilis &c. intelligibilitatis: & quia in voluntate naturaliter eſt pars amativa, & in intellectu intellectiva, ſequitur, quòd per rationem naturalem tunc, quando homo pro objecto dat amabilitatem amativo, & intelligibilitatem intellectivo, & maximè ſub ratione ſupradictæ ſpei, quia tunc ipſamet voluntas illaqueat ſuum amativum cum amabili, & intellectus intellectivum cum intelligibili.

2. Divina bonitas eſt tam alta & tam honorabilis, quòd per ſe ipſam eſt digna amari & intelligi; & hoc idem ſequitur de ſua magnitudine, duratione, poteſtate &c.: unde tunc, quando quidam homo proponit facere aliquod bonum ſpecialiter ad amandum DEUM & illum cognoſcendum, & illi accidunt aliquæ adverſitates & contraria

traria, quæ illum impediunt à complendo illud bonum opus, quod propoſuit facere, ſi tunc ille homo tangat ſuam voluntatem & ſuum intellectum cum ſpe ſub ratione bonitatis DEI, ita quòd ſperent adjutorium à bonitate DEI, tunc bonitas DEI, quæ amat ſuam ſimilitudinem, clarificat in illa ſpe bonitatem cum magnitudine Amantiæ & Scientiæ, cum qua clarificatione Amans ligabit ſuam voluntatem ad amandum, & intellectum ad intelligendum in bonitate, magnitudine &c. ſpei.

3. Sperare à DEO donum, conſilium, adjutorium & veniam, eſt magis naturale, quàm ſperare iſta ab alia re, quæ non eſt DEUS; cùm DEUS ſit multò liberalior in dare, adjuvare, conſolari & conſulere &c. quàm ullus alius: unde quando homo in ſuis neceſſitatibus magis confidit in DEO quàm in ſuis viribus vel in ſuis divitiis vel in ſuo ſenſu vel in ſuo honore terreno vel amicis & ſic de aliis iſtis ſimilibus, tunc in virtute vel in natura ſuæ ſpei ligat ſuam voluntatem ad ſperandum bonum, & ſuum intellectum ad ſperandum verum.

4. Sperare à DEO veniam, ſperare à DEO donum miſericordiæ, ſperare illa ſub ratione condonandi magnas culpas, peccata, injurias & defectus, eſt ſperare ſub ratione magni doni miſericordiæ; veruntamen ſperare tale donum veniæ ſinè amare & intelligere juſtitiam DEI, quæ eſt unum & idem cum miſericordia, non eſt ſpes, cum qua homo poſſit ligare ſuam voluntatem ad amandum bonum, & ſuum intellectum ad intelligendum verum; quia illa ſpes eſt ſinè forma, & eſt contra miſericordiam DEI; ſed quando peccator amat & intelligit juſtitiam DEI & ſuum opus, quod eſt non donum veniæ, imò eſt judicium amabile & verax, puniente DEO hominem peccatorem propter ſuos mortales defectus, tunc cum illo amare & intelligere, quod homo facit de juſtitia DEI & de ſuo opere, ligat ſuam voluntatem ad amandum bonum, & ſuum intellectum ad intelligendum verum.

5. Amare & intelligere opus juſtitiæ, & odire & ignorare donum, quod miſericordia dat, non eſt bonum amare, nec verum intelligere; ſicut amare & intelligere donum, quod miſericordia dat, quod non eſt bonum amare, neque verum intelligere, ſi homo odit & ignorat opus juſtitiæ DEI; ſed quando peccator duo opera, ſcilicet condonare & judicare, æqualiter amat & intelligit, quia æqualiter ſunt amabilia & intelligibilia in bonitate, magnitudine &c., tunc peccator habet bonum amare, & verum intelligere, cum quo conjungitur habitus ſpei, in quo habitu conjungitur miſericordia & juſtitia, miſericordia ad condonandum, & juſtitia ad puniendum; & quando peccator facit omne id, quod poteſt, ad honorandum miſericordiam, & ad timendum & amandum juſtitiam DEI, tunc conſentit juſtitia DEI miſericordiæ, quòd det donum veniæ; quem conſenſum facit cum magnitudine bonitatis, durationis &c.; à quo dono & conſenſu influitur lumen amoris ad amandum, & ſapientiæ ad intelligendum.

6. Tam alta & nobilis virtus eſt ſpes, quam homo habet in DEO, & tantum convenit cum DEO, quòd homo ſperet in bonitate, magnitudine DEI, & ſpes eſt homini tam neceſſaria, quòd DEUS vult, quòd in illo ſtatu, in quo homo eſt altus vel profundus, ſemper habeat ſpem in DEO, & propterea DEUS dat hominibus multas proſperitates in hoc mundo, & facit hominibus multas gratias, ut homo, ſicut recipit à DEO illa dona & illas gratias, ita ſperet ab eo alia dona & majores gratias; & DEUS dat etiam hominibus multas tribulationes, ut homo confidat & ſperet in ſuo adjutorio, nam multò meliùs eſt ſuſtinere labores, perſecutiones, adverſitates, famem, ſitim, infirmitatem, calorem, frigus, paupertatem, ignominiam & alia his ſimilia, & habere ſpem in DEO, qui adjuvat ad ſufferendum hæc omnia pro ſuo amore, quàm ſit non ſuſtinere ullum horum, & habere proſperitates hujus mundi, & non habere ſpem in DEO.

7. Quando Princeps confidit in fortitudine ſui populi, ſui caſtelli, & ſuæ civitatis, vel in ſuo theſauro, & ſic de aliis his ſimilibus, non poteſt per hæc omnia tantùm ligare ſuam voluntatem ad amandum bonum, neque ſuum intellectum ad intelligendum vera, ſicut illam ligat tunc, quando confidit in viribus ſui officii, quod DEUS illi dedit ad regendum ſuum populum; quia fortior eſt finalis intentio, propter quam DEUS illum fecit Principem & Rectorem ſui populi, quàm ſint omnia ſupradicta, cùm ille finis, propter quem eſt Rex, ſit, ut faciat, quòd ſuus populus amet & cognoſcat & honoret DEUM, & illi ſerviat:

unde per talem confidentiam, quæ eſt figura ſpei, poteſt homo ligare ſuam voluntatem ad amandum bonitatem, & ſuum intellectum ad intelligendum vera & amabilia.

8. Sperare à ſuo amico ſuccurſum, conſilium & adjutorium per vires rerum corporalium, non eſt tam magna ſpes, quàm ſperare à ſuo amico bonum ſapiens verax conſilium & adjutorium in rebus ſpiritualibus; & hoc idem ſequitur in homine, quando eſt bonus & ſapiens, qui magis poteſt confidere in ſua bona voluntate & in ſuo bono ſenſu quàm in ſuis divitiis & in aliis rebus corporalibus; cùm ſpes ſit de rebus ſpiritualibus formaliter, & de corporalibus figuraliter: unde per omnia iſta & per multa alia datur Regula & Doctrina, quomodo ſub forma & ratione ſpei homo inquirat naturas & proprietates, cum quibus & per quas ſciat ligare & inducere ſuam voluntatem ad amandum bonitatem, magnitudinem &c., & intellectum ad intelligendum de illis vera.

REGULA XIV.

De Conſolatione.

1. CAuſa deſolationis maximè conſiſtit in tribus modis, qui ſunt: quando homo facit defectum contra DEUM, ſe ipſum, & ſuum proximum: unde per contrarium conſolatio conſiſtit in ipſismet tribus; ſcilicet ſe conſolari in DEO, in ſe ipſo, & in ſuo proximo: unde cùm conſolatio & deſolatio ſint amabiles & intelligibiles, poteſt homo cum natura illius amabilitatis & intelligibilitatis ligare ſuam amativitatem ad amandum, & ſuam intellectivitatem ad intelligendum ſupradictam conſolationem & deſolationem, tangendo amativitatem cum amabilitate, & intellectivitatem cum intelligibilitate, conjungendo illum contactum cum magnitudine bonitatis & veritatis.

2. Deſolatio non extenditur extra defectum, quem homo fecit, nam in eſſe vilipenſum, injuriatum, deprædatum, tormentatum & flagellatum non oportet deſolari, cùm ſit conſolatio talia ſufferre ad lucrandum virtutes, & ad evitandum vitia; & quia talis conſolatio eſt amabilis & intelligibilis, ideo homo cum natura ſuæ amabilitatis & intelligibilitatis poteſt ligare ſuam voluntatem ad amandum virtutes, & ad evitandum vitia, & ſuum intellectum ad intelligendum vera.

3. Si homo ſuſtinet aliquos labores pro noſtro Domino DEO, in illis laboribus non convenit deſolari, quia DEUS eſt magis bonus quàm labores ſint nocivi, & majus eſt bonum, quod homo inde conſequitur, quàm ſit malum, quod ſuſtinet; & quia ad id, quod eſt plus boni, voluntas eſt magis ligabilis, quàm ad minus boni, quia in natura illius eſt major virtus, eſt ratio, cum qua voluntas poteſt ligari in amare, conſolans ſe in plus habere, & in minus perdere; & hoc idem ſequitur de intellectu.

4. In perdere denarios, poſſeſſiones, amicos & parentes, delicias & honores non eſt tam magna perditio, ſicut eſt in perdere bonam cogitationem conjunctam de bono magno durabili potente & veraci amare & intelligere: igitur deſolatio eſt in perditione talis cogitationis, & conſolatio in recuperatione illius; quæ conſolatio eſt naturaliter deſiderabilis & intelligibilis; cum qua natura voluntas & intellectus ſunt ligabiles ſecundùm viam conſolationis.

5. Quando homo conſiderat, DEUM eſſe, & quòd illud ſuum eſſe ſit totum bonum magnum æternum potens &c., nullum non eſſe eſt cauſa deſolationis, cùm eſſe ſit plus quàm privatio; & etiam ſic conſiderando DEUM, nullum eſſe, quod ſit malum, habet naturam homini eſſe cauſa deſolationis, amante tamen homine illud eſſe DEI ita conſideratum, ſicut ſuprà diximus: unde ita conſiderare eſſe DEI, conſideratur, quòd inducatur conſolatio, & elongetur ab homine deſolatio; per quam inductionem naturalem voluntas eſt diſpoſita ad volendum bonum amare, & intellectus ad intelligendum verum amare.

6. Si DEUS nihil eſſet, deſolatio eſſet major quàm conſolatio, quia eſſet plus mali quàm boni, & falſi quàm veri; ſed quia DEUS eſt, eſt plus conſolationis quàm deſolationis, & boni quàm mali, & veri quàm falſi: unde ratione hujus cum omnibus iſtis ſic conſideratis & cum aliis his ſimilibus poteſt homo ligare & ducere ſuam voluntatem & ſuum intellectum ſub forma majoris conſolationis ad bonum amare, & ad verum intelligere.

REGULA XV.

De Contritione & Conſcientia.

1. AD inquirendum principia & naturas, cum quibus homo ſciat per artificium ligare & ducere ſuam voluntatem ad amandum bonum, & ſuum intellectum ad intelligendum verum, convenit inquirere naturam & proprietatem contritionis & conſcientiæ, ut poſſimus venire ad habitus, quos principia ab illis ſumunt, judicantes ſub ratione contritionis & conſcientiæ.

2. Quemadmodum de bono amativo & de bono amabili oritur bonum amare ſub habitu boni amoris, ita de bono pœnitivo & pœnitibili oritur bona pœnitentia ſub habitu contritionis; ſub hoc habitu contritionis ſtat voluntas, quam pœnitet, quando erravit & peccavit contra noſtrum Dominum DEUM, ſive illum parùm amaverit, ſive illum odiverit; voluntas ſic ſtans ſub habitu contritionis habet paſſionem, quia contritio habet naturam dandi paſſionem animæ, & cordi ſuſpiria, & oculis ploratus, & corpori afflictiones; & quia ſupra finem paſſionis ſtat finis quietis, ſecundùm quòd *in ſecunda Regula* ſignificavimus, ideo voluntas, quæ ſtat in paſſione, habet naturalem exaltationem, quòd de paſſione tranſeat & aſcendat ad quietem, quæ quies illi eſt amabilis, cum qua amabilitate eſt ligabilis ad amandum bonum, quando tranſit de contritione ad quietem: unde propter amorem hujus vult hæc Ars, quòd homo inducat ſuam voluntatem ad contritionem, recolendo & intelligendo defectus, quos fecit contra noſtrum Dominum DEUM, vel poteſt inducere ſuam voluntatem ad contritionem cum principiis hujus Artis, ſicut cum amare bonitatem, magnitudinem &c., & amare magnitudinem & durationem boni magni & durabilis amare; & quia iſta omnia & alia his ſimilia ſunt homini poſſibilia, & ſunt homini naturales rationes ſub forma principiorum, de quibus eſt conjunctus, poteſt homo ligare ſuam voluntatem ad contritionem; quia amare bonitatem cum magnitudine amoris adducit pœnitentiam de peccatis & defectibus, & pœnitentia adducit contritionem, ſinè quâ pœnitentia non poteſt eſſe.

3. Igitur eſt data doctrina, quomodo homo ſciat inducere ſuam voluntatem ad contritionem, ſequendo principia & ipſorum rationes, quæ ſecutio eſt naturaliter amabilis; & hoc idem ſequitur de ligamine intellectûs ad intelligendum verum; nam ſicut in voluntate ſtat naturalis inclinatio ad odiendum ea, per quæ deviatur à naturali quiete, quæ eſt finis, ita in intellectu ſtat naturalis inclinatio ad intelligendum ea, per quæ deviatur à quiete, & habet inde paſſionem, quando illa ſumit ſub habitu conſcientiæ, ſicut voluntas illa ſumit ſub habitu contritionis; intellectus exiſtens ſub habitu conſcientiæ, exiſtit ſub paſſione, quæ paſſio eſt naturaliter ligabilis & ignorabilis ſub forma affirmandi & intelligendi ſuam quietem, quæ eſt ſuus finis: unde ratione hujus intellectus ſub ratione contritionis eſt ligabilis ad intelligendum verum.

4. Homo poteſt inducere ſuam voluntatem ad odiendum paſſionem, quam intellectus habet ſub habitu conſcientiæ, & homo poteſt inducere & adducere intellectum ad intelligendum paſſionem, quam voluntas habet ſub habitu contritionis tunc, quando facit mixtionem ex duobus ſupradictis habitibus; nam per illaqueationem & mixtionem illorum & per participationem duarum potentiarum (cùm una habeat in alia ſuam unitatem, bonitatem, magnitudinem &c.) eſt naturalis inclinatio ad quamlibet potentiarum, cùm una adjuvet aliam, & una habeat paſſionem de alia.

5. Exiſtente homine otioſo, in quantum non facit bonum magnum, & magnum & durabile amare, & non facit de bonis temporalibus omne illud bonum, quod poſſet & deberet facere, tunc per illam otioſitatem ſtat habitus contritionis in potentia; & hoc idem ſequitur de habitu conſcientiæ, qui ſtat in potentia tunc, quando homo non facit verum magnum & durabile intelligere: unde homo poteſt adducere iſtos duos habitus de potentia in actum, ſequendo proceſſum hujus Artis, ſcilicet diſcurrendo per principia, & miſcendo unum cum alio ſecundùm naturam eorum, & quòd voluntas ſit apta ad amandum contritionem, & intellectus ad intelligendum conſcientiam, ſecundùm quòd diximus, & ſecundùm artificium & proceſſum hujus Artis manifeſtè apparet: igitur deductis duobus habitibus de potentia in actum, voluntas ſtat ligata ſub contritione, per quam ſtat ligata ad amandum bonum, & intellectus ſub conſcientia ſtat ligatus ad intelligendum verum.

REGULA XVI.

De Patientia.

1. CUm patientia poteſt homo ligare ſuam voluntatem ad bonum amare, &

ſuum intellectum ad verum intelligere, applicando principia Artis ad patientiam, è quibus principiis eligimus tria, quæ ſunt majoritas, æqualitas & minoritas, ad dandam doctrinam, deductis his principiis ad patientiam ſecundùm formam, quam ſequendo ſciat cum patientia ligare ſuam voluntatem & ſuum intellectum.

2. Manifeſtum eſt, quòd patientia ſit bona, quia de bonis ſimilitudinibus eſt conjuncta in humana ratione; & certum eſt, quòd patientia ſit vera, quia eſt de rebus veris; & quia patientia eſt bona, eſt amabilis, quia omne bonum eſt amabile, & quia eſt vera, eſt intelligibilis, cùm veritas ſit objectum intellectûs: igitur patientia eſt amabilis & intelligibilis, in qua amabilitate & intelligibilitate alia principia ponunt ſuas ſimilitudines, velut magnitudo, quæ in illa ponit magnitudinem amabilitatis & intelligibilitatis, cùm in patientia bonitas, magnitudo, duratio &c. habeant concordantiam; & quia quodlibet horum ponit in patientia ſuam ſimilitudinem, ideo ſequitur, quòd patientia ſit amabilis & intelligibilis tali modo, quòd ſit bona magna & durabilis.

3. Magnitudinem patientiæ convenit exiſtere ſub tribus terminis, ſcilicet, quòd homo ſit patiens erga majorem ſe ipſo, & erga æqualem ſibi, & erga minorem ſe ipſo; ſinè his tribus terminis patientia non eſſet magna in homine; & quia in his tribus terminis patientia eſt magna, ſua magnitudo naturaliter in tribus terminis eſt amabilis, & ſua parvitas odibilis; per quam amabilitatem & odibilitatem voluntas naturaliter eſt ligabilis ad amandum magnitudinem patientiæ, & ad odiendum ſuum contrarium; cùm naturale amativum aſſignetur ſupradictæ amabilitati, & naturale oditivum odibilitati; quod amativum & oditivum eſt de eſſentia & natura voluntatis; hoc amativum eſt conjunctum cum bonificativo, magnificativo, durificativo &c.: unde ratione hujus tangendo magnitudinem amabilitatis & patientiæ tangit homo bonitatem amabilitatis cum bonificativo &c.: igitur ratione hujus omnes termini confluunt & concurrunt ad ſua naturalia objecta ad ligandum voluntatem ad amandum magnitudinem patientiæ, & hoc idem ad amandum bonitatem, durationem patientiæ; dummodò ille tactus patientiæ & objecti fiat ſecundùm ordinem naturæ, & ſecundùm modum, quem Ars docet in hoc, quod diximus, & proponimus dicere, ſequendo proceſſum hujus Artis.

4. Quando patiens ſtat ſub ſuo majori, tunc eſt opus juſtitiæ & prudentiæ; juſtitiæ, quia minora debent habere paſſionem ſub iis, quæ habent plus bonitatis & nobilitatis, & quæ habent Dominium in minora: quando patiens, cui facta eſt injuria, ſtat ſub ſuo majori, tunc eſt opus juſtitiæ & etiam prudentiæ, quia ab impatientia illi poſſet evenire malum; cùm majora ſint fortiora, quàm minora.

5. Quando patiens ſtat ſub æquali ſibi ipſi, tunc eſt opus charitatis & ſpei; charitatis in hoc, quòd homo debeat amare ſuum proximum ſicut ſe ipſum; eſt opus ſpei in hoc, quia ſicut homo eſt patiens erga ſuum parem, illi dat cauſam, quòd in ſimili caſu eſſet patiens erga illum.

6. Habere patientiam ſub minori ſe ipſo, eſt opus humilitatis, fortitudinis & inſtructionis & aliorum, quæ ſunt his ſimilia; & cùm omnia iſta ſupradicta ſint amabilia ſub ratione, cum qua homo poteſt ligare ſuam voluntatem ſub habitu patientiæ ad amandum bonum; & hoc idem poteſt facere de intellectu, qui eſt ligabilis ad intelligendum verum ſub habitu patientiæ; cùm omnia ea, quæ ſub forma voluntatis diximus, ſint ſic amabilia, ſicut ſunt intelligibilia.

7. Quemadmodum perfectio formæ eſt actio, ita complementum materiæ eſt paſſio: *unde ſicut Medicus naturaliter per artificium poteſt diſponere materiam, per quam natura juvatur contra infirmitatem*, ita poteſt homo per Artem diſponere voluntatem ad amandum patientiam contra impatientiam, cùm patientia ſit ſimilitudo principiorum, de quibus voluntas materialiter eſt conjuncta, ſcilicet de bonificabili, magnificabili &c.; & quia voluntas habet naturalem inclinationem ad amandum ſuam ſimilitudinem, ideo cum ſua ſimilitudine eſt ligabilis ad amandum bonum; & hoc idem ſequitur de intellectu.

REGULA XVII.

De Satisfactione.

1. SAtisfactionem convenit conſiderare *duobus Modis*, hoc eſt ſecundùm neceſſitatem rerum, & ſecundùm contritionem conſcientiæ; ſecundùm neceſſitatem, velut bonitas &c., quæ ſatisfacit magnitudini de ſe ipſa habitualiter, magnitudine exiſtente bonâ ſub ratione bonitatis; & hoc idem facit magnitudo, quæ ſatisfacit bonitati, bonitate exiſtente veſtitâ magnitudine, in quantum magnitudo eſt habitus bonitatis: hæc ſatisfactio eſt neceſſaria, quia ſi bonitas non ſatisfaceret magnitudini, & è converſo, bonitas & magnitudo & aliæ partes, de quibus homo eſt conjunctus, non haberent complementum, per quod homo poſſet de illis conſtitui; ſed quia una pars ſatisfacit alteri de ſe ipſa, ſequitur ſubſtantia, quæ eſt conjuncta ex partibus eſſentialibus; quæ ſunt bonitas, magnitudo &c., remanente quâlibet parte id, quod eſt, & unà parte exiſtente habitu alterius; per quem habitum ſequuntur accidentia de ſubſtantia: igitur hæc ſatisfactio eſt neceſſaria ad hoc, ut poſſint eſſe res ſubſtantiales & accidentales: eſt etiam neceſſaria, ut natura & proprietas bonitatis (& hoc idem de magnitudine &c.) ſatisfaciat omni illi, quod ſub ratione bonitatis eſt neceſſarium bonificativo, bonificabili, bonificanti, bonificato, bonificare, & è converſo: quia ſinè tali ſatisfactione eſſet defectus in principiis ſupremis & ſimplicibus, à quibus deſcendunt compoſita conſtituta ex illis; quæ ſunt animalia, plantæ, metalla, & etiam corpora cœleſtia.

2. Eſt adhuc alia ſatisfactio valde neceſſaria ad id, ut homo ſatisfaciat DEO de illo, quod ad ipſum pertinet; velut facere DEO reverentiam & honorem, amare illum, & ſervire illi ex ſua poteſtate & ſuper omnia; cùm finis, propter quem homo eſt creatus, ſit amare, cognoſcere & honorare DEUM, & illi ſervire ſuper omnia, quæ ſunt, & cognoſcere & attribuere DEO omnem perfectionem & omne complementum ſinè ullo defectu.

3. Secundùm id, quod diximus de ſatisfactione neceſſaria, datur doctrina, quomodo homo artificialiter ſciat ligare ſuam voluntatem ad bonum amare, & ſuum intellectum ad verum intelligere ſub habitu neceſſitatis & ſatisfactionis, hoc eſt, quòd homo ſatisfaciat voluntati de habitibus, qui illi ſunt neceſſarii ad bonum amare, & intellectui ſimiliter, quibus indiget ad verum intelligere; hanc ſatisfactionem facit homo voluntati & intellectui, ſequendo artificium & proceſſum Artis & ſuorum principiorum; ſcilicet, quòd voluntati ſatisfaciat Ars, inquirendo objecta, quæ ſunt bona & amabilia, & quòd intellectui ſatisfaciat per principia, inquirendo illa objecta, quæ ſunt vera & intelligibilia in principiis: unde ratione inventionis ſupradictorum objectorum, quam Ars facit, de quibus facit ſatisfactionem, in quantum illa dat potentiis, quibus illa objecta ſunt neceſſaria, ducit Ars ambas potentias cum ſubjecto hujus Artis, ſcilicet, quòd voluntas habeat bonum amare, & intellectus verum intelligere.

4. Satisfactio, quæ fit ſecundùm contritionem & conſcientiam, fit tunc, quando ratione contritionis & conſcientiæ dantur cordi pœnitentiæ, orationes & ſuſpiria, & oculis ploratus, & auribus ſermones & bona verba, & guſtui jejunia, & ſenſui romeriæ & peregrinationes, defatigationes, calores, frigora & afflictiones, & manibus bona opera & ſatisfactio pro injuriis, quas fecit contra DEUM & ſuum proximum; talem ſatisfactionem docet Ars facere, & habere illos, qui ſecundùm ſuum proceſſum procedunt; nam in hoc, quòd Ars inquirat & inveniat naturam rerum & ſuorum principiorum cum Figuris, Regulis, Definitionibus, Conditionibus & Quæſtionibus, invenit & docet ſatisfactionem pro ſupradictis: & quia illæ ſatisfactiones ſunt amabiles & intelligibiles, de illis ſatisfacit Ars ambabus potentiis, quibus eſt naturalis inclinatio, quòd ſumant objectivè ſatisfactiones, quas diximus, per quam inclinationem naturalem & per artificium Artis ducitur voluntas ad bonum amare, & intellectus ad verum intelligere; in quo bono amare ligatur voluntas amando, & in quo vero intelligere ligatur intellectus intelligendo.

REGULA XVIII.

De Conſideratione.

1. COnſiderando res ſecundùm quòd ſunt conſiderabiles, ligatur voluntas ad amandum amabilia, & ad odiendum odibilia; quia in illo conſiderare concurrunt omnia principia ad influendum amativo amabilitatem, exiſtentibus in illa amabilitate ſimilitudinibus principiorum; & hoc idem facit in odibilitate ſecundùm modum diſſimilitudinum, quæ ſunt in odibilitate, quæ eſt de diſſimilitudinibus principiorum, quæ ſunt odibiles; ſicut malitia, quæ

quæ est odibilis, quia est dissimilis in contrario bonitati; & sic de cæteris.

2. Ad ligandum amorem & amare esse, convenit considerare non esse, de quo homo est creatus & devenit, nam quantum amativo est naturale amare esse, & odire non esse, est ligabilis ad amandum esse; & quia esse est ex principiis hujus Artis, amativus est ligabilis ad amandum esse cum principiis illius esse, considerando illa sub forma ipsius esse & non esse.

3. Quando homo considerat ea, ex quibus est compositus, est ligabilis ad amandum ea, cùm illi sit naturale amare suum proprium esse, & amando se ipsum, sua principia sunt considerabilia: ista principia sunt bonitas, magnitudo &c., & sunt amabilia, ut considerentur, secundùm quid sunt, & qualia sunt; quia quædam principia sunt considerabilia sub ratione substantiæ, & alia sub ratione accidentis; velut bonitas substantialis, quæ est pars substantiæ; & accidentalis, velut bonitas, quæ est qualitas, homine existente bono per amare virtutes, & per odire vitia.

4. Quando homo considerat finalem intentionem, propter quam est creatus, & propter quam est id, quod est, & est conjunctus ex talibus principiis, & non ex aliis, ligat suam voluntatem ad finem, propter quem est creatus, quia esse cujuslibet suorum principiorum habet naturalem instinctum ad illum finem, propter quem est creatum, hoc est, ad cognoscendum & amandum & honorandum DEUM, & illi serviendum cum bonitate, magnitudine, duratione &c.; ab hoc ligamine voluntas non potest se defendere, quando homo considerat finem cum bonitate, magnitudine, duratione &c.

5. Quando homo considerat brevem vitam hujus mundi, & pericula, in quibus homo hìc est, & labores, quos sustinet, & quòd placita hujus mundi sint parvæ durationis & utilitatis, & considerat mortem & putredinem & pulverem, in quæ suum corpus deveniet post mortem, & derelictionem bonorum temporalium, quam facit, & amicorum, qui illum habent in oblivione, & alia his similia, ligatur amativus ad amandum aliam vitam, & ad vilipendendum istam; quod ligamen crescit & multiplicatur, discurrente illâ consideratione secundùm processum Amantiæ.

6. Considerare culpas, injurias, peccata & defectus, quos homo fecit contra DEUM, se ipsum, & suum proximum, per talem considerationem movetur voluntas ad odiendum illos defectus, & ad amandum virtutes, ut amativus recurrat ad divinam misericordiam, quæ est amabilis cum magnitudine bonitatis &c., & recurrat ad divinam justitiam, quæ est timibilis cum magnitudine bonitatis &c.; & ideo amativus est ligabilis ad amandum & ad timendum nostrum Dominum DEUM.

7. Considerare pœnas infernales & malitiam magnitudinis & malitiam durationis contrarietatis odibilitatis, & considerare illa in tam magna quantitate malitiæ odibilitatis contrarietatis, sicut in quantitate perdurabilis durationis, & considerare privationem supremæ gloriæ, quam homines damnati perdunt in tam magna magnitudine bonitatis, potestatis, sapientiæ, amoris, concordantiæ, finîs & æqualitatis, sicut est magnitudo perdurabilis durationis, per tales considerationes voluntas est ligabilis sub forma motivitatis ad amandum bona, & sub forma odibilitatis ad odiendum mala.

8. Per considerare gloriam Paradisi, & considerare illam gloriam cum principiis hujus Artis & secundùm suum processum, est amor ligabilis ad bonum amare, in quo bono amare amor est tam ligabilis in magnitudine bonitatis, durationis, sicut est in considerare ipsum esse constitutum de magnitudine bonitatis, durationis &c.: unde quamdiu durat considerare amorem, non potest separari ab amare, neque considerare potest deficere, quamdiu durat influentia magnitudinis in bonitatem, durationem, & è converso.

9. Considerando DEUM secundùm formam contemplationis, quæ continetur *in decima Regula*, & considerando DEUM secundùm *secundam Regulam* & alias, convenit de necessitate, quòd in illa consideratione voluntas ligetur ad amandum DEUM, & ad odiendum omnia ea, quæ nostro Domino DEO sunt contraria; hoc ligamen est durabile in tantum, in quantum DEUS influit suas similitudines in illud considerare, & in tantum, in quantum amor recipit illas similitudines; sed quando amor non vult recipere illas similitudines, in quantum memoria oblivìscitur, & intellectus ignorat illas & processum Artis, & voluntas se convertit ad amandum contrarium, tunc in voluntate disligatur ab amando, & remanet in ira DEI; & quia Ars dat doctrinam & modum, secundùm quòd apparet in suo processu, recolendi & intelligendi secundùm magnitudinem bonitatis, durationis &c., dat doctrinam & modum ligandi voluntatem ad amandum DEUM secundùm id, quod DEUS est, & secundùm opera, quæ habet in se ipso intra, & extra se ipsum in creaturis.

INCIPIT TERTIA DISTINCTIO, QUÆ EST De Definitionibus hujus Artis.

1. DEfinitio in hac Arte est propria & expressa manifestatio ipsius esse & proprietatum cujuslibet principii. Definitiones hujus Artis sunt in *duobus Modis*. *Primus* Modus est de octodecim Definitionibus *Artis Inventivæ*, per quas principia sunt definita, existente quolibet definito secundùm suam propriam definitionem. *Secundus* Modus est de octodecim Definitionibus attributis Amori sub forma primarum definitionum.

2. In hoc Tractatu Definitionum proponimus procedere *tribus Modis*. *Primus* Modus est facere Definitiones primarias, & explanare eas. *Secundus* Modus est facere Definitiones secundarias, & explanare eas. *Tertius* Modus est ligare & concordare Definitiones primarias & secundarias cum Regulis: & intentio, propter quam proponimus tenere talem processum, est, ut demus Artem & Doctrinam regulariter ligandi unam Definitionem cum alia, & applicandi illud ligamen ad propositum, ut cum illo ligamine, quod est amabile & intelligibile, possimus ducere & ligare voluntatem ad amandum bona, & intellectum ad intelligendum vera.

3. Processum cujuslibet Rubricæ Definitionum dividimus in *tres Partes*. *Primam Partem* appellamus primum paragraphum, & *secundam* secundum, & *tertiam* tertium; & hoc facimus eâ intentione, ut possimus allegare partes in solutionibus quæstionum, quas in hac Arte proponimus determinare cum Definitionibus & cum Regulis tali modo, ut conclusio illarum quæstionum concordet cum qualibet trium partium per modum amabilitatis & intelligibilitatis & affirmationis, vel per modum odibilitatis, ignorabilitatis & negationis, existente quâlibet partium universali, cum qua & in qua inquiruntur particularia desiderata, ut amentur & intelligantur.

De Bonitate.

1. *BOnitas est id, ratione cujus bonum agit bonum*, & hoc in tantum, *quòd bonum sit esse, & malum sit non esse*. Bonitas est principium universale, supra quod non est ullum genus bonitatis, imò est generalis ad omne id, quod fit sub ratione illius; sunt tamen multæ bonitates, quarum una non est alia, cùm ea, quæ sunt bona, sint diversa; sicut DEUS, qui habet unam bonitatem, & Angelus aliam, & una est bonitas spiritualis, & alia est corporalis.

Veruntamen in bonitate convenit nos considerare *duas Proprietates*, quæ sunt essentiales, scilicet bonificativum & bonificabile, & sub ratione bonificativæ proprietatis bonitas est forma, & sub ratione bonificabilis proprietatis est materia: unde ratione hujus bonum, hoc est agens naturale, sub ratione bonitatis formaliter facit bonum, quod est materialiter bonificabile de bonitate, ita quòd bonitas existens ratio bono, quòd agat bonum, illi est ratio, quòd agat bonum de essentia & proprietate & natura bonitatis, ut agens sit essentialiter bonum, & bonificatum similiter; & hoc idem est de bonificare: & propterea esse talis boni est bonum, & sua privatio est mala: veruntamen hoc supradictum opus est substantiale, velut in homine, qui sub ratione suæ bonitatis generat hominem, qui est bonus naturaliter in quantum est homo; & hoc idem sequitur de aliis animalibus & de plantis & de metallis & de omnibus essentiis substantialibus, quarum est alia bonitas, quæ est accidentalis; sicut homo, qui est bonus & virtuosus, qui sub forma

forma bonitatis facit bona opera, amando & intelligendo DEUM, se ipsum, & suum proximum, quæ bona opera sunt bonum amare & intelligere, oratio, eleemosyna, ædificia & alia his similia: omnia ista sunt bona, & ipsorum privatio est mala. *Hæc bonitas accidentalis est subjectum hujus Artis, quod inquirimus secundùm essentiam, naturam & proprietatem supradictæ bonitatis*; sub quâ substantia est bona, quæ essentialiter est de bonitate.

2. *Bonus Amor est ille, per quem bonum amorosum agit bonum amorosum.* Amorosum convenit considerare *duobus Modis:* est bonum amorosum, quod est substantia, & est bonum amorosum, quod est accidens; illud, quod est substantia, est sicut homo filius, qui de bonitate & de amore & de aliis principiis est compositus & generatus per agens naturale, quod est homo pater illius; hoc bonum amorosum generans generat bonum amorosum sub ratione essentialis bonitatis, & amor illius est essentialis & naturalis, numeralis & specificus. In hac propria bonitate & amore agens convertit in suam speciem ea, quæ illi veniunt ab extra, & comedendo, bibendo, odorando & tangendo fit ista conversio in homine per viam nutrimenti, de quo generat suum filium, remanente in patre specie radicali & numerali: unde ratione hujus sequitur bonus amor in agente & in agibili, de quo est vestitum bonum amorosum, quod est suppositum: sub ratione hujus boni amorosi, quod est substantia, consideramus bonum amorosum accidentale, quod est subjectum hujus Artis, hoc est bonum amorosum velle, quod homo bonus amorosus concipit in amando sub ratione boni amoris tunc, quando amat bona & amabilia, & odit illorum contraria: hoc bonum amorosum, quod est accidens, est vestitum & figuratum sub habitu boni amoris accidentalis, qui in humana ratione est figura & similitudo supradicti boni amoris substantialis; & hoc idem sequitur de bono amoroso accidentali, quod est similitudo & figura supradicti boni amorosi; & esse istius boni amorosi, quod est nostrum objectum, est bonum & amabile, & sua privatio est mala & odibilis.

3. Mixtis duobus supradictis paragraphis uno in alio, & transmissis ad *primam Regulam* & alias, assumunt colorem & illuminationem ab illa Regula sub habitu *Simplicitatis & Compositionis*; sicut aqua mixta in vino, quæ assumit colorem vini, per quem colorem & illuminationem, qui in prima Regula significatur, habet homo materiam & modum inducendi suam voluntatem ad bonum amare, considerando bonitatem & bonum amorem & amorosum secundùm duos supradictos paragraphos, & secundùm primam Regulam: unde ratione hujus requirit hæc Ars, quòd secundùm illius processum consideret ea, quæ diximus de bonitate & de amore sub habitu simplicitatis & compositionis, ut in illo considerare sint ea, quæ per simplicitatem & compositionem considerantur sub habitu bonitatis & amoris, quia in tali considerare sunt ea, quæ existunt in majori bonitate, magnitudine &c. simplicitatis & compositionis magis amabilia quàm ea, quæ existunt in minori bonitate, magnitudine &c. simplicitatis & compositionis; in qua majori amabilitate amativum voluntatis est ligabile ad amandum, & disligabile à minori amabilitate: unde ratione hujus vultArs, quòd homo tangat amativum cum omni eo, quod continetur in paragraphis Regulæ, modò cum uno, modò cum alio; nam sicut favilla ignis, quam homo excutit ex lapide & ferro, citiùs sumit escam, quæ illi magis est proportionata, ita amativum naturaliter est magis applicabile ad objectum, quod illi magis quàm minùs est proportionabile & naturale; & hoc idem sequitur de intellectu, qui, secundùm quòd de voluntate diximus, est ligabilis ad intelligendum verum objectum supradictorum.

De Magnitudine.

1. *Magnitudo est, ut bonitas, æternitas vel duratio &c. sint magnæ, & magnitudo comprehendit omnes extremitates ipsorum esse.* Magnitudo est principium generale, ultra quod nihil est magnum, imò omnia, quæ sunt magna, sunt magna per magnitudinem; sicut bonitas, æternitas vel duratio, potestas &c.; quia sinè magnitudine non possent esse magna, sicut sinè bonitate nulla res posset esse bona: igitur in hoc, quòd magnitudo comprehendit & extenditur diffusè per omnia, quæ sunt, convenit, quòd habeat in se ipsa essentialiter magnificativum vel magnificantem, magnificabilem, magnificatum, magnificare, sinè talibus proprietatibus non posset ambire neque comprehendere

hendere omnes terminos rerum; & etiam convenit, quòd magnitudo sit id, per quod convenit, bonitatem &c. esse magnam sub ratione bonificativi, bonificabilis, bonificati & bonificare; quæ bonitas non posset esse magna sinè his supradictis terminis; neque magnitudo posset esse ratio bonitati, quòd esset magna.

Magnitudo existens id, quod est, existit ratio bonitati, quòd sit ratio bono agenti, quòd agat bonum sub ratione bonitatis, ut agens bonum de bonitate possit operari magnum bonum, & ut bonitas possit sufficere ad essendum ratio illius magni boni; hoc idem sequitur de duratione &c.: duratione existente magnâ ratione bonitati &c., ut possit durare ad essendum ratio agenti, quod de bonitate producit bonum, convenit, quòd magnitudo habeat omnes istas proprietates essentiales, ut possit sufficere principiis essentialibus de se ipsa, & etiam principiis accidentalibus; velut bonis, quæ artificialiter fiunt, scilicet ædificia, eleemosynæ, orationes & bonum amare, & verum intelligere, quæ sunt subjectum hujus Artis; & alia his similia.

2. *Magnus Amor est ille, qui est remotus à parvitate amandi.* Parvitas amoris est de parva actione amativi, & de parva passione amabilis; igitur convenit, quòd magnitudo amoris sit per magnam actionem amativi, & per magnam passionem amabilis; per quam magnam passionem & actionem sequitur in amare magnus amor, qui est remotus à parvitate amandi propter magnam actionem, quam habet amativum, & propter magnam passionem, quam habet amabile in amare, existente hac actione & passione remotâ à parvitate amandi cum magnitudine bonitatis, durationis &c., & cum bonitate magnitudinis &c.: igitur magnus amor existit in magno amare remoto à parvo amare, secundùm quòd de magnitudine amoris diximus. *Hoc magnum amare, in quo magnus amor est remotus à parvitate amandi, est nostrum subjectum, quod inquirimus*, in quo & cum quo amor naturaliter est ligabilis ad bonum amare, quia magnum amare est comprehensum & comprehensibile cum natura magnitudinis amoris & bonitatis &c.; & hoc idem sequitur de magnitudine intelligendi, in quâ magna sapientia est remota à parvitate intelligendi.

3. Ars vult, quòd ambæ supradictæ definitiones & explanatio illarum transmittantur *ad secundam Regulam* ad formandum tale universale ex omnibus tribus, cum quo inveniatur particulare, per quod amor est ligabilis ad bonum amare, unâ definitione respondente alteri secundùm Regulam sub forma magnitudinis amoris in intentione & fine; quia per talem mixtionem & responsionem terminorum apparet particulare, cum quo homo potest constringere suam voluntatem ad amandum, cùm in intentione & fine rerum generetur & clarificetur intelligere, in quo relucet & apparet particulare inquisitum & desideratum: illud particulare, quia inquiritur sub forma magnitudinis amoris, & inquiritur in Regula, in qua est invenibile, est naturaliter amabile, cùm naturâ cujus amabilitatis & cum artificio hujus Artis voluntas est ligabilis ad tale amare, quod sit remotum à parvitate amandi, voluntate desiderante, quòd magnitudo sit id, per quod bonitas, duratio &c. sunt magnæ tali modo, quòd magnus amor sit remotus à parvitate amandi cum magnitudine & in magnitudine bonitatis, durationis &c.: unde omnia ista & ipsorum similitudines adjuvant ad ligandum voluntatem ad bonum amare, & intellectum ad verum intelligere; cùm parvitas amandi sit per secundam intentionem, & magnitudo amandi per primam, & magnus amor sit finis parvi amoris: ex quo sequitur naturale adjutorium ad propositum Artis, deductum per artificium, objectando supradicta in duabus Definitionibus & in Regula; veluti finis, qui adjuvat ad magis amandum bonitatem fœminæ, quàm illius pulchritudinem, & ad magis amandum bonitatem, magnitudinem intelligendi & volendi, quàm denariorum, possessionum, deliciarum & honorum, & ad magis amandum DEUM, quàm se ipsum.

De Æternitate vel Duratione.

1. *Duratio est proprietas, ratione cujus bonitas, magnitudo, potestas & alia principia durant.* Duratio est universale principium, in quo omnia illa assumunt similitudines durandi, quæ durant sub ratione durationis; velut bonitas &c., quæ durat, existens ratio bono agenti, quòd agat bonum sub ratione bonitatis.

Duratio bonitatis in rebus creatis est per accidens, cùm non duret per se ipsam simpliciter; si enim duraret, esset unum & idem in numero cum duratione; quod

est impossibile : in omnibus rebus creatis ista duratio, quam bonitas habet per accidens, est habitus, in quo durat; qui habitus relatus ad essentiam simpliciter, est duratio, quæ est accidentalis pars substantialis durationis, à qua substantiali duratione procedunt omnes habitus, quos aliæ partes essentiales habent in durando : unde duratio est proprius habitus substantiæ & suarum partium, quem habent in durando : illa duratio est pars essentialis substantiæ subjectatæ supradictis habitibus: hæc duratio diffusa & substans multis habitibus, & remanens pars essentialis, est naturaliter amabilis, cùm sit ratio, quòd bonitas, magnitudo &c. durent; quia sinè illa non possent durare; & in quantum illa deficit in rebus corruptibilibus, omnia alia principia substantiæ deficiunt & veniunt in privationem ratione privationis substantiæ : unde ratione hujus in amabilitate durationis & in amativitate substantiæ hominis voluntas est ligabilis ad bonum amare, cùm in illa duratione sit naturalis bona amabilitas & amativitas; hoc idem sequitur de magnitudine &c.

2. *Durabilis Amor est ille, in quo duratio facit durare bonitatem, magnitudinem, potestatem &c.* Quia per hoc, quòd duratio facit durare bonitatem, magnitudinem &c. in amore, facit durare amorem durante bonitate, magnitudine &c.; & quia duratio amoris est amabilis, & duratio bonitatis, magnitudinis &c. in amore est amabilis, amor est ligabilis ad bonum amare cum iis, per quæ bonitas, magnitudo &c. sunt durabiles in amore; ista sunt ipsa principia hujus Amantiæ in dando objecta amativitati amoris, qui est essentialis pars voluntatis tali modo, quòd amat illa secundùm naturam essentialis amabilitatis, quæ est essentialis pars voluntatis, & quòd postea ambæ naturæ essentiales ducantur ad supradictam rationem sub forma durationis, hoc est, ad amabilitatem durationis, quæ est ratio ipsi amare, ut sit durabile, durando in illa bonitate, magnitudine &c.

3. De hoc, quod de duabus supradictis Definitionibus diximus & de processu *tertiæ Regulæ*, est universale in formando & declarando & significando ea, cum quibus voluntas est inducibilis ad bonum amare, & intellectus ad verum intelligere, discurrendo cum duabus definitionibus, per quas definiuntur proprietates essentiales & accidentales; quia in definitione eorum, quæ per proprietates essentiales definiuntur, magis relucent & apparent amabilitates & intelligibilitates bonitatis, magnitudinis &c., quàm in iis, quæ definiuntur per proprietates accidentales; in qua majori relucentia amabilitatum magis relucent sub forma amativi essentialis proprietatis quàm accidentalis; velut in igne, in quo est major appetitivitas & appetibilitas sub forma igneitatis quàm caliditatis; per quam appetitivitatem & appetibilitatem est magis inducibilis ad durationem bonitatis, magnitudinis &c. essentialis quàm accidentalis; hoc idem sequitur in homine, qui habet majorem appetitum ad homificandum, quàm ad ridendum, & ad ridendum, quàm ad scribendum : unde ratione hujus docet Ars ligare voluntatem ad bonum amare cum iis, quæ sunt magis propria & essentialia durationi bonitatis, magnitudinis &c., dando illa objectivè sub forma durationis, secundùm quòd sunt amabilia amativo voluntatis tali modo, quòd ambæ Definitiones & Regula concordent.

De Potestate.

1. *Potestas est id, per quod bonitas, magnitudo, duratio &c. possunt existere & operari.* Hæc potestas est universale principium, sub quo res possunt esse id, quod sunt, & possunt operari id, quod agunt; velut bonitas &c., quæ ratione potestatis potest esse id, quod est, & potest esse ratio bono agenti, quòd agat bonum sub ratione bonitatis; quia si potestas non esset id, quod est, bonitas &c. non posset esse id, quod est, neque posset esse ratio bono operi.

Hanc potestatem universalem volumus considerare *tribus Modis*, qui sunt *potentia, habitus & actus* per potentiam potestas est possibilis, per habitum est possitiva, per actum est id, quod sequitur ex possitivitate & possibilitate; & quia potestas est magna sub ratione magnitudinis, est extensibilis sub ratione potentiæ, & est extensiva sub ratione habitûs, ex qua extensibilitate & extensivitate sequitur corpus in rebus corporalibus; & quia per se ipsam est id, quod simpliciter est, extenditur in sua entitate propria & essentiali actuali, in qua est magna sub ratione magnitudinis; & quia potentiabile sub ratione durationis est durabile, ratio durationis est durabilis potentialiter, & etiam habitualiter & actualiter, & hoc idem sequitur de bonitate &c., per quam bonitatem potestas est bona potentialiter & habitualiter & actualiter : hæc potestas ita universalis mixta cum aliis principiis assumit in se ipsa similitudines aliorum principiorum, secundùm quòd diximus, & dat illis similitudines, quas recipit sub ratione potentiæ, habitûs & actûs : unde ratione hujus potestas potest de se ipsa sub ratione potentiæ, habitûs & actûs, & potest de aliis principiis sub tribus terminis, quos diximus: hoc idem sequitur de bonitate &c., quæ sub ratione potestatis potest de se ipsa & de aliis principiis potentialiter, habitualiter & actualiter : unde cùm hoc ita sit, potestas sic considerata secundùm suammet essentiam & secundùm entitatem aliorum principiorum est lumen & clarificatio, ut homo sciat ligare suam voluntatem ad bonum amare, & suum intellectum ad verum intelligere, utendo potestate in aliis principiis, & è converso, secundùm naturas & proprietates & terminos, quos diximus.

2. *Potens Amor est ille, per quem bonitas, magnitudo, duratio &c. possunt existere in amare*; & ideo amor assumit similitudinem potestatis, nam nisi amor assumeret similitudinem potestatis, amor non posset esse potens in esse ratio, propter quam bonitas, magnitudo, duratio possunt esse in amare; igitur amor est similitudo potestatis quoad hoc, quia bonitas &c. possunt esse in amare; & ideo convenit, quòd potestas assumat similitudinem amoris in amare, ut possit esse ratio bonitati &c. existendi & operandi in amare: hoc idem sequitur de aliis principiis, quolibet assumente similitudinem ab alio, remanente quolibet principio id, quod est: unde in quantum quodlibet principium remanet id, quod est, duratio conservat cuilibet principio suam entitatem & naturam & proprietatem numeralem; & in quantum unum principium accipit similitudinem ab altero, magnitudo cujuslibet principiorum multiplicat tertium, hoc est substantiam compositam ex illis; in qua substantia relucent & apparent entitates naturales & proprietates & similitudines principiorum Amantiæ, in qua claritate manifestè apparet modus & artificium applicatum artificio, per quod amor est ligabilis ad bonum amare, & intellectus ad verum intelligere.

3. Ita consideratis duabus supradictis definitionibus convenit, quòd transmittantur ad *quartam Regulam* tali modo, quòd, sicut cristallum assumit similitudinem in sua diaphanitate à colore rubeo vel viridi, quando est positum super subjectum illius coloris, ita duæ definitiones & regula assumunt colorem & similitudinem una ab alia, ut in illo colore & similitudine universali reluceat & appareat ligamen amoris & intellectûs: hanc similitudinem convenit successivè inquirere in Regula de uno paragrapho in alium, secundùm modum, qui est necessarius ad ligandum amorem & intellectum; & postea convenit, quòd homo multiplicet illam similitudinem in duabus supradictis Definitionibus, ut ex omnibus tribus similitudinibus constituatur unum universale, in quo reluceat quæsitum particulare; velut in *ultimo paragrapho Regulæ*, in quo datur doctrina, quomodo voluntas generet suum velle : unde illa doctrina generationis applicata ad *primam & secundam Definitionem*, demonstrat, quomodo generatio sit *intensiva & extensiva, passibilis & activa*, & durabilis & possitiva, recolibilis, intelligibilis & amabilis & generabilis ex similitudinibus, existente quolibet principio in alio, remanente quolibet principio id, quod est : unde per omnia ista supradicta datur Ars & Doctrina, quomodo homo habeat desiderium & appetitum amandi bona, & intelligendi vera, sequendo dictum processum.

De Sapientia.

1. *Sapientia est proprietas, ratione cujus sapiens intelligit.* Sapientia est principium universale extensum in intellectivo, intelligibili, intellecto & intelligere, ultra hos terminos sapientia non potest extendi, neque extra istos terminos ulla res potest intelligi, neque sinè his terminis sapientia haberet suum complementum; & quando deficit in aliquo, deficit sub ratione defectûs alicujus suorum terminorum.

Sub hac sapientia consideramus intellectum hominis, qui est ex intellectivo & intelligibili; consideramus intelligibile *duobus Modis*; est intelligibile, quod est *propinquum*, & intelligibile, quod est *remotum*; intelligibile propinquum est illud, quod est de essentia & natura ipsius intellectûs; intelligibile remotum est illud, quod non est de essentia & natura intellectûs : & hoc intelligibile, quod est remotum, consideramus *duobus Modis*; unus modus est de

eo, quod est conjunctum cum intellectu, velut potentiæ corporis humani, quæ sunt elementativa, vegetativa, sensitiva, imaginativa; istæ sunt intelligibiles & conjunctæ cum intellectu, in quantum ex illis & ex anima homo est compositus: hoc intelligibile attingit intellectus in suo proprio intelligibili, existens conjunctus cum illo: alius modus est de intelligibili, quod est magis remotum; & hoc est illud, cum quo intellectus non est conjunctus, sed est ab illo separatus; quod intelligibile est de iis, quæ possunt intelligi; velut elementa, plantæ, animalia, metalla, cœlum, Angeli, DEUS; hoc intelligibile intelligit intellectus in suo proprio intelligibili, convertendo similitudines extrà in similitudines intrà; veruntamen ad hanc attinctionem & hanc conversionem concurrunt alia principia hujus Artis, sinè quibus intellectus non posset attingere intelligibilitatem rerum; sed quoniam sub ratione bonitatis est bonum intelligere, & quoniam magnitudo est ratio, per quam sapientia est magna, & sub ratione durationis intelligere est durabile, & sub ratione potestatis intelligere est possibile, & sic de aliis; quia intellectus simpliciter per suam propriam intellectivitatem & intelligibilitatem & per propriam naturam aliorum principiorum sustinet intelligere, intellectivum, intelligibile, intellectum & intelligens: unde ratione talis considerationis consideratæ de supradictis principiis potest homo regulare & ordinare suum intellectum ad verum intelligere, & suam voluntatem ad bonum & verum amare.

2. *Sapiens Amor est ille, in quo Amans scit bonitatem, magnitudinem, durationem &c. sui Amati.* Veruntamen in illo amore Amans non posset scire bonitatem, magnitudinem, durationem sui Amati, nisi in amore esset essentialis amativus, amabilis, amatus & amare, qui sint de essentia & natura amoris, bonitatis, magnitudinis, durationis &c. Iste amor, de cujus essentia sunt amativus, amabilis, amatus & amare, est amor sapiens, existentibus suis terminis de essentia sapientiæ per totam intensionem & extensionem sapientiæ: unde cùm hoc ita sit de necessitate, suppositò, quòd definitio amoris sit vera, datur in hoc doctrina, quod de definitione amoris diximus, per quam amor est ligabilis ad bonum amare, & intellectus ad verum intelligere, cùm ille amor, in quo Amans scit bonitatem &c. sui Amati, sit amabilis cum magnitudine bonitatis, durationis &c.; & hoc idem sequitur de sapientia Amantis.

3. Ars Amativa requirit, quòd ad inquirendum ligamen boni amare, & veri intelligere, & ad inquirendum amabilitatem illius ligaminis, homo transmittat ambas definitiones ad *quintam Regulam*, discurrendo cum illis Definitionibus per Regulam, modò *per unum paragraphum*, modò *per alium*, & hoc tamdiu, quousque Regula & duæ Definitiones sibi correspondeant & concordent cum similitudinibus, assumente intellectu & voluntate similitudines in humana ratione de rebus realibus ædificando unum amorosum sapientem conceptum de illis similitudinibus, in quo res reales sunt amabiles & intelligibiles sub ratione bonitatis, magnitudinis &c., secundùm quòd apparet in Regula & in Definitionibus: unde in illo amoroso & sapiente conceptu stat ligare boni amare, & veri intelligere, quod est subjectum hujus Amantiæ.

De Voluntate.

1. *Voluntas est proprietas, ratione cujus bonitas, magnitudo, duratio &c. sunt desiderabiles.* Voluntas est principium universale, quod habet naturalem inclinationem ad amandum amabilia, & ad odiendum odibilia. Voluntas, quæ est potentia animæ rationalis, est constituta de bonitate, magnitudine, duratione &c.; quia omnia ista principia influunt de se ipsis ad constituendam voluntatem, ut amet ea, quæ sunt desiderabilia & amabilia; & ad constituendam hanc voluntatem amor est unum principiorum essentialium, de quibus voluntas est constituta; à quo amore voluntas assumit majorem similitudinem & proprietatem, quàm ab ullo aliorum principiorum, quia est constituta sub ratione amandi, sicut intellectus, qui assumit plus de sapientia, quàm de ullo aliorum principiorum, quia est factus sub ratione intelligendi; & hoc idem sequitur de memoria, quæ assumit plus de duratione, quàm de ullo aliorum principiorum, quia est facta sub ratione recolendi.

Amorem convenit considerare *duobus Modis*, scilicet amorem essentialem & amorem accidentalem; *amor essentialis* est una pars animæ, quæ est de essentialibus principiis conjuncta; *amor accidentalis* est figura

figura & similitudo amoris essentialis: cum hoc amore accidentali amat voluntas amabilia, movendo se cum natura amoris essentialis: hic amor essentialis est duorum, quæ sunt amativum & amabile, quæ sunt essentiæ illius amoris; ab his duobus procedit amare, quod est essentiale & incessabile naturaliter, & stat intra animam: hic amor essentialis influit amare accidentale, quod est sua similitudo; in quo influxu concurrunt alia principia, & secundùm quòd principia adjuvant illam influentiam, & corpus humanum est dispositum ad illam influentiam, & res exteriores separatæ sunt proportionatæ, sequitur similitudo, quæ est amare accidentale; hoc amare accidentale est illud, quod nos inquirimus, & quod volumus ligare ad bona opera amabilia. Ad ligandum hoc amare convenit, quòd adjuvent memoria & intellectus & alia principia, de quibus sunt conjuncta; nam in hoc, quòd memoria recolit, & intellectus intelligit amabilia, concurrunt in illo opere bonitas, magnitudo, duratio &c., quæ ligant memoriam ad recolendum, & intellectum ad intelligendum hæc amabilia: bonitas facit unum nodum sub ratione sui ipsius, cùm sit bonum recolere & intelligere amabilia de veritate; & magnitudo facit alium, cùm sit magnum illa amabilia recolere & intelligere; & duratio facit alium nodum, in quantum facit perseverare in illo opere influentiam aliorum principiorum: unde ratione hujus amativum ligatur ad amabile de necessitate, quando homo facit de suis principiis essentialibus id, quod diximus; & hoc amativum est illud, quod nos inquirimus, & de quo volumus dare doctrinam, quomodo ligetur ad bonum amare, quæ doctrina datur in iis, quæ diximus.

2. *Desiderosus Amor est ille, in quo bonitas, magnitudo &c. sunt amabiles.* Et ratio, quare amor est desiderosus, est, quia bonitas, magnitudo, duratio &c. sunt res desiderabiles in amare. Si bonitas, magnitudo &c. non essent desiderabiles in amare, bonitas deficeret sibi ipsi & magnitudini & aliis, & è converso; in quo defectu esset malitia, parvitas, privatio & alia contraria principiis Amantiæ: igitur bonitas, magnitudo, duratio &c. sunt desiderabiles in amore, in quo amore non essent desiderabiles, si in amore non esset essentiale amabundum, amorosum, amativum, amabile & amare; & hoc idem sequeretur, si in bonitate non esset essentiale bonificabundum, bonosum, bonificativum, bonificatum, bonificabile & bonificare, & sic de magnitudine & aliis; quia sinè talibus terminis essentialibus definitiones principiorum non possent esse veræ, neque desiderabilitas esset essentialis, sed accidentalis: ex quo sequeretur, quòd principia essent nobiliora in suis partibus accidentalibus, quàm substantialibus; quod esset malitia, parvitas &c.: igitur considerando omnia ista, quæ diximus, & objectando illa cum memoria & cum intellectu, & discurrendo per principia, ligatur unum principium cum alio ad ligandum amativum cum amabili, & quodlibet principium ponit in illo suum proprium nodum & suam propriam naturalem actionem, & hoc idem sequitur de ligamine intellectûs ad intelligendum vera.

3. Secundùm quòd diximus de duabus Definitionibus, vult Amantia, quòd homo vadat ad *sextam Regulam*, in qua consideret illas Definitiones, concordando illas Definitiones cum Regula, ita quòd, secundùm quòd intellectus transgreditur & transcendit potentias, quæ sunt sub illo, & in sua virtute intelligit id, quod non potest intelligere simpliciter secundùm illas potentias, amativum ita transgreditur & transcendit amabilia, quæ sunt sub illo, & in sua virtute & natura amat illa super amabilitatem simplicem, quam existentia sub voluntate habent per se ipsa. Et postea requirit hæc Ars, quòd, sicut intellectus ascendit ad intelligendum DEUM supra se ipsum, secundùm quòd in Regula enarratur, ita amativum ascendat ad amandum DEUM supra se ipsum, & supra id, quod intellectus de illo intelligit, Amativo desiderante magis amare DEUM, quàm illum amat, & magis amare illum, quàm intellectus illum intelligit. Homo potest inducere & adducere voluntatem ad hanc necessitatem desiderans entitatem DEI, quam intellectus in hac præsenti vita non potest attingere, sed attingit illam in similitudine objecti; hoc idem homo desiderans faciat suæ voluntati de aliis rebus realibus, quæ sunt creaturæ, velut de bonitate, magnitudine & cæteris, quas intellectus non attingit nisi in earum similitudinibus: unde elevante homine voluntatem ad realem amabilitatem, amativum transcendit super similitudines, quæ sunt amabiles in figura

ama-

amabilitatis, quæ est ens reale; & per hoc illaqueatur & capitur ad amandam bonitatem, magnitudinem &c. similitudinum, quæ existunt in ratione, in quibus amativum desiderat res reales.

De Virtute.

1. *Virtus est origo unitatis bonitatis, magnitudinis, durationis & aliorum principiorum in uno bono magno &c.* Virtus est principium universale, quod considerамus *duobus Modis*: scilicet *virtus substantialis* & *virtus accidentalis*; *virtus substantialis est illa*, quæ essentialiter est pars substantiæ; in hac virtute est substantiale agens & agibile, ex quibus oritur processus substantialis, qui est de essentia substantiæ; ab hoc processu, qui est pars substantialis, quæ est simplex entitas virtutis substantialis, oritur accidentalis origo, quæ est accidens, secundùm quòd refertur ad virtutem bonitatis, magnitudinis &c., cùm sit virtus bonitatis, magnitudinis &c., cùm virtus bonitatis &c. sit accidentalis, in quantum habituatur à virtute substantiali: hæc virtus accidentalis est origo, quæ oritur ab unitate bonitatis &c. in uno bono magno &c., quod est substantia conjuncta ex suis partibus substantialibus & accidentalibus: igitur in hac substantia creata est ipsamet virtus, secundùm quòd est pars substantialis, & est virtus bonitatis, magnitudinis &c. in hoc, quòd extendendo se per principia sit constitutio substantiæ, quæ ex illis constituitur, virtus est habitus illorum, procedendo in illis sub ratione habitûs, qui est virtus accidentalis, & existens in se ipso pars substantialis: unde ratione hujus virtute existente id, quod est, & multiplicante se in quantum est virtus aliorum principiorum, procedit virtus substantialiter & accidentaliter.

Constitutio substantiæ producitur ex omnibus principiis sub agente naturali, quod illam producit sub ratione generationis multiplicando suam speciem; hæc substantia generata & producta de essentiali virtute, velut de homine vel alia substantia creata, habet naturalem inclinationem ad opus virtutis secundùm virtutem, de qua est; velut homo, qui naturaliter debet operari de virtute, quia substantialiter & accidentaliter est conjunctus de virtute, secundùm quòd diximus, quâ virtute homo naturaliter utitur in suis principiis interioribus, sicut vivendo, recolendo, intelligendo & amando, videndo, audiendo, odorando, gustando & palpando, movendo &c.: unde ratione hujus sequitur, quòd homo naturaliter habeat inclinationem ad utendum virtute in operibus exterioribus; quæ virtus est moralis figura naturalis virtutis interioris, & hæc est virtus moralis, quam nos inquirimus: veruntamen hæc virtus non est necessaria, imò est voluntaria, ut voluntas sit libera ad amandum bona opera, & ad odiendum contrarium illorum: hæc libertas est data voluntati, quoniam DEUS est dignus, quòd liberè ametur, & etiam, ut voluntas possit lucrari meritum; & hoc idem sequitur de intellectu: veruntamen quamvis voluntas sit libera ad amandum, per totum hoc non probatur, quòd non sit ligabilis & possit cogi ad amandum virtutes morales secundùm virtutem interiorem, quam diximus, in movente agente se ipsum ad amandum morales virtutes secundùm naturalia principia virtuosa. Hoc ligamen & constrictionem monstrat Ars in dando cognitionem virtutis interioris, & in miscendo unum principium in alio secundùm processum Artis, concordando opera exteriora cum operibus interioribus tali modo, quòd opera interiora cum virtute influant suas similitudines in opera exteriora, sicut existunt in virtute intra substantiam.

2. *Virtuosus Amor est ille, ex quo procedit virtuosum amare.* De virtuoso amore procedit virtuosum amare, quia de virtuoso amativo & de virtuoso amabili procedit amare; quod amativum & amabile sunt de amore, qui est pars animæ, secundùm quòd diximus in *Definitione Voluntatis*; hic amor est habituatus virtute in suo proprio amativo & amabili, de quibus procedit virtuosum amare interius: unde ratione hujus amor interior est naturaliter virtuosus: talis amor consideratus in operibus interioribus dat naturalem appetitum ad considerandum amorem virtuosum, de quo exit virtuosum amare ex virtuoso amativo, hoc est ex homine virtuoso, qui amando considerat res exteriores, quæ virtuosè sunt amabiles, ut amativus concipiat virtuosum amare in humana ratione conjunctum de similitudinibus interioribus & exterioribus, quæ virtuosè sunt amabiles istis similitudinibus, de quibus est conjunctum virtuosum amare. In humana mente est voluntas ita ligabilis artificialiter secundùm processum hujus Artis, sicut

sicut in Arte Musicæ nota interior est ligabilis ad exteriorem, miscendo unum principium in alio, secundùm Regulas, Conditiones, Definitiones & Quæstiones; de qua mixtione datur doctrina in processu Amantiæ.

3. Id, quod diximus de Definitionibus, debet homo applicare ad propositum in *septima Regula* tali modo, quòd ex omnibus tribus formetur universale, in quo inquiratur particulare secundùm naturam Regulæ & ambarum Definitionum, amando & intelligendo concordantiam inter universale & particulare in concordantia Regulæ & duarum Definitionum; velut virtus accidentalis, quæ oritur quanta & relata & qualificata &c. de substantiali virtute in substantiali bonitate, magnitudine, duratione &c., procedens ab ipsorum unitate quantificata, relata, qualificata &c. in accidentali bonitate, magnitudine, duratione &c. in uno bono magno & durabili &c. virtuoso amare, per quod amor est virtuosus, & ratione cujus virtuosi amare particulare est amabile, si cum illo concordat; cùm illud virtuosum amare sit amabile & affirmabile, & si illi sit contrarium, est odibile & negabile; cum qua amabilitate & affirmatione, vel odibilitate & negatione amor est ligabilis ad bonum amare, & intellectus ad verum intelligere in supradicta applicatione; sicut amor alicujus particularis, quod est magis amabile & ligabile sub ratione substantialis amoris, quàm sub ratione accidentalis, & sub ratione relationis, quàm sub ratione quantitatis & qualitatis, & actionis, quàm passionis, & situs & habitûs, quàm temporis & loci.

De Veritate.

1. *Veritas est id, quod est verum de bonitate, magnitudine, duratione &c., & verificare est id, quod est verum de bonificare, magnificare, durare &c.* In substantia veritas est substantiale principium, ut substantia sit de universali verificato, & ut bonitas, magnitudo &c. habeant verum subjectum, quod sit essentialis veritas, in qua sint remotæ à falsitate & à non esse.

Veritatem, quæ est vera de bonitate &c., convenit considerare *duobus Modis*, hoc est, *Veritatem substantialem & accidentalem: substantialis Veritas est illa*, quæ est pars substantiæ, & subjecta aliis partibus substantiæ, ut sit verum, esse substantiam & suas partes; sinè quo subjecto substantia & suæ partes non possent esse veræ, neque possent facere ullum opus de veritate, neque substantialis divina veritas influeret suam similitudinem substantialiter in res creatas, neque partes substantiæ extensivè & continuè possent esse una in alia; neque substantia sub ratione veritatis posset esse activa, quia tota sua veritas esset passiva sub improprio verificativo, cui non conveniret proprium verificabile; ex quo sequeretur privatio veri & ipsius verificare, & definitio veritatis esset impossibilis, & suum oppositum esset necessarium; ergò veritas est pars substantialis: ab hac veritate substantiali procedit veritas accidentalis in principiis substantiæ; quia in hoc, quòd bonitas, magnitudo &c. non possunt esse sinè veritate, (dummodo veritas sit; & si veritas nihil esset, non possent esse) procedit veritas accidentalis à substantiali in bonitate & magnitudine &c., existente veritate, ut sint bonitas, magnitudo: hæc veritas accidentalis est de bonitate, magnitudine &c. in hoc, quòd bonitas, magnitudo &c. verificentur de veritate, sicut veritas substantialis, quæ bonificatur de bonitate: hæc veritas, de qua bonitas verificatur, est substantialis & accidentalis: accidentalis veluti calor aëris, qui calefacit substantiam aëris, & remanet calor ignis, & est calor aëris, & quia calor ignis calefaciendo aërem venit in aërem cum suo proprio subjecto, quod est essentia ignis, ideo aër est ignitus substantialiter, & calefactus accidentaliter, per quam ignitionem & calefactionem sequitur substantia composita ex elementis: unde simili modo bonitas &c., quæ est pars substantialis substantiæ, accidentaliter verificatur de veritate accidentali; & quia illa veritas, quæ est accidens, non potest relinquere suum proprium subjectum substantiale, intrat veritas substantialis verificans bonitatem substantialiter: & ideo sequitur verum, quod est bonum magnum &c., quæ sunt substantia. De hac veritate, quæ est intra substantiam, & de qua suæ partes sunt verificatæ, & per quam existunt in vero, procedit veritas exterior in virtutes morales, quæ veritas est nostrum objectum, quod inquirimus; & cum hac veritate intellectus est ligabilis ad veritatem, quæ est suum objectum, & voluntas, in quantum objectum est bonum, est ligabilis in objecto intellectûs & in suomet proprio, & è converso: cum hoc objecto vero & morali intellectus & volun-

voluntas ſunt ligabiles, quando homo intelligit & amat veritatem, quam diximus, quæ eſt intra ſubſtantiam & ipſamet ſubſtantia vera.

2. *Verus Amor eſt ille, qui eſt remotus à falſo amore odibili.* Verificante veritate bonitatem, magnitudinem &c. verificat amor, & è converſo: & ideo verus amor verificatus in ſe ipſo, & in bonitate, magnitudine &c. eſt remotus à falſo amore odibili; qui falſus amor eſt cauſa, quòd veritas non procedat moraliter in bonitate, magnitudine, amore &c., imò veritas, quæ eſt intra ſubſtantiam, transmittit extra in vitia ſuam diſſimilitudinem, qui eſt falſus malus & parvus & privabilis amor, exiſtentibus quibuslibet principiis otioſis in producendo ſuas exteriores ſimilitudines: hic falſus amor eſt odibilis, à quo verus amor eſt remotus; quia veritas & amor jacebant in bonitate, magnitudine &c. transmittentes ſuas ſimilitudines ad extra contra ipſarum diſſimilitudines: unde ratione hujus in odibilitate falſi amoris, & in remotione veri amoris à falſo amore, voluntas eſt ligabilis ad amandum bonum ſequendo modum ſupradicti proceſsûs.

3. Secundùm hoc, quod de Definitionibus diximus, & ſecundùm proceſſum *octavæ Regulæ* poteſt homo habere Artem & Doctrinam ligandi ſuam voluntatem ad amandum bonum, & ſuum intellectum ad intelligendum verum; quæ Ars & Doctrina apparet in Definitionibus & in Regula: nam in hoc, quòd veritas eſt hoc, quod verum eſt de bonitate, magnitudine, & verus amor eſt ille, qui eſt remotus à falſo amore & odibili, & Regula eſt clarificatio motûs & ligaminis, repræſentatur ordo & proceſſus, per quem homo poteſt naturaliter procedere ad movendum & ad ligandum ſuam voluntatem ad amandum bonum, & ſuum intellectum ad intelligendum verum, conſiderando mobilitatem & ligabilitatem naturalem, quæ continetur in Regula, & verum, quod eſt de veritate in bonitate, & bonum, quod eſt de bonitate in veritate; & conſiderando aliud verum, quod eſt de veritate in magnitudine, & magnum, quod eſt de magnitudine in veritate; & ſic de duratione &c.: de omnibus iſtis veris, quæ ſunt diſtincta ſub ratione diſtinctionis principiorum, quæ ſunt in ſubſtantia hominis vel alterius, fit unum verum, quod eſt ſubſtantia, in qua naturaliter exiſtit verus amor remotus à falſo amore odibili: unde ſecundùm quòd opera ſunt intùs mobilia & ligabilia ad conſtituendum ſubſtantiam, ſunt ſimilitudines mobiles ad transmittendum ad extra ad moraliter conſtituendum verum conceptum habituatum & compoſitum de vero conſtituto de veritate, & de bonitate, magnitudine &c., ligando unam ſimilitudinem cum alia; ſicut elementa in elementato ligantur cum ſuis qualitatibus unum cum altero: unde ratione talis cognitionis poſſunt Artiſtæ hujus Artis Amativæ artificialiter movere ſuam veritatem ad amandum bonum, & ſuam bonitatem ad intelligendum verum.

De Gloria.

1. *Gloria eſt delectatio, in qua quieſcunt bonitas, magnitudo &c.* Gloria eſt principium ſubſtantiale in ſubſtantia, ut ſit ſubſtantiale ſubſtantiæ, & ut bonitas, magnitudo &c. in illa poſſint quieſcere, hoc eſt delectari; quam delectationem in illâ non poſſent habere, ſi gloria eſſet pars accidentalis ſubſtantiæ; quia non convenit, quòd majora & nobiliora habeant ſuam quietem in minoribus & ignobilioribus, neque convenit, quòd voluntas deſideret habere majorem delectationem in rebus accidentalibus quàm in ſubſtantialibus; nam ſi hoc deſideraret, in illa deficeret magnitudo bonitatis, poteſtatis &c.; nec bonitas tam fortiter eſſet ratio bono, quòd ageret bonum, nec duratio poſſet tantum facere durare gloriam in bonitate, magnitudine &c., nec poteſtas poſſet eſſe tanta ratio poſſendi exiſtere & agere bonitati, magnitudini &c.

Igitur per omnes iſtas rationes & per multas alias manifeſtatur, quòd gloria ſit pars ſubſtantialis ſubſtantiæ; de hac parte ſubſtantiali eſt gloria accidentalis in aliis principiis, quæ eſt de quolibet principio; velut bonitas, quæ eſt tam glorioſa ſub ratione gloriæ ſubſtantialis, ſicut gloria ſubſtantialis bona ſub ratione bonitatis ſubſtantialis: unde ſecundùm quòd gloria accidentalis eſt habitus bonitatis, bonitas quieſcit in gloria; hæc gloria eſt naturaliter intra ſubſtantiam, & eſt inſenſibilis, & transmittit extrà ſuam ſimilitudinem in opera potentiarum ſubſtantiæ, velut in voluntatem transmittit delectationem in volendo placentia & amabilia, & in guſtum guſtando ſaporoſa; & ſic de aliis potentiis: per has delectationes, quæ ſunt in potentiis ſub-

ſubſtantiæ, fortificatur delectatio ad intra: veruntamen ſi potentiæ habent paſſionem, remittitur delectatio ad intra, & habet debilitatem & inclinationem ad corruptionem in rebus corruptibilibus: unde cùm omnia iſta & multa alia ſequantur de delectatione intra ſubſtantiam, & de delectatione, quam habent ſuæ potentiæ, ideo habitâ cognitione hujus delectationis naturalis apparet doctrina & modus, per quem homo poteſt ligare ſuam voluntatem ad amandum bonum in concordando delectationes potentiarum cum delectatione intra ſubſtantiam, & delectationes accidentales cum eſſentialibus; quæ concordantia eſt amabilis, & ſuum contrarium eſt odibile. Hæc concordantia fit, quando homo eſt fortis in velle bonitatis, magnitudinis &c., hoc eſt, quòd ſit bonum & magnum velle in opere voluntatis; & hoc idem de guſtare, videre, audire &c.: quia per talem bonitatem, magnitudinem &c., quæ ſunt in operibus potentiarum, delectantur potentiæ, & ſubſtantia in ipſarum eſſentialibus partibus ad intra, hoc eſt in ſubſtantiali bonitate, magnitudine &c., de quibus ſubſtantia & potentiæ ſunt conſtitutæ.

2. *Glorioſus Amor eſt ille, in quo gloriantur Amans & Amatus.* Homo, qui amat ſuum Amatum cum glorioſo amore, concipit in ſua mente glorioſum amoroſum conceptum conjunctum ex ſimilitudinibus ſubſtantiæ, qui glorioſus amabilis conceptus eſt habituatus de gloria accidentali, quæ eſt ſimilitudo gloriæ intrinſecæ ipſius ſubſtantiæ: ille amoroſus conceptus, qui eſt glorioſus, eſt tam bonus, magnus &c., quàm eſt influentia, quæ exit de intra ſubſtantiam, & venit ad potentias, & de potentiis tranſit ad glorioſam amoroſam cogitationem Amantis, cum qua amat ſuum Amatum, & in qua Amans & Amatus gloriantur, ſciente & amante quolibet illam glorioſam & amoroſam cogitationem; hoc idem ſequitur de glorioſa & amoroſa cogitatione Amati: iſtæ duæ glorioſæ & amoroſæ cogitationes in gloria ſunt amare, quibus gloriantur Amans & Amatus; & ſi ambæ glorioſæ cogitationes eſſent ſubſtantiales & eſſentiales & pars ſubſtantiæ cujuslibet, & una eſſet gloria & amor, & ambæ eſſent una ſubſtantia, illa gloria & amor & illorum gloriatio eſſet in valde magna magnitudine bonitatis; ſed hoc non poteſt eſſe in ambobus, cùm ſint ſubſtantiæ diſparatæ & diſtinctæ. Hic glorioſus amor, in quo gloriantur Amicus & Amatus, eſt objectum, quod inquirimus; & cum eo voluntas eſt ligabilis ad amandum bonum, cùm ſit amabile in amabilitate bonitatis, magnitudinis &c., quæ ſunt ligamina & catenæ, cum quibus voluntas conſtringitur ad amandum bonum tunc, quando homo illam induit operibus de intra ſubſtantiam ad opera de extra cum concordantia ſimilitudinum ſubſtantialium & accidentalium, habituando & veſtiendo opera de extra cum ſimilitudinibus de intra.

3. Transmiſſis duabus Definitionibus ad *nonam Regulam* ſecundùm propoſitum vel oppoſitum particularîs tali modo, quòd omnia tria ſibi correſpondeant, tunc formatur univerſale, in quo particulare poteſt inveniri; nam in inquiſitione particularîs factâ in univerſali, ſecundùm quòd in Regula de illo datur doctrina, eſt inventio particularîs, & ſimiliter in applicatione ambarum definitionum ad Regulam; velut ſi Amans vult multiplicare ſuum glorioſum amorem in magnitudine bonitatis ad amandum ſuum Amatum, poteſt illum multiplicare ſecundùm proceſſum Regulæ, & ſecundùm definitiones gloriæ, diſcurrendo per Figuras, Regulas, Definitiones, Conditiones & Quæſtiones tali modo, quòd in illo diſcurſu ſentiat finem & quietem bonitatis, magnitudinis &c. in amando ſuum Amatum; quod ſentire de neceſſitate veniet, & multiplicatio illius glorioſi amoris durabit in durationem illius diſcurſûs; & hoc idem ſequitur de multiplicatione boni & magni amoris.

De Differentia.

1. *Differentia eſt id, per quod bonitas, magnitudo &c. ſunt rationes inconfuſæ, & per quod bonificativum & bonificabile ſunt inconfuſè & diſtincta unum ab alio.* Differentia eſt principium generale, ſubſtantiale & neceſſarium; *generale*, in quantum omne, quod eſt diſtinctum & differens, eſt diſtinctum & differens ita ſub ratione differentiæ, ſicut omne, quod eſt ignitum, eſt ſub ratione ignîs; & omne, quod eſt bonum, ſub ratione bonitatis. Differentia eſt *ſubſtantiale principium*, ut ſubſtantia ſit de differentia, & ut poſſit ſufficere differentiæ bonitatis & bonificantis & bonificabilîs; & hoc idem ſequitur de differentia, quæ convenit in aliis principiis: nam niſi differentia in ſubſtantia eſſet principium ſubſtantiale,

non posset esse in bonitate, magnitudine &c. subſtantiæ subſtantiale bonificativum & bonificabile; & sic subſtantia non esset de subſtantialibus principiis, nec haberet opera subſtantialia, nec ullum agens naturale posset producere aliud in sua specie, & sic principia subſtantiæ remanerent confusa & indifferentia, & destrueretur definitio differentiæ; sed quia differentia est subſtantiale principium subſtantiæ, est ratio, quòd alia principia subſtantiæ sint distincta unum ab alio subſtantialiter; & cùm bonitas habeat in se ipsa simpliciter subſtantiale bonificativum & bonificabile, de quibus est subſtantiale bonificare & bonificatum ad constituendum subſtantiam per viam generationis; & hoc idem sequitur de magnitudine &c.: & etiam convenit, quòd differentia sit subſtantiale principium, ut differentia bonitatis & differentia magnitudinis &c. habeant, de quo possint procedere, & ut habeant proprium subjectum, quod sit subſtantiale; velut bonitas accidentalis, quæ procedit in magnitudine, duratione &c. à subſtantiali bonitate; sinè quo proprio subjecto differentia accidentalis non sustentaretur, nec posset sufficere magnitudini bonitatis, durationis &c.: igitur differentia est subſtantiale principium, de quo procedit differentia accidentalis in bonitate, magnitudine &c., ut appareant rationes reales & inconfusæ, & ut habeant opera differentia & inconfusa; & quia differentia subſtantialis habet in se subſtantialiter, simpliciter & propriè naturale differentiativum & differentiabile, est fons durabilis & abundans, & differentia accidentalis, cum qua diffunditur per omnes partes subſtantiales & accidentales subſtantiæ; per quam diffusionem una pars est distincta ab alia & inconfusè, & quælibet pars remanet intensè id, quod est, & existit in alia extensè, & quælibet pars capit similitudinem ab alia. Differentia est *principium necessarium*, quia sinè differentia nullum opus posset esse, nec ulla res esset differens ab alia; sed quia differentia est, existit ratio rebus, quòd ratione illius sint distinctæ sub ratione existendi & operandi, ita quòd alia principia existentia in differentia recipiant illius similitudinem, per quam possunt esse distincta ab invicem; & differentia existens id, quod est subſtantialiter, convertitur cum suomet esse, sicut bonitas cum illo eodem ente, quod est bonum tantùm, & sicut bonitas, quæ propriè in creaturis subſtantialiter est principium, quod non convertitur cum propria entitate subſtantialis magnitudinis &c., ita differentia, quia non convertitur, in quantum est subſtantiale principium, cum magnitudine &c., est ratio, quòd omne id sit distinctum, quod existit in differentia subſtantialiter & etiam accidentaliter, ita quòd in subſtantia bonitas, magnitudo &c. sunt principia differentia, ita quòd unum non est aliud; & sicut omnia sunt bona sub ratione bonitatis, & magna sub ratione magnitudinis, & sunt principia sub ratione principii, & sunt finis sub ratione finîs &c., ita sunt differentia & distincta sub ratione differentiæ.

Hæc differentia est principium indivisibile in se ipso, & est simplex principium, ex quo procedunt simplicia principia individuata in numero, speciebus & generibus; generalem differentiam convenit esse indivisibilem, ut possit sufficere divisibilitati subſtantiarum distinctarum & individuatarum per viam generationis, & ad illam redeunt particulares differentiæ per viam corruptionis: hæc differentia indivisibilis, quæ est generalis, transmittit suam indivisibilitatem subſtantialem per agens in subſtantiam individuatam, in qua est una subſtantialis differentia, velut in planta vel in corpore animalis, sub ratione cujus existunt differenter omnes aliæ partes, secundùm quòd diximus: hæc differentia est invisibilis & inimaginabilis, sed figura illius existit in differentia partium subſtantiæ, quæ est imaginabilis, & sua figura apparet sensui in extremitatibus subſtantiæ: veruntamen differentia est considerabilis *duobus Modis*, hoc est secundùm *quintam Regulam*, ita quòd una est differentia, quæ est secundùm *realitatem*, alia est illa, quæ est secundùm *rationem* tantùm; illa, quæ est secundùm *realitatem*, est, velut differentia, quæ est in creaturis, secundùm quòd diximus, velut in subſtantia hominis, in qua est differentia realis inter bonitatem & magnitudinem &c.; nam si illa non esset, & essent unus & idem numerus, essent æquales DEO in unitate numeri, & DEUS non haberet naturam, quòd esset superior suo effectu in magnitudine numeri: differentia, quæ existit in *ratione* tantùm, est, veluti humana ratio, quæ facit differentiam inter bonitatem & magnitudinem &c. DEI, quia sinè differentia non posset contemplari proprietates DEI: adhuc est alius modus differentiæ, quæ existit in ratione tantùm, velut differentia, quæ est inter DEUM & suum effectum, & inter Angelum & Angelum, & inter unam animam rationalem & aliam; quam differentiam ponit humana ratio sub differentia universali, quæ nihil est realiter, in quantum illam accipit universalem, sed in hoc, quòd illam accipit comparativè in hoc, quod DEUS est, & suus effectus est realiter, & unum non est realiter aliud, est realis differentia, quæ est in hac comparatione; quæ comparatio est, unum non esse aliud: igitur differentia accepta universaliter, sicut diximus, non est aliquid extra rationem, nam si esset, conveniret, quòd differentia, quæ est inter DEUM & suum effectum, esset subjectum particulare existens sub illa differentia, quam humana ratio facit suprà; & sic conveniret, quòd illa differentia esset aliud, quod non est DEUS nec suus effectus, & quòd esset superior DEO & creaturâ; quod est impossibile. Omnia ista & multa alia conveniret sequi sub ratione differentiæ, & omnes considerationes, quas homo de illa facit secundùm supradictum processum, sunt Regulæ & Doctrina ad ligandum voluntatem ad amandum bonum, & intellectum ad intelligendum verum sub ratione differentiæ; cùm omnia, quæ diximus de differentia, sint amabilia & intelligibilia, cum qua amabilitate & intelligibilitate ambæ potentiæ sunt ligabiles in objectando illi ea, quæ diximus sub ratione differentiæ.

2. *Differentia Amoris est illa, quæ in amare Amantem & Amatum facit esse distinctos.* In subſtantia differentia subſtantialis transmittit differentiam accidentalem in subſtantialem amorem, ut in amore habeat suam similitudinem, & illam similitudinem dat amori, quæ similitudo est differentia amoris; sub illa differentia amoris existit subjectivè differentia subſtantialis existens subjectum illius differentiæ; & ideo differentia subſtantialis stat infra amorem subſtantialem, in quo relucet & apparet similitudo subſtantialis differentiæ; hoc idem sequitur de amore existente infra differentiam, cui dat suam similitudinem: unde ratione hujus quædam principia sunt infra alia, ut unum assumat similitudinem ab alio: hæc differentia amoris facit Amantem & Amatum esse distinctos in amare, Amante existente amativo, & Amato amabili infuse in amare, per quam inconfusionem unus est amativus, & alius amabilis, & amor est unum & idem principium & una eadem natura in ratione sui ipsius; qui amor subſtantialis est indivisibilis simpliciter; sed quia differentia illi dat suam similitudinem, & subſtantialiter existit per totum subſtantialem amorem, existit quodlibet principium subſtantiale unum in alio, ex quo sequitur subſtantia & proprium amativum & amabile amoris diversificata in amore sub ratione formæ & materiæ, quæ sunt actu in amore; quæ diversificatio facit differentiam amoris subſtantialiter; velut amor, qui amorificat in subſtantia diversificativum & diversificabile in diversificare habituato de amorificare: omnia ista & multa alia pertinent ad supradictam definitionem intra subſtantiam; & quia nos inquirimus modum, secundùm quem amor est amabilis, datur Ars & Doctrina ad ligandum amorem amantis ad amandum amabilem in cognitione differentiæ amoris, qui facit esse distinctos Amantem & Amatum in amare ita in operibus ad extra, sicut in operibus ad intra: unde doctrina, quam Ars docet ad habendum cognitionem differentiæ amoris, est ratio ligandi Amantem ad Amatum cum differentia amoris, secundùm quòd diximus de differentia amoris.

3. Applicatis duabus Definitionibus & illo, quod de illis diximus, ad *decimam Regulam* sub forma contemplationis, habet homo Artem & Modum ligandi suam voluntatem ad amandum bonum, & suum intellectum ad intelligendum verum, contemplando DEUM secundùm processum Regulæ & illius, quod de Definitionibus diximus, respondente quolibet trium terminorum sibi ad invicem secundùm concordantiam bonitatis, magnitudinis &c. in differentia & amore & contemplatione; à quâ concordantiâ abstrahatur omnis contrarietas, quam humana ratio potest considerare & cogitare, amando concordantiam, & odiendo contrarietatem; & quia talis processus & artificium est intelligibile & amabile, propter hoc amor cum illo est ligabilis ad amandum bonum, & intellectus ad intelligendum verum.

De Concordantia.

1. *Concordantia est id, ratione cujus bonitas, magnitudo &c. concordant in uno & in multis.*

multis. Concordantia eſt ſimplex principium univerſale, ſub quo omnia alia principia ſunt informata, ut ſint concordantia & concordabilia, velut bonitas, magnitudo &c., quæ ſub ratione concordantiæ concordant in uniendo unam ſubſtantiam, in qua concordant multa; hoc eſt bonitas, magnitudo, quæ concordant in bonificare & magnificare in amore ſuum amabundum, amoroſum, amativum, amantem, amabilem, amatum & amare, & etiam in bonificare & magnificare in amore ſuam quantitatem, relationem & qualitatem &c.

Concordantiam convenit eſſe principiũ ſubſtantiale in ſubſtantia, ut agens naturale habeat, de quo per viam generationis poſſit producere ſubſtantiale concordativum & concordabile, & informare de ſubſtantiali concordantia ſubſtantiale bonificativum & bonificabile, magnificativum & magnificabile, & ut accidentalis concordantia habeat proprium ſubjectum ſubſtantiale, de quo exiſtit in bonitate, magnitudine &c., ut in aliis principiis ſit ſimilitudo concordantiæ, cum qua ſubſtantialis concordantia poſſit concordare & unire unum principium cum alio, ut in ſubſtantia non ſit diſparatè, ſed continuè & unitè: hæc concordantia ſubſtantialis transmittit ſuam ſimilitudinem in contrarietatem, quæ eſt in ſubſtantia, in qua ſimilitudine contrarietas convertitur in concordantiam, contrarietate remanente id, quod eſt; velut concordantia, quam ignis & aër habent ſub ratione caloris in conſervando ſubſtantiam, in qua converſunt contrarietatem, quam habent ſub ratione ſiccitatis & humiditatis, eſſe paſſivam qualitatem ſub concordantia ignîs & aëris; hanc converſionem facit ignis & aër cum concordantia caloris procedentis ab igne, & naſcentis in aëre cum bonitate, magnitudine &c., quæ ſunt opera concordantiæ; qui habitus remanentes id, quod ſunt, in concordantia ſunt habitus aliorum principiorum ſub habitu concordantiæ; velut bonitas &c., quæ eſt habituata de accidentali concordantia: unde ratione hujus ſequitur, quòd, quemadmodum alia principia ſunt principia ſubſtantiæ ſub ratione principii, ſic omnia alia principia ſint concordantiæ ipſius ſubſtantiæ ſub ratione concordantiæ; & hoc idem ſequitur de bonitate, magnitudine &c.; ſub qua bonitate omnia principia ſunt bonitates ſubſtantiæ: hæc concordantia, quam diximus, ſtat intra ſubſtantiam ſubſtantialiter, in quantum eſt pars ſubſtantialis, de qua concordantia procedit accidentalis concordantia, ut ſit ſimilitudo, quæ eſt concordantia accidentalis procedens in bonitatem ſubſtantiæ, & naſcens in aliis principiis, ut ſubſtantialis concordantia in illis ponat ſuam propriam ſimilitudinem: unde de hac concordantia, quæ eſt intra ſubſtantiam, procedit ſimilitudo ad extra, quæ naſcitur in operibus extra ſubſtantiam; velut homo, qui agit aliquas res ſub ratione concordantiæ bonitatis, magnitudinis &c., quæ ſunt concordantes cum operibus intra ſubſtantiam, quæ res, quas homo facit in ſimilitudine rerum intrinſecarum, ſunt amabiles & intelligibiles ſecundùm ſuam amabilitatem & intelligibilitatem operum intra ſubſtantiam: unde ratione hujus datur cognitio & doctrina concordantiæ intrinſecæ, & homo habet Artem & Modum ligandi ſuam voluntatem ad Amantiam, & ſuum intellectum ad Scientiam.

2. *Concordantia Amoris eſt illa, per quam Amans & Amatus concordant in amare.* Hæc concordantia amoris venit ad Amantem cum ſimilitudinibus bonitatis, magnitudinis &c., hoc idem facit concordantia Amati, qui amat ſuum Amantem: iſtæ duæ concordantiæ Amati & Amantis, quæ veniunt cum ſimilitudinibus bonitatis, magnitudinis &c., concordant in uno amare unito & conjuncto ex ſupradictis ſimilitudinibus; & hoc ita per Artem Amoris, ſicut voces duorum Muſicorum, quæ uniuntur & concordant in uno ſono ſub Arte Muſicæ: hæc Ars Amoris eſt ita amabilis ſub ratione concordantiæ ſimilitudinum applicatarum ad amandum, ſicut vox duorum Muſicorum eſt unibilis ſub Arte Muſicæ ad unum ſonum: unde ratione hujus in concordantia ſimilitudinum amoris bonitatis, magnitudinis &c. eſt Doctrina hujus Artis Amativæ in concordando amorem ſub ratione ſimilitudinum amoris bonitatis &c. in uno amare Amantis & Amati, quod eſt ordinatum ad unum finem amoris.

3. Hæc Ars Amativa requirit, quòd ſuus Artiſta transmittat ambas Definitiones ad *undecimam Regulam* ſub forma abſtractionis & contractionis tali modo, quòd de particulari quæſito duæ definitiones concordent cum Regula, diſtrahendo de concordantia contrarietatem, & de amore odibilitatem,

tem, & de bonitate malitiam &c., & contrahendo amorem ad concordantiam bonitatis, magnitudinis &c., & concordativi & concordabilis, & amorativi & amorabilis, & bonificativi & bonificabilis, & ad concordantiam Definitionum & Regulæ: unde ratione talis proceſsûs & artificii poterit Artiſta ligare ſuam voluntatem ad amandum bonum, & ſuum intellectum ad intelligendum verum; cùm diſtractio & contractio & duæ definitiones naturaliter ſub ratione concordantiæ ſint intelligibiles & amabiles, ſub qua natura ambæ potentiæ ſunt ligabiles.

De Contrarietate.

1. *Contrarietas eſt quorundam reſiſtentia ratione diverſorum finium.* Contrarietas eſt univerſale principium, ſub quo ſtant ea, quæ ſunt contrariativa & contrariabilia, cum quibus & in quibus eſt unum contra aliud, contrarietate exiſtente ratione contra diverſos fines concordabiles ad unum finem ſub ratione bonitatis, magnitudinis &c. Contrarietas eſt naturaliter principium accidentale in ſubſtantia, per quod res definiuntur, ſecundùm quòd apparet in *tertia Regula*: velut calor, qui in ſubſtantia eſt contra frigus, & humiditas contra ſiccitatem, & ſicut in homine peccatore, qui pervertit ſua opera extra ſubſtantiam in contrarias ſimilitudines operum, quæ intra ſubſtantiam naturaliter ſunt concordantia; velut bonitas & pulchritudo bonæ mulieris, quæ concordant naturaliter, & ſuus maritus, qui eſt homo peccator, amat magìs pulchritudinem ſuæ uxoris, quàm bonitatem illius; ex quo ſequitur contrarietas in amore, quem maritus habet erga ſuam mulierem, quæ contrarietas eſt de bonitate & malitia, & de magnitudine & parvitate &c., cùm ſit malum magìs amare ea, quæ non ſunt tam nobilia, quàm nobiliora; quia in illo amore magnitudo deficit bonitati, durationi &c., & è converſo: hæc contrarietas eſt illa, quam nos inquirimus, de qua, ſequendo proceſſum Artis, damus doctrinam ad disligandam voluntatem à tali contrarietate innaturali & contra finem bonitatis, magnitudinis &c.; & ſuum contrarium eſt amabile ſub ratione bonitatis, magnitudinis &c.: unde ratione hujus voluntas naturaliter eſt diſſolubilis à malo & parvo amore, & eſt ligabilis ad bonum & magnum amorem, ad quam diſſolutionem & alligationem docet hæc Ars pervenire omnes illos, qui illam ſciunt, & qui volunt eſſe amatores amabilis amoris, & inimici ſui odibilis amoris.

In ſubſtantia contrarietas non poteſt eſſe principium ſubſtantiale, ſi enim eſſet, ſequerentur multa inconvenientia & multæ contradictiones in aliis principiis, quæ in ſubſtantia ſunt ſubſtantialiter, ſecundùm quòd diximus; velut inter bonitatem, magnitudinem, durationem &c., quæ dant unum alteri ſuam ſimilitudinem ſub ratione concordantiæ, quæ omnibus principiis dat ſuam ſimilitudinem, & omnia dant illam illi ſub ratione unius finîs; hoc idem faceret contrarietas, ſi eſſet principium ſubſtantiale: ex quo ſequeretur, quòd contrarietas poneret naturalem contrarietatem inter bonificativum & bonificabile, magnificativum & magnificabile, & bonificativum & magnificabile; & etiam contra bonitatem, magnitudinem &c., ita quòd omnia principia eſſent confuſa & contra finem ſubſtantiæ, ita quòd nulla ſubſtantia poſſet uniri & produci ex ſuis naturalibus principiis; nec etiam in alia vita, quam ſperamus, ullum rationabile corpus poſſet eſſe ſinè naturali contrarietate ſubſtantiali, nec poſſet reſuſcitari in ſuomet numero, nec totum glorificari, nec concordari, nec ſua principia haberent finem, in quo quieſcerent; ſed quia contrarietas eſt accidentale principium, paſſiva qualitas poteſt ſuſtentari in ſubſtantiali concordantia, & transferri in concordantem qualitatem ſub ratione bonitatis, magnitudinis, velut in colorato, in quo contrariæ qualitates ſunt ſub proportionata concordantia agente & vivente de contrarietate, quam qualitates habent comparativè.

2. *Contrarius Amor eſt ille, qui repugnat bonitati & magno amori Amantis & Amati.* Quando homo magìs amat honores, denarios, delicias, ſuum equum, ſuum caſtellum, quàm ſuum proximum, ille amor eſt contrarius bonitati & magno amori; quia melius eſt amare ſuum proximum, quàm honores &c., cùm homo ſit magìs amabilis, quàm ſupradicta: & quando homo magìs amat ſe ipſum, ſuam uxorem & ſuum filium, quàm noſtrum Dominum DEUM, ille amor eſt contra bonitatem & magnitudinem amoris, cùm DEUS ſit magìs amabilis, quàm omnia reliqua: hic amor, qui eſt contrarius bonitati & magno amori, eſt contrarius naturæ principiorum Amantiæ,

quæ

quæ contrarietas naturaliter est odibilis, quia natura, quam principia habent, est amabilis & concordabilis bonitati & magno amori Amantis & Amati, ad quam odibilitatem & amabilitatem naturalem voluntas naturaliter est ligabilis ita ad odiendum malum & parvum amorem, & ad amandum bonum & magnum amorem, sicut intellectus ad intelligendum veritatem eorum, quæ diximus: & si hoc non ita esset, sequeretur, quòd odibilitas & amabilitas essent res magis objectabiles intellectui, quàm voluntati, & quòd res ignorabiles & intelligibiles essent magis objectabiles voluntati, quàm intellectui; quod est impossibile: per quam impossibilitatem, & per hoc, quod diximus, datur doctrina modi, secundùm quem voluntas est ligabilis ad bonum & ad magnum amorem in objectando ita res secundùm suas amabilitates & odibilitates, sicut intellectus secundùm suas intelligibilitates & ignorabilitates.

3. In *duodecima Regula* continetur modus, secundùm quem intentio & finis naturaliter sunt homini causa audaciæ & timoris: unde applicatis his duabus Definitionibus cum Regula, secundùm id, quod de illis diximus, & informatis illis cum Regula, formatur universale amoris amabile & timibile animosè sub habitu intentionis & finis ad inveniendum particularia quæsita, & invenibilia sub ratione contrarietatis, contrariando animosè & cum magna audacia omnibus iis, quæ sunt contra intentionem & finem, & concordando cum suis contrariis, quæ cum intentione & fine concordant; veluti resistere malo & parvo amori, cum quo homo magis amat honores, denarios, delicias, mulierem, filios, equos, & castella seipsum & suum proximum quàm nostrum Dominum DEUM; quoniam intentio & finis sunt naturaliter contrarii illi amori, & illa plùs amare quàm nostrum Dominum DEUM, naturaliter est timibilis & terribilis amor, & suum contrarium est naturaliter amabile, & dat naturalem audaciam & animositatem in magis amando DEUM quàm omnia alia: ergò ratione hujus sequendo processum mixtionis duarum Definitionum & Regulæ, datur homini doctrina ligandi suam voluntatem ad amandum bonum, & suum intellectum ad intelligendum verum.

De Principio.

1. *Principium est id, quod se habet ad omnia ratione alicujus prioritatis.* Principium est id, quod est ante omnia sub ratione sui ipsius, scilicet quòd in substantia bonitas, magnitudo &c. sunt principia substantiæ informata in esse sub principiis sub ratione principii, quod illis dat suam propriam similitudinem in esse principia substantiæ; sicut bonitas, quæ dat principio suam similitudinem, in quantum illud informat, ut sit bonum; & hoc idem facit magnitudo, quæ illud informat, ut sit magnum; & sic de cæteris: unde sicut principium habet prioritatem super alia principia quoad suam propriam essentiam & naturam, ita bonitas &c. habet propriam prioritatem, ut sit ante principium sub ratione bonitatis principii, quam habet propriè sub ratione bonitatis; & ideo quodlibet principium habet suam propriam prioritatem in substantia, ut sit ante & post prioritatem alterius principii: ex quo sequitur, quòd omnia alia principia sint æqualiter in uno tempore in substantia; sinè qua æqualitate substantia non posset esse, neque unum principium posset esse in alio, nec sustentari, neque esse id, quod est.

Principium est simplex pars substantiæ, in quo relucent & apparent omnes aliæ partes substantiæ sub similitudinibus principiorum: hoc principium est universale & substantiale in substantia, & omnes similitudines, quas aliæ partes substantiæ assumunt ab illo, sunt sua particularia, veluti in proprio principiativo & in proprio principiabili, quæ sunt universales partes universalis principii, in quo bonificativum & bonificabile universalis bonitatis substantiæ assimilantur & informantur, ut sint principia, tali modo, quòd bonificativum, quod est essentialis pars bonitatis, est principiativum, & bonificabile est principiabile: unde sequitur, quòd una pars substantiæ sit in alia, & quælibet pars se habet finaliter, formaliter & materialiter ad aliam ad uniendum substantiam, quæ est totum, & efficiens & agens naturale in producendo & generando de se ipso aliud agens in sua propria similitudine generis & speciei substantialiter & accidentaliter. Principium est ens simplex & substantiale in substantia; nam si non esset, unum principium esset aliud, & nullum principium haberet propriam

priam nec simplicem entitatem de se ipso; ex quo sequeretur, quòd substantia esset unita & constituta de nihilo; veluti bonitas, quæ esset de magnitudine, & è converso: unde sequeretur, quòd entitas cujuslibet esset de nihilo, & in quantum esset, esset aliquid, & sic esset & non esset; ex quo sequeretur contradictio: sed quia principium est ens simplex & per se existens hoc, quod est in substantia, bonitas est principiativa & principiabilis de principio, & principium est bonificativum & bonificabile de bonitate; & hoc idem sequitur de magnitudine &c.; & propterea quælibet pars substantiæ transmittit suam similitudinem ad aliam partem, & ista materia causâ suæ propriæ entitatis est accidentalis similitudo in substantiali similitudine ad uniendum & ad constituendum substantiam ex partibus substantialibus & accidentalibus, quæ sunt propria principia. Si principium non esset pars substantialis in substantia, efficiens, forma, materia & finis essent res accidentales; & sic constitueretur substantia ex accidentibus tantùm; quod est impossibile: & etiam sequeretur, quòd agens naturale non posset producere principium de principio, & unum accidens posset sustentari in alio sinè substantiali subjecto, & unum accidens procederet ab alio, & non procederet à substantialibus partibus substantiæ; & quia omnia ista & multa alia sunt contra naturam, igitur est manifestum, quòd principium sit ens substantiale in substantia, influens & procedens ab accidentali principio, sub quo aliæ partes substantiæ habent habitum principii. De hoc principio, quod est intra substantiam, habituatur amorativum & amorabile intra substantiam, qui habitus est naturalis, sub cujus natura sunt alii habitus intra principiabiles, ut sint amorabiles: unde ratione hujus inquirendo hanc naturam principii & amorativi & amorabilis, & applicando exteriora opera ad intrinsecam naturam sub habitu principii & amoris, talis inquisitio & inventio est Doctrina & Ars ligandi voluntatem ita ad amandum amabile sub ratione principii amoris naturalis, sicut est intra substantiam, secundùm quòd diximus.

2. *Principia Amoris sunt amans, amativus, amatus, amabilis & amare*; sinè his principiis amor esset otiosus, & non se haberet ad ullum finem; & sic sequeretur, quòd bonitas, magnitudo &c. non transmitterent suas similitudines ad amorem nec ad principium, nec è converso: & sic sequeretur, quòd nulla res esset amabilis & principiabilis in substantia; quod est impossibile & contra naturam experientiæ: ergò principia amoris sunt illa, quæ diximus; & quia Amans sub ratione principii est principians, & sub ratione amoris est amans amando principiabilem de se ipso Amatum, qui est principium sub ratione principii: hic Amatus est amabilis, quia Amatus est principium sub ratione durationis de principiante amante amabili & amare, cùm duratio sit principium sub ratione principii, & principium sit durans sub ratione durationis, secundùm quòd in ipsorum definitionibus diximus: ergò amans, amatus & amabilis durant; & hoc idem sequitur de amare, quod est de amante, amato & amabili: omnia ista principia amoris sunt ita magna in bonitate & in fine & in concordantia amoris, quòd non possint esse majora: unde ratione hujus sunt amabilia valde magnâ amabilitate; & propterea vult Ars Amativa, quòd homo secundùm talia principia amoris informet suam voluntatem ad amandū, à qua informatione voluntas se non potest defendere, neque potest resistere suis naturalibus principiis, quando agens illam dirigit ad illa, & illam deviat à contrariis innaturalibus principiis.

3. Quando contingit, quòd homo indigeat ligare suam voluntatem ad amandum bonum, & suum intellectum ad intelligendum verum sub ratione principii & spei, vult Amantia, quòd homo recurrat ad *decimam tertiam Regulam*, quæ est de spe, & quòd applicet ad illam Regulam duas supradictas Definitiones, & quòd de omnibus tribus faciat unum universale unitum & concordatum de Regula & ambabus Definitionibus, & quòd sub illo universali inquirat desideratum particulare, & illud applicet ad propositum tali modo, quòd partes universales remaneant concordantes, affirmando vel negando, amando vel odiendo illud particulare; sicut si aliquis peccator, qui desperat de misericordia DEI ratione gravium peccatorum, quæ fecit, velit sperare in misericordia DEI, consideret processum Regulæ & duas Definitiones, & incipiat amare, secundùm quòd de principio amoris diximus, & incipiat habere spem secundùm processum Regulæ, & sic speret de misericordia DEI magnum donum & veniam,

ſicut de juſtitia DEI magnam punitionem; & tunc per talem proceſſum poterit ſuam voluntatem conſtringere ad amandum miſericordiam DEI, & habere ſpem & amorem in noſtro Domino DEO.

De Medio.

1. *Medium eſt ſubjectum, per quod finis influit in principium, & per quod principium refluit in finem, ita quòd medium ſapiat naturam utriusque, & eſt imago illorum.* Finis, qui in ſubſtantia eſt principium ſubſtantiale, influit in principium ſubſtantiale ſuam ſimilitudinem, hoc eſt, finem accidentalem, quem dat principio, & illam ſimilitudinem transmittit illi cum omnibus ſimilitudinibus, quas finis aſſumit ab aliis principiis; & principium refluit in finem omne id, quod illi transmittit, & etiam illi transmittit ſuam propriam ſimilitudinem & omnes alias ſimilitudines, quas aſſumit ab aliis principiis; & quia medium eſt ſubjectum, per quod tranſit influentia & refluentia, accipit ſuam ſimilitudinem ab ambobus; & quia medium ſapit utrumque in natura & ſimilitudine, & eſt imago, in qua apparet natura & proprietas utriusque, & quia medium eſt ſubſtantiale principium, ponit ſuam ſimilitudinem in fine & in principio, quam ſimilitudinem ibi ponit cum omnibus ſimilitudinibus, quas aſſumit ab aliis principiis; & quia quodlibet principium remanet id, quod eſt, & ponit in alio ſuam ſimilitudinem, de unitate omnium ſequitur ſubſtantia, & de eo, quod unum ponit in alio, ſequuntur accidentia ſubſtantiæ: in hac ſubſtantia una pars eſt medium alterius; ſicut medium, quod eſt in medio finîs & principii, & finis, qui aſſumit ſimilitudinem de medio, eſt medium inter medium ſubſtantiale & principium ſubſtantiale: & hoc idem ſequitur de principio, quod per ſimilitudinem, quam aſſumit de medio, eſt medium inter finem & medium ſubſtantiale; & hoc idem ſequitur de magnitudine, quæ, in quantum aſſumit ſimilitudinem de medio ſubſtantiali, eſt medium inter bonitatem & durationem, hoc eſt, quòd magnitudo eſt medium, per quod bonitas eſt ratio bonæ durationi, & per quam duratio eſt ratio, quòd bonitas ſit durabilis: & hoc medium magnitudinis eſt cum omnibus ſimilitudinibus, quas aſſumit ab aliis principiis & cum propria ſimilitudine magnitudinis: unde quodlibet principium exiſtit in alio, & ſimilitudo cujuslibet principii vivit de ſimilitudine alterius: ſicut in amativo, in quo ſua bonitas vivit de bonitate amabilîs, & ſua magnitudo vivit de magnitudine amabilîs, & è converſo; & quando ceſſat influentia & refluentia ſimilitudinum, tunc corrumpitur medium, & moritur quælibet ſimilitudo in alia, & corrumpitur tota ſubſtantia: unde cùm hoc ita ſit intra ſubſtantiam naturaliter, vult Ars, quòd homo, ſecundùm quòd opus eſt intra ſubſtantiam, inquirat ab extra modum, ſecundùm quem voluntas vivit in bono amare, & intellectus in vero intelligere, quòd vivere exiſtit in vivere amare amantis in ſimilitudinibus amabilîs ſub ratione bonitatis, magnitudinis &c.; velut amans, qui amat DEUM ſub ratione bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c.: & quia DEUS ſub ratione omnium iſtorum eſt amabilis, vivit amare amantis, nam amans amat ſimilitudines ſui amabilîs, & moritur, quando odit illas ſimilitudines, & amat in illo contrarias ſimilitudines.

Unde ratione hujus requirit Ars, quòd homo inquirat medium, quod convenit inter amantem & amabilem, quod eſt de ſimilitudinibus, quas diximus, & quòd illud ponat objectivè in medio ſui naturalis amativi & amabilîs, ut per naturam amborum & per naturam medii conjungatur amare de ſimilitudinibus Amantis & Amati; nam ſicut intellectivum attingit ſuum intelligibile per ſimilitudines, quæ ſunt medium exiſtens inter ambo & ſimilitudines amborum, ita amativum attingit ſuum amabile, quando homo illi dat ſimilitudines illius, quas ſimilitudines docet Ars invenire & ponere in medio amborum, ſecundùm quòd in hoc Capite & in aliis diximus.

2. *Medium Amoris eſt amare, cum quo ſe amant Amans & Amatus*: de amore eſt amativus & amabilis, & eſt prægnans de amare, quod generat amorem de amativo & amabili, & amor in amativo & amabili naſcitur & exiſtit, & de illis & in illis vivit & habet ſuſtentationem, veruntamen cum adjutorio bonificativi & bonificabilis bonitatis, unde naſcitur bonificare in amare, & è converſo; & hoc idem ſequitur de magnitudine, duratione &c., in quibus naſcitur & vivit amare; ideo amare eſt medium amoris, cum quo ſe amant Amans & Amatus, quando quilibet agit de amore ſub ratione amativi & amabilîs, bonificativi & bonificabilîs

cabilîs &c.: hanc actionem & opus docet Ars venire ad illos, qui deſiderant amare, miſcendo unum principium cum alio, & capere medium, quod ſequitur ex illa mixtione; cum quo medio voluntas eſt ligabilis ad amare Amantis & Amati (ſicut ponere objectivè mediũ inter amativum & amabilem, bonificativum & bonificabilem, magnificativum & magnificabilem &c.) convenit de neceſſitate, quòd iſte eſt amor, quem nos inquirimus, cum quo & in quo voluntas eſt ligabilis cum ſupradictis mediis, quæ media Amantia ita docet ponere inter amativum & amabile, ſicut Scientia inter intellectivum & intelligibile.

3. Secundùm quòd diximus de amore ſub forma medii, & de medio ſub forma amoris, vult Ars, quòd, quando homo indiget aliquo particulari ſub forma conſolationis, applicet ambas Definitiones ad *decimam quartam Regulam*, quæ eſt de Conſolatione, & quòd homo ſecundùm proceſſum ambarum Definitionum tractet illud quæſitum particulare: ſicut ſi homo velit conſolari de aliquo damno, quod accepit, & de aliquo defectu, qui illi eſt factus, convenit, quòd ſe conſoletur in DEO; quia multò major eſt influentia, quam DEUS influit de ſua ſimilitudine in amare Amici, qui in illo conſolatur, quàm ſit damnum, quod aliquis homo per alium poſſit capere, & majus eſt conſolari ſe in habendo bonum, magnum, durabile, potens, virtuoſum & patiens amare, quàm deſolari de quocunque defectu, quem homo illi fecerit; quia magìs naturale eſt voluntati tale amare quàm de ullâ re habere deſolationem; cùm deſolari non poſſit multiplicari de tam nobilibus ſimilitudinibus, ſicut amare & conſolari: & propterea, quia amare & conſolari ſunt nobiliora quàm deſolari, cum illa majori nobilitate voluntas eſt magìs ligabilis ad ſe conſolandum, quàm ad deſolandum, & per conſequens naturaliter ad bonam deſolationem voluntas eſt ligabilis ſub ratione bonitatis, magnitudinis &c., & ad malam deſolationem eſt ligabilis ſub ratione malitiæ, parvitatis &c.: unde omnia iſta & multa alia docet Regula, & docet invenire ambas definitiones ad ligandum voluntatem ad conſolandum Amicum in ſuo Amato ſecundùm media ambarum, in quibus formatur amare & conſolari, & influentia & refluentia ipſius amare & conſolari, & cum omnibus iſtis ligatur voluntas ad amandum & ad conſolandum.

De Fine.

1. *Finis eſt id, in quo principium quieſcit.* Finis in ſubſtantia eſt unum ſimplex & naturale principium ſubſtantiale ſubſtantiæ: in iſto fine eſt finitivum & finibile, quæ ſunt ſimplicia eſſentialia principia ipſius finis: finitivum transmittit ſuam ſimilitudinem in alia principia ſubſtantiæ, ſicut in amativum, in quod transmittit ſuam ſimilitudinem in hoc, quòd finis amativi eſt amare; & hoc idem facit finitivum, quod transmittit ſuam ſimilitudinem in amativum de ſuo proprio finibili, ut ſit in amabili, quod eſt finibile ſub ratione ipſius amare; hoc finitivum transmittit ſuam ſimilitudinem in amativum, & transmittit ſimilitudinem ſui finibilîs in proprium amabile amativi cum omnibus ſimilitudinibus, quas transmittit ad alia principia, & amativum recipit illas cum ſua ſimilitudine, & in ſimilitudine ſui proprii amabilîs & cum omnibus ſimilitudinibus, quas alia principia illi transmittunt; & propterea amativum & ſuum amabile & ipſorum proprium amare ſubſtantiale ſibi reſpondent in fine, qui ſubſtantialiter eſt pars naturalis ſubſtantiæ: hæc quies eſt, quia finis dat amativo & amabili & eorum amare omne id, quod illis convenit ſub ratione amoris & bonitatis, magnitudinis &c., & etiam ſub ratione ſui ipſius; & quia amativum & amabile & amare non indigent aliis, quia finis complet omne, quod illis eſt neceſſarium ad id, quod ſunt, & ad id, quo indigent de aliis principiis, ideo quieſcunt in fine, in quo habent omne naturale complementum ad conſtituendum & uniendum ex omnibus principiis ſubſtantiam, in qua & cujus partes ſubſtantiales ſunt amativum, amabile & amare.

In hoc ſubſtantiali fine quieſcunt omnes fines, quos ille influit aliis ſubſtantialibus principiis, qui fines ſunt accidentalia principia, quæ quieſcunt in ſuo ſubſtantiali principio, à quo ſunt influxa; & quia ſubſtantialia principia ſubjectantur ſub finibus, quos accidentaliter aſſumunt à ſubſtantiali fine, transeunt mediatè per illos fines ad eſſe, & quieſcunt in ſubſtantiali fine cum finibus, quos ab illo ſubſtantiali fine recipiunt; ideo omnes aliæ partes ſubſtantiales & accidentales quieſcunt & ſunt quieſcibiles in ſubſtantiali fine: unde cùm hoc ita ſit, datur doctrina, ſecundùm quam principia ſubſtan-

tiæ quieſcunt in eſſentiali fine ſubſtantiæ: veruntamen ille finis eſt principium, quod quieſcit ſub alio ſuperiori fine, ſecundùm quòd in ſecunda Regula diximus: unde ad ligandum amativum ad amabile, & ad ligandum amativum & amabile ad amare ſub ratione finîs virtutum, convenit ſequi proceſſum finîs, qui eſt intra ſubſtantiam, ſecundùm quem voluntas eſt ligabilis ad eſſe movens & mota ad finem ſui amare cum ligamine finîs virtutum & bonitatis, magnitudinis &c.; hoc eſt, quòd de intra ſubſtantiam homo trahat ſimilitudines in exteriora opera, & quòd cum illis liget fines exteriorum operum, ſicut in ambulare, loqui, videre, audire, emere, vendere, comedere, veſtire, ædificare, & aliis his ſimilibus; quia omnia iſta requirunt habere ſecundùm finem ſubſtantiæ ad hoc, ut in ſimili fine poſſint quieſcere & habere complementum; cum qua quiete & complemento voluntas eſt ligabilis; cùm illa quies & complementum ſit illi finis naturaliter volibilis & amabilis, & ſuum contrarium ſit illi odibile & deamabile; & quia Ars dat cognitionem de fine intra ſubſtantiam, & de quiete ſuorum principiorum, & demonſtrat finem & quietem, quem convenit eſſe extra ſubſtantiam, qui eſt finis amoris amativi & amabilîs, propterea dat doctrinam ligandi voluntatem ad amandum bonum ſub ratione naturalîs finîs, cum quo voluntas eſt ligabilis; & hoc idem ſequitur de intellectu, qui ſub ratione finîs eſt ligabilis ad intelligendum verum; nam ſicut de eo, quod diximus, ſequitur finis Amantiæ, ſic poteſt ſequi finis Scientiæ.

2. *Finis Amoris eſt ille, in quo Amans & Amatus quieſcunt.* Iſte finis amoris ſignificatur per hoc, quod de fine amoris diximus; nam quando Amans concipit in ſua mente amoroſam cogitationem de ſuo Amato, ſecundùm quòd finis amoris exiſtit in ſubſtantia, tunc quieſcit in illa amoroſa cogitatione completâ de fine amoris, ſub ratione finîs bonitatis, magnitudinis &c.; & hoc idem facit Amatus, qui ſcit, quòd ſuus Amans illum amet cum amore completo de bonitate, magnitudine &c., qui Amatus concipit amoroſam cogitationem Amantis, in qua ſibi correſpondent Amans & Amatus ſub fine amoris completi de bonitate, magnitudine &c. cujuslibet; & quia talis quies eſt amabilis cum fine amoris ipſius bonitatis, magnitudinis &c., eſt cum ſua amabilitate ligabile amativum naturale hominis, qui ſe vult intromittere de amore, cui homini Amantia monſtrat ſecundùm ſuum proceſſum ligare ſuum amativum ad amandum cum amabilitate Amati ſub fine quietis amandi.

3. Quando contingit, quòd Amicus velit amare ſuum Amatum ſub ratione finîs & contritionis & conſcientiæ, tunc debet recurrere ad *decimam quintam Regulam* cum ambabus definitionibus, & in Amantia ſequi proceſſum Regulæ & Definitionum; ſicut homo, quem pœnitet, quòd non magìs amaverit ſuum bonum Amatum ſub ratione finîs ipſius amoris, amativi, amabilis & amare, & ſub ratione finîs ipſius bonitatis, magnitudinis &c.; & hoc idem ſequitur de homine, quem pœnitet, quòd offenderit ſuum bonum Amatum contrà finem amoris, amativi, amabilis & amare, & contra finem bonitatis cum malitia, & magnitudinis cum parvitate &c.: ab hac pœnitentia oritur ita contritio ſub ratione amativi, amabilis & amare & amoris, ſicut facit conſcientia ſub ratione intellectivi, intelligibilis, intelligere & ſapientiæ; & quia contritio dat laborem amativo, & conſcientia intellectivo ſub ratione deviationis ab ipſorum fine, ideo finis contritionis eſt reducere amativum ad ſuum amabile, & finis conſcientiæ eſt reducere intellectivum ad ſuum intelligibile ſub ratione bonitatis, magnitudinis &c.; & hoc cum tam frequenti & perſeveranti reductione, donec principia quieſcant in fine ſub paſſione contritionis & conſcientiæ: hanc reductionem & quietem & prolongationem laboris, quem homo habet ratione contritionis & conſcientiæ, docet Ars venire ad omnes illos, qui ſequuntur ſuum proceſſum, miſcendo tam fortiter unum principium cum alio, donec quieſcant in fine, ſecundùm hoc, quod diximus de fine, & de ſuis appertinentiis, & de contritione & conſcientia.

De Majoritate.

1. *Majoritas eſt imago immenſitatis bonitatis, æternitatis &c.* Majoritas eſt creatura, in qua noſter Dominus DEUS ſignificat magnam immenſitatem ſuæ bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c. ad hoc, ut homo ſciat, quòd DEUS ſit major, quàm omnia alia, & quòd ſit magìs amabilis, quàm univerſum, quod creavit. Majoritas eſt unum ſubſtantialium principiorum ſubſtantiæ, ut in ſubſtantia unum principium poſſit eſſe majus quàm aliud; ſicut ſubſtantialia principia, quæ ſunt majora quàm accidentalia, & ſicut bonitas, quæ eſt major in ſua propria entitate quàm ſecundùm magnitudinem, quam habet ſub ratione magnitudinis, & etiam ſicut accidentalis bonitas ſubſtantiæ, quæ eſt major ſecundùm ſubſtantialem bonitatem, quæ eſt ſuum proprium ſubjectum, quàm ſecundùm magnitudinem, quæ illi eſt ſubjectum per accidens; & hoc idem ſequitur de aliis principiis: iſtæ majoritates non poſſent eſſe in ſubſtantia, niſi majoritas eſſet ens reale & ſubſtantiale in ſubſtantia, ſub ratione cujus alia principia poſſent eſſe ita majora, ſicut ſunt bona ſub ratione bonitatis, & magna ſub ratione magnitudinis &c.: igitur majoritas in ſubſtantia eſt ſubſtantiale principium, quod transmittit ſuam ſimilitudinem in alia principia, veluti in ſubſtantialem bonitatem, quæ eſt major ſubſtantialiter quàm accidentaliter, & eſt major ſub ratione formæ quàm ſub ratione materiæ; & ſicut totum, quod eſt conjunctum ex ſuis partibus, quod eſt majus quàm ulla ſuarum partium: iſtæ ſimilitudines, quas majoritas transmittit ad alia principia, ſunt accidentales, & ſunt habitus, ſub quibus quædam partes ſubſtantiæ apparent majores quàm aliæ: illi habitus ſunt imagines, in quibus repræſentantur principia ſubſtantialiter & etiam accidentaliter, in quantum quidam habitus ſunt imagines aliorum, qui habitus magìs ſubjectantur in ſubſtantiali majoritate quàm in aliis principiis ſubſtantiæ.

Veruntamen majoritas duobus modis inter alios eſt conſiderabilis, nimirùm majoritas, quæ eſt *in ſubſtantia*, ſicut diximus, & majoritas, quæ eſt *in rebus diſparatis*: majoritatem, quæ eſt in rebus diſparatis, convenit eſſe duobus modis: unus eſt, quando majoritas eſt tantùm in humana *ratione*, & non eſt aliquid in *realitate*, veluti DEUS, qui eſt major quàm creaturæ; hæc majoritas eſt in *ratione*, quam facit per hoc, quia magnitudo DEI eſt magna realiter, & magnitudo creaturarum eſt parva realiter ſecundùm comparationem magnitudinis DEI; hoc idem ſequitur de bonitate DEI, quæ eſt magna in magnitudine, & de creata bonitate, quæ eſt parva in parvitate; & ſic de aliis: ergò iſta majoritas comparata ad DEUM & ad creaturam eſt in ratione, & non eſt realis, in quantum illam accipit univerſalem; nam ſi eſſet realiter aliquid, illa majoritas eſſet quid aliud quàm eſſet DEUS & creatura; quod eſt impoſſibile. Majoritas eſt in *rebus diſparatis realiter*, veluti inter unam ſubſtantiam & aliam, quæ ſunt ſub una radicali bonitate & una magnitudine &c.; ſicut in homine, in quo elementa ſunt majora, quàm in alio elementato; & quodlibet elementorum eſt pars ſubſtantialis exiſtens ſub univerſali ſubſtantiali majoritate, quæ eſt pars univerſalis ſubſtantiæ, hoc eſt, ipſius chãos, in quo ſuſtentantur omnes particulares ſubſtantiæ individuatæ ſub ratione generationis & ſpecierum: Adhuc alius modus majoritatis eſt conſiderabilis in rebus, quæ ſunt diſparatæ in natura, & ſunt conjunctæ in una ſubſtantia; velut in homine, in quo corpus & anima ſunt diſparata, in quantum anima eſt ex intellectualibus, & corpus ex ſenſualibus, anima eſt major in ſubſtantia quàm corpus, quia illuc venit cum nobilioribus principiis, & de magnitudine bonitatis, quam anima habet, & de parvitate, quam corpus habet, ſecundùm comparationem animæ & corporis unitur una majoritas extenſa, quæ eſt realiter in ſubſtantia hominis, ſub qua habituantur partes animæ, ut ſint majores quàm partes corporis. Hanc majoritatem & alias, quas diximus, vult Ars, quòd homo conſideret, & quòd illam applicet ad propoſitum; quia cum illis voluntas eſt ligabilis ad magìs amandum ea, in quibus eſt plus amabilitatis quàm ad amandum ea, in quibus eſt minus; cùm voluntas naturaliter debeat magìs amare majora quàm minora, quia ſunt magìs amabilia: & quia Ars docet habere cognitionem de majori amabilitate rerum, ideo Ars eſt ratio ligandi voluntatem in dando illi pro objecto potiùs illa, quæ ſunt magìs amabilia quàm illa, quæ non ſunt tam amabilia: hanc doctrinam docet Ars, ſecundùm quòd apparet in ſuo proceſſu per figuras, regulas, definitiones, conditiones & quæſtiones.

2. *Majoritas Amoris eſt illa, in qua Amans & Amatus ſunt æquales in amando*; nam quia Amans & Amatus æquantur in amando, ita quòd Amans tantúm amat Amatum quantúm ſe ipſum, & Amatus ſimiliter, & quòd Amans amat ſuum Amatum tantúm, quanta eſt ſua tota entitas & entitas Amati, & è converſo, tunc eſt in illo amare æqualitas

amativi, amabilis, amantis, amati & amoris; & in omnibus istis terminis bonitas, magnitudo, duratio, potestas &c. sunt æquales, ideo in hoc amore non est minoritas, nec per consequens majoritas; nam quia in illo non est minoritas, non potest esse majoritas: unde ratione hujus majoritas amoris est illa, in qua non est realiter majoritas neque minoritas; hæc major majoritas amoris est desiderabilis, & cum sua desiderabilitate voluntas est ligabilis ad amandum bonum, cùm desiderabilitas sit magìs amabilis secundùm majoritatem quàm secundùm minoritatem: ergò in objectando voluntati majorem majoritatem amoris voluntas est ligabilis, quod objectare docet Ars inquirendo majoritatem amoris, & minoritatem bonitatis, magnitudinis &c., & miscendo unum principium cum alio, secundùm quòd apparet in suo processu.

3. Ars requirit, quòd illi, qui volunt ligare suam voluntatem ad amandum bonum, & suum intellectum ad intelligendum verum, cum ambabus definitionibus vadant ad *decimam sextam Regulam*, si voluntas se velit ligare sub ratione majoritatis & patientiæ; sicut si homo velit habere patientiam sub ratione majoris amoris, vult Ars, quòd, secundùm quod Regula tractat de patientia, homo habeat patientiam ad habendum majoritatem amoris, sicut homo, qui ad hoc, ut possit habere magnam patientiam, est patiens sub hominibus, qui habent majorem potestatem quàm ille, & sub illis, qui illi sunt æquales, & qui sunt minores in potestate & in aliis similibus principiis substantiæ, & quòd per omnes illas similitudines sit patiens, ut patientia illi sit causa boni magni &c. amoris: hæc patientia & majoritas amoris sunt valdè amabiles, cum qua amabilitate voluntas est ligabilis cum omnibus similitudinibus principiorum substantiæ: & hoc ligamen docet Ars in dando cognitionem principiorum & similitudinum ipsorum, & in repræsentando voluntati amabilitatem sub forma majoritatis amoris & patientiæ, quæ est naturaliter amabilis à voluntate.

De Æqualitate.

1. *Æqualitas est subjectum, in quo quiescit finis concordantiæ ipsius bonitatis &c.* In substantia æqualitas est substantiale principium existens subjectum omnibus æqualitatibus substantiæ exeuntibus ab illa substantiali æqualitate, ut finis æqualis concordantiæ & æqualis bonitatis & æqualis magnitudinis &c. in illa quiescat, ita quòd principia sint æqualiter substantiales partes substantiæ; & hoc idem sequitur de partibus accidentalibus: hæc æqualitas est radicalis, & est passiva & propria in qualibet substantiarum, habente quâlibet substantiâ suam propriam & individuam æqualitatem & ita numeralem, sicut habet suam propriam & individuam bonitatem, magnitudinem &c.: quam propriam individuam æqualitatem nulla substantia posset habere, si æqualitas non esset pars substantialis substantiæ; quia finis æqualis concordantiæ ipsius bonitatis &c. non haberet substantiale subjectum quietis, quia magnitudo deficeret bonitati concordantiæ &c., & è converso, unde substantia destrueretur, quia deficiente uno principio alteri, convenit, omnia alia sibi ipsis ad invicem deficere; cùm omnia principia naturaliter sint unum in alio: igitur æqualitas est in substantia pars substantialis, quæ transmittit suam similitudinem in alias partes, ratione cujus bonitas, magnitudo &c. sunt æquales in substantialitate & in realitate & unitate substantiæ, & recipiunt æqualiter similitudinem de æqualitate; per quam quælibet æqualiter transmittit suam similitudinem in aliam: unde tota substantia est plena æqualitate radicaliter; sed secundùm quòd substantia assumit à rebus nutrimentalibus, per quas vivit de rebus exterioribus comedendo & bibendo, odorando & tangendo, habet proportionatam æqualitatem, secundùm quòd in substantia quædam radicales qualitates recipiunt nutrimentaliter plus à rebus extrinsecis quàm aliæ; velut ignis, qui in cholerico recipit plus caloris à rebus extrinsecis, quàm terra siccitatis, & aër humiditatis, & aqua frigiditatis.

Secundùm hoc, quod diximus de substantiali æqualitate in elementatis substantiis, potest intelligi de æqualitate, quæ est in intellectualibus substantiis; velut in anima rationali, in qua æqualitas est pars substantialis, ne magnitudo deficiat bonitati, durationi & fini concordantiæ, & è converso; & ne quædam principia inæqualiter transmittant suas similitudines in alia principia: veruntamen æqualitas actuum potentiarum est proportionata, secundùm quòd una potentia magìs utitur similitudinibus quàm aliæ; sicut voluntas devoti hominis, quæ magìs utitur suâ propriâ similitudine & similitudinibus, quas recipit ab aliis principiis, quàm intellectus, qui non habet tantum de Scientiâ, quantum voluntas de Amantiâ, & è converso: hæc æqualitas proportionabilis est illa, quam nos inquirimus, ad quam voluntas & intellectus sunt ligabiles cum suis propriis similitudinibus, cùm æqualitas sit amabilis & intelligibilis sub ratione bonitatis, magnitudinis &c.; ad quam æqualitatem monstrat Ars applicare actus potentiarum, miscendo unum principium cum alio, & sequendo illorum processum.

2. *Æqualitas Amoris est illa, in qua Amans & Amatus se adæquant in amare Amantem & Amatum*; veruntamen non possunt æquari in amare sinè æqualitate amativi & amabilis, neque sinè æqualitate bonificativi & bonificabilis, & bonificativi & bonificativi, bonificabilis & bonificabilis; & sic de magnitudine, duratione &c.: ista æqualitas amoris tam alta & tam bona & tam magna non potest esse nisi in DEO tantùm; si enim esset in creatura, æqualitas non haberet subjectum, in quo esset major in DEO quàm in creatura; & quia convenit, quòd hæc æqualitas sit in DEO, ut magnitudo æqualitatis non deficiat bonitati, durationi &c., magnitudo æqualitatis bonitatis, durationis &c. est amabilis in creaturis, cum qua amabilitate voluntas est ligabilis ad amare bonum, & disligabilis ab amare malum: hoc ligamen docet Ars in dando doctrinam de æqualitate amandi in magnitudine bonitatis &c., & in applicando magnitudinem amabilitatis ad amativum sub ratione bonitatis, magnitudinis &c.; cui amativo est naturale amare æqualitatem sui ipsius & sui amabilis.

3. *In decima septima Regula*, quæ est de Satisfactione, sequendo suum processum, & applicatis duabus definitionibus ad suum processum, formatur universale, in quo apparet particulare quæsitum sub forma æqualitatis amoris & bonitatis &c. & sub forma satisfactionis, quod particulare est medium ad ligandum voluntatem ad amandum bonum, & intellectum ad intelligendum verum; velut homo, qui satisfacit suo bono magno &c. amativo de bono magno &c. amabili, & satisfacit suo bono magno &c. amabili de bono magno &c. amativo, quam satisfactionem facit æqualiter in amare amativi & amabilis, secundùm hoc, quod diximus de æqualitate: de hac satisfactione non potest se voluntas defendere naturaliter, sed contra naturam se defendit ab illa, & resistit illi contra suas proprias similitudines & contra similitudines bonitatis, magnitudinis &c. cum dissimilitudinibus illarum, quæ sunt malitia, parvitas, vitia, falsitas &c.: ab his dissimilitudinibus docet Ars disligare voluntatem, applicando suum amare ad Regulam & ad Definitiones; quæ applicatio est voluntati naturaliter amabilis, & suum contrarium est illi odibile.

De Minoritate.

1. *Minoritas est ens propè non esse.* In substantia minoritas est substantialis & accidentalis; substantialem minoritatem convenit esse unam partium substantialium, quæ uniunt & componunt substantiam; nam si hoc non esset, nulla suarum partium substantialium esset determinata & finita sub propria finitate & determinatione, & essent infinitæ & æquales: ex quo sequeretur, quòd substantia esset infinita in bonitate, magnitudine &c., & sic esset DEUS, & omnia non essent nisi una substantia tantùm; quod est impossibile: ergò propter omnes istas rationes & propter multas alias minoritas est pars substantialis substantiæ; quæ minoritas dat suam similitudinem aliis principiis substantiæ, veluti bonitati, magnitudini &c., quæ sunt minores accidentaliter quàm substantialiter, & ratione minoritatis sunt propinquæ ipsi non esse: istæ similitudines, quas minoritas dat & influit principiis substantiæ, sunt accidentia sub habitibus minoritatum, & secundùm illa habet substantia inclinationem ad non esse naturaliter, cùm sit producta de non esse secundùm viam creationis; & istæ minoritates implicant alias minoritates, quæ sunt majores minoritates & propinquiores ipsi non esse; scilicet peccata mortalia & venialia, & mortalia sunt propinquiora ipsi non esse quàm venialia, quia sunt de majoribus minoritatibus bonitatis, magnitudinis &c., hoc est, de majori privatione virtutum sustentatarum in minoritate bonitatis, magnitudinis &c. contra sustentationem majoris bonitatis, magnitudinis &c.

Istæ majores minoritates sunt tam magnæ, quòd non possint esse majores, & sunt tam magnæ, quòd pervertantur in dissimili-

militudinem virtutum & bonitatis, magnitudinis &c.; ſicut malitia, quæ eſt privatio bonitatis; & vitioſa parvitas, quæ eſt contraria ſimilitudo virtuoſæ magnitudinis; & vitium, quod eſt diſſimilitudo virtutis: iſtæ diſſimilitudines ſunt habituatæ ſub minoritate, contrarietate & vitiis, & ſunt naturaliter odibiles, & ipſorum contraria amabilia; veluti virtutes & bona opera: iſtæ virtutes & bona opera quantò ſunt majora, tantò magìs ſe habent ad eſſe, & quantò magìs ſe habent ad eſſe, tantò ſunt majora & magìs amabilia; & vitia & mala opera quantò ſunt majora, tantò magìs ſe habent ad non eſſe; & ideo quantò minoritas eſt major, tantò propinquior eſt ipſi non eſſe, & quantò eſt minor, tantò remotior eſt à non eſſe: unde ratione hujus ſequitur, quòd venialia peccata ſint magìs remota à non eſſe quàm mortalia: igitur minoritas eſt propinqua ipſi non eſſe, & una minoritas eſt propinquior quàm alia, ſecundùm hoc, quod diximus; & quò magìs minoritates uniuntur & conjunguntur in aliqua ſubſtantia, eò magìs implicant in illa majoritatem minoritatis, ſicut majoritas, quæ eſt tantò major in ſubſtantia, quantò de majoribus rebus eſt conjuncta: unde cùm hoc ita ſit, ſignificatur & datur doctrina, quomodo voluntas ſit ligabilis ad amandum bonum, inquirendo minoritatem, ſecundùm quòd diximus, & dando voluntati odibilitatem minoritatis, & amabilitatem majoritatis ſequendo proceſſum Artis.

2. *Minoritas Amoris eſt illa, quæ eſt defectiva in amare*; & ideo majoritas amoris eſt illa, quæ eſt perfectiva in amare: ratio, quare minoritas amoris eſt defectiva in amare, eſt, quia homo poteſt trahere plus ſimilitudinis in ſuo amare de ſubſtantiali minoritate, quàm de ſubſtantiali majoritate; & ideo in illo amare concurrunt omnes ſimilitudines aliorum principiorum ſub majori habitu minoritatis quàm majoritatis; ex quo ſequitur minoritas amativi, amabilis & amare; & hoc idem de minoritate bonificativi, bonificabilis & bonificare &c.; & ideo omnes ſimilitudines principiorum exiſtunt defectivè in amore, & amor eſt habituatus & veſtitus de minoritate; quæ minoritas eſt naturaliter odibilis, quia importat vitium contra virtutem, & malitiam contra bonitatem, & minoritatem magnitudinis contra majoritatem &c.: & quia talis odibilitas naturaliter concordat cum amabilitate, docet Ars, quomodo cum amabilitate majoritatis perfectivæ in amore, voluntas ſit disligabilis à minoritate amoris, intellectu diſcurrente per ſupradicta, & dante illa pro objecto voluntati ſecundùm ipſorum amabilitatem vel odibilitatem.

3. *In decima octava Regula* eſt dictum, quomodo homo liget ſuam voluntatē ad amandum bonum, conſiderando res, ſecundùm quòd ſunt conſiderabiles; nam in illa conſideratione amativū conjungitur ſuo amabili: ergò conſiderando res ſecundùm proceſſum Regulæ & ſecundùm duas ſupradictas Definitiones ligatur voluntas ad amandum bonum, cùm illi ſit naturale magìs amare majoritatem amoris quàm minoritatem, & eſſe quàm non eſſe, & magìs amare magnitudinem bonitatis quàm parvitatem, & ſic de aliis principiis; ſicut ſi ſuperbus homo deſideret ligare ſuam voluntatem ad humilitatem, conſiderando minoritatem ſuorum principiorum, ſecundùm quam eſt propinquus ipſi non eſſe; & conſiderando majoritatem ſuorum principiorum ſecundùm quam ſe habent ad eſſe; quia in hac conſideratione voluntas erit ligabilis ad amandam humilitatem, cùm venerit de minoritate, & ad odiendam ſuperbiam in amabilitate humilitatis, amando majoritatem ſuorum principiorum; veluti majoritatem bonitatis, magnitudinis &c., quæ eſt amabilis ſuper minoritatem bonitatis, magnitudinis &c.

Diximus de Definitionibus Principiorum Amantiæ, & data eſt Doctrina, ſecundùm quam homo applicet Definitiones ad Regulas in formando univerſale ex Definitionibus & Regulis, in quo particulare poteſt inveniri affirmando vel negando, ſecundùm quòd exemplificavimus de qualibet Definitione ſub certa Regula.

INCI-

INCIPIT QUARTA DISTINCTIO, QUÆ EST De Conditionibus hujus Artis.

1. *Conditio eſt regulatus & ordinatus proceſſus, fundatus ſuper proprietates rerum, per ſe apparens, ſignificans naturas rerum & ipſarum definitiones.* In hac Diſtinctione multiplicantur Conditiones, miſcendo unum Principium hujus Artis cum aliis ſecundùm mixtionem, quæ apparet in *quarta Figura*, hoc eſt, *quòd de tribus Principiis fiat una Conditio*; ſicut de bonitate, magnitudine & æternitate, de quibus facimus unam Conditionem; & de bonitate, magnitudine & poteſtate de quibus facimus aliam; & ſic de bonitate, æternitate & poteſtate, quæ componunt aliam; & ſic de gradu in gradum artificialiter & ordinatè, donec omnes *Conditiones ſint octingentæ triginta quatuor*; ſicut apparet in hâc Diſtinctione.

2. Quælibet Conditio eſt univerſale, in quo poſſunt inveniri multa particularia, concludendo de illis tali modo affirmando vel negando, quòd ſemper concordent cum ſuo univerſali, quod eſt per ſe apparens, & quod fortificatur in ſuis principiis, ex quibus eſt compoſitum, quæ principia ſunt de hac Arte & de ipſorum explanationibus, & ſecundùm quòd definiuntur & explanantur in ſecunda Diſtinctione hujus Artis, eſt Conditio per ſe exiſtens & apparens: unde ratione hujus, ſi particulare contradicat Conditionibus affirmando vel negando, convenit aſſumi ſuum oppoſitum in concluſione; *& hæc eſt generalis Regula in tota practica hujus Artis.*

3. In qualibet Conditione convenit conſiderare *ſex Definitiones*, hoc eſt, *tres* ſub ratione *Scientiæ*, & alias *tres* ſub ratione *Amantiæ*; velut in *prima Conditione*, quæ eſt in Rubrica *bonitatis*, *magnitudinis*, *durationis*, ubi convenit conſiderare definitionem bonitatis, magnitudinis, durationis ſub ratione Scientiæ; in illa eadem Conditione convenit conſiderare definitionem boni amoris, magni amoris & durabilis amoris ſub ratione Amantiæ; quia cum tali conſideratione poteſt homo fortificare conditionem, & ad illam applicare illa particularia, quæ illi conveniunt affirmando vel negando ſub ratione illarum definitionum; & hoc idem ſequitur de aliis Conditionibus & de ipſarum particularibus.

4. Quædam Conditiones ſunt in hac Arte, quæ ſunt particulares, quia ſunt applicatæ & contractæ ad aliquod particulare, ita quòd ſecundùm proprias proprietates illius conveniant illi, & non alteri, veruntamen ſunt univerſales, in quantum homo illis poteſt applicare omnia, quæ de illo particulari poteſt prædicare & quærere; & in quantum homo de iſtis particularibus Conditionibus poteſt trahere alias generales Conditiones, & illas applicare omni enti univerſali, applicando illas Conditiones univerſalibus Definitionibus principiorum, cum quibus & de quibus homo vult multiplicare Conditiones: & hanc doctrinam docet Ars in capiendo proprietates diſſimiles illis ipſius particularis, ad quod Conditiones particulares ſunt contractæ, & ponendo illas diſſimilitudines ſub generali forma; ſicut ſi aliqua particularis Conditio eſt contracta ad DEUM ratione aliquarum propriarum proprietatum, tunc homo capiat proprietates diſſimiles illis proprietatibus DEI, quæ pertinent in generali ad omnes creaturas.

5. In qualibet Conditione convenit reſpicere ad particularia, quæ conveniunt cum illa conditione ſub habitu Scientiæ, vel ſub habitu Amantiæ, & magìs ſub habitu Amantiæ, quàm ſub habitu Scientiæ, quia magìs contrahimus hanc Artem ad Amantiam quàm ad Scientiam; ſed ſecundùm quòd illam contrahimus ad Amantiam, poteſt homo illam applicare & inducere ad Scientiam.

6. Quoniam iſtæ Conditiones ſunt univerſales, in quibus apparent petita particularia, & quia proponimus facere Quæſtiones ad has Conditiones, ideo ut evitemus impedimentum hujus applicationis, poni-

ponimus numerum in Conditionibus, ad quas transmittimus ſpeciales Quæſtiones, correſpondente numero Conditionum numero Quæſtionum, ſecundùm quòd convenit, applicando quamlibet Quæſtionem ad certam Conditionem ſignificatam per ſpecificum numerum, & ſub certa & determinata Rubrica, ſicut apparet in proceſſu Conditionum & Quæſtionum; veluti ad primam Conditionem bonitatis & magnitudinis transmittitur prima Quæſtio de bonitate & magnitudine, & ad ſecundam Conditionem transmittitur ſecunda Quæſtio; & ſic de aliis per ordinem.

7. Per quamlibet harum Conditionum voluntas eſt ligabilis ad amandum bonum, & intellectus ad intelligendum verum, conſiderando & deſignando id, quod conditio ſignificat per ſe ipſam, & ſecundùm proceſſum ſuorum principiorum & totius Artis; ſicut in prima Conditione & in multis aliis ſequentibus, in quibus ſignificatur, DEUM eſſe, cujus ſignificatio ligat voluntatem ad amandum bonum, & intellectum ad intelligendum verum, revelando ſecreta & naturas principiorum.

8. In hoc proceſſu, quando dicimus: amans, amicus, amatus, amativus, amabilis &c., aliquoties ſimpliciter intelligimus DEUM per amantem, amicum & amatum, amativum & amabilem, ſed maximè per amantem, amicum, amativum, intelligimus hominem contemplativum, qui amat noſtrum Dominum DEUM, & loquentem cum illo in ſecunda perſona; & aliquoties intelligimus hoc inter hominem & ſuum proximum, & aliquoties poteſt attribui homini & DEO & ſuo proximo; & hoc idem ſequitur in proceſſu Quæſtionum: & omnia iſta ſignificantur in diſpoſitione Conditionum & Quæſtionum.

Bonitas Magnitudo.

1. BCD. AMicus tantum amabat & deſiderabat bonitatem, magnitudinem & æternitatem ſui Amati, quòd per ſuum amorem concordabant bonitas, magnitudo & æternitas, ut eſſent una eſſentia & natura, unum idem in numero in Amico & in Amato.

2. BCE. Quia bonum eſt eſſe, & malum eſt non eſſe, Amicus deſiderat eſſe, & maximè, ut poſſit amare eſſe ſui Amati cum magnitudine & poteſtate bonitatis.

3. BCF. Quia à ſapientia Amici infinitas bonitatis & magnitudinis ſui Amati erat magìs ſcibilis, amor Amici naturaliter magìs amabat res infinitas in bonitate, magnitudine & ſapientia, quàm finitas.

4. BCG. Amor Amici erat infirmus, quia non poterat tantúm amare in ſua ratione magnam bonitatem ſui Amati, quàm magna realiter eſt bonitas Amati.

5. BCH. Si virtus amoris haberet majorem bonitatem & magnitudinem in potentia & in habitu, quàm in actu, deficerent nobili Amato amatores in virtute amoris bonitatis & magnitudinis.

6. BCI. Si illud non eſſet verum, per quod Amicus magìs poteſt amare magnitudinem bonitatis ſui Amati, abundaret magnitudo malitiæ falſitati, & deficeret magnitudo bonitatis veritati.

7. BCK. Gloria Amati eſt tam major in magnitudine bonitatis, quàm gloria Amici, quòd Amicus amat gloriam ſui Amati per primam intentionem, & amat ſuam propriam per ſecundam.

8. BCTB. Amans & Amatus exiſtentes diſtincti & inconfuſi in amore amant ſe in una eadem indiſtincta & inconfuſa eſſentia & natura bonitatis, magnitudinis & amoris.

9. BCTC. Si non eſſet plus concordantiæ quàm contrarietatis, magnitudo bonitatis non ſufficeret amori Amici, qui amat ſuum amabilem Amatum, & magnitudo malitiæ ſufficeret inimico, qui odit amabilem Amatum.

10. BCTD. Si in amore eſſet major contrarietas quàm concordantia, quodlibet contrarium eſſet cauſa ſuo contrario in magnitudine bonitatis amoris, & Amicus amaret ſuum Amatum cum magnitudine malitiæ.

11. BCTE. Si materia amoris eſſet major in magnitudine bonitatis quàm forma amoris, Amicus poſſet magìs amare ſuum Amatum cum paſſione quàm cum actione, & Amatus eſſet magìs amabilis, quàm amatus.

12. BCTF. Sinè medio amoris, quod eſt inter Amantem & Amabilem, bonitas & magnitudo eſſent vacuæ amore.

13. BCTG. Si non eſſet finis amoris, non eſſet, in quo poſſent quieſcere bonitas & magnitudo Amici & Amati; & ſic eſſet plus laboris quàm quietis, & inordinationis quàm ordinationis.

14. BCTH. Quia Amans amabat in ſuo Amato

Amato majorem magnitudinem bonitatis & amoris, quàm in illo poteſt amare, Amans deſiderat, quòd bonitas, magnitudo & amor ſint majores in ſubſtantia ſubſtantialiter quàm accidentaliter.

15. BCTI. Si Amicus non amaret cum magnitudine bonitatis ſuum Amatum, non amaret æqualiter exiſtentiam & apparentiam amoris in ſuo Amato.

16. BCTK. Bonitas & magnitudo Amici jacebant infirmæ in illo amore, qui eſt minor in fine quàm in medio; ſanat illas Amatus, quando facit amorem exiſtere majorem in fine quàm in medio.

Bonitas Æternitas.

1. BDE. AMicus tantúm amabat bonitatem, æternitatem & poteſtatem ſui Amati, quòd deſiderabat, quòd bonitas, duratio & poteſtas eſſent majores in cauſa quàm in ſuo effectu.

2. BDF. Amicus habet ſapientem amorem in bonitate duratione, quando ſcit & deſiderat majoritatem finìs inter ſe & ſuum Amatum.

3. BDG. Amicus non deſideraret habere quietem in amare ſuum Amatum, ſi finis eſſet nobilior & major in æternitate, quàm in bonitate, magnitudine & amore.

4. BDH. Si finis amoris non ſe haberet ad amorem & per amorem, non pertineret ad illum eſſe in bonitate nec in æternitate nec in virtute, in quibus conveniret eſſe non finem amoris.

5. BDI. Amicus tam veraciter amat ſuum Amatum, quòd omnia opera, quæ ſunt de ſuo Amato, illi ſunt bona, durabilia & amabilia, & eorum privatio illi eſt odibilis.

6. BDK. Si in Amato non eſſet amor bonitatis in æternitate, & æternitatis in bonitate, non haberet Amicus, in quo poſſet glorificari in amore Amati, & finis amoris eſſet major in ſpecie, quàm in ſuis individuis.

7. BDTB. Differentia amoris non eſſet inconfuſio bonitatis & æternitatis exiſtentium una eadem res, ſi eſſe ſupremi Amati eſſet odibile, & privatio illius eſſet deſiderabilis.

8. BDTC. Bonitas & æternitas Amati, & amor Amici concordant omnes tres, ut finis amoris ſit major in eſſe, quàm non finis amoris in privatione.

9. BDTD. Amicus amat concordantiam ſui Amati cum tam magno amore, quòd nulla contrarietas illum poteſt impedire ab amare magìs neceſſitatem finìs in bonitate & æternitate quàm impoſſibilitatem finìs.

10. BDTE. Amicus amabat bonitatem æternitatis cum principiis amoris, ut eſſet nobilior in amare quàm irrationalia animalia in habere appetitum.

11. BDTF. Amicus non amaret bonitatem durationis, ſi ſuus Amatus non eſſet, quia deficiente ſuo Amato in eſſe, deficeret medium, per quod eſſe eſt id, quod eſt.

12. BDTG. Amatus eſt tam deſiderabilis ab Amico, quòd Amicus amat omnes fines bonitatis & durationis in amare finem ſui Amati.

13. BDTH. Si Amatus non eſſet in illa bonitate, in qua Amicus poteſt magìs amare ſuum Amatum, eſſet æternitas in majori majoritate minoritatis, & non æternitas eſſet in infinita minoritate.

14. BDTI. Si Amans & Amatus non poſſent æquari amore in bonitate & æternitate, affirmatio concordaret cum non eſſe, & negatio cum eſſe.

15. BDTK. Amicus elongat ſuum amare à minoritate bonitatis & durationis quantúm poteſt, ut poſſit magìs amare ſuum Amatum in eſſe quàm in privatione.

Bonitas Poteſtas.

1. BEF. AMor bonitatis non poſſet ſufficere ſapientiæ, ſi non amaret in bonitate bonificantem & bonificabilem, qui eſſent objecti ſapientiæ.

2. BEG. Amicus hauriebat amorem in fonte bonitatis & poteſtatis, ut amaret ſuum bonum & potentem Amatum cum amoroſo amare.

3. BEH. Amicus non poſſet virtuosè amare ſuum Amatum, ſi in Amato bonitas & poteſtas eſſent otioſæ.

4. BEI. Verus amor cum poteſtate bonitatis, & cum bonitate poteſtatis elongabat ſe à falſo amore, qui ſuos amatores malificat & conſtringit.

5. BEK. Bonitas, gloria & poteſtas ſunt habitus amoris in Amico, qui amat ſuum bonum glorioſum & potentem Amatum.

6. BETB. Amicus deſcendit in abyſſum amoris recolere, intelligere & amare ſuum Amatum, qui eſt inconfuſus in abyſſo bonitatis & poteſtatis.

7. BETC. Amicus ſtabat & habitabat in concordantia amoris, poteſtatis & bonitatis, ut concordaret cum ſuo Amato,

& ut resisteret omnibus suis inimicis.

8. BETD. Cum potestate bonitatis & amoris resistit Amicus potestati malitiæ & falsi amoris.

9. BETE. Amicus amplectebatur & recolligebat in suo amare principia bonitatis, potestatis & amoris, ut suum amare illi posset sufficere ad amandum suum bonum potentem & amabilem Amatum.

10. BETF. In medio bonitatis & potestatis Amicus posuit suam voluntatem, ut illam constringerent ad amandum suum bonum & potentem & amantem Amatum.

11. BETG. Amatus se absentavit à suo Amico in fine potestatis, bonitatis & amoris, ut Amicus illum quæreret in illo fine, & ut iret per vias potestatis, bonitatis & amoris.

12. BETH. Quia Amicus multiplicabat suum amare cum majoritate potestatis, bonitatis & amoris, non poterat abstinere ab amare suum Amatum, neque Amatus poterat abstinere à demonstrare suo Amico omnes amabilitates.

13. BETI. Amicus æquabat suam potestatem cum amore & bonitate, ut esset expeditus ad amandum suum Amatum.

14. BETK. Amicus implebat tam fortiter suum amorem potestate & bonitate, quòd in suo amare fuit elongata omnis minoritas amoris, quæ tollit amatores à suo Amato.

Bonitas Sapientia.

1. BFG. AMicus tantúm amat magnam bonitatem sui Amati, quòd tantúm amat opus bonitatis, quantúm sapientiæ & voluntatis.

2. BFH. Sicut sapientia Amici est virtuosa sinè omni fictione in scire bonitatem sui Amati, sic voluntas Amici est virtuosa sinè omni fictione in amare bonitatem sui Amati.

3. BFI. Bonitas non posset sufficere veritati amoris, si esset magis objectabilis ipsi amare amici, quàm suo intelligere.

4. BFK. Quò magis Amicus se subtiliabat in intelligere bonificantem & bonificatum in gloria sui Amati, eò magis sentiebat delectationem, & quò magis delectabatur, eò magis se subtiliabat.

5. BFTB. Si Amicus & Amatus non essent distincti in amare sapientiam & bonitatem, esset possibile, quòd Amicus posset odire & ignorare suum Amatum.

6. BFTC. Bonitas & Sapientia concordabant, quòd rogarent amorem Amici, quòd illas amaret in amore Amati.

7. BFTD. Quia bonitas Amati in bonificare contradicit malitiæ, Amicus contradicit ignorantiæ & odio in scire & amare suum Amatum.

8. BFTE. Ad hoc ut Amicus possit multùm assimilari suo Amato in principio sapientiæ & bonitatis, incipit amare suum Amatum in principio sapientiæ & bonitatis.

9. BFTF. In medio loco abundantiæ amoris bonitas & sapientia existebant amabiles, & amicus amabat illas cum omnibus principiis & finibus sui amare.

10. BFTG. Finis amoris erat vestitus ipso bonificare & intelligere, & finis ipsius amare erat vestitus ipso bonificare & intelligere.

11. BFTH. In majori bonitate & sapientia, quas Amatus potest invenire, perfecit amorem sui Amici, ut suum amare esset vestitum de bonificare & intelligere.

12. BFTI. Bonitas & sapientia se coæquarunt de amore, & bonificare & intelligere de amare, ideo amicus habebat abundantiam amandi, & amatus amici.

13. BFTK. In minoritate amoris non potest amicus perficere neque complere suum amare, ideo amicus ejicit minoritatem ab amore cum bonitate amandi & intelligendi.

Bonitas Voluntas.

1. BGH. UT voluntas possit amare bonitatem sui Amati, amat virtutes, & odit vitia.

2. BGI. Cum veritate bonitatis & amoris perficit Amicus suum amare, cum quo desiderat suum Amatum.

3. BGK. Amicus tantúm amabat bonam gloriam sui Amati, quòd suum amare colorabat & vestiebat glorioså bonitate.

4. BGTB. Quantò major est differentia Amici & Amati in bonitate & voluntate, tantò magis demonstrat & declarat Amico suum Amatum.

5. BGTC. Quia bonitas habet virtutem concordabilem, & voluntas concordativam, est concordantia inter Amicum & Amatum.

6. BGTD. Amicus, ut possit accedere ad suum Amatum, recedit ab omnibus malis voluntatibus, quæ illi resistunt ad amandum suum Amatum.

7. BGTE. Bonificabilitas & amabilitas se conjunxerunt & univerunt, ut essent principia

cipia ipsi amare Amici, qui amat suum Amatum.

8. BGTF. In bonificare, quod est in medio bonificativi & bonificabilis, est natum amare amativi & amabilis, cum quo amare Amicus amat suum Amatum.

9. BGTG. Bonitas invenit suum finem in amare, & voluntas invenit suum finem in bonificare, ideo bonitas vestiebat voluntati suum finem ipso bonificare, & voluntas bonitati ipso amare.

10. BGTH. Bonitas & voluntas invenerunt se in amico, & bonitas elongat amicum à majoritate malitiæ, & voluntas onerat amicum majoritate amandi.

11. BGTI. Amicus est consecutus suum Amatum in æqualitate ipsius amare bonitatis, & cum bono opere, & cum magno amare.

12. BGTK. Bonitas & voluntas evacuabant se bono, quando appropinquabant ad minoritatem amoris; & implebant se bono, quando se elongabant à majoritate malitiæ.

Bonitas Virtus.

1. BHI. BOnitas existebat in virtute, & virtus in bonitate cum tam magna veritate, quòd veritas illas convertebat in unum eundem amorem.

2. BHK. In gloria, quæ est amor, & de amore, & per amorem, stant bonitas & virtus & amor.

3. BHTB. Differentia amoris rogavit bonum amorem, quòd diceret virtuoso amori, quòd vitia multiplicabantur, & virtutes amoris peribant: unde illa rogabat eum, quòd oriretur & exiret in suum amorem.

4. BHTC. Ut Amicus possit amare suum Amatum cum concordantia, concordat bonitatem & virtutem in suo amore.

5. BHTD. Bonitas & virtus existebant inter Amantem & Amatum, quæ ejiciebant contrarietatem ab amore, & ponebant concordantiam in amare.

6. BHTE. Amor posuit amorem cum principio bonitatis & virtutis, ut Amans in illo amaret suum Amatum.

7. BHTF. Amare existebat in medio bonitatis & virtutis, ut essent in amore & de amore.

8. BHTG. Bonitas & virtus congregaverunt multos amatores, ut amarent finem amoris.

9. BHTH. Bonitas est virtus recurrerunt ad majoritatem amoris, ut multiplicaret in suis amatoribus virtutes & bona opera.

10. BHTI. In æqualitate amoris bonitas & virtus elongabant se ab inæqualitate Amici & Amati.

11. BHTK. Bonitas & virtus periclitabantur in minoritate amoris, in qua perirent, si amicus non multiplicaret amore suum amare.

Bonitas Veritas.

1. BIK. DUm Amans amorificabat amore suum Amatum, bonitas illum bonificabat, & gloria illum glorificabat, & veritas illum elongabat à falso & odibili amore.

2. BITB. Amans differentiat suum Amatum differentiâ amoris, veruntamen veritas & bonitas faciunt Amantem & Amatum esse unum & eundem amorem.

3. BITC. Tam magnæ auctoritatis est amor, quòd veritas & bonitas concordent, ut sint obedientes suo Amato.

4. BITD. Contrarietas amoris & concordantia amoris resistebant sibi super veritate & bonitate amoris, vincebat contrarietas, plorabat concordantia, & plangebat Amatus.

5. BITE. Amicus habuit spem in veritate & bonitate, quòd ei principiarent suum amare de se ipsis & de amore.

6. BITF. Quia bonitas & veritas sunt amabiles, sunt media Amato, quòd cum illis liget suam voluntatem ad amandum bonum, & intellectum ad intelligendum verum.

7. BITG. Cum accidentali bonitate, veritate & amore ligabat Amicus finem sui amare ad substantialem bonitatem, veritatem & amorem.

8. BITH. Quia bonitas & veritas ipsius amare sunt majores quàm Amicus, Amicus est propinquus malitiæ & falsitati, quæ ipsum elongant à suo Amato.

9. BITI. Bonitas nascitur à bonitate, & procedit in vas amoris, in quo veritas bibit amare Amici, ut sit æqualis suo bono Amato.

10. BITK. Quando Amicus non amat suum Amatum, malitia & falsitas procedunt à parvitate bonitatis & veritatis.

Bonitas Gloria.

1. BKTB. AMor sinè differentia Amantis & Amati non posset quiescere in gloria, neque amicus posset habere bonum amare.

2. BKTC. Concordantia gloriantis &

gloriati transit per bonitatem, & venit esse concordantia Amici & Amati in amare.

3. BKTD. Ipsi amare amici, qui vivit de gloria & de bonitate in amore, non possunt resistere pœna, malitia & otiosa voluntas.

4. BKTE. Amor principiavit suum amare in se ipso de gloria & de bonitate, ut amicus esset comprehensus & ligatus in amare.

5. BKTF. Bonitas & gloria quærebant medium amoris, cum quo possent ligare Amicum ad suum Amatum.

6. BKTG. Finis amoris accusavit non finem amoris apud gloriam & bonitatem, & bonitas & gloria expulerunt non finem amoris ab amare.

7. BKTH. Bonitas & gloria assuescebant procedere in majoritatem amoris, ut desuescerent amicum à minoritate amandi, & ut illum elongarent à malo & à pœna.

8. BKTI. Bonitas & gloria æquabant se in amore ipsius amare amativi & amabilis, ut amicus haberet bonam quietem in amare.

9. BKTK. Ut amor elonget amicum à parvitate amandi, bonitas est amabilis in gloria, quæ est delectatio & quies amandi.

Bonitas Differentia.

1. BTBC. QUia Amicus non potest concordare neque complere suum amare bonitate & amore sinè differentia sui ipsius & sui Amati, ideo differentia est amabilis in concordantia bonitatis & amoris.

2. BTBD. Quia concordantia non potest esse sinè differentia, est bonum, quòd differentia sit in amore, & quòd sit major in concordantia quàm in contrarietate.

3. BTBE. Differentia est principium, in quo & de quo & per quod Amicus & Amatus sunt distincti in bonitate & amore sinè distinctione bonitatis amoris & differentiæ.

4. BTBF. Amor est in medio loco bonitatis & differentiæ Amici & Amati, ut illic faciat existere suum amare.

5. BTBG. Amicus inquirebat cum differentia finem bonitatis, in quo delectabatur differentia Amici & Amati.

6. BTBH. Ut amicus possit contemplari majorem differentiam bonitatis, nascitur majoritas de majoritate in differentia bonitatis.

7. BTBI. In indistinctione differentiæ est indistincta bonitas Amici & Amati, qui se coæquant in amare.

8. BTBK. In bonitate & amore differentia Amici & Amati est indistincta, ut sit remota à malitia & â confusione & â parvitate amandi.

Bonitas Concordantia.

1. BTCD. BOnitas in concordantia amoris revelabat Amico secreta Amati, ut amaret amabilitates illorum secretorum, sed malitia & contrarietas resistebant bonitati, repræsentantes amico amabilia sub forma odibilitatis.

2. BTCE. Amicus principiat suum amare de bonitate & concordantia, ut in suo amare non sit malitia neque contrarietas.

3. BTCF. Amare, quod est medium inter Amicum & Amatum, elongabat amorem à malitia in bonitate, & à contrarietate in concordantia.

4. BTCG. Bonitas & concordantia inquirunt amico finem amoris, & amicus desiderabat illum invenire, ut bonitas, concordantia & amor quiescerent.

5. BTCH. Bonus amor antecedebat cum majoritate concordantiæ, & retrocedebat cum minoritate concordantiæ, & ideo fuit antè ad amandum cum majoritate concordantiæ quàm cum minoritate.

6. BTCI. In æqualitate Amantis & Amati bonitas est amabilis, & concordantia bonificabilis; ideo in illa æqualitate voluntas est ligabilis ad bonum concordabile amare.

7. BTCK. Amicus rogabat suum Amatum, ut illum elongaret à minoritate amandi, quia cum minoritate bonitas appropinquabat malitiæ, & concordantia contrarietati.

Bonitas Contrarietas.

1. BTDE. CUm oratione, contemplatione, devotione & amore incipit Amicus rogare suum Amatum, ut illum elongaret à contrarietate cum concordantia amoris & bonitatis.

2. BTDF. Amicus posuit concordantiam in medio bonitatis & amoris, ut contrarietas non posset impedire amare.

3. BTDG. Voluntas Amici rogabat bonitatem Amati, ut illi revelaret secreta sua, quæ illi sunt finis amandi, quia sunt amabilia; dum voluntas rogabat, bonitas exaudiebat, diebat, & malitia plorabat, & contrarietas plangebat, & Amicus amabat.

4. BTDH. Amicus posuit bonitatem in majoritate amandi cum concordantia, ut contrarietas amoris esset in minoritate.

5. BTDI. Amor & contrarietas resistebant sibi super æqualitate, quia amor desiderabat in æqualitate amabilia bona, & contrarietas desiderabat in illâ odibilia mala.

6. BTDK. Bonitas resistebat contrarietati cum majoritate concordantiæ, & malitia resistebat concordantiæ cum minoritate contrarietatis: ideo amicus in amare vincebat minoritatem cum majoritate.

Bonitas Principium.

1. BTEF. TAm bonum est amare, quòd bonitas illud facit existere in suo principio, medio & fine; & hoc idem facit amare: & ideo cum tali amare est voluntas ligabilis.

2. BTEG. Amicus ligat suam voluntatem ad bonum amare cum principio & fine bonitatis, quæ sunt amabilia; & amicus ligat suam bonitatem ad bonificare cum principio & fine suæ voluntatis, quæ sunt bonificabilia.

3. BTEH. Quia substantialis bonitas sub ratione majoritatis principiorum principiat de se ipsâ suam similitudinem, quæ est accidentalis bonitas, voluntas est ligabilis ad amandum bonitatem sub ratione majoris similitudinis.

4. BTEI. Quia principium facit bonitatem & amorem esse principia substantiæ, incipit amicus ligare suam voluntatem in æqualitate amoris & bonitatis, unde trahit æqualitatem bonificandi & amandi.

5. BTEK. Quantúm principium in bonitate facit bonificativum & bonificabile esse principia sub ratione minoritatis, tantúm voluntas est disligabilis â bono amare.

Bonitas Medium.

1. BTFG. IN medio amoris includit amicus finem bonitatis & amoris, ut sit subjectum, in quo amor & bonitas influat suis principiis, & ut sua principia refluant illam influentiam fini bonitatis & amoris per omnes similitudines illorum.

2. BTFH. Amicus posuit bonitatem in majoritate amoris, ut poneret medium amoris in majoritate bonitatis.

3. BTFI. Quia medium amoris est desiderabile in æqualitate principii & finis bonitatis, voluntas est ligabilis cum illo desiderio.

4. BTFK. Amicus invenit in medio amoris minoritatem bonitatis, & Amicus plorat tamdiu, donec Amatus ejicit minoritatem de bonitate, & in suo loco ponit majoritatem amoris.

Bonitas Finis.

1. BTGH. QUia substantialis bonitas sub ratione finis est finis accidentalis bonitatis, & quia substantialis bonitas est major sub ratione majoritatis quàm sua accidentalis bonitas, voluntas est ligabilis cum majoritate & cum fine in bonitate & amore.

2. BTGI. Amicus inquirebat æqualitatem bonitatis & finis, ut cum illa ligaret suum amare in æqualitate bonitatis & finis sui Amati.

3. BTGK. Amare amici moriebatur in minoritate finis & bonitatis, donec Amicus recurrebat ad amare bonitatem & finem sui Amati.

Bonitas Majoritas.

1. BTHI. CUm majoritate bonitatis & amoris æqualificat amicus suum amare de bonificativo & amabili, & de amativo & bonificabili.

2. BTHK. Amare Amici longo tempore fuit incarceratum in minoritate amoris, donec Amatus illum inde extraxit, & posuit in carcere majoritatis amoris & bonitatis.

Bonitas Æqualitas.

1. BTIK. SUper æqualitate Amantis & Amati pugnabant bonitas & minoritas, bonitas contradicebat minoritati cum esse, & minoritas contradicebat bonitati cum non esse: unde ratione hujus æqualitas habet concordantiam cum esse in bonitate, & cum non esse in minoritate.

Bonitas Minoritas.

1. BTK. BOnitas & majoritas in amare amici resistebant malitiæ & minoritati, & quia voluntas erat concors cum bonitate & majoritate, vincebant bonitas & majoritas, & projiciebant amare amici in magnitudinem amoris.

Magnitudo Æternitas.

1. CDE. MAgnitudo amoris non posset sufficere æternitati amoris, si æter-

æternitas esset magìs amabilis ratione sui existere quàm sui agere.

2. CDF. Amicus desiderabat & amabat, quòd magnitudo, æternitas, sapientia & amor essent infiniti in suo Amato, quia in illo sunt infinitè scibiles & amabiles.

3. CDG. Amor Amici desiderabat, quòd omnia illa sint in suo Amato, per quæ magnitudo & æternitas & voluntas Amati sunt magìs inalterabiles.

4. CDH. Quia in Amato sunt omnia illa, per quæ sua magnitudo & æternitas sunt magìs remotæ à vitiis in virtute, elongat amicus tantúm, quantúm potest, in virtute suam magnitudinem & durationem à vitiis.

5. CDI. Cum reali conversione in unitate numeri, qui est in magnitudine, æternitate & veritate Amati, ligat Amicus suam voluntatem ad amandum bonum, & suum intellectum ad intelligendum verum.

6. CDK. Amatus non esset amabilis ratione magnitudinis & æternitatis sinè gloriante & gloriabili, neque Amico sufficeret magnitudo & æternitas sui Amati.

7. CDTB. Cum inconfusione & realitate magnitudinis & æternitatis Amati ligabat Amicus suam voluntatem ad amandum bonum, & suum intellectum ad intelligendum verum, & realem inconfusionem suæ propriæ magnitudinis & durationis.

8. CDTC. Sinè concordantia Amantis & Amati in amore & amare, magnitudo non esset magna in amare, neque æternitas in æternare.

9. CDTD. Amicus tantúm amat magnitudinem & æternitatem sui infiniti & æterni Amati, quòd omnia illa amat, per quæ magnitudo & æternitas sunt magìs remotæ à contrarietate.

10. CDTE. Magnitudo non posset esse magna in æterno amore, si in amare amoris non essent principia amantis & amabilis.

11. CDTF. Si magnitudo æternitati non esset ratio essendi magna, neque æternitas magnitudini essendi æterna, medium amoris non esset magnificabile neque durabile.

12. CDTG. Amicus lætabatur, dum considerabat, quòd in magnitudine sui Amati tam fortiter conveniebat infinire, & in æternitate æternare, sicut in amore sui Amati amare.

13. CDTH. Natura magni amoris in Amico non consentit, quòd amet majorem durationem sui Amati, quàm infinitatem magnitudinis, potestatis, sapientiæ & amoris sui Amati.

14. CDTI. In magnitudine & in æternitate amoris est desiderabilis æqualitas magnitudinis & æternitatis, & magni & æterni, & magnitudinis & magnificare, & æternitatis & æternare, & magnificare & æternare.

15. CDTK. In æqualitate ipsorum infinire & æternare magnitudo & æternitas elongabant se à minoritate amandi.

Magnitudo Potestas.

1. CEF. SI potestas Amati non esset magìs potens in se ipsa quàm extra se ipsam, non esset scibilis nec amabilis cum magnitudine scitivitatis & amativitatis.

2. CEG. Magnitudo & potestas intrarunt in amorem, ut esset tam magnus & potens in operando quàm in existendo, & ut tantúm amaret agere magnitudinis & potestatis, quantum ipsorum existere.

3. CEH. Quia Amatus est tam magnus & tam potens, & habet tantam virtutem in esse hoc, quod est, per suum agere, quantam per suum existere, Amicus est in tanta potestate & virtute in esse hoc, quod est, per suum agere, in quanta est per suum existere, in hoc, quod est per se ipsum.

4. CEI. Amicus habet tam magnam potestatem in amare veritatem sui Amati, quòd tantúm amat verificare, quantúm amat veritatem.

5. CEK. Amicus non haberet magnam potestatem amandi gloriam sui Amati, nisi in illo tantúm amaret glorificare, quantúm amat gloriam sui Amati.

6. CETB. Ut Amans habeat magnam potestatem in amare suum Amatum, in suo Amato est magnitudo potestatis, & potestas magnitudinis sinè differentia magnitudinis & potestatis, existente ita differentiâ magnitudinis & potestatis, sicut existit magnitudo potestatis, & potestas magnitudinis.

7. CETC. Magnitudo & potestas habent tam magnam & potentem concordantiam in Amato, quòd tantúm concordant in unire Amati, quantúm concordant in sua unitate; & ideo habet Amicus tam magnam concordantiam cum suo Amato in amare ipsum unire unitatis, sicut habet in amare unitatem sui Amati.

8. CETD. Quia in Amato sinè omni contrarietate est magnitudo potestatis, & potestas

testas magnitudinis, desiderat Amicus, quòd suum esse esset de concordantia sui Amati.

9. CETE. Cum principio magnitudinis & potestatis principiat amicus suum amare in amore, ut semper principiet suum amare.

10. CETF. Amicus non haberet magnam potestatem amandi suum Amatum, si illum amaret per aliquam mediam similitudinem, quæ non esset de essentia & natura sui Amati.

11. CETG. Si Amatus magìs amaret se ipsum quàm esse amatus à suo Amico, amicus non haberet magnam potestatem in amare finem amandi.

12. CETH. In majori simplicitate magnitudinis & potestatis habet Amicus simplex amare, cum quo amat suum Amatum.

13. CETI. Si Amatus non amaret suum Amicum tantúm, quantúm se ipsum, magnitudo & potestas non haberent æqualitatem in amore nec in suo amare.

14. CETK. Ne magnitudo & potestas stent in amore cum minoritate amandi, Amatus & Amicus sunt de largitate amoris & amandi.

Magnitudo Sapientia.

1. CFG. QUia Amatus amat suum opus in tam magna magnitudine, quàm sapientia illud scit, amat Amicus opus sui Amati in tam magna magnitudine, quàm illud potest scire & amare.

2. CFH. Cum magnitudine amoris fortiùs concordant sapientia & virtus in ente, quod est actu, quàm in ente, quod est in potentiâ.

3. CFI. Si Amatus non amaret esse magnitudo sapientiæ Amici, deficeret in veritate sciendi & amandi suum Amicum, & idem faceret Amicus in scire & amare suum Amatum.

4. CFK. Nisi Amicus sciret se ipsum unire cum suo Amato, non haberet magnam sapientiam in scire gloriam sui Amati.

5. CFTB. Sinè magna sapientia Amatus & Amicus non possent scire se esse distinctos in amare.

6. CFTC. Si sapientia non sciret majorem concordantiam Amati & Amici, non sciret majorem magnitudinem Amati & Amici.

7. CFTD. Si sapientia non sciret majorem magnitudinem contrarietatis amabilitatis & odibilitatis, non sciret majorem magnitudinem concordantiæ amativitatis & amabilitatis.

8. CFTE. Amicus non sciret magnam unitatem sapientiæ sui Amati, nisi Amatus illum propriè principiasset in magnitudine unitatis & sapientiæ.

9. CFTF. Si medium ipsius amare esset inter Amicum & Amatum absque eo, quòd medium esset Amicus & Amatus, Amatus & Amicus non scirent nec amarent se cum magnitudine sapientiæ & amoris.

10. CFTG. Si finis amoris, cum quo Amicus amat suum Amatum, esset magis amabilis in minoritate magnitudinis & sapientiæ quàm in majoritate, magnitudo sapientiæ & amor deficerent fini ipsius amare, & finis ipsius amare magnitudini sapientiæ & amori.

11. CFTH. Magnitudo & sapientia Amati conjunxerunt & univerunt sibi ipsis magnitudinem sapientiæ Amici, ut abundarent magnâ scientiâ & amore.

12. CFTI. In æqualitate magnitudinis & sapientiæ univit Amatus suum Amicum, ut Amicus haberet æqualitatem magnitudinis & sapientiæ in suo amare.

13. CFTK. Sapientia est tam magna, quam Amatus habet in scire suum Amicum, quòd Amatus tantúm, quantúm potest, elongat suum Amicum à parvitate & ignorantia, & illum appropinquat amori & amare.

Magnitudo Voluntas.

1. CGH. SI voluntas & virtus non essent tam magnæ, quàm possunt esse per magnitudinem, deficeret magnitudo voluntati & virtuti, & similiter voluntas & virtus deficerent magnitudini.

2. CGI. Si veritas non poneret in vero tantum, quantum voluntas amat in magnitudine, deficeret voluntas vero, magno & amabili.

3. CGK. Quàm magnam actionem vult Amatus in Amico, tam magnam delectationem habet Amicus in magna gloria sui Amati.

4. CGTB. Quò major potest esse differentia Amici & Amati, eò major potest esse concordantia magnitudinis & voluntatis illorum.

5. CGTC. In majori concordantia magnitudinis & voluntatis concordant Amicus & Amatus.

6. CGTD. In magnitudine concordantiæ

Amici & Amati elongat se voluntas à contrarietate Amici & Amati.

7. CGTE. Magnitudo & voluntas Amati principiaverunt Amicum in concordantia Amati.

8. CGTF. In medio magnitudinis & voluntatis est unitum medium Amici, ut amet suum Amatum cum magna voluntate.

9. CGTG. Si Amatus non creasset suum Amicum in fine magnæ voluntatis, amicus non amaret illum in fine magnæ voluntatis.

10. CGTH. Quia Amatus habet majorem potestatem magnitudinis & voluntatis in sua unitate, quàm extra suam unitatem, desiderat Amicus esse unum & idem cum suo Amato.

11. CGTI. In æqualitate magnitudinis & voluntatis Amati potest fieri major æqualitas magnitudinis & voluntatis Amici.

12. CGTK. Si potestas & magnitudo & voluntas Amati non concordarent æqualiter in magnitudine & in voluntate Amici, non elongarent amicum à minoritate potestatis & magnitudinis & voluntatis.

Magnitudo Virtus.

1. CHI. AD magnitudinem virtutis & veritatis venit amor cum suo amativo & amabili, ut essent magni virtuosi veri in amare.

2. CHK. Magnitudo, virtus & gloria Amati transmiserunt per amorem suas similitudines Amico, ut amicus illas haberet in amare.

3. CHTB. Sinè differentia Amici & Amati amicus non posset habere magnam virtutem in amare.

4. CHTC. Amatus est tam amabilis, & illi convenit tam magnus & virtuosus amativus, quòd magnitudo, virtus & concordantia venerint existere in unitate Amici & Amati.

5. CHTD. Non esset magna concordantia virtutis & amoris inter Amatum & Amicum, si Amatus non elongaret suum Amicum à contrarietate in magnitudine virtutis, amoris & concordantiæ.

6. CHTE. Ut vitium non posset principiare in magnitudine ipsius amare, principiavit Amatus suum Amicum de magnitudine virtutis & amoris.

7. CHTF. Magnitudo, virtus & amor sunt media, per quæ & cum quibus Amicus & Amatus sunt conjuncti & uniti in amare.

8. CHTG. Amicus posuit in sua magnitudine & virtute finem amandi, ut magnitudo & virtus Amici quiescerent.

9. CHTH. Quia major virtus, quam Amicus potest habere in amare, est in magnitudine Amati, desiderat Amicus ire amare in magnitudine sui Amati.

10. CHTI. Virtus nascitur tam æqualiter de magnitudine & amore, quòd in uno amare Amati & Amici æqualiter existunt magnificare, verificare, æqualificare & amare.

11. CHTK. Ut Amatus elongaret minorem minoritatem ipsius esse à majori minoritate ipsius non esse, posuit Amatus suum Amicum in magnitudine & virtute sui esse.

Magnitudo Veritas.

1. CIK. QUò magìs propinquæ erant in gloriâ magnitudo, veritas & amor Amati, & magnitudo veritas & amor Amici, eò magìs quiescebat Amicus in amare suum Amatum.

2. CITB. Amicus & Amatus amabant se cum tam magna veritate, quòd de differentia amborum est facta una unitas.

3. CITC. Magnitudo & veritas concordârunt, quòd de multis amoribus facerent unum amorem Amici & Amati.

4. CITD. Veritas, quantúm potest, elongat se à suo contrario in magnitudine amoris Amici & Amati.

5. CITE. Magnitudo Amati posuit magnitudinem Amici in sua veritate & in suo complemento, ut illam magnificaret & vestiret veritate & principio.

6. CITF. Amatus mensurat amorem sui Amici cum tam magnis & tam veris mensuris amoris, quòd illum facit existere magnificare, verificare & amare.

7. CITG. Nisi Amicus intraret in magnitudinem & veritatem videre & amare suum Amatum, non posset quiescere in fine ipsius intelligere & amare.

8. CITH. Magnitudo & veritas associant se Amico, quando intrat videre & amare suum Amatum in majoritate amoris, ut parvitas & falsus amor non intrent cum amico.

9. CITI. Magnitudo Amati posuit magnitudinem Amici in æqualitate verificativi & verificabilis, ut amicus in illa haberet æqualitatem ipsorum verificare, magnificare & amare.

10. CITK. Nisi Amicus esset in magnitudine & veritate Amati, suum amare esset in parvitate amoris, & Amato deficeret amator in magnitudine veritatis & amare.

Magnitudo Gloria.

1. CKTB. UT gloria Amici & gloria Amati essent in magnitudine, convenerunt & univerunt se differentia Amici & differentia Amati.

2. CKTC. Si Amicus non esset substantia sui Amati, & Amatus substantia sui Amici, illorum gloria non esset in magna concordantia amoris.

3. CKTD. Amatus posuit suum Amicum in tam magna gloria, quòd illum elongavit ab omni contrarietate gloriæ & amoris.

4. CKTE. Si Amicus tam citò, quàm fuit principiatus, non principiâsset amare suum Amatum, Amatus non principiâsset illum in magna gloria amoris & amare.

5. CKTF. Amatus fecit suum Amicum magnosum gloriosum amorosum, ut amare amici esset medium illorum, cum quo Amicus & Amatus se amarent.

6. CKTG. In fonte magnitudinis & gloriæ bibebat Amicus amorem sui Amati, ut inveniret finem amoris in suo Amato.

7. CKTH. Nisi Amatus haberet unum Amicum majorem in magnitudine gloriæ & amoris quàm omnes alios amicos, non exaltâsset majoritatem Amici & Amati in magnitudine gloriæ & amoris.

8. CKTI. Ut æqualitas Amici existeret in æqualitate Amati, magnitudo & gloria posuerunt Amicum in Amato.

9. CKTK. Sicut convenit Amato, quòd elonget suum Amicum à majoritate pœnæ, & à majori minoritate magnitudinis, ita illi convenit, quòd illum faciat accedere ad majorem majoritatem magnitudinis & gloriæ.

Magnitudo Differentia.

1. CTBC. MAgnitudo differentiæ & concordantiæ est, quòd Amicus & Amatus sint distincti & concordantes, & quòd remaneant una differentia, una concordantia in amare.

2. CTBD. Differentia magnitudinis est, quòd in differentia Amici & Amati non sit ulla contrarietas.

3. CTBE. Magnitudo differentiæ est, quòd amor Amici & Amati principiet in ipsorum differentia & in ipsorum magnitudine amandi.

4. CTBF. Magnitudo differentiæ est, quòd medium amoris sit de differentia, & per differentiam, & in differentia.

5. CTBG. Differentia magnitudinis est, quòd finis ipsius amare sit finis differentiæ & magnitudinis.

6. CTBH. Si magnitudo non esset in majori differentia, & differentia in majori magnitudine, non esset majoritas amoris in amare.

7. CTBI. Si æqualitas non esset in magnitudine & in differentia, magnitudo non esset in differentia & æqualitate amoris Amici & Amati.

8. CTBK. Tam magna est magnitudo & differentia Amati & Amici, quòd in illa non potest esse minoritas neque parvitas amandi.

Magnitudo Concordantia.

1. CTCD. QUando concordantia amoris & contrarietas amoris sibi resistebant super amare Amici, recurrit concordantia ad magnitudinem sui Amati, & Amatus ejecit contrarietatem ab amare sui Amici.

2. CTCE. Amor principiavit suum amare in magnitudine & in concordantia, ut non deficeret amabilitatibus amabilis Amati.

3. CTCF. Quia erat parva concordantia inter Amicum & Amatum, medium amoris erat infirmum, & amor peribat in absentia magnæ concordantiæ Amici & Amati.

4. CTCG. Finis amoris non posset esse magnus sinè fine concordantiæ: unde ratione hujus amor affligebat & faciebat laborare Amicum, ut inquireret finem concordantiæ in magnitudine sui Amati.

5. CTCH. Quantúm magnitudo & concordantia existunt in majoritate ipsius amare, tantúm amor facit existere amicum in majoritate ipsius amare.

6. CTCI. Amicus & Amatus concordârunt in æqualitate magnitudinis, ut amor esset in æqualitate amandi.

7. CTCK. Cum concordantiâ amoris & magnitudinis fugit amicus à minoritate amandi.

Magnitudo Contrarietas.

1. CTDE. PArvitas & contrarietas amoris principiaverunt amare falsi amoris, ut amicus odiret vera & amabilia, & ut amaret falsa & odibilia.

2. CTDF. In medio magnitudinis & contrarietatis posuit se concordantia amoris, ut contrarius amor non multiplicaretur in magnitudine.
3. CTDG. Amare amici vivebat & moriebatur, vivebat in fine magnitudinis, & moriebatur in fine contrarietatis.
4. CTDH. Tantúm clamavit & ploravit & rogavit amicus majoritatem amoris, donec magnitudo amoris ejecit contrarietatem & parvitatem amoris ab amare amici.
5. CTDI. Si non esset æqualitas magnitudinis & concordantiæ, perverteretur contrarietas amoris in magnitudinem, quam habet concordantia amoris.
6. CTDK. Quantò magìs conjunguntur magnitudo & contrarietas, tantò magìs multiplicant minoritatem in amore & amare.

Magnitudo Principium.

1. CTEF. PRincipium principiavit medium amoris in magnitudine, ut inde nasceretur magnum & amorosum principiare.
2. CTEG. De substantiali magnitudine substantiale principium principiat substantiale amare, de quo amare principiat accidentale amare, cum quo ligat voluntatem Amici ad amare suum substantialem Amatum, qui est finis ipsius amare.
3. CTEH. Si principium de magnitudine non principiaret principiare, principium non principiaret suum principiare, neque amor suum amare in majoritate amoris.
4. CTEI. Principium amoris de magnitudine & amore æqualificat suum principiare, ut amare amoris non sit sinè principiare.
5. CTEK. De magnitudine & parvitate amoris principium principiat principiare, magnificare & amare, ut removeat parvitatem amandi â minoritate amoris in magnitudine principiandi & amandi.

Magnitudo Medium.

1. CTFG. MAgnitudo amoris & medium amoris invenerunt se in fine amoris, in quo fine occiderunt Amicum, qui amabat suum Amatum.
2. CTFH. Magnitudo amoris & majoritas amoris invenerunt Amicum in medio amoris, in quo tormentârunt Amicum per amorem.
3. CTFI. In æqualitate amoris magnitudo amoris & medium amoris concluserunt & incarcerârunt Amicum, ut non fugeret à laboribus, quos amor dat suis amatoribus.
4. CTFK. Quia Amicus non poterat sustinere labores amoris, voluit fugere â magnitudine amoris in parvitatem amoris, sed magnitudo & medium amoris ligârunt illum amore, qui illum induit languoribus, & lavit ploratibus, & elongavit à minoritate amandi.

Magnitudo Finis.

1. CTGH. MAgnitudo amoris intravit in finem amoris, ubi invénit amicum, qui plorabat & clamabat ad majoritatem amoris: amare, amare!
2. CTGI. Si non esset æqualitas amoris, magnitudo & finis amoris occidissent Amicum per amorem.
3. CTGK. Amicus, qui ibat cum minoritate amoris, ascendit amare suum Amatum cum magnitudine & fine amoris, ut esset proportionatus ad amandum suum Amatum.

Magnitudo Majoritas.

1. CTHI. AB inæqualitate amoris & amare elongabat Amatus suum Amicum cum magnitudine amoris, & cum majoritate amandi.
2. CTHK. A parvitate & minoritate amoris magnitudo & majoritas ejecerunt amare Amici, qui desiderabat amare suum Amatum cum majoritate amandi.

Magnitudo Æqualitas.

1. CTIK. UT Amatus haberet magnum amatorem, traxit Amatus Amicum à minoritate amoris, & posuit illum in æqualitate amoris.

Magnitudo Minoritas.

1. CTK. DUrabilis amor elevavit minoritatem amoris ad magnitudinem amoris, ut illam converteret in completum amare.

Æternitas Potestas.

1. DEF. ÆTernitas faciebat durare in Amico labores & languores, quos Amicus sustinebat per amare, & potestas faciebat Amicum potentem ad amandum suum Amatum, & hoc sciebat sapientia Amati.
2. DEG. Potestas amandi & voluntas amandi

amandi occidissent amare amoris, si æternitas non conservâsset Amicum in amare.
3. DEH. Quò magìs amare durat in Amico, eò magìs æternitas facit durare potestatem amandi in torquere Amicum; & quò magìs potestas facit languere Amicum, eò magìs nascitur virtus amoris in amare.
4. DEI. Omnes labores & languores, quos Amicus sustinebat per amorem, scribebat Amatus in veritate durationis & potestatis amandi.
5. DEK. Quia Amatus habet talem Amicum in durare, qualis ipse est in durare, posse & gloriari, quiescit in amare amici.
6. DETB. Quò magìs Amatus cum differentia à se elongabat Amicum, eò magìs cum duratione & potestate sibi illum appropinquabat.
7. DETC. In concordantia possendi & durandi Amicus erat ligatus, ut non fugeret à suo Amato.
8. DETD. Contrarietas amoris tentavit Amicum, & Amicus consensisset tentationi, nisi duratio Amati fecisset durare in Amico potestatem amandi.
9. DETE. Duratio & potestas principiârunt amare Amici in Amato, ut ille Amicus esset principium omnium aliorum amatorum, qui non habent amare principiatum in Amato.
10. DETF. Durabile amare & potens amor & medium amoris concordârunt, quòd sinerent Amicum torqueri, vilipendi & occidi à falsis amatoribus, & Amicus fuisset mortuus, nisi fuisset suus Amatus.
11. DETG. Postquam durabilis amor & potestas amoris quiescunt in fine amoris, non est mirum in Amico, si sustinet labores per amorem.
12. DETH. Ne Amicus eat amare in minoritate amoris, duratio & potestas tenent illum captum in majoritate amoris.
13. DETI. Ne Amicus deficeret ab amore, duratio & potestas Amati coæquârunt se in amare Amici.
14. DETK. Quantum in amare Amici duratio poterat ratione potestatis, & quantum potestas in illo amare durabat ratione durationis, tantúm elongabat Amatus suum Amicum à minoritate amoris.

Æternitas Sapientia.

1. DFG. ÆTernitas faciebat durare ipsum scire Amici, ut illi repræsentaret suas scibilitates, quæ sunt amabiles voluntati Amici.
2. DFH. Virtus nascitur de virtute in duratione & sapientia, ut Amicus habeat virtuosum amare, cum quo amet suum æternum sapientem virtuosum & amorosum Amatum.
3. DFI. Duratio transmisit sapientiam ad veritatem, ut verificaret amare Amici in amare res durabiles & scibiles sui Amati.
4. DFK. Duratio & sapientia voluerunt consolari Amicum, qui desolabatur, quia non poterat obtinere finem â gentibus, quòd daretur gloria suo Amato; & si consolaretur Amicus, duratio & sapientia deficerent sapienti & durabili amori.
5. DFTB. In duratione, & de duratione, & per durationem durabat differentia scientis & scibilîs, ut non cessaret amativum in amare scibile & amabile.
6. DFTC. De substantiali duratione & de substantiali sapientia procedunt accidentales similitudines, quæ concordant Amicum & Amatum in amare.
7. DFTD. Tantúm durabat in Amico scire in amare, & amare in scire, quòd nec contrarietas caloris & frigoris, famis & sitîs, nec ignominiæ, labores, amaritudines, paupertates, adversitates, infirmitates, nec mors poterant separare Amicum à suo Amato.
8. DFTE. De duratione & sapientia principiavit Amatus amare Amici, quia Amatus est perdurabiliter scibilis & amabilis.
9. DFTF. Duratio posuit suum durare in medio ipsius scire & amare, & sapientia posuit suum scire in medio ipsius durare & amare; & ideo durare & scire ligaverunt amare amoris in medio amativi & amabilîs.
10. DFTG. Amatus est tam durans & scibilis, quòd finis ipsius amare stat in scire & durare.
11. DFTH. Scire & amare Amici tamdiu duraverunt de duratione, donec ascenderunt ad majoritatem sapientiæ & amoris.
12. DFTI. Amare & scire Amici coæquarunt se in durare, ne unum deficeret alteri in honorare & servire suo Amato.
13. DFTK. Quia scibilitas Amati est durabilis, elongabat amor suum amare à minoritate amoris in duratione sui Amati.

Æternitas Voluntas.

1. DGH. ÆTernitas est amabilis, & virtuosus amor non amat aliam æternitatem.

2. DGI. Æternitas & veritas conquerebantur de amore, quòd non magìs amaret durabilia & vera, quàm transitoria & falsa.
3. DGK. Si duratio non faceret durare in amare amoris labores & languores, quos Amicus habet, quia videt suum Amatum vilipendi à suo populo, amare amoris quiesceret in gloria sui Amati.
4. DGTB. Quò magìs voluntas durabat in esse distincta inter Amicum & Amatum, eò magìs durabat suum velle in distinctione volentis & volibilis.
5. DGTC. Tantùm durat amor in amante & amabili, quòd in concordantia amborum convertat suum amare.
6. DGTD. Inter durationem & voluntatem contrarius amor est contra concordantiam amoris & æternitatis.
7. DGTE. Ut principium non sit sinè principiare, principiat suum principiare in durare & amare.
8. DGTF. Amicus & Amatus loquuntur de amore & amare in medio loco ipsius durare & amare.
9. DGTG. Nisi in fine esset infinire ipsius durare & amare, duratio & voluntas non possent quiescere in fine.
10. DGTH. Si amor esset de duratione & durare, non posset deficere in majoritate ipsius amare.
11. DGTI. In æqualitate durationis & durare stat æqualitas amoris & amare.
12. DGTK. Cum minoritate ipsius amare & durare elongant se duratio & amor, & non habent Amicum, qui illos faciat appropinquare cum majoritate amoris in durare & amare.

Æternitas Virtus.

1. DHI. AMare Amici induit se virtutibus cum durare & verificare, ut sit acceptabile suo virtuoso æternoso & veroso Amato.
2. DHK. Amicus ornavit & vestivit se fide, spe, charitate, justitiâ, prudentiâ, fortitudine & temperantiâ, ut perdurabiliter quiesceret in gloria sui Amati.
3. DHTB. Sinè differentia Amici & Amati virtus non posset durare in amare.
4. DHTC. In regiones concordantiæ Amici & Amati duratio & virtus venerunt inquirere amare.
5. DHTD. A regionibus contrarietatis amoris duratio & virtus elongaverunt amare Amici.
6. DHTE. In hamo amoris posuit Amatus escam durabilis virtutis, & piscatus est in Amico principia amandi.
7. DHTF. De unitate durationis & magnitudinis & bonitatis nascitur virtus, & exit in medio amoris, ut Amicus conjungeretur suo Amato.
8. DHTG. In fine æternitatis & virtutis desiderabat & exspectabat Amicus suum Amatum.
9. DHTH. Si duratio & virtus non essent, Amicus non posset amare suum Amatum cum majoritate amoris.
10. DHTI. In duratione & virtute facit Amicus æqualitatem placitorum & adversitatum, quæ illi eveniunt propter amorem.
11. DHTK. In duratione, in qua durat minoritas virtutis, plangit Amatus amare Amici, & plorat Amicus propter ignominias, quas recipit suus Amatus.

Æternitas Veritas.

1. DIK. ÆTernitas & veritas tormentârunt Amicum, ut quiesceret in gloria sui Amati.
2. DITB. Duratio & veritas visitarunt & examinarunt differentiam amoris, ut sufficeret in amare.
3. DITC. Veritas exivit de veritate, & transivit per durationem & concordantiam, & vestivit amorem in amare.
4. DITD. Contrarietas amoris exivit de dissimilitudinibus durationis & veritatis, & vestivit falsum amorem in amare.
5. DITE. Ut principia amoris possent capi in duratione & veritate, durativum & durabile, & verificativum & verificabile existebant in duratione.
6. DITF. In medio amoris congregavit Amicus thesaurum veritatis & durationis.
7. DITG. Arrha Amici est finis ipsius durare, verificare & amare.
8. DITH. Cum majori veritate facit Amicus durare majoritatem sui amare.
9. DITI. In æqualitate ipsius durare & verificare æqualificat Amicus suum amare.
10. DITK. Amicus posuit durationem in uno capite sui amare, & veritatem in altero, ne minoritas ipsius amare illuc posset intrare.

Æternitas Gloria.

1. DKTB. UT Amicus non cesset amare, sunt amabilia in gloria durativum & durabile, & in duratione glorificativum & glorificabile, & in distinctione distinctivum & distinguibile.
2. DKTC. Amatus est tam amabilis suo Amico, quòd in concordantia durationis & gloriæ faciat existere amare sui Amici.
3. DKTD. Contrarius amor conabatur, quantùm poterat, quòd poneret contrarietatem inter Amicum & Amatum, ut amare Amici non posset durare in gloria Amati.
4. DKTE. Quia Amatus est durabilis & gloriabilis, Amicus est principiatus ad durandum & gloriandum in amare suum Amatum.
5. DKTF. Durare, gloriari & amare sunt media, quæ sunt inter Amicum & Amatum.
6. DKTG. Amicus non consequeretur finem sui amare, nisi glorificativum viveret de durabili gloriabili, & durativum de gloriabili durabili.
7. DKTH. Cum majoritate durandi & gloriandi ligat Amatus suum Amicum ad suum amare.
8. DKTI. Amare Amati & amare Amici sunt coæquata in amore cum durare & gloriari.
9. DKTK. Amatus & Amicus loquebantur de amore & de parva gloria hujus mundi, quæ parùm durat, & Amicus mirabatur de gentibus, quòd tam parùm ament gloriam sui Amati, quæ omni tempore durat.

Æternitas Differentia.

1. DTBC. CUm durare, differentiare & concordare ligabat Amicus suum amare in recolere & intelligere amorem.
2. DTBD. Duratio amoris & differentia amoris comprehenderunt & ligârunt contrarietatem amoris, ut non resisteret bono amori.
3. DTBE. Quia in durare & differentiare non potest deficere principiare, duratio & differentia sunt amabiles in principiare ipsius amare.
4. DTBF. Duratio & differentia venerunt colligere medium amoris in durare & differentiare, ut Amicus ploraret, suspiraret & langueret præ amore.
5. DTBG. In fine amoris duratio facit durare differentiam, & differentia diversificare durationem, ut Amicus quiescat in amare suum Amatum distinctè & perdurabiliter.
6. DTBH. Sinè majoritate differentiæ Amici & Amati non posset durare majoritas amoris in amare, neque majoritas ipsius amare in amore.
7. DTBI. In amare Amici se coæquarunt recolere & intelligere cum duratione & differentia, ut amor non perderet suum amare in confusione & privatione ipsius recolere & intelligere.
8. DTBK. Amicus conquerebatur de minoritate amoris apud durationem & differentiam, ut facerent stare suum amare in majoritate amoris.

Æternitas Concordantia.

1. DTCD. DUratio exivit de duratione, & intravit in concordantiam, ut de contrario amore ejiceret durare, concordare & amare.
2. DTCE. Principium exivit de principio in durabili amore, ut posset existere in concordantia amandi.
3. DTCF. De medio amoris exiverunt durare & concordare, ut possent habitare in amare.
4. DTCG. Durare, concordare & finire venerunt ad Amicum, & rogaverunt illum, ut conaretur amare.
5. DTCH. Durare & concordare obviaverunt sibi in majoritate amandi, in qua invenerunt Amatum, qui lætabatur, quia suus Amicus erat mortuus propter suum amorem.
6. DTCI. Duratio & concordantia coæquârunt se in amore, ut Amicum & Amatum facerent æquales in amare, concordare & durare.
7. DTCK. In minoritate durandi est minoritas concordandi, in qua amor perdit suum amare.

Æternitas Contrarietas.

1. DTDE. QUia principia amoris non possunt stare nec remanere in contrariare & durare, odit Amicus contrariare in amare & durare.
2. DTDF. Quando Amicus magìs amat Amatum quàm se ipsum, tunc utitur punctis transcendentibus in durare, possificare, scire, amare, contrariare, principiare, mediare &c.
3. DTDG. Si in æternitate esset aliqua natura contrarietatis, non esset finis amabilitatis neque concordantiæ Amici & Amati.
4. DTDH. Si in æternitate esset contrarietas,

rietas, Amatus non posset habere suum Amicum in majoritate amandi.

5. DTDI. Si contrarietas & concordantia possent esse æquales in æternitate, etiam possent esse æquales in amare.

6. DTDK. Si æternitas esset in contrarietate & minoritate, non esset amabilis cum majoritate amoris & amandi.

Æternitas Principium.

1. DTEF. SI æternitas & principium possent separari, non essent magna in medio, hoc est, in scire & amare.

2. DTEG. Nisi in duratione esset durare, durativum & durabile, durare non posset sufficere ipsi principiare in fine ipsius amare.

3. DTEH. Si in principio non esset principiare principiativi & principiabilis, principiare non posset sufficere majoritati ipsius amare & durare.

4. DTEI. Quia in æqualitate amoris duratio & principium stant æqualiter, non potest Amicus habere indigentiam amoris nec ipsius amare.

5. DTEK. In minoritate durationis principium est propè privationem, & Amicus habet defectum amandi.

Æternitas Medium.

1. DTFG. MEdium amoris & finis amoris in durationem intrârunt durare, ut Amicus perseveraret & duraret in amare.

2. DTFH. Ut Amatus haberet majorem Amicum, medium amoris intravit in majoritatem durandi.

3. DTFI. In æqualitate pulchritudinum Amici & Amati medium amoris intravit durare & existere.

4. DTFK. Nisi in duratione esset medium amoris durandi, amor non esset remotus à minoritate amandi.

Æternitas Finis.

1. DTGH. AMor non esset in majoritate durandi, si æternitas non esset finis amandi.

2. DTGI. Si æternitas & finis non essent in æqualitate finiendi & durandi, Amatus & Amicus non essent in æqualitate amandi.

3. DTGK. In minori fine durandi stat minor finis amandi.

Æternitas Majoritas.

1. DTHI. SI æternitas non haberet æqualitatem in durare, amor non esset in majoritate ipsius amare.

2. DTHK. Cum majoritate durandi recedit Amicus à minoritate amandi.

Æternitas Æqualitas.

1. DTIK. ÆTernitas & amor essent in minoritate Amici & Amati sinè æqualitate durandi & amandi.

Æternitas Minoritas.

1. DTK. ÆTernitas & minoritas sunt tam disparatæ essentiæ, quòd sinè medio ambarum minoritas non posset durare neque existere.

Potestas Sapientia.

1. EFG. QUia sapientia & voluntas ratione potestatis possunt existere & agere, potestas est scibilis & amabilis in existere & agere, & in scire & amare.

2. EFH. Amicus posuit potestatem intelligendi ante potestatem amandi, ut virtus nasceretur de potestate intelligendi, & exiret in potestatem amandi.

3. EFI. Cum potestate intelligendi veritatem ligat Amicus potestatem suæ voluntatis in amare.

4. EFK. In potestate, quam Amatus habet in gloriari, quiescit potestas, quam Amicus habet in scire & amare.

5. EFTB. Sinè differentia possificativi & possificabilis potestas non posset esse scibilis & amabilis.

6. EFTC. Cum potestate concordantiæ concordat Amicus suum scire & amare.

7. EFTD. Amicus plorabat & plangebat, quia sciebat in se potestatem, cum qua posset resistere suo Amato.

8. EFTE. Si potestas, sapientia, principiũ & voluntas in Amico essent unum & idem, Amicus non haberet defectum amandi.

9. EFTF. Amicus misit suum intelligere ad medium potestatis, ut amor illuc iret amare.

10. EFTG. Sinè fine possendi & intelligendi Amicus non posset quiescere in amare finem sui Amati.

11. EFTH. Si finis amandi & intelligendi esset major quàm finis possendi, Amicus non posset amare suum Amatum cum majoritate amandi & intelligendi.

EFTI.

12. EFTI. Ut Amicus posset habere proportionatum Amatum, potestas, sapientia & amor se coæquârunt in æqualitate, & de æqualitate, & per æqualitatem amoris.

13. EFTK. Potestas in sapientia fuit elongata à minoritate, & similiter sapientia in potestate, ut amare Amici esset in æqualitate possendi & intelligendi.

Potestas Voluntas.

1. EGH. POtestas accusavit voluntatem Amici apud Amatum, quia non amabat virtutes cum tantâ potestate amandi, cum quantâ illas poterat amare.

2. EGI. Amatus inclusit potestatem & veritatem in voluntate Amici, ut in illam non posset intrare falsitas amandi.

3. EGK. Amicus non posset quiescere in gloria sui Amati, si non posset tantum potestas de posse, quantum voluntas de velle.

4. EGTB. Sinè differentia amantis & amabilis, potestas voluntati non posset esse ratio existendi & operandi in amare.

5. EGTC. Cum potestate & voluntate Amati concordat Amicus suam potestatem & voluntatem in amare.

6. EGTD. Voluntas Amici resistebat voluntati sui Amati, & ideo existebat in carcere peccati, & non potest exire, donec concordet cum justitia sui Amati in amare.

7. EGTE. Potestas & principium transmiserunt suas similitudines ad voluntatem Amici, ut cum illis haberet libertatem in amare.

8. EGTF. Quia Amatus est amabilis cum libero medio amoris, facit medium amoris esse liberum inter potestatem & voluntatem Amici.

9. EGTG. Potestas Amati dixit ad voluntatem Amici, quòd finis amoris illi sufficienter providisset de omnibus circumstantiis amoris.

10. EGTH. Cum similitudinibus potestatis & majoritatis amat voluntas libertatem in amare amabilia, & in odire odibilia.

11. EGTI. Si potestas & voluntas essent ita æquales in extrinsecis operibus, sicut sunt in substantia, una non esset inobediens alteri in amare.

12. EGTK. Quia in minoritate volendi periclitatur majoritas possendi, & è converso, Amicus elongat se à minoritate amoris in majoritate amandi.

Potestas Virtus.

1. EHI. POtestas, virtus & veritas vestiverunt voluntatem de se ipsis, ut veniret cum pulchris vestimentis amare suum Amatum.

2. EHK. Potestas & virtus intrârunt existere in gloria Amati, ut voluntas Amici illas desideraret & amaret.

3. EHTB. Quia virtus oritur de potestate & differentia & amore, potestas potest possificare differentiare, virtuificare & amorificare virtutem amandi.

4. EHTC. Ideo amatAmicus in suo amare potestatem & virtutem, quia concordant contra sua contraria & contra contrarium amandi.

5. EHTD. Potestas & virtus tam fortiter constrinxerunt & subjugaverunt voluntatem Amici, quòd illam fecerunt esse contrariam vitiis & odibilitati amandi.

6. EHTE. Potestas & principium ejecerunt turpitudines hujus mundi de voluntate Amici, & posuerunt in ea virtutes sui Amati, quæ sunt amabiles.

7. EHTF. Potestas oneravit voluntatem Amici virtutibus, ut in illa poneret virtutes, quæ sunt amabiles, quæ stant in medio amoris.

8. EHTG. In desiderabilitate finis amoris stat virtus, cum qua Amicus potest constringere suam voluntatem ad amandũ bonum.

9. EHTH. Major potestas & major virtus, quam Amicus potest habere in amare, est, quòd amet majorem potestatem & majorem virtutem in amare.

10. EHTI. Virtus oritur æqualiter de potestate & amore, ut æqualiter stet in posse & amare.

11. EHTK. Virtus amoris appropinquavit ad minoritatem, & potestas amoris fugit à majoritate, & Amatus plangebat, & Amicus plorabat suum peccatum.

Potestas Veritas.

1. EIK. AMicus amabat veritatem, in qua potestas revelabat gloriam Amati, ut voluntas Amici quiesceret in amare.

2. EITB. Voluntas, quæ est de potestate, veritate & differentiâ, non est fragilis nec falsa nec confusa in amare.

3. EITC. Potestas, veritas & concordantia ceperunt amare Amici in amare Amati.

4. EITD. Veritas & falsitas habebant mag-

magnam pugnam in Amico ratione Amati, veritas fuisset victa, nisi Amatus illum juvisset.

5. EITE. Principium principiavit in vero amore patientiam & spem, ut Amicus haberet potentem amorem in sustinendo labores & adversitates propter veritatem & amorem.

6. EITF. In medio Amati & Amici stetit veritas, ut Amicus haberet potestatem narrandi vera de suo Amato.

7. EITG. Potestas & veritas elevârunt finem amoris ad Amatum, ut Amicus per scalam potestatis & veritatis ascenderet amare suum Amatum.

8. EITH. Potestas & veritas elevârunt Amicum ad majoritatem amandi, ut Amatus amaretur & cognoscceretur in majoritate potestatis, veritatis & amoris.

9. EITI. Amicus coæquabat tantúm, quantúm poterat, in suo amore potestatem & veritatem, ut in illo posset restaurare id, quod per defectum amandi perdiderat.

10. EITK. Potestas & veritas stabant ante Amicum & Amatum, & Amicus attribuebat potestatem & veritatem suo Amato, & minoritatem sibi ipsi.

Potestas Gloria.

1. EKTB. QUia potestas sinè differentia amoris non posset dare quietem Amico in gloria sui Amati, differentia amoris est amabilis.

2. EKTC. In domum gloriæ venerunt hospitari potestas & concordantia, quæ sunt nuncii Amici & Amati.

3. EKTD. Amicus tam fortiter plorabat & plangebat propter gloriam, quam sui parentes perdiderunt per contrarium amorem, quòd potestas illum non poterat consolari, neque gloria quietare.

4. EKTE. Amatus principiavit suum Amicum in sua gloria, & de sua gloria, & per suam gloriam, & in sua potestate, & de sua potestate, & per suam potestatem, ut Amicus meliùs posset amare & cognoscere gloriam sui Amati.

5. EKTF. Per medium amoris ibat Amicus videre gloriam sui Amati, ut in illa posset stare cum suo Amato.

6. EKTG. Finis ipsius amare Amici est, quòd possit sustinere labores, languores, afflictiones, ignominias, adversitates & mortem ad honorandũ gloriam sui Amati.

7. EKTH. Amicus obdormivit in minoritate amoris, & est expergefactus in majoritate amoris, & ideo Amicus potuit descendere de gloria sui Amati.

8. EKTI. In æqualitate potestatis coæquant se glorificativus & glorificabilis, & in æqualitate gloriæ coæquant se possificativus & possificabilis, & ideo æqualitas est amabilis in amore & in amare.

9. EKTK. Si Amicus inveniret minoritatem in gloria sui Amati, non posset amare suum Amatum sinè minoritate amoris & amandi.

Potestas Differentia.

1. ETBC. POtestas non potest de concordantia sinè differentia, nec de differentia sinè concordantia, & ideo convertitur cum differentia & cum concordantia in amore & amare.

2. ETBD. Si potestas & differentia possent perverti in contrarium amorem, non possent converti in concordantiam amoris.

3. ETBE. Potestas non posset principiare principia amoris sinè differentia, nec differentia differentiare sinè potestate, & ideo potestas & differentia sunt amabiles in principiare amare.

4. ETBF. Si non esset potestas de differentiâ, & differentia de potestate, medium amoris non posset existere inter Amicum & Amatum.

5. ETBG. Cum fine potestatis, differentiæ & amoris ligat Amicus suum amare ad suum Amatum.

6. ETBH. In majoritate potestatis & differentiæ facit amor stare suum amare, ut Amicus cum majoritate ipsius amare possit videre altitudines sui Amati.

7. ETBI. In differentia Amici & Amati stant potestas & æqualitas, quæ tenent captum amare.

8. ETBK. Si differentia esset minor quàm potestas in amare, potestas non esset major in existere & agere quàm in existere tantùm.

Potestas Concordantia.

1. ETCD. SI potestas non esset major in concordantia quàm in contrarietate, non esset dignum, quòd in DEO esset potestas & concordantia & amor & amare.

2. ETCE. Potestas & concordantia rogaverunt amorem, quòd illas inciperet amare in perseverantia.

3. ETCF. Per omnes extremitates amoris diffudérunt se potestas & concordantia, & conjunxerunt se in medio loco amoris.

4. ETCG. Potestas inquirebat finem amoris in concordantia, & concordantia inquirebat illum in potestate, & invenerunt illum in amare.

5. ETCH. Potestas & concordantia ascenderunt ad majoritatem, ut Amicus non faceret descendere suum amare à suo Amato.

6. ETCI. Ut potestas multùm posset de concordantia in amore, coæquabat se cum concordantia in amare.

7. ETCK. Potestas elongavit se à minoritate in concordantia, & concordantia à contrarietate in potestate, ut amor amici esset in majoritate.

Potestas Contrarietas.

1. ETDE. AMor Amati stat in tam alto principio, quòd contrarius amor illuc non potest ascendere, nec principiare suum contrarium amare.

2. ETDF. Amicus & Amatus sunt in tam magno amore, quòd in medio loco amoris non potest intrare potestas contrariandi.

3. ETDG. Sicut potestas contrariandi contradicit fini amandi, sic potestas concordandi contradicit non fini amandi.

4. ETDH. Si potestas posset ascendere cum contrariari ad majoritatem ipsius amare, non posset illuc ascendere cum concordantia.

5. ETDI. Amicus, quantum potest resistere, resistit contrario amori in æqualitate potestatis & concordantiæ.

6. ETDK. Contrarietas & minoritas resistunt potestati & majoritati in amore & amare.

Potestas Principium.

1. ETEF. QUia potestas amoris potest magìs de principio amoris in medio amoris existendo & operando, quàm existendo tantùm, sua opera sunt amabilia.

2. ETEG. Sicuti multæ voces conjunguntur ad unum sonum, sic potestas conjungit multa principia ad unum finem amandi.

3. ETEH. Quia potestas est majus principium in habitu, quàm in potentia, & in actu, quàm in habitu, est major in amare, quàm in odire.

4. ETEI. Potestas & principium coæquantur in amare, ut Amicus non habeat indigentiam in amare ipsius possificare & principiare.

5. ETEK. Ut Amicus non habeat defectum amoris in amare suum Amatum, potestas extenditur per omnia principia, & omnia principia extenduntur in potestate, & quodlibet extenditur in alio, & omnia insimul dant suas similitudines minoritati amandi, ut illam convertant in majoritatem amandi.

Potestas Medium.

1. ETFG. POtestas amoris conjungit Amatum & Amicum in medio amoris, ut ambo habeant unum finem amandi.

2. ETFH. In medium locum potestatis intrat amor, & in medium locum amoris intrat potestas, ut amicus in medio loco amborum habeat majoritatem amandi.

3. ETFI. Cum potestate amoris coæquat amicus in medio amoris principia & finem sui amare.

4. ETFK. Amicus cum potestate amoris elongavit suum amare à minoritate amoris in medio loco amoris, ut inde possit existere & operari in medio loco ipsius amare.

Potestas Finis.

1. ETGH. POtestas & finis ascenderunt ad majoritatem amoris, ut in illa existerent & operarentur amare.

2. ETGI. Potestas, finis & æqualitas vestiverunt se amore, ut vestirent amare.

3. ETGK. Finis amoris stat infirmus in minoritate potestatis, & ideo rogat Amicus suum Amatum, ut illi det potestatem amandi.

Potestas Majoritas.

1. ETHI. SI major potestas amoris esset in majoritate sinè æqualitate, esset in majoritate cum minoritate amoris, & Amicus ploraret defectus sui Amati.

2. ETHK. Si major potestas & minor potestas non essent conjunctæ & unitæ in uno amare, potestas non posset multiplicare amorem in majoritate amandi.

Potestas Æqualitas.

1. ETIK. POtestas Amati visitabat potestatem sui Amici, quæ jacebat infirma in minoritate, Amatus sanabat illam cum æqualitate potestatis amoris & amare.

Poteſtas Minoritas.

1. ETK. MInoritas amoris voluit ſe dare Amico, ut amaret cum ea ſuum Amatum, ſed Amicus non potuit illam aſſumere, quia ſuus Amatus hoc non voluit.

Sapientia Voluntas.

1. FGH. SApientia & voluntas (dixit Amicus) indigeo virtutibus, cum quibus veſtiam meum amare.
2. FGI. Dum Amicus intelligebat Scientiam in veritate ſui Amati, amabat Amantiam in bonitate ſui Amati.
3. FGK. Sapientia & voluntas miſerunt literas Scientiæ & Amantiæ ad ſuum Amatum, ut daret gloriam ſuo Amico.
4. FGTB. Sapientia differentiabat Amantem & Amatum, & voluntas conjungebat & uniebat illos in amore & amare.
5. FGTC. Sapientia & voluntas ligaverunt Amicum ad ſuum Amatum cum concordantia amoris, ut non fugeret ad contrarium amorem contra ſuum Amatum.
6. FGTD. Amicus reſiſtebat amori, & non volebat ire videre & amare ſuum Amatum, ſed ſapientia & voluntas ceperunt & coëgerunt Amicum, & portârunt illum ad ſuum Amatum, qui eum poſuit in carcere amandi & intelligendi.
7. FGTE. Intellectivum & intelligibile, volitivum & volibile erant ligabilia, & ſapientia & voluntas ligârunt ea cum principiare ſciendi & amandi.
8. FGTF. In medio ſapientiæ & voluntatis intelligere & amare torquebant Amicum, & Amicus clamabat ad ſuum Amatum.
9. FGTG. Sapientia & voluntas attulerunt Amico finem ſui Amati, cum quo comprehenderunt & tormentârunt & incarcerârunt amicum in amare & intelligere.
10. FGTH. Quâdam die fugiebat Amicus à majoritate, quia non poterat ſufferre majoritatem amandi & intelligendi; ſapientia & voluntas invenerunt illum, & reduxerunt in carcerem ſui Amati.
11. FGTI. Sapientia & voluntas coæquarunt ſe in ſcire & amare, & recurrerunt ad Amatum, quem æqualiter attigerunt ſuper earum amare & intelligere.
12. FGTK. Amicus conquerebatur apud ſapientiam de minoritate ſui amare, & ſimiliter apud voluntatem de minoritate ſui intelligere.

Sapientia Virtus.

1. FHI. QUò magìs Amicus ſcit veritatem fidei, ſpei & charitatis, eò magìs gravatur de dedecore, quod capit ſuus Amatus per defectum amatorum, qui non habent virtuoſum ſcire & amare.
2. FHK. Juſtitia, prudentia, fortitudo & temperantia ſunt viæ, per quas Amicus vadit ad gloriam ſui Amati.
3. FHTB. In differentia Amantis & Amati extendit ſapientia ſuum intelligere, ut Amicus habeat virtuoſum amare.
4. FHTC. In concordantia ſapientiæ & virtutis captivatur amare amici, ut non eſſet ſervus contrarii amoris nec ignorantiæ nec vitiorum.
5. FHTD. Sapientia reſiſtebat ignorantiæ cum virtute, & virtus vitiis cum ſapientia, ut Amicus cum ſapientia eſſet ſapiens & virtuoſus ante ſuum Amatum.
6. FHTE. Amicus portabat ſapientiam & virtutem ad ſuum Amatum, & cadebat in principia amoris, in quibus periiſſet, ſi ſuus Amatus non fuiſſet.
7. FHTF. Intravit virtus ſtare in medio loco ſapientiæ & amoris, ut non participaret cum majoritate & minoritate vitiorum.
8. FHTG. Si non eſſet finis virtutum, qui faceret laborare amatores, amicus quieſceret in fine ſapientiæ & amoris.
9. FHTH. In ciſtâ virtutis poſuit Amicus ſapientiam & amorem cum majoritate amandi & intelligendi, ut eſſent theſaurus ſui Amati.
10. FHTI. Sapientia & virtus coæquarunt ſe in Amico, ut eſſet magìs ſimilis & magìs propinquus ſuo Amato.
11. FHTK. Si non eſſet minoritas, Amicus combureretur in igne ſciendi & amandi.

Sapientia Veritas.

1. FIK. AMatus ſignavit ſe ſapientiâ, veritate & gloriâ, ut ſuus Amicus illum cognoſceret.
2. FITB. Quia veritas non poſſet eſſe objectum ſapientiæ ſinè differentia, differentia eſt amabilis in amabilitate ſapientiæ & veritatis; cum qua amabilitate voluntas eſt ligabilis ad ſcire, verificare & differentiare.
3. FITC. Sapientia & veritas revelaverunt Amico ſecreta Amati in concordantia amoris, & amicus eſt mortuus in ſcire amare verum.

FITD.

4. FITD. Contrarietas amoris celabat Amatum Amico, donec ſapientia & veritas monſtrabant Amatum Amico in concordantia amoris.
5. FITE. Sapientia & veritas extraxerunt Amicum de tenebris, & poſuerunt illum in claritatem principiorum amoris, ut videret ſuum Amatum.
6. FITF. Quando ignorantia & falſitas ejecerunt amicum de medio amoris, dedit Amicus ſuum Amatum pro vanitatibus hujus mundi, & Amatus remanſit ſinè Amico.
7. FITG. Amicus voluit lætari, quia ſuus Amatus ſciebat veritatem afflictionum & laborum, quos ille ſuſtinebat pro ſuo amore, ſed quando recolebat defectus, quos fecerat contra finem ſui Amati, ſtetit in triſtitia & pavore.
8. FITH. Cum majoritate ſapientiæ & veritatis inquiſivit Amicus ſuum Amatum in amore & amare.
9. FITI. Cum æqualitate ſapientiæ, veritatis & amoris ſerviebat & honorabat Amicus ſuum Amatum.
10. FITK. In minoritate amoris perdidit amicus ſapientiam & veritatem, in qua perditione perdidit Amicus ſuum Amatum, & Amatus ſuum Amicum, & amicus remanſit ſinè amare.

Sapientia Gloria.

1. FKTB. AMicus in ſuo ſcire differentiabat bona & mala, quæ ſuſtinebat & ſentiebat propter amorem, & miſcebat ea in gloria amoris.
2. FKTC. In concordantia ſciendi & amandi occidebat Amatus ſuum Amicum, qui Amicus habebat gloriam, quia ſic moriebatur, & habebat pœnam, quia non vivebat in ſcire & amare ſuum Amatum.
3. FKTD. Amicus conquerebatur apud ſapientiam & apud gloriam de ignorantia & pœna, quæ illi reſiſtebant in honorare, amare & ſervire ſuo Amato; & ſapientia & gloria puniebant amicum, quia non multiplicabat ſuum ſcire & amare.
4. FKTE. Sapientia & gloria portaverunt amorem ad Amicum, ut inciperet habere pœnam in ſcire & amare ſuum Amatum.
5. FKTF. Sapientia, gloria & amor influebant & refluebant ab Amato ad Amicum, & ab Amico ad Amatum, ut totum medium, quod eſt inter illos, eſſet plenum ſapienti glorioſo amoroſo.
6. FKTG. Amicus putabat quieſcere in ſcire gloriam ſui Amati, ſed finis amoris multiplicabat illi ſuos labores in amare.
7. FKTH. Intellectivum & gloriativum ligarunt ſe in gloriabili & intelligibili cum majoritate amandi.
8. FKTI. Si gloria Amati non eſſet æqualiter intelligibilis & amabilis, æqualitas ſciendi & amandi deficeret Amico, & Amicus non poſſet quieſcere in gloria ſui Amati.
9. FKTK. Minoritas ſciendi, gloriandi & amandi invitavit amicum, & dedit illi comedere ignorantiam, iram & adverſitatem, ut viveret contra majoritatem ſciendi, gloriandi & amandi.

Sapientia Differentia.

1. FTBC. QUia inter ſapientiam, concordantiam & amorem Amici eſt differentia, & inter ſapientiam, concordantiam & amorem Amati non eſt differentia, convenit Amico, quòd contempletur ſuum Amatum ſupra ſuas vires.
2. FTBD. Quia differentia eſt major in ſapientia, quàm in contrarietate, eſt amabilis in ſcire & amare.
3. FTBE. Quia Amicus non poteſt intelligere & amare ſuum Amatum ſinè differentia, eſt principiatus de differentia in ſapientia & amore, & è converſo.
4. FTBF. Medium amoris ſtat inter differentiam amoris & ſapientiam amoris, ut Amicus in illo inveniat ſuum Amatum.
5. FTBG. In fine amoris ſtant ſapientia & differentia, quæ Amico dicunt nova de ſuo Amato.
6. FTBH. Si non eſſet differentia inter intelligentem & intellectum, & amantem & amatum, non eſſet ſapientia in majoritate intelligendi, & amor in majoritate amandi.
7. FTBI. Sapientia & differentia ſunt æqualia principia, cum quibus Amicus inquirit ſuum Amatum.
8. FTBK. In minori differentia ſcientis & ſcibilis perdidit Amicus cognitionem ſui Amati.

Sapientia Concordantia.

1. FTCD. SI ſapiens amor non haberet in ſe concordantiam, non eſſet remotus à contrario amore.
2. FTCE. Amicus tam ſapienter principiat amare ſuum Amatum, quòd principiat ſuum amare de ſapientia, concordantia & amore & de principiis amoris.
3. FTCF. Sapientia amoris & concor-

dantia amoris revelant Amico ſuum Amatum in medio amoris.

4. FTCG. Sapientia & concordantia citârunt amorem ante Amatum, quia non occidebat Amicum in fine amandi.

5. FTCH. Quò majorem ſapientiam habet Amicus in ſcire ſuum Amatum, eò majorem concordantiam habet in amare ſuum Amatum.

6. FTCI. Amatus & Amicus coæquarunt ſe in ſapientia & concordantia, ut eſſent æquales in amore & amare.

7. FTCK. Minoritas plorabat ante ſapientiam & concordantiam, quia amicus in illa deficiebat ab amare.

Sapientia Contrarietas.

1. FTDE. COntrarietas ejiciebat ſapientiam à principiis amoris, ut Amicus obliviſceretur ſuum Amatum.

2. FTDF. Contrarietas & ignorantia intrarunt in medium amoris, ut ejicerent Amatum.

3. FTDG. Cum ſapientia, concordantia & fine amoris pugnabant ignorantia, contrarietas & non finis amoris, ut Amatus eſſet ſinè Amico.

4. FTDH. In civitate majoritatis amoris invenerunt ſe ſapientia & contrarietas, ſapientia concordabat in illa civitate Amicum & Amatum, & contrarietas confundebat in illa amare Amati & Amici.

5. FTDI. Ut ſapientia & concordantia eſſent remotæ à contrarietate ſciendi & amandi, coæquarunt ſe in ſcire & amare.

6. FTDK. Si ſapientia eſſet minor in concordantia, quàm in contrarietate, Amatus non eſſet amabilis ſuo Amico.

Sapientia Principium.

1. FTEF. PRincipia amoris intraverunt in quandam civitatem ſapientiæ, ut clarificarent medium amoris.

2. FTEG. Sapientia amoris eſt claviger theſauri amoris, & principia amoris ſunt cuſtodes, qui cuſtodiunt illum theſaurum, & Dominus eſt finis amoris.

3. FTEH. Amatus & Amicus principiaverunt unam eccleſiam amoris, & ædificarunt illam de ſapientia & majoritate amoris.

4. FTEI. Sapientia, principium & amor coæquârunt ſe in confidentia, quam Amicus habet de ſuo Amato, ut in illa æqualitate Amatus ſatisfaceret Amico de amare.

5. FTEK. Amicus incepit concupiſcere aliqua, quæ non ſunt de circumſtantiis amoris, & ſtatim exivit de ſapientia, & intravit in minoritatem amoris odiendo ſuum Amatum.

Sapientia Medium.

1. FTFG. SApientia intravit in medium amoris, ut amicus eligeret finem amoris.

2. FTFH. Sapientia, amor & majoritas amoris rogaverunt Amatum, ut veniret exiſtere in medio amoris, ut Amicus eſſet in majoritate amandi.

3. FTFI. Quia ſcire eſt medium ſapientiæ, & amare amoris, deſiderat amicus æqualitatem ſciendi & amandi.

4. FTFK. Quja medium amoris participabat & ſe colorabat de minoritate amoris, ſapiens amor erat infirmus & diſcoloratus ante Amicum, qui ignorabat ſuum Amatum.

Sapientia Finis.

1. FTGH. SApientia & finis rogaverunt majoritatem amoris, ut veniret quieſcere in majoritate ſciendi, finiendi & amandi.

2. FTGI. Amatus miſit quandam columbam finîs amoris ad ſcientiam Amici, ut illi narraret nova de æqualitate Amici & Amati.

3. FTGK. De ſapientia & de fine fecit amicus columnam, in qua ſuſtentaretur ſuum amare, ut non caderet in minoritatem amandi.

Sapientia Majoritas.

1. FTHI. SApiens amor & majoritas amandi commendarunt æqualitatem amoris amico, ut non recederet à ſcire & amare.

2. FTHK. Si ſapiens amor eſſet minor in æqualitate amoris, quàm in inæqualitate, ſtultus amor eſſet major in æqualitate amoris, quàm in inæqualitate.

Sapientia Æqualitas.

1. FTIK. SI ſapiens amor & minor amor eſſent æquales in amare, non eſſet æqualitas Amici & Amati.

Sapientia Minoritas.

1. FTK. SApienti amori commendavit amicus ſuum minorem amorem, ut illum nutriret in majoritate amoris.

Volun-

Voluntas Virtus.

1. GHI. QUoddam viridarium amoris erat plantatum de virtute & veritate, ubi Amicus inveniebat ſuum Amatum, qui cantabat de amore.

2. GHK. Pulmentum amoris ſunt virtutes & gloria, cum quibus vivit amare.

3. GHTB. Si non eſſet differentia, non eſſet virtus in amare.

4. GHTC. Tanta concordantia amoris erat inter Amicum & Amatum, quòd cum virtute cognoſcebat Amicus voluntatem ſui Amati.

5. GHTD. Contrarietas poſuit ſe inter Amicum & Amatum, ut Amatus non haberet Amicum, nec Amicus Amatum, ſed voluntas & virtus pacificârunt illos in concordantia amoris.

6. GHTE. De voluntate & virtute principiavit Amatus ſuum Amicum, ut Amicus de illis principiet ſuum amare.

7. GHTF. Deſiderium Amici penetrabat & ibat per medium amoris inquirens ſuum Amatum, & voluntas & virtus faciebant illi lumen.

8. GHTG. Amicus dedit ſuam voluntatem Amato in fine amoris, & Amatus illam reddidit Amico in fine virtutis.

9. GHTH. Voluntas & virtus conſulуerunt Amico, quòd amaret ſuum Amatum cum majoritate amoris, ut pro ſuo Amato haberet majorem laborem, triſtitiam & dolorem.

10. GHTI. Amatus miſit voluntatem ad ſuum Amicum, ut ab illo amaretur, & miſit ipſi virtutes, ut cum illis reſiſteret vitiis, & miſit ipſi æqualitatem, ut cum ſuo eſſe coæquaret ſuum amare.

11. GHTK. Voluntas & virtus reſiſtebant ſibi ſuper minoritate amoris, quia voluntas illam amabat, & virtus illam deſtruebat, & ideo amicus in minoritate amandi ſtabat in conſcientia.

Voluntas Veritas.

1. GIK. VEritas & gloria Amici receſſerunt ab Amato, & ſimiliter voluntas Amici, & ideo Amicus remanſit in falſitate & pœnâ ſinè Amato.

2. GITB. Falſitas voluit Amico monſtrare Amatum ſinè differentia, ſed veritas hoc noluit, ut amor amici eſſet in majoritate amandi.

3. GITC. Ut amicus haberet concordantiam in amare, poſuit amorem ante veritatem, & veritatem ante amorem, quam concordantiam amat in hoc, quòd veritas erat amabilis, & amor verificabilis.

4. GITD. Amicus invénit contrarietatem, quæ dicebat malum de voluntate ſui Amati, & Amicus reprehendit contrarietatem cum concordantia amoris.

5. GITE. Voluntas incepit in veritate odire falſitatem, & veritas incepit in voluntate verificare amare.

6. GITF. Amatus ſcripſit in voluntate quasdam literas de veritate, & transmiſit illas per medium amoris ſuo Amico, in quibus literis erat ſcriptum: venite venite amare.

7. GITG. Amatus cepit voluntatem Amici, & poſuit illam in veritate, ut illam ligaret in fine amoris.

8. GITH. Cum majori veritate ligabat & conſtringebat Amicus ſuam voluntatem, ut continuò amaret & ſerviret ſuo Amato.

9. GITI. Voluntas & veritas ſtabant in æqualitate Amici & Amati, quæ narrabant, quomodo Amicus moriebatur pro ſuo Amato.

10. GITK. Minoritas amoris diſſolvit voluntatem à veritate, ut voluntas amaret falſitatem, & odiret veritatem amandi.

Voluntas Gloria.

1. GKTB. AMicus & Amatus amant ſe tam glorioſè, quòd nullam differentiam habeant in eſſentia amandi.

2. GKTC. Voluntas & concordantia quieverunt in gloria, in qua torquebant amicum per amare.

3. GKTD. Quia voluntas quieſcebat in gloria cum concordantia amoris, reſiſtebat in pœna amandi contrarietati amoris.

4. GKTE. Quia gloria eſt deſiderabilis, deſiderium eſt principiabile & ligabile in gloria amandi.

5. GKTF. Voluntas Amici quieſcebat in medio gloriæ ſui Amati, & gloria Amati erat deſiderabilis in medio voluntatis Amici, & ideo ſtabant Amicus & Amatus in medio amoris.

6. GKTG. In fine amoris convertuntur amoroſus & glorioſus, ut Amatus poſſit ſufficere Amico de quiete & amore.

7. GHTH. In majoritate volendi & quieſcendi invénit Amatus ſuum Amicum, qui reprehendebat multos homines, quia nolebant amare.

GKTI.

8. GKTI. Quia æqualitas amorosi & glorioſi eſt amabilis, inæqualitas amborum eſt odibilis.
9. GKTK. Voluntas & gloria loquebantur de amore, cum quibus verbis gloria glorificabat & voluntas volificabat Amicum, donec vénit minoritas amoris, quæ inclinavit Amicum ad pœnam & ad odire.

Voluntas Differentia.

1. GTBC. QUia differentia eſt magìs amabilis & deſiderabilis in concordantia quàm in contrarietate, concordantia eſt amabilis & deſiderabilis, & eſt in voluntate ligabilis.
2. GTBD. Voluntas & differentia conjunxerunt Amicum & Amatum, ut illos elongarent à confuſione & à contrarietate.
3. GTBE. Differentia amoris intravit in principia amoris, ut poſſent amare Amicum & Amatum.
4. GTBF. Amor augebat ſuum amare in differentiare, & differentia augebat ſuum differentiare in amare, & hæc duo augmenta conjungebant ſe in medio amoris.
5. GTBG. Voluntas intravit in ſubſtantialem & accidentalem differentiam, ut poſſet habere ſubſtantialem & accidentalem finem in amare.
6. GTBH. Cum ſubſtantiali majoritate ſubſtantialis voluntas & ſubſtantialis differentia ſunt majores in amare, quàm accidentalis voluntas & accidentalis differentia; & ideo Amatus eſt magìs amabilis ſubſtantialiter quàm accidentaliter.
7. GTBI. Quia æqualitas voluntatis & ſubſtantialis differentiæ eſt magìs deſiderabilis quàm accidentalis, æqualitas Amici & Amati eſt deſiderabilis in amare.
8. GTBK. In minoritate differentiæ Amici & Amati non poteſt eſſe magna voluntas in amare.

Voluntas Concordantia.

1. GTCD. VOluntas conquerebatur de contrarietate apud concordantiam, quia illam impediebat in amare; & Amatus conquerebatur de voluntate apud concordantiam, quia illum non amabat cum majoritate amandi.
2. GTCE. Amicus & Amatus amant ſe cum tanto amore, quòd de voluntate & concordantiâ principiant ſuum amare.
3. GTCF. Voluntas & concordantia conjurabant & uniebant in amare & concordare, ut facerent amare Amicum, & concordare Amatum.
4. GTCG. Voluntas & concordantia non poterant quieſcere in fine amoris, donec tantúm fecerunt languere Amatum per eſſe amatum, quantúm Amicum per eſſe amicum.
5. GTCH. Quia voluntas Amati eſt major in concordantia, quàm voluntas Amici, concordat voluntas Amici, ut ſit obediens voluntati Amati.
6. GTCI. Cum concordantia concordandi & amandi voluntas eſt ligabilis in æqualitate Amici & Amati.
7. GTCK. Quia Amatus concordat cum majoritate, & Amicus cum minoritate, ſervit Amicus cum ſuis minoritatibus majoritatibus ſui Amati.

Voluntas Contrarietas.

1. GTDE. VOluntas intravit in principia amoris inquirere ſuum Amatum, & ejecit eam contrarietas, quæ non vult amare, & amat odire.
2. GTDF. In medio voluntatis ſtat amare, & in extremis ſtat odire, quod odire claudit portas contrariis ipſius amare, ut non poſſint intrare in medium amoris, nec deſtruere amare.
3. GTDG. Voluntas ibat quieſcere in fine amoris, & invénit contrarietatem amoris, quæ quieſcebat in non fine amoris; clamavit Amicus, reſpondit Amatus, & voluntas vicit contrarietatem cum concordantia amoris.
4. GTDH. Quando voluntas exivit de concordantia, & intravit in contrarietatem, exivit de majoritate amoris, & intravit in minoritatem amoris, in qua ſtabat elongata à ſuo Amato.
5. GTDI. Voluntas non poſſet eſſe major in concordantia, quàm in contrarietate, ſi amare & odire poſſent eſſe æqualiter & naturaliter in voluntate.
6. GTDK. Contrarietas vicit concordantiam in voluntate cum minoritate amoris, & ideo punivit Amatus ſuum Amicum cum privatione amandi.

Voluntas Principium.

1. GTEF. AMicus collegit principia amoris de arbore amoris, & poſuit illa in medio amoris, & transmiſit illa ad voluntatem Amati.
2. GTEG. Voluntas accelerabat ſuum velle, ut Amicus in illo poſſet principiare amare, & ut poſſet quieſcere in fine amoris.
3. GTEH. Amatus principiat ſuum Amicum in majoritate amoris, & dat illi ſuam voluntatem ad amandum.
4. GTEI. In æqualitate Amici & Amati colligebat & conjungebat voluntas pulchritudines ſui Amati, & incepit componere ignem amandi.
5. GTEK. Minoritas incipit in voluntate, & inde exit majoritas, quæ conqueritur de voluntate apud ſuum Amatum.

Voluntas Medium.

1. GTFG. VOluntas vénit bibere amorem in medio amoris, ut Amicus quieſceret in fine ſui amare.
2. GTFH. Amicus narrabat cognationem amoris, quam habebat cum ſuo Amato in voluntate, medio & majoritate.
3. GTFI. Inter Amicum & Amatum erat pactum & conventio, quomodo eſſent in amore una voluntas, unum medium, una æqualitas.
4. GTFK. Si non eſſet medium amoris, quod conjungeret Amatum & Amicum, Amatus damnaret ſuum Amicum, quia amat eſſe cum minoritate.

Voluntas Finis.

1. GTGH. VOluntas, finis & majoritas rogaverunt Amicum, ut recoleret ſuum Amatum, & ſimiliter rogaverunt Amatum, ut recoleret ſuum Amicum; & ideo conjunxerunt ſe Amatus & Amicus in voluntate, fine & majoritate.
2. GTGI. Quandam lanceam voluntatis, quæ habebat ferrum de fine amoris & haſtile de æqualitate amoris, lanceavit Amicus ad ſuum Amatum, ut eum vulneraret amore & amare.
3. GTGK. Minoritas tenebat voluntatem ad novitates, ut non perveniret ad majoritatem finìs & amandi.

Voluntas Majoritas.

1. GTHI. SI major voluntas, quæ poteſt eſſe inter Amicum & Amatum, non eſſet in æqualitate, conveniret, quòd eſſet in inæqualitate, & ploraret Amicus, & plangeret Amatus.
2. GTHK. Amicus nolebat deſcendere ſuum amare de majoritate ad minoritatem, ut ſua voluntas non deſcenderet à ſuo Amato.

Voluntas Æqualitas.

1. GTIK. IN æqualitate Amici & Amati delectabatur voluntas, & elongabat ſe à minoritate.

Voluntas Minoritas.

1. GTK. PEr totum ſpatium, quod eſt à majoritate ad minoritatem, extenditur voluntas, ut Amicus & Amatus de longè ſe ament.

Virtus Veritas.

1. HIK. AMicus delectabatur in virtute & veritate ſui Amati, & ſimiliter delectabatur Amatus, quia habebat tam virtuoſum & verum Amicum.
2. HITB. In differentia Amici & Amati habet intellectus virtutem attingendi veritatem, quam Amatus & Amicus habent in amare.
3. HITC. Cum virtute & veritate pingebat Amicus ſuum Amatum in concordantia, ut illum non obliviſceretur in contrarietate, quam ſuſtinet propter ſuum amorem.
4. HITD. Amicus receſſit à contrarietate, & intravit in concordantiam, in qua invénit virtutem & veritatem, quæ ſcribebant in amore unum librum de ſuo Amato.
5. HITE. Amicus incepit ædificare unum palatium veritatis, ut in illo habitarent virtutes, quas ſuus Amatus illuc transmittit.
6. HITF. Amicus ibat per medium amoris recreando ſe, & aſſociabant eum virtus & veritas, quæ illi narrabant nova de ſuo Amato.
7. HITG. Amicus deſtruebat vitia cum virtutibus, & occidebat falſitatem cum veritate, & quieſcebat cum fine in gloria ſui Amati.
8. HITH. Si non eſſet verum in Amato id, per quod Amicus ſentit majorem virtutem in amare, Amatus eſſet amabilis cum vitiis & falſitate & minoritate amandi.
9. HITI. Virtus & veritas nutriverunt Amato Amicum in æqualitate, ut tantúm amaretur, quantúm eſt amabilis.
10. HITK. Minoritas virtutis & veritatis repræſentavit ſe Amico, ut deſperaret de ſuo Amato, ſed Amicus transformavit illam minoritatem in majoritatem, ut confideret in ſuo Amato.

Virtus Gloria.

1. HKTB. AMicus seminavit virtutes in differentia amoris, & collegit gloriam sui Amati.
2. HKTC. Amicus dormiebat in lecto concordantiæ amoris, & virtutes expergefecerunt illum, ut iret videre gloriam sui Amati.
3. HKTD. Contrarietas amoris exhæredavit concordantiam amoris virtute & gloriâ, ut Amatus haberet defectum amatorum.
4. HKTE. DEUS est amabilis ab oriente usque ad occidentem, sed virtutes absunt, quæ principient amare de amore, cum quo Amicus amet gloriam sui Amati, secundùm quòd est amabilis.
5. HKTF. Amicus sepelivit virtutes in terra, & sensit pœnam in medio ipsius amare.
6. HKTG. Quia Amicus magìs amat virtutes quàm gloriam, non potest quiescere in fine gloriæ.
7. HKTH. Cum majoritate virtutum majorificabat Amicus suum amare, & Amatus suum Amicum cum majoritate gloriæ.
8. HKTI. Ut Amicus posset elongare suas virtutes à vitiis, & suas delectationes à pœna, intravit in æqualitatem amoris amare suum Amatum.
9. HKTK. Amicus fuit inobediens virtutibus, & fuit obediens vitiis, & habuit passionem in minoritate amoris, in qua est oblitus suum Amatum.

Virtus Differentia.

1. HTBC. VIrtus transivit per differentiã, & est orta in concordantia, ut concordare virtutis esset in amare.
2. HTBD. Differentia intravit in virtutem, ut virtus posset contrariari contrarietati amandi.
3. HTBE. Virtus intravit in differentiam, & differentia in virtutem, ut in principiare amantis principians & principiabilis essent de essentia principii virtutis & differentiæ.
4. HTBF. Quia virtus est in differentia, & differentia in virtute, possunt esse in medio amandi.
5. HTBG. Cum differentia habent Amicus & Amatus virtutem, quòd sint distincti in fine amandi.
6. HTBH. Si non esset virtus in differentia, & differentia in virtute, non possent esse in majoritate amandi.
7. HTBI. In illa virtute, in qua tantúm potest differentia, quantúm in se ipsa, & in illa differentia, in qua virtus potest tantúm, quantúm in se ipsa, potest esse æqualitas Amantis & Amati.
8. HTBK. De minori virtute & de minori differentia non potest exire majoritas amandi.

Virtus Concordantia.

1. HTCD. QUia virtus & concordantia sunt disparatæ à contrarietate in amore, voluntas est ligabilis cum virtute & cum concordantia amoris contra contrarietatem amoris.
2. HTCE. Principium amoris incipit in virtute concordare, & in concordantia virtuificare, ut principiet amare de amare in virtute & concordantia.
3. HTCF. In medio virtutis & concordantiæ stat ligatus amor, ut oriatur amare.
4. HTCG. Sinè virtuificare & concordare virtus & concordantia non possent quiescere in fine amandi, neque infirmare Amicum in amare.
5. HTCH. De virtute oritur virtuosum amare, & concordantia procedit in amorem Amantis & Amati, ut Amans & Amatus in virtutibus jaceant infirmi per amare.
6. HTCI. Amicus est Præfectus domûs sui Amati, & æqualiter expendit virtutem & concordantiam in amare omnes amatores sui Amati.
7. HTCK. Amicus vestiebat se virtutibus, & equitabat equum concordantiæ, & ibat conqueri apud suum Amatum de minoritate amoris, & Amatus torquebat suum Amicum cum majoritate amandi.

Virtus Contrarietas.

1. HTDE. PRincipium principiat in amore virtutem de virtute, ut in suo principiare sit virtuificare contra concordantiam vitiorum & contrarietatem amandi.
2. HTDF. Virtus non posset stare in medio amoris, si staret in medio contrariorum.
3. HTDG. Vitia & contrarietas amoris faciunt deviare amatores ab ire quiescere in fine amoris & amandi.
4. HTDH. Amicus esset victus in contrarietate amoris, nisi resisteret vitiis cum majoritatibus virtutum.

HTDI.

5. HTDI. Si vitia tàm æqualiter possent resistere virtutibus, quàm virtutes vitiis, æqualitas non esset major in virtutibus, quàm in vitiis.
6. HTDK. Amicus accessit cum majoritatibus virtutum ad contraria amoris, quæ in hac mundana vita tenent inhonoratum suum Amatum.

Virtus Principium.

1. HTEF. VIrtus incipit vestire amare in medio amoris, & suæ extremitates sunt principiatæ in Amante & Amato.
2. HTEG. Dum Amicus inquirebat virtutes, ut vestiret suum amare, incepit amare & venire ad finem, qui est quies virtutis & amoris.
3. HTEH. Si virtus non posset principiare in majoritate amoris, non posset ascendere ad majoritatem amandi.
4. HTEI. Virtus & principium coæquarunt se in amore, ut virtuificare, principiare & amare sint æqualia in amore.
5. HTEK. In minoribus principiis amoris incepit Amicus vestire suum amare virtutibus, ut de magìs longè posset videre suum Amatum.

Virtus Medium.

1. HTFG. SI virtus esset in medio amoris, & non esset in fine amoris, non esset virtuosum amare.
2. HTFH. Virtus intrat in medium amoris, & amor intrat in medium virtutis, ut virtuosum amare sit in majoritate medii.
3. HTFI. Virtus extenditur per medium amoris ab Amante usque ad Amatum, ut illos coæquet in virtuoso amare.
4. HTFK. Virtus intrat in medium amoris, & ejicit minoritatem amandi cum majoritate virtuosi amare.

Virtus Finis.

1. HTGH. VIrtus & finis venerunt ad majoritatem amoris, ut illam rogarent, quòd illis daret majoritatem sui amare, cum qua sanarent Amicum, qui jacebat infirmus præ nimio amare.
2. HTGI. Virtus & finis coæquarunt se in amore, ut in Amico coæquarent sanitatem & infirmitatem amoris.
3. HTGK. Virtus & finis elongarunt se à minoribus amoribus, ut comprehenderent & ligarent Amicum ad majores amores.

Virtus Majoritas.

1. HTHI. IN æqualitate amoris invenitur virtus cum majoritate amandi, quæ reprehendebat Amicum de minoritate amandi.
2. HTHK. Virtus stabat disparata à majoritate & minoritate, ut Amans & Amatus essent in æqualitate amandi.

Virtus Æqualitas.

1. HTIK. MInoritas amandi intoxicavit Amicum, qui jacebat infirmus in lecto virtutis, & æqualitas amativi & amabilis sanabat illum.

Virtus Minoritas.

1. HTK. MInoritas amoris destruebat & faciebat languere Amicum, & majoritas amoris illum occidebat, & æqualitas virtutis sustentabat illum, & Amatus lætabatur, quòd haberet tam bonum amatorem.

Veritas Gloria.

1. IKTB. SI veritas & gloria non essent rationes inconfusæ & reales, veritas non quiesceret in gloria, nec amor in amare.
2. IKTC. Veritas & gloria stant cum tanta concordantia in amore, quòd amare amoris non potest esse sinè verificare, gloriari & concordare.
3. IKTD. Veritas & gloria faciunt existere amatores contrarii amoris in falsitate & in pœna, quia resistunt vero glorioso amare.
4. IKTE. Quia sunt tot falsi amatores, conquerebatur gloria de veritate apud principium, & quia tot homines vadunt ad perdurabiles pœnas, conquerebatur veritas de gloria apud amorem: unde propter has querelas incepit amor amare verificare & gloriari.
5. IKTF. In medio amoris verificat veritas gloriosum, & glorificat gloria verosum, & Amicus & Amatus se osculabantur.
6. IKTG. Quando Amatus & Amicus comedebant amare, & bibebant amorem in mensa amoris, veritas & gloria serviebant Amico & Amato de fine amoris.
7. IKTH. Amicus est mortuus propter majorem veritatem, & Amatus glorificabat suum Amicum in majoritate gloriæ, & Amicus amavit suum Amatum in majoritate sui amare.

8. IKTI. Gloriari & amare coæquabant ſe in verificare, & verificare & amare in gloriari, & verificare & gloriari in amare, & de illa æqualitate ſtabant veſtiti Amans & Amatus.
9. IKTK. Veritas deſcendit ad minoritatem, ut illam elevaret ad majoritatem gloriæ, in qua illam amaret.

Veritas Differentia.

1. ITBC. VEritas, differentia & concordantia intraverunt in unam civitatem amoris, & acceperunt hoſpitium apud Amicum & Amatum in amare.
2. ITBD. Quia veritas non poteſt reſiſtere falſitati ſinè differentia, intravit in differentiam Amici & Amati.
3. ITBE. Veritas vendidit Amato omnia principia, de quibus Amicus eſt conſtitutus, ut Amicus non faceret differentiam inter actionem & paſſionem, quas ſuſtinet propter amorem ſui Amati.
4. ITBF. In medio amoris ſtabant veritas & differentia, ut in illo poſſent ſtare Amicus & Amatus.
5. ITBG. Si in verificare non eſſet differentiare Amantis & Amati, non eſſet finis amandi.
6. ITBH. Si non eſſet differentia inter majorem Amantem & Amatum, veritas non eſſet in majoritate amandi.
7. ITBI. In differentiare Amantis & Amati invenit veritas æqualitatem amoris & amare.
8. ITBK. Veritas & differentia voluerunt Amato vendere voluntatem Amici, ſed minoritas amoris hoc noluit.

Veritas Concordantia.

1. ITCD. VEritas & concordantia voluerunt dare amare Amici ipſi amare Amati, ſed contrarietas amandi hoc noluit.
2. ITCE. Veritas intravit in concordantiam, & concordantia in veritatem, ut amor ibi poſſet principiare ſuum amare.
3. ITCF. Verificare & concordare conjunxerunt & univerunt ſe in amare, ut Amicus poſſet ſufficere ſuo Amato de amare.
4. ITCG. Veritas & concordantia portârunt ſecreta amoris ad Amicum, & Amicus transmiſit illa ad ſuum Amatum propter finem amandi.
5. ITCH. In majori veritate & concordantia obviaverunt ſibi Amicus & Amatus, & quilibet dedit alteri ſuum majus amare.
6. ITCI. Veritas & concordantia coæquarunt ſe in amore & amare, ut coæquarent Amantem & Amatum in amore & amare.
7. ITCK. Amor plorabat & plangebat ſuum amare, quod perdiderat in minoritate veritatis & concordantiæ.

Veritas Contrarietas.

1. ITDE. VEritas reſiſtebat falſitati cum principiis amoris, & falſitas reſiſtebat veritati cum principiis odii, & hoc videbat Amicus & Amatus.
2. ITDF. Veritas cum concordantia reſiſtit falſitati, & falſitas cum contrarietate reſiſtit veritati, & ideo in medio concordantiæ & contrarietatis ſtat Amicus, qui languet præ amore.
3. ITDG. Contrarietas movet ſingulis diebus diſcordiam inter Amicum & Amatum, & Amatus diſciplinat ſuum Amicum cum veritate & cum fine amandi.
4. ITDH. Veritas & contrarietas reſiſtebant ſibi, quia contrarietas accuſabat Amicum apud Amatum, & veritas illum excuſabat, & amor ſeparavit reſiſtentias cum majoritate amandi.
5. ITDI. Si veritas & contrarietas eſſent æqualia principia in Amico, veritas & amor non eſſent æquales in verificare & amare.
6. ITDK. Amor voluit duplicare ſuum amare, & veritas ſuum verificare, & huic non potuit contradicere minoritas amandi.

Veritas Principium.

1. ITEF. VEritas & principium dabant ſibi ſuas ſimilitudines in medio amoris, ut in veritate eſſet principiare, & in principio verificare, & ut in amore amare eſſet veſtitum illis ſimilitudinibus.
2. ITEG. Veritas & finis erant veſtita principio, ut veritas in amore principiaret verificare, & finis finire, & ut amare non poſſet privari amore, nec Amicus ipſo amare.
3. ITEH. Principium intravit in majorem veritatem, in qua habuit majus principiare ipſius verificare, & intravit in majorem amorem, in quo habuit majus principiare ipſius majoris amare.
4. ITEI. Veritas intravit in æqualitatem principiativi & principiabilîs, ut in illa æqualitate ſuum verificativum & verificabile poſſent

poſſent eſſe æqualia, quæ ſunt æqualia in æqualitate amoris & amare.
5. ITEK. Minoritas cum veritate rogabat principia amoris, ut illam facerent deſcendere â majoritate, ne impediret amorem in amare.

Veritas Medium.

1. ITFG. VEritas verificabat illam influentiam amoris, quam Amatus transmittebat ad Amicum, & ſimiliter faciebat illi refluentiæ, quam Amicus transmittebat ad ſuum Amatum, & finis finiebat illam influentiam & refluentiam, & perficiebat amore.
2. ITFH. Si veritas non poſſet dare ſuam majorem ſimilitudinem majori medio amoris, non poſſet elevare ſuam majorem ſimilitudinem ad majoritatem amandi.
3. ITFI. In medio loco amoris ſcripſit veritas æqualitatem, quam Amans & Amatus habent in verificare & amare.
4. ITFK. In medio amoris fuit facta ecclypſis veritatis quamprimùm Amicus ſe aſſociabat minoritati amoris.

Veritas Finis.

1. ITGH. VEritas, finis & amor dabant ſibi dona in majoritate donandi, ut Amicus amaret ſuum Amatum cum majoritate amandi.
2. ITGI. Amicus & Amatus quieverunt in fine amoris, donec venit veritas, quæ illis narrabat nova de amare, quod moriebatur in inæqualitate ſuî & amoris.
3. ITGK. Veritas & finis incarcerârunt minoritatem, ut Amicus non recederet à ſervitio ſui Amati.

Veritas Majoritas.

1. ITHI. SI æquare non eſſet in majori veritate, verificare non eſſet in majori æqualitate Amici & Amati.
2. ITHK. Veritas & majoritas incenderunt ignem amoris, ut cremarent amare, ſed minoritas amoris extinxit illum ignem.

Veritas Æqualitas.

1. ITIK. VEritas & amor ſunt æquales in Amato, & eſſent ſimpliciter æquales in Amico, ſi non eſſet minoritas, quæ illas veſtit ſuâ ſimilitudine.

Veritas Minoritas.

1. ITK. VEritas & bonitas rogaverunt minoritatem, ut non auferret Amicum ſuo Amato.

Gloria Differentia.

1. KTBC. IN diviſione Amici & concordantia Amati gloriabatur amare amoris portans nova de amore ab uno ad alium.
2. KTBD. Contrarietas voluit quieſcere in gloria, ſed hoc noluit differentia, quæ erat amica concordantiæ amoris.
3. KTBE. Quantúm Amatus glorificabat ſuum Amicum, tantúm differentiabat illum, ut illi ſemper poſſet principiare ſuum amare.
4. KTBF. Glorificare, differentiare & amare fecerant quendam circulum de amore, & in medio illius circuli ſtabat Amatus, & Amicus circuibat illum circulum, & ambo perſeverabant in amare.
5. KTBG. Ut in glorificare poſſet eſſe finire, & in finire glorificare, erat differentiare in amare.
6. KTBH. Si non eſſet differentiare in glorificare, amor non eſſet in majori amare.
7. KTBI. Quantúm gloria amoris poteſt glorificare amare, tantúm poteſt differentia amoris differentiare in amare; & ideo æqualitas poteſt durare in amare.
8. KTBK. Coram Amico dicebat minoritas malum de gloria & de differentia ſui Amati, & tacebat Amicus, & plorabat Amatus.

Gloria Concordantia.

1. KTCD. AMicus ejecit ſuum amare de contrariare, & poſuit illud in concordare, ut iret gloriari in gloriâ.
2. KTCE. De gloria, concordantia & amore principiavit principium ſuum principiare, ut non eſſet in pœna & in contrarietate amandi.
3. KTCF. Gloriari & concordare intrârunt in medium amoris, ut illud portarent ad gloriam & concordantiam Amantis & Amati.
4. KTCG. Gloriari gloriæ fuit captum in concordantia amoris cum fine amandi.
5. KTCH. Illud amare, quod eſt majus per amorem quàm per gloriam & concordantiam, non eſt majus amare.
6. KTCI. In æqualitate gloriæ & concordan-

cordantiæ nutriebat amor ſuum amare.

7. KTCK. Quia accidentalis gloria, quæ eſt de ſubſtantiali concordantia, eſt minor, quàm accidentalis gloria, quæ eſt de ſubſtantiali gloria, ſtat amare in majori & in minori gloria & concordantia.

Gloria Contrarietas.

1. KTDE. QUia gloria venit ad principium contra contrarietatem, & principium venit ad gloriam contra contrarietatem, gloria & principium conjunxerunt ſe in concordantia amoris.
2. KTDF. Contrarietas ſumpſit hoſpitium in medio amoris, ut in illo non habitaret gloriari, quod Amato portabat literas de ſuo Amico, qui languebat præ amore illius.
3. KTDG. Gloria hujus mundi & contrarietas amoris deviârunt Amicum ab amore, ut non perveniret ad ſuum Amatum.
4. KTDH. Gloria & contrarietas reſiſtebant ſibi ſuper majoritate amoris, quia gloria ibi volebat ponere gloriari, & contrarietas contrariari, & hoc aſpiciebat amor & amare.
5. KTDI. Si gloria poſſet eſſe æqualis contrarietati, non poſſet eſſe æqualis concordantiæ, nec amor ipſi amare.
6. KTDK. Gloria & amor nutriebant Amicum in ſuſtinendo propter amorem minores contrarietates & adverſitates, ut poſſet ſuſtinere pœnas & labores in majoritate amandi.

Gloria Principium.

1. KTEF. GLoria ligavit ſuum gloriari in medio amoris cum principiis amoris, ut ſuum gloriari exiſteret in principiare & amare.
2. KTEG. Amicus clamabat ad ſuum Amatum cum voce amoris, & Amatus reſpondebat cum voce gloriæ, principii & finîs, & Amicus venit videre ſuum Amatum.
3. KTEH. Ut gloria & amor eſſent in majori principiare, principiat principium gloriari & amare in principiare.
4. KTEI. In æqualitatem gloriandi & principiandi intravit amare, ut amor non ceſſaret ab amare.
5. KTEK. Gloriari & principiare incarcerârunt minorificare, ut non haberet concordantiam cum contrarietate amoris.

Gloria Medium.

1. KTFG. AMicus miſit medium amoris quieſcere in fine & in gloria ſui Amati, & Amatus remiſit illud ad labores & adverſitates, quas Amicus ſuſtinet pro ſuo amore.
2. KTFH. Abſtulerunt Amico ſuum Amatum, & Amicus ibat illum quærere in medio amoris cum majoritate amoris, & invenit illum in gloria ſui amare.
3. KTFI. In medio Amati & Amici coæquabant ſe gloriari & amare, ut Amatus & Amicus eſſent æquales in gloria & amore.
4. KTFK. In medio amoris abſcondit ſe minoritas, ut Amicus ſuſtineret pœnam & anxietates pro ſuo Amato.

Gloria Finis.

1. KTGH. GLoria & finis venerunt ad majoritatem, ut majorificarent Amicum in ſuo Amato.
2. KTGI. In æqualitate amoris & amandi coæquabant ſe gloria & finis, ut poſſent ſufficere amori & amare.
3. KTGK. Minoritas finîs & gloriæ ivit amare majoritatem finiendi & gloriandi.

Gloria Majoritas.

1. KTHI. GLoria & æqualitas amoris coronârunt majoritatem amandi de glorificare & æquare.
2. KTHK. Gloriari & majorificare elongârunt ſe à minoritate amandi.

Gloria Æqualitas.

1. KTIK. GLoriari & coæquare veſtiverunt gloriam & æqualitatem cum minoritate amandi.

Gloria Minoritas.

1. KTK. CUm minoritate amandi putabat Amicus conſequi Amatum in majoritate gloriæ & gloriandi.

Differentia Concordantia.

1. TBCD. DE differentia & concordantia, quæ ſunt branchæ amoris, collegit Amicus unam virgam, cum qua feriebat contraria amoris.
2. TBCE. In diviſione Amati & Amici incepit concordantia concordare in amare, & ſimiliter fecit amor ſuum amare in concordare.

TBCF.

3. TBCF. Sinè differentia concordantis & concordabilîs concordare non poſſet eſſe in medio amoris.
4. TBCG. Ad umbram cujusdam arboris, quæ eſt finis amoris, dormiebat Amicus, & differentia & concordantia amoris expergefecerunt illum, ut iret amare.
5. TBCH. Differentia & concordantia intraverunt in amorem, ut eſſet majoritas amandi.
6. TBCI. De differentia, concordantia & æqualitate amoris exivit quidam flos, qui habet nomen, amare.
7. TBCK. Differentia & concordantia amoris invenerunt minoritatem amoris, quæ perdidit amare.

Differentia Contrarietas.

1. TBDE. DIfferentia amoris præliabatur cum contrarietate amoris, & ſui pugiles erant concordare, principiare & amare.
2. TBDF. Contrarietas emaciabat Amicum, & concordantia impinguabat illum, & quia Amicus vivebat de medio amoris, non faciebat ullam differentiam.
3. TBDG. Contrarietas amoris rogabat Amicum, quòd ſe ſepararet ab amare, & differentia amoris & finis amoris rogabant Amicum, quòd veniret ad amare.
4. TBDH. Majora contraria amoris volebant facere differentiam inter eſſentiam Amici & Amati, ut majoritas amandi periret.
5. TBDI. In quodam panno differentiæ & æqualitatis involverat amor ſuum amare, ut non participaret cum contrarietate amandi.
6. TBDK. Amor induebat pallium & tunicam differentiæ, & portabat calceos contrarietatis, & ibat ſuper minoritatem, & in ſuo capite portabat coronam concordantiæ.

Differentia Principium.

1. TBEF. MEdium amoris ſtabat plenum differentiâ & principio, & inde oriebatur differentiare & principiare per amare.
2. TBEG. Differentia & principium ſunt duo flumina, ex quibus exeunt differentiare & principiare in fine ipſius amare.
3. TBEH. Differentiare & principiare ſunt ſtellæ amoris, quæ illuminant majoritatem amandi.
4. TBEI. Differentia & principium ſunt maria amoris, quæ coæquantur in amare.
5. TBEK. Si differentiare & principiare non poſſent ſufficere minoritati amandi, non poſſent ſufficere majoritati amandi.

Differentia Medium.

1. TBFG. MEdium amoris ſtabat in quadam terra, in qua erat magna ſiccitas, quia ibi non pluebat pluvia differentiæ Amantis & Amati in menſe finîs amandi.
2. TBFH. Differentia amoris eſt menſis aprilîs, in quo mediũ amoris frondet, floret & germinat in arbore majoritatis amoris.
3. TBFI. Differentia & æqualitas Amantis & Amati dabant ſibi medium amoris in uno feſto, quod Amicus faciebat propter amorem ſui Amati.
4. TBFK. In quadam menſa ſedebat Amatus, & comedebat differentiam & medium amoris, & Amicus ſerviebat illi cum minoritate amoris.

Differentia Finis.

1. TBGH. PEr quandam ſylvam differentiæ amoris venabatur Amicus majoritatem amoris cum aſture, qui capiebat finem amoris.
2. TBGI. Æqualitas Amici & Amati cantabat quoddam canticum de differentia Amici & Amati in quadam eccleſia, quæ eſt finis amoris.
3. TBGK. Differentia & finis amoris ibant in quandam longinquam terram prædicare contra minoritatem amandi.

Differentia Majoritas.

1. TBHI. MAjorem differentiam, quæ poſſit eſſe, convenit eſſe in æqualitate Amici & Amati.
2. TBHK. Ut differentia amandi non haberet ſuum differentiare in minoritate amandi, voluit illud habere in majoritate amandi.

Differentia Æqualitas.

1. TBIK. IN cellarium amoris differentia & æqualitas amoris intrârunt bibere amorem, & humilitas & minoritas aperuerunt portam.

Differentia Minoritas.

1. TBK. IN quodam prato amoris differentia & minoritas amoris colligebant

gebant herbam amoris, & portabant illam ad equum amoris, in quo equitabat Amicus, quando ibat videre ſuum Amatum.

Concordantia Contrarietas.

1. TCDE. AMor ſuſtinebat contrarietatem in amore per ſecundam intentionem concordandi & principiandi amare.
2. TCDF. Medium amoris ambulat ſanum per concordantiam, & jacet infirmum in contrarietate; & ideo plorabat Amicus, & lætabatur Amatus.
3. TCDG. Concordantia generat amare in fine amoris, & contrarietas generat odire, ut Amicus poſſit amare & odire.
4. TCDH. Concordantia & contrarietas cucurrerunt ad majoritatem, & ibi priùs fuit concordantia, quàm contrarietas, ut Amicus poſſet magis amare, quàm odire.
5. TCDI. Per quendam montem punctorum tranſcendentium elevabant concordare & contrariari ipſum amare amoris, veruntamen contrariari non potuit coæquari cum concordare in aſcendere.
6. TCDK. Quando contrarietas tangebat concordantiam, concordabat concordantia cum majoritate bonitatis, magnitudinis &c., ut vinceret contrarietatem.

Concordantia Principium.

1. TCEF. COncordare & principiare movebant & ligabant medium amoris in realitate & ratione Amantis & Amati, ut Amicus contemplaretur ſuum Amatum.
2. TCEG. Concordantia miſit finem amoris ad principia amoris, ut illi transmitterent ſpem & conſolationem, quam promiſerant.
3. TCEH. Concordantia & principium amoris intraverunt in majoritatem contractionis & abſtractionis, ut eſſent una converſio concordandi, principiandi & amandi.
4. TCEI. In univerſali æqualitate concordantiæ & principii inquirebat Amicus particularia amoris, à quibus volebat interrogare nova de ſuo Amato.
5. TCEK. Concordare & principiare miſerunt contritionem & conſcientiam ad amorem, ut illis transmitteret amare, ſed illi nuntii fuerunt capti in minoritate amoris.

Concordantia Medium.

1. TCFG. MEdium amoris languebat in patientia, & vivebat in concordantia, & quieſcebat in fine amoris.
2. TCFH. Amicus voluit ſatisfacere ſuo Amato de majori concordantia & de majori medio amoris, quæ abſtulerat à ſuo Amato.
3. TCFI. Dum Amicus in medio amoris conſiderabat concordare & æquare, ſentiebat ſe ligari ad amare & concordare & ad æqualitatem Amantis & Amati.
4. TCFK. Simplicitas & compoſitio invenerunt concordantiam & minoritatem in medio amoris, quæ loquebantur de Amico & Amato.

Concordantia Finis.

1. TCGH. IN majori intentione finîs amandi habebat concordantia majus concordare.
2. TCGI. Cum æqualitate Amici & Amati concordantia & finis definiebant æqualitatem amandi.
3. TCGK. Concordantia & finis generabant Amicum in minoritate, ut eſſet ſervus & ſubditus ſui Amati.

Concordantia Majoritas.

1. TCHI. IN majori realitate & ratione, in qua Amicus poteſt exaltare ſuum amare, eſt concordare & coæquare realitatem & rationem in punctis, quæ tranſcendunt intelligere & amare.
2. TCHK. Majoritas & minoritas compoſuerunt ſubſtantialiter & accidentaliter concordare & donare in bono amare.

Concordantia Æqualitas.

1. TCIK. ÆQualitas amoris & amandi excitabat Amicum ad odiendum minoritatem concordantiæ & concordandi.

Concordantia Minoritas.

1. TCK. IN univerſali concordare invenit Amicus minus amare, quod dicebat malum de majori concordantia.

Contrarietas Principium.

1. TDEF. PRincipiare & concordare intraverunt in medium amoris, ut caperent & occiderent contrariare ipſius amare.

TDEG.

2. TDEG. Finis amoris diſtrahebat omnem contrarietatem à principiis amoris, & conjungebat cum illis concordantiam amoris, ut eſſet quies principiandi & concordandi.
3. TDEH. Si contrarietas haberet tantam poteſtatem, quòd poſſet reſiſtere majori principiare amandi, amor eſſet major per timorem, quàm per audaciam amandi.
4. TDEI. Ex æqualitate principiandi & ſperandi concordantia ejecit contrariari, ut non eſſet in amare.
5. TDEK. Contritio & conſcientia ceperunt contrariari amandi in minori principiare amandi, ut Amicus conſolaretur, & de amare ſatisfaceret majori principiare.

Contrarietas Medium.

1. TDFG. FInis amoris emit contrariari à contrarietate pro conſiderare, & dedit ipſum medio amoris pro ſervo.
2. TDFH. Largitas & conſtantia cuſtodiebant medium amoris in majoritate, ut contrarietas non traheret illud ad minoritatem.
3. TDFI. Si contrarietas & æqualitas poſſent converti in medio amoris, æqualitas & concordantia non poſſent converti.
4. TDFK. Minoritas & contrarietas eruditionis & fidelitatis intraverunt in medium amoris, ut inde ejicerent concordantiam & majoritatem.

Contrarietas Finis.

1. TDGH. COntra majorem finem humilitatis & obedientiæ contrarius amor miſit contrariari, ut concordantia amoris perderet amare.
2. TDGI. Contrariari volebat intrare in juſtitiam & in miſericordiam, & volebat ejicere æqualitatem ex judicare, & miſericordiam ex miſereri, ut Amicus deſperaret de fine amandi.
3. TDGK. Contrarietas pietatis & minoritas finîs amandi ponebant malevolentiam inter Amicum & Amatum.

Contrarietas Majoritas.

1. TDHI. COntrarietas rogabat æqualitatem amoris, ut ejiceret orationem & pœnitentiam ex majoritate.
2. TDHK. Contrarietas ejecit eleemoſynam ex majoritate, & poſuit illam in minoritate, ut Amicus non haberet Amatum.

Contrarietas Æqualitas.

1. TDIK. COntrarietas & minoritas impediebant paupertatem in æqualitate poteſtatis & amoris.

Contrarietas Minoritas.

1. TDK. COntrarietas & minoritas vincebant & incarcerabant publicam utilitatem, & exaltabant propriam utilitatem in amare.

Principium Medium.

1. TEFG. VAna gloria exaltabat Amicum, & Amicus fugiebat per principia, media & fines amoris, & hoc videbat ſuus Amatus.
2. TEFH. Honor incipit cum majoritate in medio amoris, & gentes voluerunt illum habere cum divitiis, deliciis, amicis & parentibus.
3. TEFI. Gula, avaritia, luxuria, ſuperbia, acedia, invidia, ira volebant ſe coæquare in Amico, ut inciperet odire medium amoris, cum quo Amicus & Amatus ſe amant.
4. TEFK. Amicus amavit majoritatem, & voluit habere minoritatem bonorum hujus mundi, ut ſuum amare poſſet ſtare in medio principiandi.

Principium Finis.

1. TEGH. PRincipiare intravit in finire, & finire in principiare, ut poſſent perſeverare & ſtare in majoritate amandi.
2. TEGI. Æqualitas principiandi & finiendi erat veſtita de perſeverantiâ, & erat coronata ipſo amare.
3. TEGK. Quamdiu principia amoris quieſcebant in fine amoris, plorabat & plangebat minoritas amoris.

Principium Majoritas.

1. TEHI. PRincipiare & coæquare rogaverunt majoritatem amoris, ut illis daret majus amare.
2. TEHK. Principium in ſuo principiare attingebat majoritatem & minoritatem amoris.

Principium Æqualitas.

1. TEIK. IN minori æqualitate amoris & amandi ſtat minus principium amandi.

Principium Minoritas.

1. TEK. UT principium possit principiare minoritatem, convenit, quòd principium & minoritas conjungantur & uniantur in amare.

Medium Finis.

1. TFGH. MEdium & finis amoris rogaverunt majoritatem, ut esset in majori amare.
2. TFGI. Mediare, finire & coæquare rogaverunt amorem, ut illa vestiret ipso amare.
3. TFGK. Minoritas medii & finîs vulnerabat amorem, & majoritas amandi sanabat eum.

Medium Majoritas.

1. TFHI. SI major æqualitas non esset in medio & in mediare, non essent amor & amare.
2. TFHK. Medium & majoritas invenerunt minoritatem, quæ dicebat Amico malum de suo Amato.

Medium Æqualitas.

1. TFIK. IN medio amoris stabat coæquare Amici & Amati, & plorabat minoritas amoris, & lætabatur majoritas amoris.

Medium Minoritas.

1. TFK. ESt quoddam medium, quod est extensum de majoritate usque ad minoritatem, per quod amor Amici transit ad Amatum.

Finis Majoritas.

1. TGHI. FInis & majoritas rogaverunt æqualitatem, ut æquaret Amicum cum amore, ut multùm posset amare suum Amatum.
2. TGHK. Majoritas & minoritas amoris stabant ante finem, & finis assumpsit majoritatem amoris, & reliquit minoritatem.

Finis Æqualitas.

1. TGIK. FInis intravit in æqualitatem, ut sibi coæquaret finire, & ut elongaret amare à minoritate.

Finis Minoritas.

1. TGK. SI majoritas non esset in fine, finis esset in minoritate, & Amicus perderet suum Amatum.

Majoritas Æqualitas.

1. THIK. MAjorem æqualitatem Amici & Amati convenit esse sinè majoritate & minoritate.

Majoritas Minoritas.

1. THK. MAjor minoritas, quæ potest esse, est odium Amici erga Amatum.

Æqualitas Minoritas.

1. TIK. MInoritas intravit existere in æqualitate, ut amor ascenderet de minoritate ad majoritatem amandi.

INCIPIT QUINTA DISTINCTIO, QUÆ EST

De Quæstionibus hujus Artis.

QUæstio est exercitatio intellectûs, ut quiescat in suo intelligere, & est exercitatio amoris, ut quiescat in suo amare.

Hæc Distinctio est de Quæstionibus, & dividitur in *duas Partes*: *prima Pars* est de Quæstionibus, quæ remittuntur ad Conditiones, quæ remissio significatur secundùm similitudinem, quam Conditiones & Quæstiones habent in Rubricis & in numero; Quæstiones sunt solubiles cum Conditionibus affirmando vel negando, remanentibus Conditionibus in suo processu, sicut diximus: *alia Pars* est de viginti Quæstionibus, in quibus datur exemplũ & doctrina, quomodo homo sciat transmittere Quæstiones ad Figuras, Regulas, Definitiones, Conditiones.

In hoc processu convenit, quòd Quæstiones ponantur tali modo, quòd, sicut intellectus intelligendo illas ligatur ad intelligendum, sic voluntas ligatur ad amandum: unde ratione hujus quælibet Quæstio est duplex subjectum, hoc est, subjectum Scientiæ & Amantiæ. Ad quamlibet Quæstionem potest homo multiplicare rationes secundùm doctrinam, quam dabimus in solvendo viginti Quæstiones; & ad quamlibet Quæstionem potest homo facere multas objectiones, sequendo propositum & doctrinam processûs hujus Artis, quæ objectiones sunt solubiles secundùm processum & doctrinam hujus Artis. *Quædam Quæstiones sunt in hoc processu, quæ sunt valde difficiles ad intelligendum; veruntamen quò difficiliores sunt ad intelligendum, eò magis exaltatur intellectus, quando illas intelligit, & eò magis exaltatur voluntas ad amandum bonum.*

Novem Modis potest homo facere Quæstiones, quos novem modos proponimus tenere in hoc processu, & quemlibet modum significamus per literam secundùm processum Principiorum hujus Artis; & hoc facimus ideo, ut in Figuris significentur novem modi, quibus fiunt Quæstiones. *Primus* modus faciendi Quæstiones & ille, qui est generalior, est de *utrùm*, & hunc significamus per B. *Secundus* modus est, *quid* est, hoc est, quando homo inquirit esse rei, & vult scire esse rei, quid sit, & hunc significamus per C. *Tertius* modus est *de quo*, hoc est, quærere id, de quo res est, & hunc significamus per D. *Quartus* modus est, *quare*, hoc est, quando quæritur de intentione, vel de fine, propter quem res est, & hunc significamus per E. *Quintus* modus est, *quantum*, hoc est, quærere de quantitate, & significatur per F. *Sextus* modus est, *quale*, hoc est, quærere de qualitate, & significatur per G. *Septimus* modus est, *quando*, hoc est, quærere de tempore, & significatur per H. *Octavus* modus est *ubi*, hoc est, quærere de loco, & significatur per I. *Nonus* modus est, *quomodo*, hoc est, quærere de modo rei, & significatur per K. Omnes isti novem modi sunt necessarii ad inquirendum veritatem rerum, & ad inamorandum voluntatem cum bono amare; & isti novem modi significantur in literis Figurarum, & per consequens in Principiis, Regulis & Definitionibus, & secundùm quòd in omnibus istis significantur, possunt transmitti ad supradictas Quæstiones, & de Quæstionibus ad supradicta, & hoc per circulum, donec sit declarata & revelata conclusio & necessitas Scientiæ & Amantiæ.

Bonitas Magnitudo.

1. QUæstio. Amor quæsivit à bonitate, magnitudine, æternitate, utrùm DEUS esset? quia multùm desiderabat, quòd DEUS esset, ut magis posset amare.
2. Bonitas, magnitudo & potestas quæsiverunt à bono magno & potente amore, per quam naturam amet esse, & odiat non esse?
3. Bonitas & magnitudo quæsiverunt à sapientia, per quam naturam amor plùs amet res infinitas, quàm finitas?
4. Bonitas quærebat à magnitudine, utrùm amare amoris esset tantum, quantus est Amatus, quem amor amat?
5. Magnitudo quæsivit à bonitate, utrùm virtus amoris esset magis bona & magna in actu, quàm in habitu & potentia?
6. Amor quæsivit à veritate, utrùm illud sit verum, propter quod bonitas & magnitudo sunt magis desiderabiles?
7. Amicus mirabatur quâ naturâ & quâ proprietate amoris magis amabat bonitatem, magnitudinem & gloriam sui Amati quàm suam propriam bonitatem, magnitudinem & gloriam.
8. Bonitas quæsivit à magnitudine, utrùm sit bonitas & magnitudo amoris amare distinctionem inter Amicum & Amatum, & odire distinctionem & naturam & essentiam Amici & Amati?
9. Amor quærebat à bonitate, per quam naturam se sentiret majorem in bonitate, quando amabat concordantiam, vel quando amabat contrarietatem?
10. Amor quærebat à bonitate & magnitudine, utrùm posset esse tam bonus & tam magno in contrarietate, quàm in concordantia?
11. Amor voluit scire rationem, propter quam bonitas & magnitudo sunt nobiliora principia ratione formæ, quàm materiæ?
12. Bonitas quæsivit à magnitudine, per quam naturam medium amoris pertineat ad amorem?
13. Amicus quæsivit à suo Amato, utrùm finis amoris sit in magnitudine bonitatis.
14. Amor quæsivit à magnitudine, per quam naturam illi faceret majus suum amare, quando amabat bona substantialia quàm accidentalia?
15. Æqualitas amoris quæsivit à bonitate & mag-

magnitudine amoris, utrùm esset tam bona in existentia, quàm in apparentia?

16. Bonitas quæsivit à magnitudine, utrùm amor haberet majus & minus amare.

Bonitas Æternitas.

1. QUæstio. Æternitas quæsivit à bonitate, utrùm potestas sit melior in amare, quàm in amore?
2. Bonitas rogavit sapientiam, ut illi diceret, utrùm sit aliquis æternus amor?
3. Bonitas quæsivit ab amore, utrùm illam amaret tantúm, quantúm amat durationem & magnitudinem?
4. Amicus quæsivit à suo Amato, per quam virtutem pertineat ad amorem, quòd suum amare sit in bonitate & duratione?
5. Amicus quæsivit à veritate, quare opera sui Amati illi videantur bona durabilia & vera, & quare odiat contraria illorum?
6. Amicus volebat scire modum, secundùm quem bonitates & durationes amatorum quiescunt in gloria sui Amati.
7. Bonitas & æternitas quæsiverunt ab amore, quis sit modus, quo possint esse inconfusæ in suo amare, cùm sint unum & idem in numero?
8. Amicus quærebat à bonitate & æternitate, quare suus amor habeat majorem concordantiam cum esse, quàm cum non esse?
9. Amatus quæsivit à suo Amico, utrùm haberet tot contraria in amare, quando amat finem suæ bonitatis & suæ durationis, quot haberet, quando amabat finem suæ impossibilitatis?
10. Amicus incepit dubitare, utrùm suus Amatus esset aliquid, & quæsivit hoc à bonitate æternitatis.
11. Amicus quæsivit à bonitate & ab æternitate, quid sit suus Amatus in medio amoris?
12. Bonitas & æternitas quæsiverunt ab amore, quare finis illi sit amabilis?
13. Bonitas quæsivit à majoritate, quare æternitas sit major quàm minoritas?
14. Amicus quæsivit à suo Amato, utrùm illi posset esse æqualis in bonitate & in æternitate?
15. Bonitas quæsivit ab æternitate, utrùm minoritas amoris sit remota ab amare privationis?

Bonitas Potestas.

1. QUæstio. Sapientia quæsivit ab amore, utrùm haberet potestatem, quòd illi sufficeret de bonitate.
2. Amicus quærebat à suo Amato, quomodo posset amare cum bono potenti & amoroso amare?
3. Bonitas quæsivit à potestate, per quam virtutem Amicus posset tantúm amare suum Amatum?
4. Verus amor quæsivit à bonitate, quis sit modus, secundùm quem se posset elongare à falso odibili amore?
5. Amicus quæsivit à suo Amato, quinam sint habitus amoris? quia multùm desiderabat illos scire, ut illos posset habere in gloria.
6. Amor quæsivit à differentia, per quam naturam haberet potestatem amandi inconfusè bonitatem & potestatem sui Amati?
7. Bonitas quæsivit à potestate, de quo sit concordantia, quam Amicus & Amatus habent in amare?
8. Amor quæsivit à bonitate, quòd illi diceret, cum quâ potestate meliùs posset resistere inimicis sui Amati?
9. Amicus desiderabat, quomodo posset principiare unum bonum & potens amare, cum quo posset sufficere ad amandum suum bonum & potentem Amatum, qui eum principiavit de amore & de amare.
10. Amicus quæsivit ab amore, quomodo posset constringere medium amoris, ut non separetur ab amando suum bonum & potentem Amatum.
11. Bonitas amoris quæsivit à fine amoris, utrùm sciret semitas, per quas Amicus vadit videre suum Amatum?
12. Amor quæsivit à majoritate, quomodo posset multiplicare suum amare in bonitate?
13. Amicus quæsivit ab æqualitate amoris, utrùm posset esse expedita ad amandum suum bonum & potentem Amatum?
14. Quæsiverunt ab Amico, cum quo elongaret suum amorem ab odibilitate & à malitia amandi?

Bonitas Sapientia.

1. QUæstio. Amicus quæsivit à sapientia, quare sua voluntas tantúm amet opus bonitatis, quantúm amat opus voluntatis?
2. Bonitas quæsivit à virtute, utrùm posset esse ita virtuosa in amare Amatum, sicut in scire Amatum?
3. Amor quæsivit à sapientia, de quo bonitas sufficeret veritati ipsius scire & intelligere?
4. Amicus quæsivit à sapientia, quænam sint

sint ea, per quæ posset esse subtilior in intelligere bonitatem & gloriam sui Amati?

5. Bonitas amoris & differentia amoris quæsiverunt à sapientia amoris, per quam naturam Amicus non possit odire & ignorare suum Amatum?
6. Bonitas quæsivit à sapientia, utrùm haberet tantam concordantiam cum amore, quando sciebat Amicum, quantam habebat, quando non sciebat Amatum?
7. Amicus quæsivit à sapientia, quomodo posset resistere malitiæ & ignorantiæ?
8. Amicus quæsivit à sapientia, ubi posset invenire bonitatem sui Amati?
9. Amicus rogavit suum Amatum, ut illi diceret, ubi sua bonitas & sua sapientia existant amabiles, quia illas volebat amare.
10. Amicus quæsivit à suo Amato, de quo posset vestire finem amoris, quia illum volebat transmittere ad bonitatem & sapientiam amoris?
11. Amor quæsivit à bonitate & sapientia, quomodo posset vestire suum amare majori bonificare & intelligere?
12. Bonitas quæsivit à sapientia, de quo fiat æqualitas amandi & intelligendi?
13. Amicus rogavit suum Amatum, ut illi monstraret, cum quo posset ejicere minoritatem de suo amare & intelligere?

Bonitas Voluntas.

1. QUæstio. Voluntas Amici quæsivit à bonitate Amati, quænam sint ea, cum quibus posset amare suum Amatum?
2. Amatus voluit scire, utrùm suus Amicus sciret veritatem bonitatis & amoris, & quæsivit ab illo, quæ sit perfectio amandi?
3. Amicus quæsivit à suo Amato, de quo vestiret suum amare?
4. Voluntas quæsivit à bonitate, an sit in differentia Amici & Amati?
5. Voluntas quæsivit à bonitate, cum quo stet concordantia Amici & Amati in virtute amandi?
6. Amicus quæsivit à bonitate & voluntate, quæ sint ea, cum quibus illum approximant ad suum Amatum?
7. Bonitas quæsivit ab amore, quænam sint principia, cum quibus constringit Amatores ad amare?
8. Bonitas amoris quæsivit ab amore, unde nasceretur amare?
9. Bonitas quæsivit à bono amore, utrùm inveniret finem sui bonificare in fine boni amare?
10. Bonitas quæsivit ab amore, quare oneraverit Amicum majoritate amandi.
11. Amicus quæsivit à suo Amato, cum quo posset facere æqualitatem bonitatis & amoris?
12. Amor quæsivit à majoritate, cum quo elongaret eum à bonitate sui Amati?

Bonitas Virtus.

1. QUæstio. Bonitas & virtus quæsiverunt à veritate, utrùm illas posset convertere in esse unum eundem amorem?
2. Amicus quæsivit ab amore, ubi existerent bonitas, virtus & gloria sui Amati?
3. Virtus quæsivit à differentia, quomodo posset multiplicare bonitatem, & minuere malitiam?
4. Amicus quæsivit à suo Amato, quomodo illum posset amare cum concordantia bonitatis amoris, & virtutis amoris?
5. Bonitas & virtus quæsiverunt ab Amico, utrùm sciret modum, secundùm quem existebant inter illum & suum Amatum?
6. Bonitas quæsivit à virtute, utrùm sciret, in quo loco amoris Amicus amaret suum Amatum?
7. Bonitas & virtus quæsiverunt à medio amoris, utrùm sciret modum, secundùm quem possent esse in amore & de amore?
8. Amatus quæsivit à suo Amico, utrùm sciret ea, quæ conjungunt Amatores ad finem amoris?
9. Amicus quæsivit à suo Amato, cum quo posset multiplicare opera amoris, quia illa volebat multiplicare propter suum amorem?
10. Bonitas & virtus quæsiverunt ab æqualitate amoris, utrùm sciret modum, secundùm quem possent existere in illa?
11. Amatus quæsivit à suo Amico, utrùm sciret ea, secundùm quæ bonitas & virtus periclitantur in amore?

Bonitas Veritas.

1. QUæstio. Amatus quæsivit à suo Amico, utrùm eum elongaret à falso amore & à malitia & à pœna?
2. Differentia intravit in amorem, & quæsivit ab eo, utrùm posset esse Amicus & Amatus?
3. Bonitas & veritas quæsiverunt ab amore, utrùm sciret ea, cum quibus essent obedientes suo Amato?
4. Quæsiverunt ab Amato, quare plangeret de suo Amico?

5. Bonitas & veritas rogaverunt amorem, ut illis diceret, de quibus principiet amare?
6. Bonitas & veritas quæsiverunt à voluntate, utrùm cum earum amabilitate posset ligari ad amandum verum?
7. Amicus quæsivit à suo Amato, cum quibus posset ligare suum amorem ad finem sui amare?
8. Amicus quærebat à bonitate & à veritate, ut illi dicerent ea, quæ ipsum elongant à suo Amato?
9. Bonitas quæsivit à veritate, de quo fiat æqualitas Amici & Amati?
10. Tunc, quando Amicus non amabat suum Amatum, quæsivit minoritas ab Amico, utrùm sciret, quomodo malitia procedat de bonitate, & falsitas de veritate?

Bonitas Gloria.

1. QUæstio. Bonitas quæsivit ab amore, utrùm posset quiescere in gloria, & habere bonum amare sinè differentia Amantis & Amati?
2. Bonitas & gloria rogaverunt amorem, ut illis diceret, ubi possent invenire concordantiam, quæ concordat Amicum & Amatum in amare?
3. Gloria & bonitas quærebant ab amore, de quo viveret suum amare?
4. Amicus voluit scire ab amore, cum quo ipsum ceperat in amare.
5. Bonitas & gloria quærebant ab amore, cum quo ligaret Amicum ad Amatum?
6. Amatus quæsivit à suo Amico, quare bonitas & gloria ejecerant non finem amoris?
7. Amicus quæsivit ab amore, cum quo posset elongari à malo & à pœna & à minoritate amandi?
8. Amatus voluit scire à suo Amico, cum quo quiescceret in amare?
9. Amatus quæsivit ab Amico, quare bonitas sit amabilis in majoritate amandi?

Bonitas Differentia.

1. QUæstio. Bonitas voluit scire, quare differentia Amantis & Amati sit amabilis in amare?
2. Bonitas quæsivit à differentia, ut illi diceret, quare esset major in concordantia amandi, quàm in contrarietate amandi?
3. Bonitas quæsivit à differentia, per quam naturam posset esse inter Amantem & Amatum, qui sunt unus amor?
4. Bonitas & differentia voluerunt scire ab amore, cum quo faceret existere suum amare in medio Amantis & Amati?
5. Amicus rogavit suum Amatum, ut illi diceret, cum quo posset invenire finem suæ bonitatis?
6. Amatus quæsivit à suo Amico, an sciret, unde oriretur majoritas amoris?
7. Amor quæsivit à differentia, in quo stet indivisibilitas bonitatis Amici & Amati?
8. Minoritas quæsivit à bono amore, utrùm differentia Amici & Amati possit esse indivisibilis?

Bonitas Concordantia.

1. QUæstio. Amicus rogavit bonitatem & concordantiam, ut illi dicerent, in quo loco suus Amatus revelet secreta amoris.
2. Amor dixit Amico, quare principias meum amare de bonitate & de concordantia?
3. Amare dixit amori, cum quo elongas me à malitia & contrarietate amandi?
4. Bonitas & concordantia dixerunt Amico, quare desideras finem amoris?
5. Majoritas & minoritas bonitatis & concordantiæ cucurrerunt ad amorem, & est quæstio, quæ antè fuerit apud amare?
6. Amicus quæsivit à suo Amato, in quo bonitas sit amabilis, & concordantia bonificabilis?
7. Amicus dixit amori, quare rogas me singulis diebus, quòd me elongem à minoritate amandi?

Bonitas Contrarietas.

1. QUæstio. Contrarietas amoris quæsivit à bono amore, cum quo Amicus rogaret suum Amatum.
2. Amice, dixit contrarietas, quare ponis concordantiam in medio bonitatis & amoris?
3. Dum Amicus amabat concordantiam, quærebat à contrarietate, quare plangeret & ploraret?
4. Amice, dixit bonitas, quare ponis me in majoritate amandi?
5. Amicus quærebat ab æqualitate, quare in illa resisterent amor & contrarietas?
6. Amice, dixit bonitas amoris, cum quo vincis contrarietatẽ & minoritatẽ amandi?

Bonitas Principium.

1. QUæstio. Bonitas, dixit Amicus, sciresne mihi dicere, cum quo est mea voluntas ligabilis ad amandum? & quare torquet me meus Amatus?
2. Voluntas & bonitas quæsiverunt ab Amico, cum quo illas ligaverat?
3. Bonitas, dixit Amicus, quare es magìs amabilis ratione majoris similitudinis, quàm minoris?
4. Bonitas & principium quæsiverunt ab Amico, cum quo faceret æqualitatem amandi & bonificandi, dum amabat suum Amatum?
5. Principium, dixit Amicus, cum quo est mea voluntas disligabilis à bono amare?

Bonitas Medium.

1. QUæstio. Quæsiverunt ab Amico, quare inclusisset finem bonitatis & amoris in medio amoris?
2. Bonitas dixit Amico, quâ ratione illam posuisset in majoritate amoris?
3. Voluntas, dixit Amicus, per quam naturam es ligabilis cum desiderio?
4. Quæsiverunt ab Amato, quare ejecerat minoritatem bonitatis ab Amico, & quare posuerat majoritatem amoris?

Bonitas Finis.

1. QUæstio. Quæsiverunt à voluntate, per quam naturam esset ligabilis in bonitate & in amore cum majoritate & cum fine amoris?
2. Amice, dixit Amatus, quare quæris æqualitatem finîs & bonitatis?
3. Quæsiverunt ab Amico, utrùm adhuc mortuum esset suum amare in minoritate bonitatis & finîs?

Bonitas Majoritas.

1. QUæstio. Amice, dixit Amatus, cum quo facis æqualitatem in tuo amare de bonificativo & amabili, & de amativo & bonificabili?
2. Quæsiverunt ab Amico, utrùm suum amare adhuc sit comprehensum & incarceratum in minoritate amoris?

Bonitas Æqualitas.

1. QUæstio. Amor quæsivit ab æqualitate, per quam naturam concordaret cum esse in bonitate, & cum non esse in minoritate?

Bonitas Minoritas.

1. QUæstio. Amicus existebat in laboribus & languoribus propter suum Amatum, & quæsivit, quis projecerat suum amare in magnitudinem amoris?

Magnitudo Æternitas.

1. QUæstio. Magnitudo quæsivit ab amore, utrùm tantúm amaret æternitatem per agere, quantúm per existere?
2. Magnitudo quæsivit ab amore, utrùm Amatus esset tam magnus in scibilitate, sicut in amabilitate?
3. Amor quæsivit ab Amico, an sciret, quid esset suus Amatus?
4. Amicus quæsivit à magnitudine & æternitate, utrùm in suo Amato essent ea, per quæ ille magìs posset accedere ad virtutes, & recedere à vitiis?
5. Amor, dixit Amicus, quæ sunt ea, per quæ meliùs possum ligare meam voluntatem ad amandum bonum, & meum intellectum ad intelligendum verum?
6. Amicus quæsivit ab amore, utrùm ipsi posset sufficere ad amandum suum Amatum?
7. O vos magnitudo & æternitas, quæ estis mei Amati, an non estis ita inconfusæ & reales in meo Amato, sicut est vestra similitudo in meo amare & in meo intelligere?
8. Magnitudo, dixit Amicus, cum quo es magna in amare? & tu æternitas in æternare?
9. Magnitudo quæsivit ab æternitate, utrùm in illa essent omnia ea, per quæ est magìs elongata à contrarietate?
10. Magnitudo & æternitas quæsiverunt ab amore, ubi esset Amicus & Amatus?
11. Amor, dixit Amicus, quâ ratione est meus Amatus magnificabilis & durabilis?
12. Amicus quærebat à suo Amato, utrùm esset ita obligatus ad amandum magnificare & æternare, sicut ad amandum amare?
13. Amicus quærebat à suo Amato, utrùm illum deberet tantúm amare ratione durandi, quantúm ratione magnificandi & amandi?
14. Amor, dixit Amicus, vis, quòd amem in meo Amato æqualitatem magnificandi & æternandi & amandi?
15. Dixit Amicus, magnitudo & æternitas, cum quo elongatis vos à minoritate amandi?

Magnitudo Potestas.

1. QUæstio. Amicus quæsivit ab amore, utrùm suus Amatus haberet tantam potestatem & tantam sapientiam intra se, quantam habet extra se?

Mag-

2. Magnitudo & poteſtas quæſiverunt ab amore, utrùm haberet tantum amorem, quantus eſt ipſe?
3. Amor quæſivit à magnitudine, utrùm ſciret, quòd poteſtas ſui Amati eſſet tantúm id, quod eſt, per agere, quantúm per exiſtere?
4. Magnitudo Amati quæſivit à poteſtate Amici, utrùm poſſet tantúm amare verificare, quantúm veritatem?
5. Quæſiverunt ab Amico, utrùm haberet magnam poteſtatem amandi gloriam ſui Amati?
6. Amicus quæſivit à magnitudine & à poteſtate, per quam naturam haberet ita magnam poteſtatem amandi ſuum Amatum?
7. Amice, dixit Amatus, habesne tam magnam poteſtatem amandi per amare in me unire, quàm per amare unitatem.
8. Habetne Amicus tam magnum amorem erga ſuum Amatum, quòd velit eſſe una eſſentia & natura cum ſuo Amato?
9. Quæſiverunt ab Amico, utrùm haberet tantam poteſtatem amandi, quòd omni tempore poſſet principiare ſuum amare?
10. Quæſiverunt ab Amico, utrùm poſſet habere tantum amare, quòd eſſet de eſſentia & natura ſui Amati?
11. Quæſiverunt ab Amato, utrùm haberet tantam poteſtatem amandi, quòd tantúm amet ſuum Amicum quantúm ſe ipſum?
12. Magnus Amatus quæſivit à magno Amico, utrùm haberet magnum amare?
13. Amatus quæſivit à magnitudine & poteſtate ſui Amici, utrùm eſſent æquales in amare?
14. Magnitudo amoris quæſivit à poteſtate amoris, utrùm amor poſſet amare ſinè dare?

Magnitudo Sapientia.

1. QUæſtio. Quæſiverunt ab Amico, utrùm amaret opus ſui Amati in tanta magnitudine, in quanta illud poſſet ſcire & amare?
2. Amor Amici quæſivit à ſapientia & virtute Amati, utrùm haberent tantam concordantiam actualiter, quantam habent potentialiter?
3. Amate, dixit Amicus, eſtne verum, quòd tu velis eſſe magnitudo mei ſcire & amare?
4. Quæſiverunt ab Amico, utrùm haberet magnam ſapientiam in ſcire gloriam ſui Amati?
5. Amice, dixit Amatus, eſtne magna ſapientia in ſcire & amare tuam entitatem & meam?
6. Amor quæſivit à ſapientia, utrùm ſciret majorem magnitudinem Amantis & Amati?
7. Amor quæſivit à ſapientia, utrùm ſciret majorem concordantiam amativi & amabilis?
8. Quæſiverunt ab Amico, utrùm ſciret magnam unitatem ſapientiæ ſui Amati?
9. Sapientia, dixit amor, esne tam magna, quòd ſcias aliquod medium, quod ſit Amicus & Amatus?
10. Amate, dixit Amicus, creaſtine tu mundum ad finem majoritatis & minoritatis?
11. Sapientia & amor quæſiverunt à magnitudine Amati, utrùm illas poſſet facere ſufficientes magnitudini ſciendi & amandi?
12. Amate, dixit Amicus, quæ ſunt ea, cum quibus tu meliùs potes cœquare meum ſcire & meum amare?
13. Amor Amici quæſivit à magnitudine & ſapientia Amati, utrùm DEUS haberet tantam ſapientiam, quòd ſciret creare unam creaturam meliorem & nobiliorem quàm omnes alias creaturas?

Magnitudo Voluntas.

1. QUæſtio. Amate, dixit Amicus, habesne tu tantam magnitudinem in voluntate, quantam habes in virtute & ſapientia?
2. Magnitudo quæſivit à veritate, utrùm poneret illam tantúm in vero, quantúm amor illam ponit in amore?
3. Amate, dixit Amicus, habesne tantam voluntatem & gloriam, quòd poſſis eſſe de entitate magnitudinis?
4. Magnitudo & voluntas quæſiverunt à differentia, utrùm in ſua majoritate poſſet eſſe major concordantia Amici & Amati?
5. Amor quæſivit ab Amico & Amato, utrùm eſſent concordantes in majori concordantia magnitudinis & voluntatis?
6. Magnitudo & voluntas Amici quæſiverunt ab Amato, utrùm in ſe ipſo magis poſſet elongare ſuum Amicum à contrarietate, quàm in ullo alio?
7. Voluntas, dixit magnitudo, in quo poteſt Amatus principiare majorem amabilitatem?
8. Quæſiverunt ab Amico, quare amaret ſuum Amatum cum tam magna voluntate?

Amor,

9. Amor, dixit Amicus, quare facis me amare meum Amatum in fine tam magnæ voluntatis?
10. Amice, dixit Amor, quare deſideras eſſe unum & idem cum tuo Amato?
11. Amate, dixit Amicus, in quo poteſt fieri major æqualitas magnitudinis & voluntatis?
12. Amatus quæſivit ab amore, an elongaſſet Amicum à majori minoritate amandi?

Magnitudo Virtus.

1. QUæſtio. Amicus quæſivit à magnitudine & virtute amoris, utrùm amare actu ſit de entitate potentiæ & habitûs?
2. Quæſiverunt ab Amico, utrùm Amatus illi dediſſet completè ſuas ſimilitudines?
3. Amice, dixit Amatus, quâ proprietate & naturâ habes tam magnam virtutem in amare?
4. Amate, dixit Amicus, eſtne tam magnus & tam virtuoſus amativus, ſicut tu es amabilis?
5. Virtus quæſivit à magnitudine, de quo fiat magna concordantia Amici & Amati?
6. Quæſiverunt ab Amico, utrùm ſuus Amatus eum principiaverit de magnitudine virtutis & amoris?
7. Magnitudo & virtus quæſiverunt ab amore, utrùm Amatus & Amicus eſſent uniti in amare?
8. Amate, dixit Amicus, per quam rationem poſuiſti finem amandi in tua magnitudine & virtute?
9. Amice, dixit virtus, cùm tu torquearis ab amore, quare deſideras amare in magnitudine Amati?
10. Amor, dixit virtus, cum quo poſſunt coæquari magnificare & amare?
11. Amate, dixit amor, cum quo magis removes eſſe à non eſſe?

Magnitudo Veritas.

1. QUæſtio. Magnitudo & veritas quæſiverunt ab amore, cum quo Amicus ſentiret majorem gloriam in amare?
2. Amicus quæſivit à ſuo Amato, utrùm ambo poſſent eſſe una unitas amandi?
3. Magnitudo, veritas & amor quæſiverunt ab Amico, utrùm quibusdam indigeret de ſuo Amato?
4. Veritas, dixit magnitudo, cum quo removes te magis à tuo contrario in amare?
5. Amice, dixit amor, quare poſuit tuus Amatus tuam magnitudinem in ſua veritate?
6. Quæſiverunt ab Amato, cum quibus menſuris menſuraret ſuum Amicum?
7. Amice, dixit amor, nunquid intrâſti in magnitudinem & veritatem ad videndum tuum Amatum?
8. Magnitudo & veritas quæſiverunt ab amore, quare Amicus intraviſſet in majoritatem videndi ſuum Amatum?
9. Amice, dixit amor, ſcisne, quare habeas æqualitatem in magnificare, verificare & amare?
10. Quæſiverunt ab Amato, utrùm ipſi deficeret Amicus in magnitudine veritatis?

Magnitudo Gloria.

1. QUæſtio. Amor, ſciresne mihi dicere, quare conjunguntur & uniuntur differentia Amici & differentia Amati?
2. Quæſiverunt à magnitudine amoris, utrùm ſciret, quare gloria Amici & Amati eſſet in magna concordantia amoris?
3. Amice, dixit magnitudo, deditne tibi tuus Amatus tantam gloriam, quòd te elongaverit ab omni contrarietate?
4. Magnitudo & gloria quæſiverunt ab Amico, utrùm, quamprimùm fuit principiatus, principiaverit amare ſuum Amatum?
5. Magnitudo & gloria quæſiverunt ab amore, utrùm Amicus poſſet eſſe ſuus Amatus, & Amatus ſuus Amicus?
6. Magnitudo, gloria & amor quæſiverunt ab Amico, quare amaret ſuum Amatum?
7. Amate, dixerunt magnitudo, gloria & amor, habesne quendam Amicum, qui ſit major glorioſior amoroſior quàm omnes alii?
8. Amor quæſivit à magnitudine & gloriâ, utrùm æqualitas Amici & Amati ſit camera amoris?
9. Quæſiverunt ab Amico, an illi conveniat ex parte ſui ipſius vel ex parte ſui Amati, quòd ſit in majoritate magnitudinis amoris, & gloriæ amoris?

Magnitudo Differentia.

1. QUæſtio. Amice, dixit Amatus, ſcisne, quid ſit magnitudo differentiæ & concordantiæ in amare.
2. Quæſiverunt à differentia Amici & Amati, utrùm poſſet eſſe tam magna, quòd poſſet eſſe ſinè aliqua contrarietate?
3. Quæſiverunt à principio, quid eſſet magnitudo differentiæ in amare?
4. Differentia, dixit magnitudo, ſcisne tu, de quo ſit medium amoris?

5. Quæſiverunt à fine amandi, quæ ſit differentia magnitudinis amoris?
6. Amor quæſivit ab Amico & ab Amato, utrùm magnitudo ſit in majori differentia, & differentia in majori magnitudine, ut illa ſit in majoritate amandi?
7. Quæſiverunt ab æqualitate amoris, an eſſet in magnitudine & in differentia amoris?
8. Amor quæſivit à magnitudine & à differentia Amati & Amici, utrùm minoritas amandi eſſet de ipſarum conditione?

Magnitudo Concordantia.

1. QUæſtio. Amate, dixit contrarietas amoris, quare ejeciſti me de amare tui Amici?
2. Amor, dixit Amicus, in quibus cameris principiâſti meum amare?
3. Magnitudo & concordantia quæſiverunt ab Amato, de quo eſſet ſua infirmitas?
4. Amor, dixit magnitudo, quare affligis & occidis Amicum, poſtquàm concordat cum ſuo Amato?
5. Majoritas, dixit minoritas, quare ſtat Amicus in te, quando amat ſuum Amatum?
6. Magnitudo & concordantia quæſiverunt ab Amato & ab Amico, ubi exiſteret amor?
7. Amatus quæſivit à ſuo Amico, quomodo fugiſſet à minoritate amandi?

Magnitudo Contrarietas.

1. QUæſtio. Amatus mirabatur, quare Amicus amaret parva & contraria amori?
2. Amice, dixit Amatus, ſcisne tantum amare, quòd ſcias, ubi exiſtat concordantia amoris?
3. Amicus rogavit amorem, ut illi diceret, cum quo viveret & moreretur ſuum amare?
4. Amor, dixit Amicus, cum quo poſſem ejicere minoritatem & parvitatem de meo amare?
5. Amicus quæſivit à ſuo Amato, utrùm ſit alia vita, in qua illum poſſit multùm amare?
6. Amice, dixit Amatus, quis multiplicavit minoritatem in tuo amare?

Magnitudo Principium.

1. QUæſtio. Amor, dixit Amicus, hoc meum amare eſtne factum, vel fit, vel debet adhuc fieri?
2. Amicus quæſivit ab amore, cum quo poſſet ligare ſuam voluntatem ad amandum ſuum Amatum?
3. Amicus rogavit ſuum Amatum, ut illi diceret, utrùm accidentia amoris eſſent de eſſentia amoris?
4. Amor, dixit Amicus, eſtne meus Amatus primum & ultimum amabile?
5. Parvitas amoris quæſivit à magnitudine amoris, utrùm illam poſſet elongare à minoritate amandi?

Magnitudo Medium.

1. QUæſtio. Amate, dixit amor, quis occidit tuum Amicum, qui tantúm te amavit?
2. Amicus vénit videre ſuum Amatum tortus, afflictus & languens, dixit Amatus ad Amicum, qui ſunt illi, qui tibi dederunt tantas tribulationes propter meum amorem?
3. Magnitudo, dixit Amatus, ſcisne tu, in quo loco ſtet comprehenſus meus Amicus, qui laborat pro meo amore?
4. Magnitudo amoris, dixit Amatus, quò fugit meus Amicus, qui me ſolebat amare in te?

Magnitudo Finis.

1. QUæſtio. Amor, dixit Amatus, quare plorat meus Amicus, & quare clamat: amare amare?
2. Magnitudo amoris & finis amoris, dixit Amatus, quis vult occidere meum Amicum, qui in vobis me deſiderat amare?
3. Amatus quæſivit ab amore, utrùm magnitudo & finis illi proportionâſſent Amicum, qui eſſet dignus illum amare?

Magnitudo Majoritas.

1. QUæſtio. Majoritas, dixit magnitudo, quis elongavit Amicum ab inæqualitate amoris & amandi?
2. Cum parvitate amandi amabat Amicus ſuum Amatum, & Amatus quærebat ab amore, quis de ſuo Amico ejeciſſet majoritatem amandi?

Magnitudo Æqualitas.

1. QUæſtio. Amor, dixit æqualitas, quare facit meus Amatus in me exiſtere amare?

Magnitudo Minoritas.

1. QUæſtio. Parvitas amoris quærebat à magnitudine amoris, utrùm illam poſſet exaltare ad majoritatem amandi?

Æternitas Poteſtas.

1. QUæſtio. Quæſiverunt ab Amico, utrùm ſuus Amatus ſciret labores & languores, quos ſuſtinebat per amorem?
2. Amice quid ſuſtinet te in amare, cùm ſis in tantis laboribus, tormentis & vilipenſione propter amare?
3. Quæſiverunt ab Amato, quare ſuſtineret, quòd ſuus Amicus tantúm torqueretur propter ſuum amorem?
4. Amicus quærebat à ſuo Amato, quid ſcriberet in libro amoris?
5. Amate, dixit amor, potesne habere quietem in amare tui Amici?
6. Æternitas quærebat à poteſtate, utrùm Amatus poſſet tantúm facere ad ſe accedere ſuum Amicum per concordantiam, quantúm illum poteſt elongare à ſe per differentiam.
7. Amor quærebat ab Amico, utrùm poſſet fugere à ſuo Amato?
8. Amor, dixit contrarietas, quomodo potes durare ad meum contrariare?
9. Poteſtas quærebat ab æternitate & à principio, utrùm amare eſſet principiatum in Amico vel in Amato?
10. Amicus quærebat à ſuo Amato, an duratio, poteſtas & amor illi facerent proditionem, quia à falſis amatoribus illum ſinebant torqueri ad honorandum ſuos valores?
11. Amicus mirabatur de amore, quare illum fortiùs torqueret, quò magis illum faceret amare?
12. Amate, dixit amor, quare duratio & poteſtas tenent me captum in majoritate mei amare?
13. Amicus quærebat ab amore, cum quo ſufficeret illi de amare?
14. Minoritas, dixit Amatus, ſcisne cum quo & quare meus Amicus elonget à te ſuum amare?

Æternitas Sapientia.

1. QUæſtio. Amicus quærebat à ſuo Amato, utrùm ipſe vellet de illo recipere ſimilitudines, poſtquam ille reciperet ſuas ſimilitudines?
2. Virtus, dixit Amicus, de quo & in quo naſceris per amorem?
3. Amicus quærebat à veritate, quinam nuntii eſſent, quos illi transmittebat ſuus Amatus?
4. Sapientia, dixit amor, ſcisne tu, utrùm Amicus habeat quietem & conſolationem in hoc, quòd, quidquid agit, agat propter ſuum Amatum?
5. Sapientia, dixit Amicus, ſcisne tantúm meum Amatum, quantúm à me amatur?
6. Sapientia, dixit duratio, ſcisne tu, utrùm Amatus langueat & habeat labores in ſcire tormenta, quæ ſuus Amicus ſuſtinet propter ſuum amorem?
7. Mirabantur labores, adverſitates, pericula & opprobria, quomodo poſſet eſſe, quòd Amicus non poſſet ſeparari ab amare ſuum Amatum?
8. Amice, dixit amor, ſcisne, quare tuus Amatus principiaverit tuum amare de duratione & ſapientia?
9. Amicus quærebat à ſuo amare, quare ſtaret ligatum in medio amativi & amabilis?
10. Amice, dixit amor, ſcisne tu, quare finis amandi ſtet in ſcire & durare?
11. Durare quæſivit à ſcire & ab amare, an potuiſſet aſcendere ad majoritatem ſapientiæ & amoris?
12. Æternitas quæſivit à ſapientia, utrùm ſciret, quòd durare feciſſet ullum defectum contra ſcire & amare?
13. Amor, dixit ſapientia, in quo elongas te à minoritate tui amare?

Æternitas Voluntas.

1. QUæſtio. Virtus, dixit æternitas, ſcisne tu, an voluntas amet aliam æternitatem?
2. Amice, dixit Amatus, ſcisne tu, quænam ſint conditiones falſi amoris?
3. Amor, dixit Amicus, quare me torquet amare?
4. Voluntas, dixit æternitas, quare deſideras diſtinctionem Amici & Amati?
5. Amor, dixit concordantia, poſſesne me convertere in amare?
6. Concordantia amoris voluit deſtruere contrarium amorem, & quæſivit ab æternitate & à voluntate, ubi illum poſſet invenire?
7. Amor torquebat Amicum per continuationem nimii amare; amor, dixit Amicus, nunquid potes exiſtere ſinè principiare & amare?
8. Æternitas, dixit voluntas, de quo loquuntur Amicus & Amatus?
9. Amor, dixit Amicus, ſciresne mihi dicere, quare eſt meus Amatus?
10. Æternitas, dixit majoritas, ſcisne, de quo ſit voluntas Amati?
11. Amicus inquirebat æqualitatem amoris

& amandi, & quærebat ab æternitate, ubi illam posset quærere?

21. Durare & velle elongabant se in amare, & Amicus quæsivit, quis illa faceret elongari?

Æternitas Virtus.

1. QUæstio. Æternitas, dixit veritas, quare est amare vestitum talibus vestimentis?
2. Quæsiverunt ab Amico, quænam sint ea, cum quibus amaret quiescere in gloria sui Amati?
3. Virtus, dixit Amicus, quis facit te durare in meo amare?
4. Duratio & virtus quæsiverunt ab amore, ubi possent invenire amare?
5. Amor, dixit Amatus, quis elongavit meum Amicum à contrarietate amandi?
6. Amice, dixit amor, cum quo piscaris amare?
7. Virtus, dixit æternitas, quare es orta à bonitate & à magnitudine, & processisti in amare?
8. Æternitas, dixit virtus, ubi exspectat Amicus suum Amatum?
9. Amicus quæsivit ab amore, cum quo posset amare suum Amatum cum majoritate amandi?
10. Amice, dixit amor, quomodo potes portare tantum amare?
11. Quæsiverunt ab amore, quare ploraret Amicus, & plangeret Amatus?

Æternitas Veritas.

1. QUæstio. Amor, dixit Amicus, quare affligunt & torquent me æternitas & veritas mei Amati, postquam habet meum amare?
2. Differentia, dixit amor, habesne, cum quo possis sufficere meo amare?
3. Amice, dixit amor, quis vestivit verum amare?
4. Amor, dixit veritas, quis vestivit falsum amare?
5. Amice, dixit amor, quomodo possunt capi verificare & durare in tuo amare?
6. Amatus quæsivit à suo Amico, utrùm ipse esset suus thesaurus? & si esset, in quo loco illum teneret & custodiret, & de quo conjungeretur & multiplicaretur?
7. Amor, dixit veritas, quænam est arrha, quam Amicus habet in lucrando suum Amatum?
8. Amor, dixit veritas, cum quo facit Amicus durare suum majus amare?
9. Amice, dixit amor, in quo & cum quo & per quid coæquas tuum amare?
10. Amice, dixit Amatus, cum quo prohibes falsitati, quòd non possit intrare in tuum amare?

Æternitas Gloria.

1. QUæstio. Amicus quæsivit ab amore, utrùm in gloria sui Amati cessaret ab amare?
2. Amice, dixit Amatus, quare facis existere tuum amare in concordantia gloriandi & durandi?
3. Contrarietas dixit ad amorem, quare ponis resistentiã inter Amicum & Amatum?
4. Amor, dixit Amicus, quare sum principiatus, & de quo principiavit me meus Amatus?
5. Amice, dixit amor, scisne media, quæ existunt inter te & tuum Amatum?
6. Quæsiverunt ab Amico, utrùm sciret, cum quo consequatur finem amandi?
7. Amate, dixit Amicus, cum quo ligasti me ad tuum amare?
8. Amor quæsivit ab Amico & Amato, cum quo & de quo & per quid essent æquales in amare?
9. Amice, dixit æternitas, scisne parvum amorem, quem gentes habent erga tuum Amatum?

Æternitas Differentia.

1. QUæstio. Amice, dixit amor, cum quo ligâsti tuum recolere, intelligere & amare?
2. Contrarietas, dixit amor, quis tenet captum tuum contrariari?
3. Principium, dixit amor, potestne in te deficere principiare amandi?
4. Æternitas & differentia quæsiverunt ab Amico, quare ploraret & langueret præ amore?
5. Durabilis amor, dixit Amicus, potesne tu existere in differentia & in fine amandi?
6. Majoritas amoris, dixit Amicus, cum quo duras in amare?
7. Recolere & intelligere, dixit amare, possetisne in me esse æqualia in durare?
8. Amice, dixit minoritas, quare conquereris de me, cùm tu non sis tantus, quantus tuus Amatus?

Æternitas Concordantia.

1. QUæstio. Contrarietas quæsivit à concordantia, utrùm illam sineret intrare

trare in durationem Amici & Amati?

2. Amor, dixit Amicus, vellesne tu, quòd amare procedat ab amare? & si hoc vis, in quo vis, quòd amare possit existere & durare?
3. Medium amoris, dixit Amicus, esne tale, quòd de te possint procedere concordare & durare, & quòd in te possint remanere & existere?
4. Cùm Amicus amaret suum Amatum cum tanto amore, mirabatur, quare concordare & durare illum rogabant de amare?
5. Multi Amatores quæsiverunt ab Amato, quare lætaretur de morte sui Amici, qui erat mortuus propter ejus amorem?
6. Æqualitas amoris, dixit Amicus, quare permittis coæquare, concordare & durare, postquam me occidunt in amare?
7. Amor, dixit Amicus, ubi perdidisti tuum amare?

Æternitas Contrarietas.

1. QUæstio. Quæsiverunt ab Amico, quare odiret contrarietatem inter amare & durare?
2. Amice, dixit amor, scisne quæ sunt puncta transcendentia in scire & amare, durare, possificare, principiare, contrariare &c.?
3. Æternitas, dixit amor, estne in te aliqua natura contrarietatis?
4. Concordantia, dixit æternitas, per quam naturam potest Amatus habere suum Amicum in majoritate amandi?
5. Amice, dixit amor, quære à tuo Amato, utrùm mundum principiaverit?
6. Amor, dixit Amicus, per quam naturam est æternitas amabilis cum majoritate amandi?

Æternitas Principium.

1. QUæstio. Amicus quærebat ab æternitate, utrùm esset in aliquo alio, quàm in suo Amato?
2. Amicus quærebat ab amore, per quam proprietatem & naturam durare posset sufficere ipsi principiare amare?
3. Amor, dixit Amicus, desiderasne tu, quòd in principio sit principiare in durare?
4. Veniebat Amicus ab amare, & alius Amicus ibat ad amare, & est quæstio, quis amborum sit propinquior ipsi amare?
5. Amice, dixit amor, scisne, quænam sint prin cipia substantiæ tui Amati?

Æternitas Medium.

1. QUæstio. Amice, dixit Amatus, quis facit te perseverare in me amare?
2. Amor, dixit Amicus, habetne meus Amatus aliquem Amicum in majoritate amandi?
3. Amor, dixit æternitas, ubi existit tuum amare?
4. Amicus quæsivit à suo Amato, utrùm in æternitate sit amare de æternare?

Æternitas Finis.

1. QUæstio. Quia Amicus multùm desiderabat amare, quæsivit ab amore, utrum esset in majoritate durandi?
2. Amicus quærebat ab æternitate & à fine, utrùm essent in æqualitate Amici & Amati?
3. Venerunt multi Amatores ante amorem, & quæsiverunt ab illo, quare in illo staret minoritas amandi?

Æternitas Majoritas.

1. QUæstio. Ante Amicum & Amatum faciebant amor & æternitas quæstiones, amor quærebat ab æternitate, in quo haberet suam æqualitatem? & æternitas quærebat ab amore, de quo esset æqualitas, in qua habebat suum amare?
2. Amatus quæsivit à suo Amico, cum quo se elongaret à minoritate amandi? & Amicus quæsivit à suo Amato, cum quo illum appropinquaret ad majoritatem amandi?

Æternitas Æqualitas.

1. QUæstio. Æternitas & amor, dixit æqualitas, quis facit vos existere extra minoritatem Amici & Amati?

Æternitas Minoritas.

1. QUæstio. Amicus quæsivit à suo Amato, utrùm æternitas & minoritas possent participare in amare?

Potestas Sapientia.

1. QUæstio. Sapientia & voluntas quærebant à potestate Amati, sapientia quærebat ab eâ, quare esset scibilis in suo scire? & voluntas quærebat ab eâ, quare esset amabilis in suo amare?
2. Potestas quærebat à sapientia, quare præcederet amorem, quando Amicus ibat amare suum Amatum?
3. Amice, dixit Amatus, cum quo ligasti & comprehendisti potestatẽ tuæ voluntatis?

4. Potestas Amici laborabat in scire & amare Amatum, & quæsivit ab amore, ubi posset quiescere?
5. Sapientia, dixit Amicus, scisne, utrùm sit differentia in potestate mei Amati?
6. Amor, dixit Amicus, cum quo possem concordare meum scire & meum amare in honorare meum Amatum?
7. Amice, dixit amor, quare plangis & ploras, cùm scias & ames tuum Amatum?
8. Sapientia, dixit Amicus, scisne tu, utrùm in meo Amato possit esse aliquis defectus in posse & amare?
9. Sapientia, dixit potestas, scisne tu me inter Amicum & Amatum, postquam scis inter eos amare?
10. Amicus erat in laboribus & tormentis propter amorem, & quærebat à sapientia, utrùm sciret suam quietem?
11. Amicus quæsivit à suo Amato, utrùm tantum esset ejus posse, quantum est ejus scire & amare?
12. Sapientia, dixit potestas, scisne tu, utrùm Amicus habeat proportionatum Amatum in amare?
13. Amor quæsivit à sapientia, utrùm sciret, quòd amare Amici esset in æqualitate possendi & intelligendi?

Potestas Voluntas.

1. QUæstio. Potestas, dixit voluntas, quare me accusas apud meum Amatum?
2. Voluntas, dixerunt potestas & virtus, quis nos inclusit in tuo amare?
3. Amate, dixit Amicus, potestne tantum tuus amor de amare, quantum tua potestas de posse?
4. Potestas, dixit amor, cum quo & per quid es tu ratio mei existere & agere?
5. Amice, dixit amor, de quo habes concordantiam in amare?
6. Amicus quæsivit à sua voluntate, si esset in peccato, an inde posset exire sinè suo Amato?
7. Voluntas, dixit Amicus, quomodo potes habere libertatem in amare vel odire meum Amatum?
8. Amor, dixit potestas, quis facit te esse liberum in amare?
9. Amica potestas, dicebat amor, indigeresne aliquo de meo amare?
10. Amica voluntas, dixit potestas, libertatem, quam habes in amare, habesne illam per te ipsam?
11. Amicus mirabatur de potestate & voluntate, quare una esset inobediens alteri?
12. Potestas, dixit voluntas, essetne periculum, si in tua minoritate ponerem meum amare?

Potestas Virtus.

1. QUæstio. Amicus quæsivit ab amore, quo posset vestire suum amare, quia illud volebat mittere ad suum Amatum?
2. Amica voluntas, dixit Amicus, per quam naturam amas habere potestatem & virtutem in tuo amore?
3. Amica virtus, dixit Amicus, quare oriris de potestate, differentiâ & amore?
4. Potestas & virtus quæsiverunt ab amore, utrùm Amicus eas vellet amare?
5. Amicus quæsivit à sua voluntate, quid eam posuerit in servitute amandi?
6. Potestas & principium dixerunt ad Amicum, utrùm sciret, quænam sint pulchritudines sui Amati?
7. Voluntas, dixit Amicus, quare vadis tam citò amare tuum Amatum?
8. Quæsiverunt ab Amico, utrùm sciret, ubi sit virtus, quam habebat in amare?
9. Amor, dixit Amicus, quæ est major potestas & major virtus, quam possim habere in amare?
10. Amicus quæsivit à suo Amato, utrùm virtus æqualiter procederet à potestate & amore?
11. Amicus invénit suam potestatem, quæ fugerat à suo Amato, & quæsivit ab ea, quare recesserit à majoritate amandi?

Potestas Veritas.

1. QUæstio. Veritas, dixit potestas, quare Amatus non revelat sua secreta Amico, postquam tantúm desiderat illa amare?
2. Potestas, veritas & differentia quæsiverunt ab Amico, utrùm sciret, cum quo voluntas sit fortis, vera & inconfusa in amare?
3. Potestas, veritas & concordantia, dixit Amicus, ubi cepistis meum amare?
4. Potestas, dixit veritas, possemne ego vincere falsitatem absque eo, quòd Amicus amaret suum Amatum?
5. Amatus quæsivit à suo Amico, utrùm sciret potestatem, quam habebat in amare?
6. Veritas, dixit amor, ubi existebas tunc, quando Amicus narrabat nova de suo Amato?
7. Multi Amatores convenerunt & quæsiverunt

verunt ab Amico, per quam viam ascenderet ad castellum amoris, ubi stabat suus Amatus?
8. Amatores convenerunt & quæsiverunt ab Amico, quis illum potuisset elevare ad majoritatem amandi?
9. Potestas, dixit veritas, possetne Amicus recuperare id, quod perdidit per defectum amandi?
10. Amor, dixit veritas, scisne modum, secundùm quem Amicus debet humiliter stare ante suum Amatum?

Potestas Gloria.

1. QUæstio. Amatus voluit tentare suum Amicum sapientiâ, & quæsivit ab illo, an sciret rationem, per quam differentia amoris est amabilis?
2. Amare ibat per quandam civitatem amoris, quod quærebat hospitium, ubi erant hospitati nuntii, quos mittunt Amicus & Amatus?
3. Amicus stabat in tristitia & in ploratibus, & gloria quærebat à potestate, utrùm eum posset consolari cum amare?
4. Quæsiverunt ab amore, utrùm Amicus esset de iis rebus, secundùm quas meliùs posset cognoscere & amare suum Amatum?
5. Potestas & gloria quæsiverunt ab Amico, utrùm transiret per amare, quando iret videre suum Amatum?
6. Gloria, dixit potestas, quare lætatur Amicus, quando torquetur & vilipenditur propter suum Amatum?
7. Amor, dixit Amicus, possemne ascendere ad gloriam mei Amati?
8. Amicus quæsivit ab æqualitate amoris & amandi, utrùm in illa possent esse æquales potens & possibilis, & glorians & gloriabilis?
9. Multi Amatores venerunt ad Amatum, & interrogaverunt illum, utrùm haberet ullum Amicum, qui illum amaret sinè minoritate amoris & amandi?

Potestas Differentia.

1. QUæstio. Amica potestas, dixit concordantia, possesne de me concordare amorem sinè differentia?
2. Amice, dixit amor, scisne tu, quare potestas & differentia non possunt perverti in contrarietatem amandi?
3. Amor, dixit Amicus, quare amas potestatem & differentiam in principiare amare?
4. Amatus quæsivit à suo Amico, an in suo amare haberet potestatem de differentiâ, & differentiam de potestate?
5. Amice, dixit amor, cum quo ligas meum amare ad tuum Amatum?
6. Potestas & differentia quæsiverunt ab amore, ubi faceret existere suum amare?
7. Amor, dixit Amicus, qui sunt illi, qui ceperunt meum amare?
8. Amicus quærebat à differentia amoris, utrùm esset minor, quàm potestas amoris in amare?

Potestas Concordantia.

1. QUæstio. Potestas, dixit amor, esne tu major in concordantia, quàm in contrarietate?
2. Potestas & concordantia, dixit Amicus, de quo rogatis amorem?
3. Amate, dixit Amicus, scisne ubi potestas & concordantia existant in amore?
4. Amicus invénit potestatem & concordantiam, quæ portabant finem amoris, & Amicus interrogavit eas, ubi illum invenerant?
5. Potestas & concordantia, dixit Amicus, quare ascendistis ad majoritatem amandi?
6. Potestas, dixit concordantia, quare coæquasti te mecum in amare?
7. Amor, dixit Amicus, in quo elongatur potestas à minoritate, & concordantia à contrarietate?

Potestas Contrarietas.

1. QUæstio. Contrarie amor, dixit concordantia amoris, potesne elevare contrariari cum concordare magni Amici?
2. Potestas amandi quærebat à potestate contrariandi, utrùm per totam eam posset intrare contra suum amare?
3. Amicus quærebat à concordantia amoris modum & artem, quomodo sciret contrariari non fini amandi?
4. Majoritas amandi, dixit Amicus, statne in te contrarietas amandi?
5. Quærebant ab Amico, in quo castro existebat, quando præliabatur contra contrarietatem amandi?
6. Amice, dixit amor, scisne tu, quinam sint tui inimici, & quinam sint tui pugnatores?

Potestas Principium.

1. QUæstio. Amor, dixit amare, per quam naturâ sunt opera potestatis amabilia?

Amicus

2. Amicus rogavit ſuum Amatum, ut illi monſtraret modum ſecundùm quem ſciret conjungere multos Amatores ad unum finem amandi?
3. Multi Amatores quæſiverunt ab Amico, per quam naturam haberet majorem poteſtatem in amare, quàm in odire?
4. Amice, dixit æqualitas, quis eſt tuus abundoſus de poſſificante & poſſificabili in tuo amare?
5. In caſtro amorum, ubi exiſtunt Amatores amoris, erat quidam Amator, qui quærebat ab aliis Amatoribus, utrùm ſcirent modum, ſecundùm quem minoritas amoris poſſet converti in majoritatem amandi?

Poteſtas Medium.

1. QUæſtio. Amor quærebat ab Amico & ab Amato, quis eos conjunxerit in uno fine amandi?
2. Quæſiverunt ab Amico, ubi exiſtebat ſuum majus amare?
3. Amice, dixit amor, in qua camera jacent principium & finis tui amare?
4. Quæſiverunt ab Amato, ubi exiſteret ſuus Amicus, qui illum tantùm amabat?

Poteſtas Finis.

1. QUæſtio. Poteſtas & finis, dixit Amicus, ubi exiſtis & ubi operaris meum amare?
2. Quæſiverunt ab Amico, quis veſtiverit ſuum amare?
3. Medicus amoris quæſivit à poteſtate amoris, ubi jaceret infirmus finis amoris?

Poteſtas Majoritas.

1. QUæſtio. Majoritas amoris quæſivit à poteſtate amoris, utrùm poſſet eſſe in illa ſinè æqualitate amoris?
2. Majoritas, dixit poteſtas, quomodo poſſem in te multiplicare majoritatem amandi?

Poteſtas Æqualitas.

1. QUæſtio. Amice, dixit amor, quis ſanavit tuam poteſtatem, quæ tamdiu ſtetit infirma in minoritate?

Poteſtas Minoritas

1. QUæſtio. Quæſiverunt ab Amato, an ſuus Amicus amaret majoritatem amoris & amandi?

Sapientia Voluntas.

1. QUæſtio. Amice, dixit Amatus, quid quæris à ſapientia & à voluntate?
2. Sapientia & voluntas faciebant quæſtiones coram Amico & Amato, ſapientia quærebat à voluntate, quare amaret bonitatem? & voluntas quærebat ab illa, quare intelligeret veritatem?
3. Amores & Amatores quæſiverunt ab Amico, utrùm haberet gloriam à ſuo Amato?
4. Quærebant à ſapientia, quare faceret differentiam inter Amicum & Amatum, poſtquam amor illos conjungebat & uniebat in amare?
5. Sapientia & voluntas, dixit Amicus, quare ligaſtis me ad meum Amatum?
6. Amor, dixit Amicus, quis poſuit me in carcere timoris & amoris?
7. Amice, dixit amor, ubi ſtant ligata intelligere & amare, & per quid & cum quo ſunt capta & ligata?
8. Sapientia, dixit amor, qui ſunt illi, qui torquent Amicum, qui tam fortiter clamat: adjuva adjuva Amate?
9. Amice, dixit amor, cum quibus flagellis tam fortiter torqueris in amare & intelligere?
10. Sapientia, dixit amor, quare fugiebat Amicus à ſuo Amato?
11. Amice, dixit amor, poſuiſtine tuum Amatum in æqualitate ſciendi & amandi?
12. Amor, dixit ſapientia, quare conqueritur Amicus de minoritate, poſtquam in te poteſt habere majoritatem amandi?

Sapientia Virtus.

1. QUæſtio. Sapientia, virtus & veritas dixerunt ad amorem, quare haberet Amicus eò plus triſtitiæ, quò magìs illæ ad Amicum accedebant & illi ſe dabant?
2. Amice, dixit amor, quænam ſunt viæ, per quas vadunt ii, qui inhonorant & vilipendunt tuum Amatum?
3. Amor, dixit Amicus, quid eſt hoc, quod me facit habere virtuoſum amare?
4. Amice, dixit amor, ſcisne, quid ſit libertas & ſervitus amandi?
5. Sapientia, dixit Amicus, cum quo poſſem reſiſtere ignorantiæ & vitiis, quæ dicunt malum de meo Amato?
6. Virtus & ſapientia quæſiverunt ab Amico, quomodo poſſet eſſe, quòd non periret in amare?
7. Amor quæſivit à virtute, ubi exiſteret, quando

quando cum majoritate & minoritate vitiorum participaret?
8. Amicus mirabatur, poſtquam tantum amaret, quare non quieſceret in amare?
9. Virtutes & amores quærebant ab Amico, ubi poſuiſſet theſaurum ſui Amati?
10. Amice, dixit amor, quænam ſunt ea, per quæ es magìs ſimilis tuo Amato?
11. Majoritas, dixit amor, quare non combuſiſti Amicum in amare?

Sapientia Veritas.

1. QUæſtio. Sapientia & veritas quæſiverunt ab Amico, in quo cognoviſſet ſuum Amatum?
2. Amicus quæſivit ab amore, quare differentia ſit amabilis in amabilitate ſapientiæ & veritatis?
3. Sapientia, dixit amare, ſcisne, ubi ſit mortuus Amicus pro ſuo Amato?
4. Veritas & ſapientia amoris quærebant ab Amico, quis ipſi celaret ſuum Amatum?
5. Amicus exivit de tenebris, & interrogaverunt illum, quis illum poſuerit in claritate ſciendi & amandi?
6. Amor reprehendit Amicum, & interrogavit illum, quare vendiderit ſuum Amatum?
7. Amice, dixit amor, quare habes triſtitiam & pavorem de tuo Amato?
8. Multi Amatores quæſiverunt ab Amico, cum quo inquireret ſuum Amatum?
9. Amor, dixit Amicus, cum quo poſſem ſervire & honorare meum Amatum?
10. Amor invénit Amatum, qui ibat ſolus, & amor quæſivit ab illo, ubi perdidiſſet ſuum Amicum?

Sapientia Gloria.

1. QUæſtio. Amatus quæſivit à ſuo Amico, an miſceret mala & bona, quæ ſuſtinebat propter amorem?
2. Sapientia, dixit amor, ubi occidit Amatus ſuum Amicum?
3. Sapientia & gloria, dixit Amatus, quare puniviſtis meum Amicum?
4. Amice, dixit amor, habesne pœnam, quando ſcis tuum Amatum?
5. Conjunxerunt ſe multi Amatores, & quæſiverunt ab amore, de quo medium erat plenum, quod erat inter Amicum & Amatum?
6. Sapientia, finis & amor, quæ ſunt tria dona Amati, quæſiverunt à gloria, utrùm in ea quieſceret Amicus?
7. Sapientia, dixit gloria, cum quo ligat Amicus formam amoris & materiam amoris, quando amat ſuum Amatum?
8. Amor quæſivit ab Amico, utrùm ſciret, quid eſſet æqualitas Amati?
9. Amice, dixit Amatus, quare ſumpſiſti convivium de minoritate amoris?

Sapientia Differentia.

1. QUæſtio. Multi falſi amatores voluerunt tentare Amicum, & quæſiverunt ab eo, quomodo contemplaretur ſuum Amatum?
2. Differentia, dixit Amicus, esne major in ſapientia amoris, quàm in contrarietate?
3. Amor rogavit ſapientiam, ut illi diceret, de quo Amicus ſit principiatus?
4. Quæſiverunt ab Amico, quare medium amoris ſtaret inter ſapientiam & differentiam amoris?
5. Finis amoris, dixit Amicus, ſcisne ubi exiſtant ſapientia & differentia amoris?
6. Amor quæſivit à ſapientia, utrùm ſinè differentia amoris poſſet elevare ſuum intelligere ad majoritatem?
7. Amicus invénit ſuum Amatum, & quæſiverunt ab eo, cum quo illum inveniſſet?
8. Amice, dixit amor, cum quo perdidiſti cognitionem tui Amati?

Sapientia Concordantia.

1. QUæſtio. Sapientia amoris, dixit Amicus, eſtne in te concordantia amoris?
2. Amice, dixit amor, cùm Amatus ſit amatus & amabilis, eſtne tuum amare principiatum & principiabile?
3. Amor quæſivit à ſapientia & à concordantia, utrùm locutæ eſſent cum Amico de ſuo Amato?
4. Amor mirabatur de ſapientia & concordantia, quare dicerent de illo malum apud Amatum?
5. Amice, dixit amor, quis facit te habere majorem concordantiam in amare tuum Amatum?
6. Amor quæſivit à ſapientia & concordantiâ, quare Amicus & Amatus ſe coæquârint?
7. Sapientia & concordantia quæſiverunt à majoritate amoris, quare lætaretur & quare amaret minoritatem amoris?

Sapientia Contrarietas.

1. QUæſtio. Amice, dixit ſapientia, quid eſt tibi cauſa, quòd obliviſcaris tuum Amatum?

2. Sapientia, dixit Amicus, quid intravit in meum amare, & ejecit ex eo meum Amatum?
3. Præliabantur tres dominæ amoris cum tribus inimicis amoris, & Amicus quæsivit ab amore rationem prælii?
4. Quæsiverunt ab amore, utrùm sciret, quis concordaret Amicum & Amatum, & quis destrueret ipsorum amare?
5. Amicus quæsivit ab ignorantia & contrarietate, quare vellent intrare in civitatem æqualitatis?
6. Amatores quæsiverunt ab Amico amoris, utrùm suum amare posset esse minus in sapientia, quàm in contrarietate?

Sapientia Principium.

1. QUæstio. Amatores quæsiverunt ab Amico, utrùm sciret, de quibus nationibus esset populosata civitas sui Amati?
2. Quæsiverunt ab Amico, utrùm sciret, cui suus Amatus commiserit thesaurum amoris?
3. Amatores quæsiverunt ab Amico, utrùm sciret, de quo sit ecclesia, in qua orat & contemplatur suum Amatum?
4. Multi falsi amatores mirabantur de amore, quare tam fortiter satisfaceret Amico in amare suum Amatum?
5. Amice, dixit amor, quare intrasti in minoritatem amandi tuum Amatum?

Sapientia Medium.

1. QUæstio. Amicus legebat in libro de sapientia amoris, & interrogaverunt eum, an in illo inveniret finem amandi?
2. Invidi amatores quæsiverunt ab Amico, ut illis diceret ea, quæ ipsum faciunt stare in majoritate amandi?
3. Amice, dixit amor, quare desideras æqualitatem sciendi & amandi?
4. Sapientia jacebat infirma, & amor quærebat ab ea, quænam esset causa suæ infirmitatis?

Sapientia Finis.

1. QUæstio. Falsi amatores venerunt ad Amicum, ut ab illo quærerent, de quo sapientia & finis amoris rogarent majoritatem amoris?
2. Ibat & veniebat amare Amici & Amati, & quæsiverunt ab eo, quænam nova narraret Amico de suo Amato?
3. Amicus amabat suum Amatum, & quæsiverunt ab eo, quid sustentaret suum amare?

Sapientia Majoritas.

1. QUæstio. Falsi amatores tentârunt Amicum de sapientiâ & amore, & mirabantur, quare illum non possent separare à scire & amare?
2. Sapiens amor, dixit Amicus, scisne, utrùm te possem ponere in æqualitate amoris & amandi?

Sapientia Æqualitas.

1. QUæstio. Quæsiverunt ab Amico, utrùm sapiens amor & minor amor possit esse in æqualitate Amici & Amati?

Sapientia Minoritas.

1. QUæstio. Amor & timor quæsiverunt ab Amico, cui commendâsset suum minorem amorem?

Voluntas Virtus.

1. QUæstio. Domicellæ amoris quæsiverunt ab Amico, quales arbores essent in viridario sui Amati?
2. Amicus desiderabat, quòd multùm amaret suum Amatum, & amor quæsivit ab eo, de quo viveret amare?
3. Differentia amoris, dixit Amicus, possetne meum amare esse virtuosum sinè te?
4. Amice, dixit amor, cum quo cognoscis voluntatem tui Amati?
5. Concordantia, dixit amor, quare es posita inter Amicum & Amatum?
6. Regina amoris quæsivit à Rege amoris, quare principiâsset suum Amicum de virtute & amore?
7. Quæsiverunt ab Amico, quis illuminaret suum amare, quando pernoctabat præ amore?
8. Amice, dixit amor, dedistine tuam voluntatem tuo Amato?
9. Amatores honoris & valoris quæsiverunt ab Amico, quis illum faceret tantùm laborare propter amorem?
10. Amate, dixerunt Amatores amoris, quare transmisisti tuo Amico voluntatem & virtutem & æqualitatem amoris & amandi?
11. Quæsiverunt ab Amico, quare haberet conscientiam in amare?

Voluntas Veritas.

1. QUæstio. Lætabantur falsi amatores, & quærebant à veritate, quare Amicus & Amatus ab invicem recesserint?
2. Amor quæsivit à falsitate, quare celaret Amico

Amico differentiam amoris, quæ est in suo Amato?
3. Amice, dixit Amatus, scisne, quid sit differentia amoris & veritatis?
4. Amatus quæsivit à suo Amico, quis illi dixisset malum de sua veritate & voluntate?
5. Voluntas, dixit Amicus, ubi incepisti odire falsitatem?
6. Quæsiverunt ab Amico, in quo scriberet, quando suo Amato transmitteret literas?
7. Voluntas Amici conquerebatur & clamabat, quis comburit me propter finem amandi?
8. Voluntas Amici mirabatur, quare illam torquebat major veritas, postquam illa amabat veritatem in majoritate amoris & amandi?
9. Amicus quærebat nova de suo Amato per palatium sapientiæ & voluntatis.
10. Amor, dixit minoritas, quare ejecisti me de veritate?

Voluntas Gloria.

1. QUæstio. Gloria quærebat à voluntate, utrùm desideraret, quòd Amicus & Amatus essent una eadem essentia?
2. Voluntas & concordantia, dixit amor, quomodo potes quiescere in gloria, in qua torquetur Amicus propter suum Amatum?
3. Voluntas, dixit Amicus, quare resistis in pœna amandi?
4. Amare, principiare & desiderare sibi obviarunt in amore, & quodlibet quæsivit ab alio de suo Amato.
5. Amatores amoris voluerunt scire ab amore, & quæsiverunt ab eo, utrùm Amicus & suus Amatus possent capi in suo amare?
6. Amorose & gloriose, dixit amor, per quæ convertitis vos in fine amoris?
7. Amatus inveniebat suum Amicum, & quæsiverunt ab Amato, an illum invenerit in majoritate vel in minoritate amoris & amandi?
8. Amicus quærebat ab amore, utrùm esset æqualitas volendi & gloriandi in suo Amato?
9. Amatores habebant invidiam, & quæsiverunt ab Amico, cum quo dominæ amoris eum volificarent & glorificarent?

Voluntas Differentia.

1. QUæstio. Amicus quærebat ab amore, utrùm esset desiderabile, quòd differentia esset in suo Amato?
2. Amor quæsivit ab Amico & Amato, utrùm essent ita remoti à confusione, sicut à contrarietate?
3. Voluntas & differentia amoris invenerunt Amatum & Amicum, qui se amabant, & quærebant, quis illos faceret amare?
4. Amice, dixerunt Amatores, ubi crescit tuum amare?
5. Voluntas, dixit Amicus, quare intrasti in differentiam amoris?
6. Amicus quæsivit ab amore, utrùm amare sui Amati esset substantiale vel accidentale?
7. Amice, dixit amor, scisne tu, quare æqualitas Amici & Amati sit desiderabilis?
8. Amatores quæsiverunt à voluntate Amici, quare esset parva in amare?

Voluntas Concordantia.

1. QUæstio. Concordantia, dixit voluntas, quare conqueritur Amatus de me?
2. Amicus amavit suum Amatum, & quæsiverunt ab Amico, de quo principiaverit suum amare?
3. Quæsiverunt ab Amico, utrùm amaret concordare in suo amare?
4. Amores quæsiverunt ab Amato, utrùm haberet labores & languores, quia est Amatus?
5. Amice, dixit amor, quis facit te esse obedientem tuo Amato?
6. Concordantia, dixerunt Amatores, ubi ligatur voluntas Amici & Amati?
7. Amice, dixit amor, quis obligavit te ad serviendum tuo Amato, & ad honorandum eum?

Voluntas Contrarietas.

1. QUæstio. Voluntas, dixit Amicus, ubi quæris meum Amatum?
2. Amicus quæsivit à sua voluntate, quid ipsi esset propinquius, vel concordantia vel contrarietas?
3. Voluntas, dixit Amicus, cum quo possem vincere contrarietatem?
4. Amicus quæsivit à sua voluntate, quis illum tantùm elongasset à suo Amato?
5. Amatores quæsiverunt ab Amico, utrùm posset coæquare in sua voluntate odire & amare?
6. Majoritas & minoritas sibi resistebant, & quærebant ab Amico, utrùm suus Amatus posset privare amare à sua voluntate?

Voluntas Principium.

1. QUæstio. Voluntas invénit amare, quod portaverat pretiosas margaritas ad Amatum, & quæsiverunt ab eo, de quo essent illæ pretiosæ margaritæ, quas Amicus miserat suo Amato?
2. Amicus misit Amato suum amare, & amor invénit illud, qui ab eo quærebat, quare ita festinaret?
3. Major Amicus quæsivit à majori Amato, utrùm illi dedisset majorem amorem?
4. Amicus ardebat in igne amoris, & clamabat & quærebat, de quo inciperet suum ardere?
5. Amicus volebat quiescere, quia erat in labore propter amorem, & quærebat, quis illum excitaret ad amandum?

Voluntas Medium.

1. QUæstio. Super equo voluntatis equitabat Amicus, & amores quæsiverunt ab illo, ubi suum equum potaret?
2. Quæsiverunt ab Amico, in qua cognatione esset cum suo Amato?
3. Voluntas quæsivit ab æqualitate amoris, super quo convenissent Amicus & Amatus?
4. Amicus quæsivit à minoritate, utrùm suus Amatus illum puniret?

Voluntas Finis.

1. QUæstio. Amatores quæsiverunt à voluntate, fine & majoritate, quis facit conjungere Amicum & Amatum?
2. Dominæ amoris quæsiverunt ab Amico, cum quo vulnerasset suum Amatum?
3. Voluntas, dixit Amicus, quis impedit te venire ad majoritatem finis & amandi?

Voluntas Majoritas.

1. QUæstio. Privatio amoris quæsivit ab esse amoris, utrùm sit major voluntas, quæ possit esse, inter Amicum & Amatum?
2. Amicus languebat & moriebatur in majoritate amoris, & amor quæsivit ab eo, quare non amaret suum Amatum in minoritate amandi?

Voluntas Æqualitas.

1. QUæstio. Minoritas quæsivit ab Amico, in quo sua voluntas delectaretur & lætaretur?

Voluntas Minoritas.

1. QUæstio. Minoritas amoris mirabatur & quærebat, quomodo Amicus & Amatus possent se amare tam de longè.

Virtus Veritas.

1. QUæstio. Virtus & veritas, dixit amor, quid est delectatio Amici & Amati?
2. Veritas, dixit differentia, cum quo habes virtutem attingendi amare Amici & Amati?
3. Amice, dixit amor, quæ sunt ea, quæ tibi repræsentant tuum Amatum?
4. Amicus quæsivit à veritate & virtute, in quo scriberent librum sui Amati?
5. Quærebatur ab Amico, in quo palatio starent nuntii, quos illi transmiserat suus Amatus?
6. Amor, dixit Amatus, scisne tu, qui sunt socii mei Amici?
7. Gula, luxuria & avaritia invenerunt falsitatem, quæ conquerebatur de Amico, & quæsiverunt ab ea, cum quo Amicus eam destruebat?
8. Virtus quæsivit à veritate, utrùm esset in suo Amato id, per quod se sentiret majorem in amare?
9. Amice, dixit amor, quis nutrivit te ad tantum amare, quantùm tuus Amatus est amabilis?
10. Ait Amicus: minoritas virtutis & veritatis, quare repræsentas te tam frequenter meæ voluntati?

Virtus Gloria.

1. QUæstio. Amatores quæsiverunt ab Amico, ubi colligeret fructum de virtutibus, quas seminaverat?
2. Amice, dixit amor, quæ sunt illa, quæ te excitaverunt ad magis amandum?
3. Falsi amatores quæsiverunt ab Amico, quare Amatus haberet indigentiam amatorum?
4. Amate, dixit Amicus, cùm sis tam amabilis & tam honorabilis in hoc mundo, quare non habes plures Amicos, quàm inimicos?
5. Amicus quæsivit à gloria, quare sentiret pœnam in suo amare?
6. Amicus quæsivit à fine & à gloria, quare in illis non posset habere quietem?
7. Amice, dixit amor, cum quo majorificas tuum amare?
8. Amice, dixit Amatus, quare intrasti in civitatem amoris & æqualitatis?
9. Quæsiverunt ab Amico, quare esset obediens vitiis, cùm per illam obedientiam haberet passionem & esse in ira sui Amati?

Virtus Differentia.

1. QUæstio. Differentia, dixit concordantia, estne in te virtus, per quam meum concordare sit de virtute & de amare?
2. Virtus, dixit amor, quomodo resistis contrarietati amandi?
3. Amicus quæsivit à virtute, utrùm posset esse una essentia cum suo Amato, existente differentiâ inter illum & suum Amatum?
4. Virtus & differentia, dixit amor, possetisne esse unus Amatus?
5. Amate & Amice, dixit amor, quid facit vos esse distinctos in amare?
6. Quæsiverunt ab Amico, quâ ratione differentia & virtus possent esse in majoritate amoris & amandi?
7. Differentia, dixit virtus, cùm Amicus non sit Amatus, possemne ego & tu esse Amatus & Amicus?
8. Amice, dixit amor, scisne tu, unde procedat minoritas amandi?

Virtus Concordantia.

1. QUæstio. Virtus, dixit concordantia, quis facit te esse disparatam à contrarietate in amore?
2. Quæsiverunt ab Amico, quomodo principiaret amare de virtute & concordantia?
3. Amice, dixit Amatus, scisne tu, quare amare oriatur de amore?
4. Amores quæsiverunt ab Amico, quinam essent labores, quos sustineret in amare?
5. Amatores quæsiverunt ab Amato & Amico, quare jacerent infirmi in virtutibus per amare?
6. Quæsiverunt ab Amico, utrùm poneret suam totam virtutem in concordantia in amare suum Amatum?
7. Virtus, dixit concordantia, super quo equo equitabat Amicus, quando fugiebat à suo Amato?

Virtus Contrarietas.

1. QUæstio. Vitia quæsiverunt à principio, ubi principium principiaret virtutem de virtute, quia illa rogabant illud, ut ibi principiaret contrarietatem de contrarietate?
2. Virtus, dixit amor, possesne stare in medio contrariorum?
3. Quærebant ab Amatoribus, quare non irent quiescere in fine amoris & amandi?
4. Amice, dixit Amatus, quis custodivit te, quòd non fueris victus in contrarietate amoris?
5. Contrarietas, dixit concordantia, possesne tu æqualiter esse in virtutibus & in vitiis?
6. Amice, dixit amor, quis facit te participare cum inimicis tui Amati?

Virtus Principium.

1. QUæstio. Virtus, dixit amor, quæ sunt tuæ regiones, & tu amor, dixit virtus, ubi principias amare?
2. Amicus rogabat suum Amatum, ut illi daret virtutes, & Amatus quærebat ab illo, ad quid eas vellet?
3. Quæsiverunt à principio, utrùm potuisset principiare virtutem in majoritate amandi?
4. Virtus & principium, dixit Amicus, possetisne esse æqualia in amore & amare?
5. Amicus veniebat videre suum Amatum, & amores quæsiverunt ab eo, utrùm veniret de longinquis regionibus?

Virtus Medium.

1. QUæstio. Multi Amatores quæsiverunt ab Amico, cum quo faceret virtuosum suum amare?
2. Quæsiverunt ab Amico, cum quo cognosceret majoritatem virtutis?
3. Amatus & Amicus quæsiverunt à suis Amatoribus, utrùm scirent subjectum extensæ virtutis & amoris?
4. Amice, dixit amor, cum quo ejicis minoritatem de tuo amare?

Virtus Finis.

1. QUæstio. Amor mirabatur de virtute & de fine, quare ab illo quærebant, ut illis daret majoritatem sui amare?
2. Virtus & finis amoris quærebant ab Amico, an æqualiter esset sanus & infirmus per suum amorem?
3. Amatores quærebant ab Amico, quinam essent captores & tortores, qui capiunt & torquent Amatores propter amorem?

Virtus Majoritas.

1. QUæstio. Amatores amoris quæsiverunt ab Amico, quare illum reprehenderet virtus amandi?
2. Amatores quærebant ab æqualitate a-

moris, utrùm esset ullus Amans & Amatus, qui essent æquales in virtuoso amare?

Virtus Æqualitas.

1. QUæstio. Toxicatus erat Amicus per amorem, & quæsiverunt ab eo, quis illi dedisset bibere venenum amoris?

Virtus Minoritas.

1. QUæstio. Amicus stabat cum tribus dominabus amoris, una faciebat illum languere, & alia illum occidebat, & alia illum sustentabat, & Amicus quæsivit à suo Amato, utrùm amor hoc sciret?

Veritas Gloria.

1. QUæstio. Amicus quæsivit à differentia amoris, utrùm in suo Amato gloria & veritas possent esse rationes reales & inconfusæ, existens una alia in uno eodem numero?
2. Amatus & Amicus navigabant in navi amoris per mare amoris, & Amatores quærebant, quinam sunt pisces, qui sunt in illo mari?
3. Veritas & gloria, dixit falsus amor, quare torquetis meos servos?
4. Amor, dixit Amicus, scisne tu, quare gloria conqueratur de veritate, & veritas de gloriâ?
5. Veritas, dixit Amicus, ubi verificas tuum gloriosum, & tu gloria ubi glorificas verosum?
6. Amicus & Amatus comedebant & bibebant in mensa amoris, & quærebant, quinam essent servi?
7. Amores quæsiverunt ab Amato, quare glorificâsset suum Amicum in majoritate amoris & amandi?
8. Verificare & gloriari, dixit amor, ubi possetis coæquari in bonitate, magnitudine, duratione, potestate, quia volo vos transmittere ad meum Amatum?
9. Multi amores quæsiverunt ab Amato, quare descendisset ad amandum tam magnam minoritatem bonitatis, magnitudinis, durationis, potestatis & veritatis?

Veritas Differentia.

1. QUæstio. Domicellæ amoris desiderabant servire Amico & Amato, & quærebant à gentibus, ubi illos possent invenire?
2. Veritas, dixit amor, quare stas in differentia Amici & Amati?
3. Valores, honorificentiæ & honores quærebant à veritate, quod pretium habuisset de Amico, quem vendiderat Amato?
4. Veritas & differentia, dixit amor, quare stas in amare?
5. Quæsiverunt à veritate, quare in suo verificare esset finis amandi?
6. Veritas, dixit differentia, per quam naturam potes stare in majoritate amandi?
7. Veritas, dixit differentia, ubi invenisti æqualitatem amoris & amare?
8. Minoritas, dixit majoritas, quare non vis, quòd Amatus emat voluntatem Amici?

Veritas Concordantia.

1. QUæstio. Contrarietas & parcitas, dixit amor, quare resistis dare veritati ipsum concordare & amare?
2. Amatus quæsivit à suo Amico, utrùm sciret, quomodo principiaret amare?
3. Amor, dixit Amicus, quomodo possem sufficere ad amandum meum Amatum?
4. Reges & Imperatores quæsiverunt, quis portaret secreta amoris ad Amicum & Amatum?
5. Amores quærebant à majori Amico, utrùm essent conjuncti in majori veritate & concordantia?
6. Veritas & concordantia dixerunt, flores amoris quare statis æquales in amore & amare?
7. Amor stabat otiosus, & amatores quæsiverunt ab illo, ubi perdidisset suum amare?

Veritas Contrarietas.

1. QUæstio. Amatores quæsiverunt ab Amico, utrùm sciret, cum quibus armis præliarentur veritas & falsitas.
2. Dominæ amoris inquirebant Amicum, & quærebant à veritate, ubi langueret præ amore?
3. Amores quæsiverunt ab Amato, cum quibus virgis feriret & disciplinaret suum Amicum?
4. Contrarietas & veritas amoris, quis separavit resistentiam, quam solebatis habere in amare?
5. Æqualitas, dixit amor, possesne tu esse de veritate & contrarietate?
6. Veritas, dixit Amicus, vultne amor duplicare suum amare, ut resistat minoritati amandi?

Veri-

Veritas Principium.

1. QUæstio. Amor, dixit Amicus, estne verificare & principiare in meo amare?
2. Amare invénit verificare, & quæsivit ab illo, utrùm illud principiaverit veritas vel principium?
3. Amicus quæsivit à veritate & à principio, estne meus Amatus tam potens, quòd possit principiare majus verificare & amare?
4. Æqualitas amorum, dixerunt Amatores, utrùm in verificare posset esse principiare & amare?
5. Minoritas, dixit amor, vellesne tu esse in majoritate?

Veritas Medium.

1. QUæstio. Dominæ amoris quæsiverunt à medio amoris, quid esset finis & complementum amoris?
2. Amor, dixit Amicus, possemne dare meo Amato majoritatem veritatis amoris & amandi?
3. Amice, dixit amor, in quo loco imaginaris tuum Amatum?
4. Amor, dixit Amicus, possemne perdere meum Amatum?

Veritas Finis.

1. QUæstio. Amor, dixit Amicus, postquam me dedisti meo Amato, nonne habes tantam potestatem & justitiam, quòd mihi des meum Amatum?
2. Amores, dixerunt Amatores, quare Amicus & Amatus sunt in labore?
3. Veritas & finis, dixit minoritas, quare me tenetis in carcere majoritatis?

Veritas Majoritas.

1. QUæstio. Majoritas, dixit amor, possemne esse in majori veritate & æqualitate Amici & Amati?
2. Amores, valores, laudes & honores quæsiverunt ab Amico, quis extingueret ei suum amare?

Veritas Æqualitas.

1. QUæstio. Amatores quæsiverunt ab Amico, an veritas & amor in sua essentia possent esse æquales?

Veritas Minoritas.

1. QUæstio. Minoritas, dixit amor, cum quo auffers amatores ab Amato?

Gloria Differentia.

1. QUæstio. Amor lætabatur & cantabat, & Amatores quæsiverunt ab eo, de quo lætabatur, & de quo cantabat?
2. Amor, dixit Amicus, estne contrarietas in gloria mei Amati?
3. Amicus quæsivit ab amore, an esset differentia inter illum & suum Amatum?
4. Amice, dicebant Amatores, possesne tu intrare & stare in circulo amandi?
5. Amor, dixit Amicus, quare intravit differentiare in amare?
6. Valores & honores quærebant ab Amoribus, quomodo starent in majori amare?
7. Æqualitas Amici & Amati, dixit amor, quomodo potestis sufficere meo amare?
8. Amice, dixerunt amores, vellesne tu vendere verba, quæ dicis de tuo Amato?

Gloria Concordantia.

1. QUæstio. Amatores quærebant à gloria Amati, quomodo amatores haberent in ea gloriari?
2. Gloria & concordantia quærebant à principio, de quo principiaret suum principiare?
3. Amores, dicebant Amatores, quinam sunt portatores, qui portant amare Amici ad Amatum?
4. Amicus ibat per montes & per plana, & quærebat, ubi posset invenire gloriari ipsius amare, & si illud posset invenire & comprehendere, quis illud posset emere?
5. Amice, dixit Amor, scisne, quodnam sit majus amare?
6. Amatores & amores quærebant ab Amico, ubi nutriretur suum amare?
7. Amatores quærebant ab amoribus, quomodo starent in majoritate & in minoritate gloriandi & amandi?

Gloria Contrarietas.

1. QUæstio. Contrarietates amorum quæsiverunt, quare gloriæ & concordantiæ amorum essent conjunctæ?
2. Contrarietas, dixit gloria, quare stas in amare?
3. Amores inveniebant Amicum, qui plorabat & dicebat, quis illum deviaverit à fine amandi?
4. Amatores quærebant à majoritate amoris, utrùm possent stare sinè contrarietate amandi?
5. Amatores quærebant à gloria & à contrarietate

trarietate amandi, utrùm æqualitas posset esse in pœna & in concordantia?

6. Amate, dixit amor, quare nutris Amicos cum deliciis, honoribus & divitiis?

Gloria Principium.

1. QUæstio. Amice, dicebant amores, scisne, quomodo gloriari stet in principiare & amare?
2. Quærebant ab Amico, cujus esset vox, quâ clamabat ad suum Amatum?
3. Principium, dixit amor, quare principiasti gloriari & amare in principiare?
4. Amor, dixit Amicus, possetne meus Amatus cessare ab amare?
5. Gloriari & principiare tenebant captum minorificare, & amor quæsivit ab iis, quousque illud permitterent ire?

Gloria Medium.

1. QUæstio. Amicus quæsivit à suo amare, quare ipsi adferret de suo Amato labores, languores, suspiria, lacrymas & ploratus?
2. Amice, dicebant amores, quis tibi abstulit tuum Amatum?
3. Amatores quærebant ab amoribus, utrùm inter Amicum & Amatum posset esse æqualitas amandi & gloriandi?
4. Suspiria & ploratus repræsentabant Amico suum Amatum, & minoritas illum celabat; & est quæstio, utrùm Amatus sit magìs celatus quàm repræsentatus?

Gloria Finis.

1. QUæstio. Gloria & finis, dixit minoritas, cur itis ad majoritatem?
2. Amicus quæsivit ab æqualitate gloriæ & finîs, utrùm posset sufficere suspiriis & ploratibus propter amores?
3. Minoritas, dixit amor, quis te facit amare, postquam Amicus est mortuus pro suo Amato?

Gloria Majoritas.

1. QUæstio. Amores quærebant ab Amico, de quo esset corona, quam ipsi dederat suus Amatus?
2. Amice, dicebant amores, gloriari & majorificare suntne elongata à minorificare?

Gloria Æqualitas.

1. QUæstio. Amice, dixit amor, quis te vestivit gloriâ in minoritate amoris & amandi?

Gloria Minoritas.

1. QUæstio. Amicus quæsivit ab amore, utrùm posset habere gloriam sui Amati amando honores, divitias & prosperitates hujus mundi?

Differentia Concordantia.

1. QUæstio. Suspiria, lacrymæ & ploratus, labores, languores & considerationes quærebant ab Amico, de qua arbore collegisset flores, quos portabat ad suum Amatum?
2. Concordantia amoris, dixit Amicus, possesne tu principiare concordare in amare?
3. Amor, dixit Amatus, possesne tu habere concordare in amare sinè differentiare?
4. Amicus quæsivit ab amoribus, quis illum excitaret, & faceret illum clamare: Amate Amate?
5. Concordantia, dixit Amicus, si in te staret amare, haberesne majus concordare?
6. Amor, dixit Amicus, quid oritur de te & de meo suspirare & laborare & plorare?
7. Amicus quærebat à differentia & à concordantia amoris, utrùm haberent amare?

Differentia Contrarietas.

1. QUæstio. Amicus fuit in labore propter amorem, & quæsivit, quis illum posset adjuvare contra contrarietatem amandi?
2. Amicus erat infirmus & languebat præ amore, & amores mirabantur, de quo Amicus viveret?
3. Amores voluerunt scire, an Amicus sciret de amare, & quæsiverunt ab eo, an contrarietas eum excitaret ad amandum?
4. Amice, dixit amor, scisne tu, in quo periret majoritas amandi?
5. Amice, dixit contrarietas, quare non das mihi tuum amare?
6. Tantùm amabat Amicus, quòd non putabat amare, & interrogabat, ubi est amor? & quis vadit ad amorem? & quà vadit amor? & clamabat: amor amor!

Differentia Principium.

1. QUæstio. Amice, dixit amor, scisne quis compleat tuum amare?
2. Amicus stabat in viridario amoris, & quærebant ab eo, cum quo rigaret suum amare?

Amice,

3. Amice, dixit Amatus, quis illuminat tuum amare?
4. Amatores quærebant ab Amico, in quibus maribus navigaret suum amare?
5. Quomodo, dixit Amicus ad suum amare, an ergò non possumus facere, quòd sufficiat differentiare & principiare, quando te transmitto ad meum Amatum?

Differentia Medium.

1. QUæstio. Amare non nascitur in mense finîs amoris, & amatores quærebant ab eo, cur esset tam macrum amoribus?
2. Amice, dixit amor, ubi frondet, florescit & germinat tuum amare?
3. Amores quærebant ab Amico, pro quanto daret suum Amatum?
4. Amatus comedebat, & Amicus serviebat ei, & amores quærebant ab Amico, cum quo serviret suo Amato?

Differentia Finis.

1. QUæstio. Amicus venabatur suum Amatum per sylvam amoris, & amores quærebant ab eo, quid caperet suus astur?
2. Amores, dixerunt Amatores, ubi cantat Amicus de suo Amato?
3. Amores mirabantur de Amico, quare non iret per omnes terras prædicare: amare amare?

Differentia Majoritas.

1. QUæstio. Amores quærebant ab Amatoribus, utrùm scirent, ubi existeret major differentia Amici & Amati?
2. Differentia, dixit amor, vellesne tu esse in majoritate amandi?

Differentia Æqualitas.

1. QUæstio. Amice, dixit Amatus, quis tibi aperuit portam cellæ amoris, ubi bibis amorem?

Differentia Minoritas.

1. QUæstio. Amores quærebant ab Amico, de quo esset herba, quam colligebat pro equo sui Amati?

Concordantia Contrarietas.

1. QUæstio. Amicus quæsivit à suo Amato, quare sustineret, quòd esset contrarietas?
2. Amor quæsivit ab amare filio Amici & Amati, quis ex ejus genere magìs honoraretur?
3. Amare cucurrit ad Amatum & ad Amicum, & amor quæsivit ab eo, quis amborum illud citiùs esset amplexatus & osculatus?
4. Amatores amoris quærebant à dominabus amoris, quis minùs posset stare sinè amare, an Amicus vel Amatus?
5. Amice, dixit amor, potesne tantum descendere per odire, quantum ascendere per amare?
6. Amor quæsivit à concordantia, quonam modo illa vinceret contrarietatem in amare?

Concordantia Principium.

1. QUæstio. Amice, dixit amor, quare dormis & non contemplaris tuum Amatum, qui non dormit?
2. Amicus quæsivit à suo Amato, an haberet misericordiam & pietatem, cum quibus illum consolaretur, & ei daret spem?
3. Concordare, principiare & amare dixit Amicus, quid facitis, quare vos non conjungitis, & magìs amantur denarii, panis, vinum, caro, panni, filii, castra, civitates & honores quàm meus Amatus?
4. Plorabat & plangebat Amicus, & extrahebat suos capillos, & evellebat barbam, & disrumpebat sua vestimenta, & dicebat ad gentes: Domini, amaturne aliquid adeò parùm sicut meus Amatus?
5. Contritio & conscientia ubi estis, & quid facitis? mundus perditur, & peccatum magìs amatur quàm meus Amatus.

Concordantia Medium.

1. QUæstio. Amicus nauseabat de amare, & dixit ad suum amare, postquam langueret, quare viveret, & non moreretur præ amore?
2. Amatores quæsiverunt ab amoribus, quis esset plùs objectatus ad amandum vel Amicus vel Amatus?
3. Amicus conquerebatur de malo amoris, & quærebat, quis illum teneret captum & ligatum, quòd non posset amare pro sua voluntate?
4. Concordantia amoris, dixit Amicus, & quare loqueris cum minoritate de meo Amato?

Concordantia Finis.

1. QUæstio. Quoniam Amicus videbat, homines tam parum cognoscere & amare & honorare & laudare suum Amatum

& ipsi servire & obedire, ibat tanquam stultus, & dicebat ad gentes: Domini, estne meus Amatus aliquid?

2. Amice, dixit amor, habesne conscientiam, quando non facis illud bonum, quod posses, ad honorandum tuum Amatum, & quia non facis, quòd tuus Amatus cognoscatur & ametur ab illis, qui illum non cognoscunt, & odiunt, & pro modico dant illum?

3. Amor, dixit Amicus, homines, qui sunt in peccato, habentne jus in bona mei Amati?

Concordantia Majoritas.

1. QUæstio. Amores quærebant ab Amico, quomodo intelligeret & amaret suum Amatum?

2. Amicus aspiciebat in altos montes, in quibus stabant homines honorati, qui inhonorant Amatum Amici, plorabat Amicus, & dicebat ad amorem, quare sustinet meus Amatus tot malos homines?

Concordantia Æqualitas.

1. QUæstio. Amice, dixit amor, amasne tuum Amatum propter suam bonitatem vel propter esse, quod tibi dedit?

Concordantia Minoritas.

1. QUæstio. Amores quærebant ab Amico, quare magìs amaret publicam utilitatem, quàm specificam?

Contrarietas Principium.

1. QUæstio. Amice, dixit amor, si tuus Amatus tibi daret plus, quàm tibi dedit, vel si tibi aufferret id, quod tibi dedit, cresceretne vel minueretur tuum amare?

2. Amores quærebant ab Amico, an sciret modum, secundùm quem finis amoris est quies amoris & amandi?

3. Amor, dixit Amicus, quare es major & melior per audaciam, quàm per timorem?

4. Contrarietas, dixit Amicus, quare tam malum est te tangi?

5. Homines otiosi quærebant ab Amato, utrùm possent salvari per modicum amare?

Contrarietas Medium.

1. QUæstio. Amare, dixit amor, cum quo vincis & capis contrariari?

2. Amatus quæsivit ab Amico, cui commendasset suum amare?

3. Amicus quærebat ab æqualitate amoris, utrùm meliùs concordaret cum concordare quàm cum contrariari in amare?

4. Malæ consuetudines, falsitates & proditiones, dixit amor, quis vos posuit in amare?

Contrarietas Finis.

1. QUæstio. Concordantia amoris, dixit Amicus, quis te facit stare sinè amare?

2. Amor, dixit Amicus, scisne, quis facit desperare malos homines de tuo Amato?

3. Amatus volebat odire suum Amicum, & similiter volebat Amicus odire suum Amatum, quousque amor clamavit & dixit: ha! quis ponit malevolentiam inter Amatum & Amicum?

Contrarietas Majoritas.

1. QUæstio. Amice, dixit amor, quid facis, quomodo offendis tuum Amatum?

2. Amores quærebant ab amatoribus, utrùm scirent, quomodo Amicus perderet suum Amatum?

Contrarietas Æqualitas.

1. QUæstio. Amicus obviavit cuidam homini fatuo propter divitias, Amicus clamavit & dixit: heu heu! quare non obvio multis hominibus fatuis propter amorem mei Amati?

Contrarietas Minoritas.

1. QUæstio. Contrarietas amoris dixit concordantia amoris, & quare magìs amas minoritatem Amici & Amati quàm majoritatem?

Principium Medium.

1. QUæstio. Amice, dixit amor, cùm tentaris, quò fugis à peccato?

2. Honorificentia, honor, reverentia & amor, dixit Amicus, quæ aufferunt vos à meo Amato?

3. Amicus dixit ad vitia & ad peccata, quare me elongatis à meo Amato?

4. Amice, dixit amor, quare magìs amas paupertatem, quàm divitias?

Principium Finis.

1. QUæstio. Dominæ amoris quæsiverunt ab Amico, an in suo amare possent stare finire & principiare?

2. Amice, dixit amor, possetne tuus Amatus induere inæqualitatem ipsius principiare & infinire in amare?

3. Amor quæsivit ab Amico, quare suus Amatus creavisset pulices & muscas?

Principium Majoritas.

1. QUæstio. Amores & Amatores quærebant ab Amico, utrùm amaret, quòd in suo Amato esset major amor?

2. Majoritas & minoritas, dixit Amicus, quis potest vos attingere in amare?

Principium Æqualitas.

1. QUæstio. Amor, dixit Amicus, & ubi stat majus amare?

Principium Minoritas.

1. QUæstio. Amicus quærebat à principio, quomodo posset principiare minoritatem amandi?

Medium Finis.

1. QUæstio. Amicus quæsivit à fine amoris, utrùm vellet esse in majori amare?

2. Amice, dicebant amores, cum quibus proportionas & ornas tuum amare?

3. Amicus quærebat ab amore, utrùm venderet unguentum, quia cum illo volebat sanare suum amare.

Medium Majoritas.

1. QUæstio. Amicus quærebat à medio, utrùm haberet mediare, quoniam cum illo volebat multiplicare suum desiderium in amare?

2. Amice, dixit amor, quis dat laudem de tuo Amato?

Medium Æqualitas.

1. QUæstio. Amores quærebant ab Amatoribus, utrùm possent invenire æqualitatem, quæ esset de amore & de amare?

Medium Minoritas.

1. QUæstio. Amice, dicebant Amatores, per quam viam transit amor ad tuum Amatum?

Finis Majoritas.

1. QUæstio. Amate, dixit Amicus, possesne me coæquare cum amore in te amare?

2. Amice, dixit amor, scisne tu, quare Amatus elegit unum ex duobus hominibus ad amandum?

Finis Æqualitas.

1. QUæstio. Finire & amare, dixit Amicus, possetisne vos coæquare ad laudandum meum Amatum & ad serviendum illi?

Finis Minoritas.

1. QUæstio. Amicus quærebat à minoritate, utrùm in ea esset finis amandi?

Majoritas Æqualitas.

1. QUæstio. Amores quærebant ab Amatoribus, utrùm scirent, quomodo fiat major æqualitas Amici & Amati?

Majoritas Minoritas.

1. QUæstio. Amice, dixit amor, estne peccatum major minoritas?

Æqualitas Minoritas.

1. QUæstio. Amice, dixit amor, defecitne tibi tuus Amatus, ex quo illum amasti?

SECUNDA PARS
De viginti Quæstionibus.

IN hac parte datur doctrina, quomodo homo sciat applicare Quæstiones ad Definitiones, Regulas, Conditiones & Figuras: unde ad dandum doctrinam & practicam assumimus *viginti Quæstiones* ex illis, quas jam diximus, & super illas damus Regulam & Doctrinam, quomodo homo sciat solvere alias Quæstiones; quia secundùm modum, quem tenemus in solvendo viginti Quæstiones, docet Ars, quomodo homo sciat solvere alias Quæstiones.

De viginti Quæstionibus applicamus *novem* ad *primam Figuram*, & *novem* ad *secundam Figuram*, faciendo super quodlibet principium hujus Amantiæ unam Quæstionem; & *decimam nonam Quæstionem* facimus super *tertiam Figuram*, & *vigesimam* super *quartam Figuram*; & cuilibet octodecim Quæstionum damus *quatuor* paragraphos.

Primus est de primariis Definitionibus, *secundus* de secundariis Definitionibus, *tertius* est de Regulis applicatis ad Definitiones, *quartus* paragraphus est de Conditionibus. Decimæ nonæ Quæstioni damus *quatuor paragraphos* super *quatuor Conditiones*, cum quibus proponimus solvere

illam quæstionem. Istæ quatuor Conditiones significantur per cameram, quam proponimus assumere ex *tertia Figura*, cum quibus proponimus solvere illam eandem quæstionem. Vigesimæ Quæstioni proponimus dare *quatuor paragraphos* super quatuor Conditiones significatas per cameram, quam proponimus eligere in quarta Figura; & quia evitamus prolixitatem, non transmittimus has duas Quæstiones ad Definitiones, quamvis eodem modo possint solvi per Definitiones, quo solventur octodecim Quæstiones.

Primam Quæstionem facimus super bonitatem, *secundam* super magnitudinem, & sic per ordinem successivè per omnia principia: in hoc processu datur doctrina de discursu Artis & ligamine intellectûs & voluntatis. Secundùm hunc processum vult Ars, quòd positâ quæstione ponantur Definitiones & Regula, & Regulæ & Conditiones, & quòd conclusio sit concordans cum Definitionibus, Regulis & Conditionibus, sicut jam diximus.

Quæstio 1.

AMor quæsivit à bonitate, utrùm DEUS esset, quia multùm desiderabat, quòd DEUS esset, ut magìs posset amare?

1. Solutio. Bonitas est id, ratione cujus bonum agit bonum, & hoc in tantum, quòd bonum est esse, & malum est non esse. Amor, dixit bonitas, si DEUS est, de suo esse non sequitur malum, quia impossibile est, quòd de infinito bono & infinito magno & æterno sequatur malum; imò, si DEUS est, sequitur infinitum bonum & infinita magnitudo & æternitas: unde sicut convenit, si DEUS est, quòd sit infinitas boni & magnitudinis & æternitatis, ita de necessitate convenit, quòd, si DEUS nihil est, inde sequatur infinitas mali & parvitatis & privationis æternitatis, & minoritatis magnitudinis: unde cùm sit impossibile, quòd sit infinitas mali & malitiæ parvitatis & privationis; si enim hoc esset, nihil unquam fuit nec est nec erit; quod est impossibile: quia per experientiam habemus, quòd aliqua fuerunt & sunt & erunt; & ideo est manifestum, quòd DEUS est, quem tu amor desideras amare, & de illo habes omne, quod habes. Adhuc ampliùs dico tibi amor, dixit bonitas, quia, si DEUS nihil est, multa mala & multa falsa & odibilia inde sequerentur, sicut mea definitio, quæ destrueretur, quia supposito, quòd DEUS non sit, bonum est, quòd DEUS non sit; quia si esset, sequerentur aliqua inconvenientia in natura, quæ natura non sustinet, quòd sint; & si DEUS non est nec potest esse, privatio ejus est bona, & suum esse esset malum, & ita esset malum esse, & bonum non esse, postquam sit bonum, esse finitum bonum, & esset malum, esse infinitum bonum: & etiam sequeretur, si DEUS nihil est, quòd malum esset amabile, & bonum odibile, & quòd majus malum esset magìs amabile quàm minus, & minus bonum quàm majus, & mors quàm vita, & tristitia quàm gaudium, & non esse quàm esse; & sic de aliis his similibus. Et etiam amor, dixit bonitas, sequeretur contradictio, si DEUS nihil esset; quia secundùm id, quod diximus, bonum est, DEUM esse, & malum est, DEUM non esse; & sic converterentur bonum & malum, & esse & non esse, & per consequens magnitudo & parvitas, æternitas & privatio; & sic de aliis principiis: unde cùm omnia ista & multa alia sequerentur, si DEUS nihil est, est manifestum, quòd ille DEUS, quem inquirimus, est. Multùm placuerunt amori verba, quæ illi dixit bonitas, & sensit vires & virtutem ad amandum bonitatem, magnitudinem, æternitatem in suo Amato, & amor dixit ad amare, ama tuum Amatum, quia bona & magna res est amare tam altum & tam nobilem Amatum.

2. Bonus amor est ille, per quem amorosum bonum agit amorosum bonum. O bonitas, magnitudo & æternitas, dixit amor, quid valeret omne, quod est, si DEUS nihil esset? nam si DEUS non est, omne, quod est, est finitum & terminatum, & non est quidquam, quod sit infinitum: unde sequitur, quòd sit bonum amare bonum finitum, & odire bonum infinitum; quia si DEUS non esset, secundùm naturam rationis non esset amabilis, imò esset odibilis; quia id, quod non est, & quod non potest esse, non convenit esse amatum; & sic sequeretur, quòd in me amare sit propter amare esse finitum in bonitate, magnitudine &c., & quòd in me odire sit propter odire esse infinitum in bonitate, magnitudine, æternitate: unde sequeretur, quòd ego essem malus amor, & agens malum odiosum, & quòd non essem bonus amor, per quem amorosum bonum agit amorosum bonum; hoc ego, dixit amor, non possem

possem sustinere, quòd meum odire esset majus quàm meum amare, quia meus inimicus esset major quàm meus Amicus, neque tecum, bonitas, possem concordare, neque tu magnitudo super tali conditione faceres me magnum in amare, nec in odire, quia quò majorem me faceres, eò magìs me faceres odire quàm amare; nec tu æternitas me sustineas, quia si DEUS nihil est, ego nec volo esse, nec amare, nec odire, & magìs volo amare, quòd non essem quàm quòd sim; nec imposterum te bonitatem nec magnitudinem nec me ipsam volo amare, imò postquam ita est, si DEUS nihil est, omne, quod est, volo odire, & in dolore & in tristitia volo vivere & stare omnibus diebus meæ vitæ.

3. Plorabat, suspirabat & plangebat Amicus, quando supponebat, quòd DEUS nihil esset, & dixit hæc verba: heu, heu! quàm magnum malum est, si DEUS nihil est; nam omne, quod est, est bonum & malum simpliciter, ita quòd bonum est malum, & malum est bonum; quia postquam DEUS non est, bonum est, quòd non sit; nam non convenit supponere, quòd id, quod non est, neque potest esse, possit esse bonum, neque possumus supponere, quòd non esset bonum, DEUM esse, postquam esset infinitus in bonitate, magnitudine & æternitate &c.: nec etiam ratio hoc consentit, quòd privatio DEI non sit mala, quia multa mala sequerentur, velut quòd non sit vita æterna, si DEUS nihil est; nec ullus homo remunerabitur de ullo bono, quod facit, nec est factus simpliciter ad ullum bonum magnum & durabilem finem; & totum hoc est malum: veruntamen omnia ista essent mala, si DEUS est; nam ideo DEUS non est, eò quòd ista sint mala, & ipsorum contraria sint bona; & sic postquam bonum est malum, & malum est bonum, & bonum esset, quòd DEUS esset, & malum est, quòd DEUS non sit, sequitur, quòd duæ definitiones non possint capi nec stare in prima Regula, nec Regula in illis, quod est impossibile: per quam impossibilitatem probatur de necessitate, quòd DEUS est; cui DEO, dixit amicus, volo facere reverentiam & honorem omnibus diebus meæ vitæ, & similiter faciatis vos bonitas, magnitudo & duratio; nam quia ipse est, tu bonitas es separata à malitia, & tu magnitudo à parvitate, & tu duratio à privatione, & ego propterea sum in spe habendi perdurabilem gloriam.

4. *Amicus tantùm amabat & desiderabat bonitatem, magnitudinem & æternitatem sui Amati, quòd per suum amorem concordabant bonitas, magnitudo, æternitas, ut essent una essentia & natura, unum idem in numero in Amico & Amato.* Amicus considerabat unitatem bonitatis, magnitudinis & æternitatis, ita quòd unum & idem sint in numero, & una essentia & natura sint omnes tres, & una eadem essentia & natura sint in Amico & Amato: hæc tanta unitas, dixit Amicus, est in meo Amato, si DEUS est, qui DEUS est ille Amatus, quem ego tantùm desidero amare, cognoscere & honorare & ipsi servire; hæc tanta unitas nihil est, si DEUS non est, quia non est ullum ens, quod illam possit habere, nisi ens, quod sit infinitum in unitate bonitatis, magnitudinis, æternitatis; & hæc est infinitas bonitatis, magnitudinis æternitatis Amici & Amati: unde si privatio talis unitatis est, illa est majus malum quàm omne bonum universarum unitatum, quæ sunt, & est major magnitudo privationis quàm omnes magnitudines entium, quæ sunt, & est major privatio æternitatis quàm esse, in quo est, quia talis privatio unitatis est infinita, & esse oppositum privationis est finitum; & etiam, quia est infinita imperfectio bonitati, magnitudini, æternitati, quòd una non sit alia, quia est magna vilitas bonitati, quòd non sit per se ipsam magna & æterna, & è converso; & magnum malum & parvitas & defectus durationis est omnium trium, & bonitas magìs deficit magnitudini & æternitati, quando non est ratio, quòd sint ipsa eadem essentialiter, quàm sit perfectio, quam habent per illam accidentaliter in hoc, quòd per illa sunt bona per accidens; & hoc idem sequitur de magnitudine & æternitate: & etiam, quòd unitas bonitatis, magnitudinis & æternitatis est magìs amabilis separatim ab essentia & natura, quàm si sunt una eadem essentia & natura, quia id, quod est, est magìs amabile, quàm id, quod non est: & quia est magìs amabile, convenit, quòd natura consentiat, quòd magis ametur: hoc, dixit Amicus, non sentio in mea natura amandi, imò in illa sentio totum contrarium; & sic habeo in me naturam ad magìs amandum unitatem bonitatis, magnitudinis, æternitatis, quæ non est, quàm illam, quæ est: & sic conveniret, si DEUS nihil est, quòd ego magìs amarem per hoc, quod non est, quàm per hoc, quod est, secundùm cursũ naturæ;

naturæ; & hoc est impossibile, & contra cursum naturæ & contra esse & perfectionem, & privationem & imperfectionem ; cùm bonitas, magnitudo, æternitas concordent cum esse & cum perfectione, & ipsorum oppositum cum privatione & imperfectione : unde per omnia ista & per multa alia probatur & manifestatur, quòd DEUS est de necessitate, ut supradicta inconvenientia non sequantur, & ut prima Conditio bonitatis magnitudinis possit stare integra; quæ destrueretur, si DEUS nihil esset : ergò DEUS est, dixit Amicus, & tu amor coneris amare, quia propter suum esse potes tantò magis amare, quantò minùs posses amare, si non esset : iste DEUS est una bonitas, magnitudo, æternitas, quæ sunt unus DEUS, & quælibet est alia, & propterea est DEUS bonus magnus æternus infinitè, in quo non est nisi una essentia & natura bonitatis, magnitudinis &c.; & quia iste DEUS est, sequitur ab illo suis Amatoribus lætitia & confortatio, & spes alterius æternæ vitæ, & amor Amici & Amati.

Quæstio 2.

Magnitudo quæsivit ab amore, utrùm tantùm amaret agere æternitatis, quantùm illius existere?

1. Solutio. Magnitudo est id, ratione cujus bonitas & æternitas seu duratio &c. sunt magnæ, & magnitudo comprehendit omnes extremitates entium. Magnitudo, dixit amor, si ego non tantùm amarem opus, quod æternitas habet in se ipsa, quantùm suam existentiam, sequeretur, quòd tua definitio & mea destruerentur; quia tu non esses ratio, per quam æternitas esset magna in operando, sed in existendo tantùm, & tu non esses ratio, quòd meum amare esset magnum, est enim defectus amoris magìs amare existentiam rei quàm agentiam; & hoc maximè in æternitate, cùm existentia & agentia in æternitate sint æquales, in quantum sunt unum & idem convertibiliter: unde si tu non es tam magna ratio, quòd in æternitate sit ita amabile æternare, sicut ipsamet æternitas, & quòd me non facias æqualiter amare æternitatem & æternare, deficit tibi bonitas, quia malum est in te privatio magnificandi, & deficis bonitati, quia non magnificas suum bonificare; & hoc idem sequitur de potestate & de me, & de mea sorore sapientia & de aliis; & sic nulla dat suam substantialem similitudinem : unde sequitur infinita imperfectio, sicut sequeretur infinita perfectio, si de te ipsa tantum dares meo amare, quantum meo existere, quia sumus omnes æquales per essentiam & naturam in Amato : ideo ego amor dico tibi magnitudini, quòd multùm me feceris mirari, quando mihi fecisti talem quæstionem, & imposterum non facias mihi illam, quia ego sum ille amor ita completus in amare, quòd tantùm amem æternitatem per suum agere, quantùm per suum existere.

2. Magnus amor est ille, qui est remotus à parvitate amandi. Conquestus est amor apud potestatem amoris de magnitudine amoris, quia illi fecerat talem quæstionem: amica potestas, dixit amor, & quomodo putat magnitudo, quòd ego non amem in meo Amato tantùm suam æternitatem propter æternare, quantùm æternare propter æternitatem; quia tam bonum est, quòd æternitas sit per æternare, quàm per esse id, quod est; & convenit, quòd magnitudo, quidquid illa dicat, faciat tam magnum suum æternare quàm æternitatem; si enim hoc non faceret, non esset magnus amor, qui esset remotus à parvitate amandi; nam si ego magìs amarem æternitatem quàm suum æternare, conveniret, quòd in meo amare esset parvitas, quia magìs amarem unum quàm aliud in meo Amato: & adhuc ampliùs dico tibi, si verum esset, quòd ego magìs amarem æternitatem quàm æternare, quantùm magnitudo me faceret magìs amare æternitatem quàm æternare, tantùm me faceret magìs amare parvitatem ipsius æternare; nam sicut magnitudo me facit amare æternitatem infinitam in bonitate, magnitudine, sic me faceret amare finitum & parvum æternare; & in tantùm finitum, quòd non vellem, quòd aliquid esset magìs parvum in bonitate nec in magnitudine &c. quàm æternare: hoc, dixit amor, ego non possem ullo modo, neque tu potestas hoc debes consentire, quia tua definitio destrueretur, si non posses tantum, quòd magnitudo me faceret tam magnum in amare quàm in existere, videlicet in tantùm amare opus æternitatis, quantùm ipsam æternitatem.

3. Sapientia, dixit amor, nonnè scis, qualem quæstionem mihi fecerit magnitudo? quæsivit à me secundùm hoc, quod à me quæsivit de æternitate, an tantùm amem suum agere, quantùm suum existere? hoc non

non est aliud, quàm si à me quæreret, an illam tantùm amem propter suam similitudinem, quam mihi dat, quantùm propter hoc, quod illa est; & sapientia, quomodo potest magnitudo cogitare, quòd ego illam amem per secundam intentionem, & amem illam similitudinem, quam mihi dat, per primam? si enim hoc facerem, meum amare non esset magnum in bonitate, neque esset legale; nec in te (sapientia) tantùm amarem tuum existere, quantùm tuum agere : & sic sequeretur, quòd tuus finis esset ad hoc, ut dares tuam similitudinem, & non ad hoc, ut sis; & tuum intelligere esset per primam intentionem, & tua existentia esset per secundam; hoc idem sequeretur de me & de meo amare: & sic omnia essent perdita, & secunda Regula destrueretur, ita quòd omne, quod de illa dicitur, & de definitione magnitudinis & de me, esset falsum : unde ego respondeo magnitudini, & tibi (sapientia) hoc dico, & omnibus aliis principiis hujus Artis, quòd tantùm amem agere æternitatis, quantùm suum existere, & tantùm suum existere, quantùm suum agere; & similiter facio de te & de bonitate &c., & nullo tempore cogitavi falsitatem neque paravi contra magnitudinem & æternitatem, imò erga illas habui ita legale & sincerum meum amare, sicut erga me ipsam.

4. Magnitudo amoris non posset sufficere æternitati amoris, si æternitas esset magìs amabilis ratione sui existere, quàm sui agere: amor, dixit sapientia, secundùm quòd narratur in prima Conditione Magnitudinis & Æternitatis; *æternitas est tam amabilis per agere, quàm per existere*; si enim hoc non esset, tuum amare non posset sufficere ad amandum æternitatem, sicut meum scire non posset sufficere ad intelligendum æternare sicut æternitatem, quia æternitas esset magìs scibilis quàm suum æternare: unde sicut tu magìs amares æternitatem, quàm suum æternare, sic conveniret, quòd ego magìs intelligerem æternitatem, quàm suum æternare; ex quo sequeretur, quòd illam intelligerem in parte otiosam, & in parte agentem; & hoc esset tam magnum malum & defectus in meo intelligere, quòd non possem sufficere ad intelligendum infinitatem æternitatis, quæ in meo intelligere non esset infinita. Adhuc tibi dico, amor, quòd, si existentia æternitatis esset magìs scibilis, quàm sua agentia, non esset infinita in se nec in bonitate, magnitudine &c., quia suum opus haberet limitationem, & sua otiositas esset privatio bonitatis, & esset malum & parvitas; & sic esset finita in bonitate, magnitudine &c.; & similiter tu & ego & universa, quæ sunt in tuo Amato, & in meo intellecto : quare dico tibi, quòd habeas rationem, quòd de magnitudine conqueraris, quæ tibi fecit talem quæstionem.

Quæstio 3.

Amicus quæsivit ab amore, per quam naturam durare posset sufficere ipsi principiare amare?

1. Solutio. Duratio est proprietas, ratione cujus bonitas, magnitudo & alia principia durant. Amice, dixit amor, secundùm definitionem æternitatis potes intelligere naturam, per quam durare potest sufficere ipsi principiare amare; quia in hoc, quòd æternitas est id, ratione cujus bonitas, magnitudo, potestas &c. durant, durare, quod habent bonitas, magnitudo, potestas, est opus æternitatis, quia sub ratione illius durant, sicut sub ratione bonitatis magnitudo, potestas &c. bonificantur, & sicut sub ratione sapientiæ sciuntur, & sub ratione mei amantur; quia quælibet nostrûm dat alteri suas substantiales similitudines, & ideo durare potest sufficere ipsi principiare amare, existente durare actu æternitatis in bonitate &c.; & etiam, quòd ego amem, quòd meum amare duret in principiare ad hoc, ut ego non cessem ab amare; si enim non durarem in principiare, postquam amavissem aliquid, non amarem illud ampliùs; sed quia meum amare durat in bonitate, magnitudine, æternitate, ego habeo meum amare in principiare, & non possum cessare ab amare, quam cessationem haberē, si meum amare non duraret in principiare: unde ratione hujus, postquā ego amo aliquid, semper illud amo ratione naturæ, quam tibi dixi, & tu Amice coneris amare, ut tuum amare possit durare in principiare.

2. Durabilis amor est ille, in quo duratio facit durare bonitatem, magnitudinem, potestatem &c. In hac definitione durabilis amoris, potes tu Amice, dixit amor, cognoscere, quòd durare possit sufficere ipsi principiare amare; quia postquam duratio in amore facit durare bonitatem, magnitudinem, potestatem &c., facit durare in amare ipsum bonificare, magnificare, possi-

possificare &c., & per consequens bonitatem, magnitudinem, potestatem: unde hoc opus intra amorem non posset durare sinè principiare amare, quod amare sit durans in principiare; & hoc est ideo, quia Amatus est amabilis, & Amicus est amativus; & sic de ambobus convenit procedere amare in instanti & continuò sinè ulla successione; & quia amare est actus simpliciter, quem convenit esse influentiam amativi & amabilis, convenit, quòd in illo sit principiare & durare, ut possit existere id, quod est, sinè alteratione & augmento & diminutione; & hoc opus complent bonificare, magnificare, possificare, & similiter facit principiare; nam sic principium dat illi suam similitudinem, sicut dant bonitas, magnitudo, potestas &c. Multùm placuerunt Amico verba amoris, & dixit, quòd cum illis verbis posset ligare suam voluntatem ad amandum bonum, & intellectum ad intelligendum verum.

3. Amice, dixit amor, in tertio paragrapho æternitatis, in quo est universale compositum ex duabus Definitionibus & ex tertia Regula, significatur, quòd durare sufficit ipsi principiare amare in supremo Amato, in quo æternitas, magnitudo, bonitas & potestas &c. sunt una essentia & natura substantialiter sinè ullo accidente: unde definito DEO per talem proprietatem, quòd in illo bonitas sit magnitudo &c., & è converso, & quòd sint una eadem æternitas, & una eadem essentia Amici & Amati, sequitur, quòd durare potest sufficere ipsi principiare amare; durare, principiare, amare &c. existentibus unum idem in numero; sed in nullo alio ente, in quo non sint unum & idem in numero, potest durare sufficere ipsi principiare unum & idem amare in numero, quod sit æternum & infinitum; sed secundùm quòd sub uno genere sunt multæ species, & sub speciebus multa individua, benè potest sufficere alicui universali durare ad principiandum multa particularia amare, veruntamen in tempore & in quantitate, ita quòd, postquam amare est principiatum, non potest in illo eodem numero principiare, quia est principiatum in tempore & successione & quantitate, & sic de aliis accidentibus, quæ sunt accidentales similitudines influxæ à substantialibus principiis, secundùm quòd dictum est in *quarta* parte Amantiæ.

4. Amor fecit Amicum recolere hanc secundam Conditionem Æternitatis & Principii: *si in duratione non esset durare, durativum & durabile, durare non posset sufficere ipsi principiare in fine ipsius amare.* Amicus consideravit conditionem, & objectavit suam significationem intelligendo & amando, & dixit amori hæc verba: quia durativum & durabile sunt de eadem essentia durationis, durantis, durativi & durabilis, perseverat durare: unde si in hoc durare sustentantur principiare & amare, durante principiare & amare & durare, quæ sunt æternare, magnificare, bonificare & possificare, convenit, quòd possit sufficere ipsi principiare amare, & fini amandi; nam quia durare est ipsummet substantialiter, & est bonificare bonitatis, & magnificare magnitudinis, & possificare potestatis, est amare tuî, o amor, & est finis tui amare; & sic postquam est, non potest deficere huic, quod est: unde suâ propriâ ratione sufficit durare ipsi principiare amare & fini amandi, & per hoc, quod recipit à bonitate, sufficit ipsi bonificare, & quod recipit à magnitudine, ipsi magnificare, & per id, quod recipit à principio, sufficit ipsi principiare, & in hoc, quod recipit à te, amor, sufficit ipsi amare. Multùm lætabatur amor, quando audivit dici ab Amico tam subtilia verba, & desiderabat, quòd suus Amatus haberet multos tales Amatores.

Quæstio 4.

A Mate dixit Amicus, potestne tantùm tuus amor de amare, quantùm tua potestas de posse?

1. Solutio. Potestas est id, per quod bonitas, magnitudo, duratio &c. possunt existere & agere. Amice, dixit Amatus, in homine potestas potest magis de amare quàm amor, quia potestas est ratio, per quam amor potest existere & agere, sicut amor, qui est id, per quod potestas habet similitudinem amandi; quia unum principium dat alteri suam similitudinem, secundùm quòd jam dictum est in *tertia Distinctione*, & quia potestas dat suam similitudinem amori, potest amor sub ratione potestatis habere amare, quod amare habet simpliciter per se ipsum; sed sub ratione potestatis potest habere & habet posse generandi amare, sed potestas non habet posse de amore, imò potiùs de se ipsa, nisi quòd amor est potestati subjectum, quòd possit in amore & in amare; ideo respondeo ad tuam quæstionem & dico, quòd potestas habet majorem potestatem de posse, quàm amor de amare. Ista potestas, quæ potest de potestate, est substantialis potestas, quæ est pars substantiæ, quæ potest de sua accidentali potestate proportionatâ cum illis partibus, & secundùm quòd partes sunt proportionatæ ad recipiendum similitudinem à potestate; & ex hoc sequitur secundùm naturalem cursum potentia, habitus & actus; nam secundùm quòd partes sunt dispositæ ad recipiendum similitudinem à potestate, est in illis partibus similitudo potestatis in potentia; & in substantiali potestate, quæ transmittit suam similitudinem ad illas partes, est sua accidentalis potestas habitualiter, & de habitu & potentia procedit actus in agere & existere, sicut amor habet in actu amare: unde hoc opus, Amice, dixit Amatus, est, sicut tibi dixi, in te & in me, qui sumus homines, & etiam in Angelis; sed in DEO fit alio modo, quia in DEO non est ullum accidens, & in DEO potestas & amor sunt una Essentia, una eadem Natura, & unus numerus potestatis, amoris, bonitatis, magnitudinis &c.; & ideo sua potestas potest tantùm de posse, quantùm suus amor de amare; nam potestati est ita proprium amare, sicut amori, & amori possificare, sicut potestati; quia essentia & natura cujuslibet est una in numero: unde sequitur, quòd in DEO non sit quantitas, nec tempus, nec locus, nec ullum aliud accidens, & omne, quod est in DEO, est actu; & ideo secundùm DEUM respondeo ad tuam quæstionem, & dico, quòd secundùm illum tantùm potest potestas de posse, quantùm amor de amare: hæc potestas, quæ in DEO potest de potestate, est potestas, quam DEUS habet in sua substantia, quæ dat amori & suo amare ita suam similitudinem, quòd illum faciat secum esse unam potestatem, unam essentiam, unam naturam, unum DEUM, unam Deitatem; hoc idem dat bonitati, magnitudini &c., quâlibet dignitate dante alteri suam propriam rationem, quæ illam faciat existere unam secum ipsâ in numero: hoc opus tam altum & tam mirabile non potest esse nisi in DEO tantùm, & per tale opus est DEUS definitus super suum effectum.

2. Potens amor est ille, per quem bonitas, magnitudo, duratio &c. possunt existere in amare. Amice, dixit Amatus, postquam te intromittis in amare, debes scire naturam amoris, & potestatis amoris, & bonitatis amoris, & sic de aliis principiis hujus Artis, quia per tale scire poteris ligare tuam voluntatem ad amandum bonum: Amice, potens amor, qui facit existere bonitatem, magnitudinem in suo amare, cum potestate, quam capit de substantiali potestate (adjuvante tamen DEO) potest de bonitate, magnitudine, duratione, & facit illas existere in suo amare, in quantum concipit bonum magnum durabile amare, in quo amare conjunguntur omnes accidentales potestates influxæ à substantiali; quæ sunt potestas bonitatis, potestas magnitudinis, potestas durationis & potestas amoris &c.; & quia omnes insimul sunt sub una specie potestatis, concordant in esse unum amare, in quo est una potestas sub ratione amoris, & alia sub ratione bonitatis &c.: & ideo amor est potens, in quantum facit stare in suo amare bonitatem, magnitudinem &c.: iste amor non est tam potens de potestate bonitatis, nec de potestate magnitudinis &c., quàm est substantialis potestas, quæ dat omnes illas potestates, quia illa est fons & essentia, ex qua procedunt omnes illæ similitudines diffusæ in amare. Multùm placuerunt Amico verba sui Amati, & quò magis illa sentiebat, eò magis sentiebat capi & ligari suam voluntatem ad amandum, & rogavit suum Amatum, ut ipsi diceret plura verba de amore & de potestate, quia in illis inveniebat magnum placitum.

3. Amice, dixit Amatus, in *quarta Regula* dabatur doctrina de generatione, & in *tertio paragrapho* de potestate jam est dictum, quomodo duæ definitiones de potestate sint applicandæ ad Regulam: unde secundùm talem processum poteris intelligere quæstionem à te factam; amor enim potest generare suum amare sub ratione potestatis, & sub ratione sui ipsius & omnium aliorum principiorum; sub ratione potestatis, in quantum amor potest existere & agere sub ratione potestatis; sub ratione bonitatis potest generare suum amare, quia potestatem, quam bonitas habet in bonificare, amor potest habere erga suum opus, amando illam potestatem, & concordando illam cum suamet tali modo, quòd bonum remaneat id, quod est; & sic de omnibus aliis principiis, veluti de potestate principii, quam amor potest habere in prin-

in principiare amare, quod amare amor non posset principiare sinè potestate principii, sicut sinè potestate bonitatis amor non posset facere bonum amare, nec sinè potestate magnitudinis magnum amare; & quia principium dat amori potestatem principiandi, potest amor assumere illam potestatem à principio, & potest principiare amare, & inde principiatur & venit libertas amandi & principiandi amare & & bonum amare &c., in quantum amor potest sumere potestatem ab omnibus principiis, & quodlibet applicare ad suum amare, & ideo suum amare potest existere, & amor potest agere, & amor est potens, quòd in suo amare sint bonitas, magnitudo &c.: & hoc non posset facere sinè generare amare, quam generationem amor facit de sua similitudine & de similitudinibus aliorum principiorum, quæ amor ponit in sua similitudine, & amor potest facere talem generationem sub ratione potestatis, & potest illam principiare sub ratione principii, & potest illam applicare ad finem sub ratione finîs, & in suo amare potest concordare omnes similitudines sub ratione concordantiæ, & illæ similitudines remanent id, quod sunt, & sunt distinctæ sub ratione differentiæ, & amare est unum sub ratione medii; & sic de aliis: & ideo ponit amare in alio numero distinctum ab amore & ab aliis principiis substantiæ: veruntamen ad totum hoc opus generandi amare simpliciter potest magis potestas quàm amor, secundùm quòd diximus; si enim hoc non posset, destrueretur Regula, & similiter destruerentur duæ Definitiones; quæ destructio est impossibilis.

4. *Amicus non posset quiescere in gloria sui Amati, si potestas in illa non posset tantum de posse, quantum voluntas de velle.* Amate, dixit Amicus, in tertia Conditione Potestatis & Voluntatis, quam diximus, significatur, quòd potestas tantúm possit de posse, quantúm voluntas de velle: Amice, dixit Amatus, veritas est secundùm DEUM tantùm, secundùm quòd diximus, quòd tantum potest potestas de posse, quantum voluntas de velle; & hoc est propter identitatem numeri, qui est in potestate & in voluntate DEI; quia Amicus non posset quiescere in gloria sui Amati, si potestas sui Amici non haberet ita propriè possificare, sicut sua voluntas velle; & sua sapientia intelligere, & sua gloria gloriari, & sic de cæteris: quia potestas esset defectiva in operando, si non haberet ita proprium possificare, sicut voluntas velle: propter quem defectum esset potestas otiosa & passiva, & voluntas & sapientia sumerent ab illa similitudines, in quantum voluntas posset velle, & sapientia intelligere, & æternitas durare &c.; & sic essent formæ, & potestas esset materia, & essent potentes per accidens: & quia in DEO non est accidens nec materia, nec una dignitas est nobilior aliâ, ideo de necessitate potest potestas tantum de posse, quantum voluntas de velle; hæc potestas potest de se dare potestatem voluntati, quòd habeat potestatem volendi, & sapientiæ intelligendi, sinè cujus dono voluntas non posset velle, nec sapientia intelligere; & sic de cæteris.

Quæstio 5.

Sapientia & voluntas quærebant à potestate Amati, sapientia quærebat ab ea, quare esset scibilis in suo scire? & voluntas quærebat ab ea, quare esset amabilis in suo amare?

1. Solutio. Sapientia est proprietas, ratione cujus sapiens intelligit. Sapientia est principium universale in intellectivo & intelligibili, intellecto & intelligere. Sapientia, dixit potestas, quomodo & unde sequitur, quòd & per quam naturam sis extensa in intellectivo intelligibili, intellecto & intelligere? & quòd ego non sim in te intelligibilis, & tu sub mea ratione es potens esse hoc, quod es, & intelligere; quia sinè me non posses esse nec intelligere, vel mea definitio esset falsa; & etiam secundùm tuam quæstionem videtur, quòd non habeas gratitudinem de beneficio, quod à me accepisti: Sapientia excusavit se apud potestatem & dixit: quòd ipsi non fecerit illam quæstionem ex malâ intentione, sed ad excitandum ipsam ad faciendum omne illud bonum, quod sapientia scit, quòd potestas possit facere; nam quia sapientia scit, quòd potestas possit facere multum boni, sequitur, quòd illa scibilitas non sit frustra, imò conveniat, quòd significet aliquid, quod sit ratio, quòd aliquid sit in opere; quia, sicut illa scibilitas stat in magnitudine bonitatis & durationis &c. in me, sic convenit, quòd in te potestas, dixit sapientia, stet similiter possibilitas faciendi bonum in magnitudine tui ipsius & meî & cæterarum: unde ut tu illud tam magnum & tam nobile bonum adducas in actum, ideo

ideo feci tibi hanc quæstionem; quia esset magnus defectus tuî & aliorum principiorũ, si illud bonum esset in potentia & in habitu, & non veniret in actum; quia majus esset illud bonum, quod esset in potentia & in habitu, quàm illud, quod est in actu, si tu non adduceres in actum omne illud bonum, quod in me est scibile secundùm magnitudinem durationis & aliarum.

2. Sapiens amor est ille, in quo Amans scit bonitatem, màgnitudinem & durationem &c. sui Amati. Potestas, dixit amor, quomodo potuisti reprehendere meam sororem sapientiam de quæstione, quam tibi fecit, & quomodo tu putas, quòd tu sis in me amabilis, & in sapientia scibilis, existente in me tuâ amabilitate, & in mea sorore tuâ scibilitate cum magnitudine durationis, virtutis, veritatis &c., & quòd in te sit otiositas & parvitas operandi, & possibilitas magni operis: potestas, dixit amor, hoc non possemus sufferre, nec tu debes in hoc consentire, quia valde magnum malum de te posset inde sequi; & tu potestas, sicut es magna in scibilitate & amabilitate, fac, quòd sis magna scita & amata, & operare illud bonum, quod potes, & ad quod bonum tibi consentit bonitas, magnitudo, duratio, ego ipse, sapientia & virtus, veritas & gloria, differentia, concordantia, principium, medium, finis, majoritas, æqualitas, quia nos omnes insimul in illud consentimus, & rogamus te, & etiam ut supradicta definitio non sit contra te; quia si non facis illud bonum, quod potes, & quod teneris facere, sapiens amor non sciret te amabilem & amatam: unde omnia ista verba & multa alia dixit amor ad potestatem tali modo, quòd potestas remansit verecunda de reprehensione, quam fecerat.

3. Sapientia non potuit abstinere, quin ad amorem diceret hæc verba de potestate: in *tertio* paragrapho de mea definitione narratur, quomodo de rebus realibus & per se stantibus sumimus tu & ego similitudines ad concipiendum unum sapientem amorosum conceptum, tu amor amando, & ego intelligendo aliquod objectum intellectum & amatum; quem conceptum convenit fieri cum similitudine bonitatis, magnitudinis, durationis, potestatis &c.: unde si potestas nostra soror, quæ est ens reale, non facit illud bonum, quod potest facere realiter & actualiter, & putat mihi satisfacere, in quantum possum scire id, quod potest facere, quomodo satisfaciet tibi, qui vis, quòd hoc faciat? si non facit, non remunerat nec te, qui tantúm illam amas, nec me, quæ tantúm illam scio; & quomodo potest potestas cogitare, quòd ego illam tantúm possim scire phantasticè, quantúm realiter, & tu amor illam amare? Desolata & irata fuit sapientia contra potestatem, sed amor illam pacificavit & consolatus est, & posuit illam in spem de potestate, quòd illa esset factura omne illud bonum, quod posset secundùm bonitatem, magnitudinem, durationem &c.

4. *Quia sapientia & voluntas ratione potestatis possunt existere & agere, est potestas scibilis & amabilis in existere & agere, & in scire & amare.* In hac prima conditione Potestatis & Sapientiæ diu studuit potestas, & consideravit, quòd conveniat, quòd Amicus tantúm sciat & amet Amatum & suum opus, quantúm Amatus est scibilis & amabilis in existere & agere; quia si hoc non faceret, esset defectiva scibilitas & amabilitas Amati: unde ratione hujus dixit potestas ad sapientiam & amorem hæc verba: benè cognosco, quòd ego sum scibilis & amabilis, in quantum sum id, quod sum, & in quantum facio id, quod facio, vel id, quod desidero facere, vel id, quod feci, vel factura sum, in quantum tu sapientia habes naturam sciendi, & tu voluntas amandi id, quod estis in existere & agere; & totum hoc mihi significatur per conditionem, in qua diu studui; sed multùm considero hoc, & magna admiratio tenet me, quòd ego possim tantum boni adducere in actum, quantum tu sapientia potes scire, & quantum tu voluntas potes amare: veruntamen postquam tu sapientia illud scis, & tu voluntas illud amas, convenit, quòd hoc faciam; si enim hoc non facerem, facerem injuriam cuilibet vestrûm, & meæ propriæ scibilitati & meæ amabilitati; & similiter facerem injuriam bonitati, magnitudini &c. Hoc bonum tam magnum & tam altum convenit, quòd faciam magnum in unitate bonitatis, magnitudinis &c., ut Amatus tantúm sciatur & ametur, quantúm est scibilis & amabilis, & ut habeat Amicum, qui tantúm sciat, quantúm Amatus est scibilis, & qui tantúm amet, quantúm Amatus est amabilis, ut non perdatur magnitudo scibilitatis & amabilitatis, & honorificentia

Amici & Amati: unde ſentio benè in me, dixit poteſtas, proprietatem & naturam talis operis, quantum ad me attinet; ſed convenit, quòd me adjuvent bonitas, magnitudo, duratio, & tu ſapientia & amor &c., quia opus eſt tam magnum, quòd ſinè vobis per me ipſam illud non poſſem adducere ad complementum. Multùm placuit ſapientiæ & amori, quod dixit poteſtas, & dixerunt, quòd omnes inſimul & quælibet per ſe illam adjuvarent de hoc, quod erant, in exiſtere & agere, & quantò nobilius & altius eſt opus, tantò meliùs erat aptum & proportionatum illis, quàm aliud opus, quod non eſſet tam altum & tam nobile; & hoc potes tu ſcire, ſi conſideras magnitudinem bonitatis &c., & bonitatem magnitudinis &c., & ſic de quâlibet noſtrûm.

Quæſtio 6.

QUæſtverunt ab Amico, utrùm amaret opus ſui Amati in tantâ magnitudine, in quantâ illud poſſet ſcire & amare?

1. Solutio. Voluntas eſt proprietas, ratione cujus bonitas, magnitudo & duratio &c. ſunt deſiderabiles. Amicus rogavit magnitudinem, poteſtatem, voluntatem & ſapientiam, ut pro ipſo reſponderent falſis amatoribus, qui faciunt ſtultas quæſtiones; & primò locuta eſt magnitudo, & dixit ad falſos amatores hæc verba: malè accepit Amicus, quòd vos feceritis talem quæſtionem, quia ipſi videtur ſecundùm definitionem voluntatis, quòd tantúm me debeat amare in opere ſui Amati & opus in me, quantúm amat poteſtatem; & quia per me habet tantam influentiam ad amandum, quantam habet per poteſtatem, & etiam per opus ſui Amati, quod eſt æqualiter magnum & potens & deſiderabile in me & in poteſtate & in ſapientia & in omnibus aliis: unde ſi Amicus non tantúm amaret opus ſui Amati in me, quæ ſum magnitudo, quantúm illud poteſt ſcire & amare in me, ſequeretur, quòd ſuus amor eſſet defectivus in amare in hoc, quòd non amaret tantúm, quantúm poſſet amare, & ſuus amor eſſet otioſus in amare, & ſimiliter ſapientia eſſet otioſa in ſcire; ideo reſpondeo vobis pro Amico & dico, quòd ipſe amet opus ſui Amati in tanta magnitudine, in quanta illud poteſt ſcire & amare, quia aliàs ſequerentur ſupradicta inconvenientia, & etiam quia ego facerem contra me & contra ipſius Amatum, & contra ipſum Amicum, ſi non magnificarem tantúm ſuum amorem in amare, quantúm illum poſſificat poteſtas, & quantúm illum clarificat ſapientia: & cùm omnia ſint in me deſiderabilia ad amandum magnum opus Amati, qui deſiderat tantum bonum in me & in omnibus aliis.

2. Deſideroſus amor eſt ille, in quo bonitas, magnitudo &c. ſunt amabiles. Poteſtas diu conſideravit & deſideravit, quomodo ad quæſtionem poſſet reſpondere ſecundùm Philoſophiam, explanando definitionem amoris deſideroſi, & dixit hæc verba: non malè accipiat Amicus, quia ſecundùm curſum naturæ non poteſt tantúm amare in actu opus ſui Amati in magnitudine, quantúm illud poteſt ſcire & amare ſecundùm potentiam & habitum amoris; quia Amicus non poteſt amare, niſi tantúm, quantúm per me habet poteſtatem ad amandum, & ego ſum major in poſſe & amare, quàm in amare tantùm, quia magìs influo meam ſimilitudinem in duo quàm in unum; & ideo ſequitur, quòd homo poſſit amare id, quod non intelligit, & poſſit ſcire id, quod non amat ſcire, ſecundùm quòd ego magìs vel minùs influo meam ſimilitudinem in unam potentiam quàm in aliam: unde per hoc ſequitur habitus ſcientiæ & charitatis, & plus remanet in habitu & in potentia de ſcire & amare, quàm ſit ſcire & amare, quod eſt in actu; hoc tamen eſt in hac præſenti vita, ſed in alia vita ſequitur ratione virtutis Amati & ſuæ præſentiæ & clarificationis, quòd Amicus tantúm poſſit amare actu opus ſui Amati in magnitudine, quantúm illud in ea poteſt ſcire & amare, quia alia vita tota ſtat in actu; & quantúm in hac vita Amicus amabit opus ſui Amati in magnitudine, dùmmodò illud amet cum bonitate, duratione & mecum & cum aliis dignitatibus, tantúm amabit actu in alia vita, quantúm in iſta poteſt ſcire & amare, & adhuc ampliùs, ſecundùm quòd ſuus Amatus illi voluerit facere gratiam: unde omnia iſta verba dixit poteſtas ſecundùm definitionem amoris deſideroſi; quia deſideroſus amor deſiderat bonitatem, magnitudinem, durationem &c. in hac præſenti vita, ut homo poſſit lucrari gloriam in alia, quam ſucceſſivè lucratur in hac vita; quæ ſucceſſio non poſſet eſſe ſinè potentiâ, habitu & actu, ſecundùm

eundùm quòd ſignificatur in verbis, quæ diximus.

3. Sapientia reſpondit ex alia parte, & dixit: quòd Amicus non poſſet ſecundùm vires ſui ipſius tantúm ſcire opus ſui Amati in magnitudine, quantum eſt opus Amati, imò conveniat, quòd ſecundùm *ſextam Regulam* de Punctis tranſcendentibus Amicus aſcendat intelligere magnitudinem ſui Amati ſuper omne id, quod illi dat ſua poteſtas, & quod ego illi do ad intelligendum, & quòd in virtute Amati Amicus elevet ſuum intelligere ſupra ſuas vires; & hoc idem convenit, quòd faciat Amicus ſecundùm naturam amandi, hoc eſt, quòd amet magnum opus ſui Amati ſupra ſuas vires; & talis amor eſt deſideroſus in magnitudine bonitatis & æternitatis &c.; & ideo ego ſapientia dico, ût mihi videtur, quòd Amicus amet opus ſui Amati tantúm, quantúm illud poteſt intelligere & amare in bonitate, magnitudine, æternitate, poteſtate &c., & adhuc plùs; hoc eſt, ſupra ſuas vires: & ſi hoc non faceret, faceret contra id, quod poteſt de bonitate, magnitudine &c., & contra influentiam, quam illi transmittit ſuus Amatus.

4. *Amatus amat ſuum opus in tam magna magnitudine, quàm ſapientia illud ſcit, ideo Amicus amat opus ſui Amati in tam magna magnitudine, quàm illud poteſt ſcire & amare.* Amor, dixit Amicus, & tu quid dicis? Amice, dixit amor, ſecundùm primam conditionem Magnitudinis & Sapientiæ reſpondeo ad quæſtionem, cujus ſolutio ſignificatur in conditione hoc modo: manifeſtum eſt: quòd Amatus amet magnitudinem in ſuo opere, quia ſi illam non amaret, nec ipſe nec ſuum opus eſſent amabilia; cùm magnitudo operis boni durabilis potentis &c. ſit amabilis: igitur Amatus amat magnitudinem in ſuo opere, & ſecundùm quòd illud amat magnum, convenit, quòd illud ſciat magnum; quia ſi illud non ſciret magnum, non poſſet illud amare magnum: unde ſi in ſupremo Amato ſapientia & amor ſunt una & eadem eſſentia, ergò Amatus ſcit ſuum opus magnum, quia illud amat magnum, & amat illud magnum, quia illud ſcit magnum: unde ſecundùm quòd Amatus habet naturam ſciendi & amandi magnitudinem in ſuo opere, convenit, quòd habeat Amicum, qui habeat talem naturam, qualem habet Amatus, ita quòd opus ſui Amati amet ſub ratione magnitudinis, & hoc in tantum, in quantum opus poteſt eſſe magnum ſub ratione bonitatis, æternitatis, poteſtatis &c.; & ſi Amatus non haberet talem Amicum tam magnum, deficeret ei Amicus in magnitudine bonitatis &c.; qui defectus eſſet malus & parvus &c.: & Amatus non ſciret neque amaret in ſuo opere magnitudinem bonitatis, durationis &c., quia ipſi deficeret bonitas Amici, & magnitudo Amici &c.: unde cùm hoc ſit impoſſibile, convenit, quòd tu Amice tantúm ames opus tui Amati in magnitudine, quantúm illud potes ſcire & amare, ita quòd totum illud ames & ſcias, & quòd illud totum poſſis amare & ſcire, & hoc quia es Amicus magnus; veruntamen in aliis amicis, qui ſunt parvi ſecundùm reſpectum tuî, non ſequitur, quòd tantúm poſſint amare & ſcire opus Amati, quantúm ipſemet, quia convenit, quòd inde habeat aliquod avantagium ſuper illos; ſed convenit, quòd quidam ſpecialis Amicus, veluti tu, tantúm ſciat & tantúm amet in ſuo opere, quantum eſt ſuum opus, ut ille non ſit invidus, & ut in ſuo opere tantúm amet amare & intelligere, quantúm magnitudinem ſui operis; quod amare & intelligere non amaret tantúm in ſuo opere, quantúm amaret magnitudinem, ſi à nullo ſuorum Amicorum intelligeretur & amaretur.

Quæſtio 7.

QUæſtverunt ab Amico, utrùm Amatus illi dediſſet completè ſuas ſimilitudines?

1. Solutio. Virtus eſt origo unitatis bonitatis, magnitudinis, durationis & aliorum principiorum in uno, bono, magno, &c. Virtus amica, dixit amor, reſponde tu pro Amico ad hanc quæſtionem: Amor, dixit virtus, ſecundùm quòd eſt mea definitio, volo reſpondere ad quæſtionem per hæc verba: ignis dat aëri ſuam ſimilitudinem, in quantum illi dat ſuum calorem, & retinet ſibi illum calorem, quem dat aëri, ita quòd unus ſit amborum calor; ſed unus eſt calor ſecundùm ignem, & alius eſt ſecundùm aërem; quia ſecundùm ignem eſt eſſentialis, & ſecundum aërem eſt accidentalis; & cùm ignis & aër habeant tantùm unum calorem, participant ambo in illo calore; & ſic de aliis elementis, quæ inſimul participant in ſuppoſito elementato compoſito ex omnibus aliis elementis, procedente & oriente me virtute à ſimilitudi-

nibus, quas unum elementum dat alteri accidentaliter, & retinente quolibet elemento ſuam propriam ſimilitudinem & ſimilitudinem alterius; quare ego virtus habeo originem ab illorum bonitate, magnitudine &c., ita quòd procedam à quolibet principiorum ſubſtantialiter & accidentaliter; ſecundùm quòd in mea definitione ſignificatur: *ſubſtantialiter*, in quantúm ſum ſubſtantialis pars ſubſtantiæ, & tranſeo per bonitatem, magnitudinem &c., quæ ſunt ſubſtantiales partes; & quando per illas tranſeo, dant mihi completè ſuas ſimilitudines, & ego do illis meas; & ſic orior ab illis illa eadem eſſentia, quæ ſum; & procedo cum illis partibus in unam ſubſtantiam, quæ eſt compoſita ex omnibus ſubſtantialibus partibus, quæ ſunt unitæ in componendo ſubſtantiam, & ſubjectatæ accidentalibus partibus: unde convenit, quòd omnia iſta ſint in generatione & individuatione ſubſtantiæ completè & perfectè; nam aliter non poſſet eſſe generatio neque individuatio ſubſtantiæ, neque una pars poſſet eſſe in alia, neque unum elementum poſſet participare cum alio: unde cùm hoc ita ſit, quia Amatus & Amicus ſunt, convenit, quòd ambo participent in una bonitate, magnitudine &c.; quia ſi in illa non participarent, non poſſent habere illam tam magnam bonitatem, magnitudinem amoris, quas illos convenit habere, & unum elementum fortiùs & magis conjunctè participaret cum alio in ſubſtantia elementatorum quàm Amicus & Amatus: ergò de neceſſitate convenit, quòd Amatus completè dederit ſuas ſimilitudines Amico, ſecundùm quòd convenit illas dare, & Amico accipere, & quòd ego poſſim naſci & procedere in unitatem tui Amati ô amor, qui non poſſes habere complementum amandi, ſi Amatus imperfectè daret Amico ſuas ſimilitudines.

2. Virtuoſus amor eſt ille, ex quo procedit virtuoſum amare. Et quomodo amor, dixit virtus, poſſes eſſe virtuoſus amor, & procedere de te virtuoſum amare completè, ſi Amatus non daret ſuam bonitatem, magnitudinem &c. ſuo Amico completè? quia ſinè complemento dantis & recipientis non poſſet procedere completum amare, nam amativus & amabilis haberent defectum; & ſic conveniret, quòd amare haberet defectum, propter quem ego virtus non poſſem completè procedere in amare ſinè completo dono ſimilitudinum & ſinè completa receptione illarum; & quia Amatus eſt completè amabilis, convenit, quòd habeat completum amativum, quem non poſſet completè habere, niſi illi completè daret ſuas ſimilitudines, & Amicus illas completè reciperet, & ambo poſſent participare & eſſe una bonitas, magnitudo &c. & in bono magno virtuoſo amare.

3. Amice, dixit amor, tuus ſupremus Amatus eſt Ens ſubſtantiale ſinè ullo accidente, & tu es Ens unitum ex ſubſtantialibus & accidentalibus partibus, quia es homo, & convenit, quòd ex talibus partibus ſis unitus; ſecundùm quòd *in ſeptima Regula* ſignificatur: unde tu ſcis, an ille tibi completè dederit ſuas ſimilitudines; quia ſi illas tibi completè dediſſet, conveniret de neceſſitate, quòd tu haberes completam bonitatem, magnitudinem, completam perſeverantiam &c. tali modo, quòd nullo tempore tua bonitas & magnitudo &c. feciſſent aliquem defectum erga Amatum, quia ſi feciſſes defectum contra illum, ſequeretur, quòd ille Amatus non dediſſet tibi completè ſuas ſimilitudines, vel quòd tu illas noluiſſes recipere; & ſic eſt defectus ex parte tuî vel ex parte Amati vel ex parte amborum: unde ratione hujus tibi conſulo, quòd recurras ad dictam Regulam, & quòd illam conſideres ſubſtantialiter & accidentaliter, ſicut illa eſt poſita, & poſtea illi applices duas ſupradictas Definitiones, ſecundùm quòd de illis eſt data doctrina *in tertio paragrapho de definitione virtutis*, & ſecundùm quòd in te inveniés, poteris reſpondere ad quæſtionem.

4. *Magnitudo, virtus & gloria Amati transmiſerunt per amorem ſuas ſimilitudines Amico, ut Amicus illas haberet in amare.* Et quomodo amor, dixit Amicus, an neſcis, quòd Amatus mihi completè dederit ſuas ſimilitudines? & jam mihi illas affers, & magnitudo, virtus & gloria mei Amati tibi eas dederunt, ut mihi eas afferres, ſicut in ſecunda conditione Magnitudinis Virtutis narratur: & amor, ſi meus Amatus mihi illas non completè dediſſet, quomodo mitterent illas magnitudo, virtus & gloria? quia imperfectio non convenit cum illis, imò cum illis convenit omnis perfectio; & etiam quia tu es nuntius, qui debes afferre complementum ab Amato, & non defectum; & amor, tu ſcis, quòd de me portaveris ad meum Amatum conſiderationes, ſuſpiria, ploratus, labores, languores, mortem, & quidquid afflictionum & laborum homo poteſt ſuſtinere propter amorem & propter ſuum Amatum, eundo per viam bonitatis, magnitudinis &c.; omne hoc ſuſtinui ad illum amandum, laudandum, honorandum & ipſi ſerviendum, & non recordor, quòd unquam aliquâ die nec mediâ nec unâ horâ nec uno momento contra illum erraverim & fecerim defectum contra illum: & igitur amor, unde veniret hoc, quòd Amatus habuerit talem Amicum, absque eo quòd ipſi completè dediſſet ſuas ſimilitudines, & absque eo quòd Amicus completè illas recepiſſet? hoc eſſet unum de majoribus mirabilibus, quæ unquam fuiſſent, & conqueror de te apud virtutem, quia de me habuiſti ſuſpicionem, nam tu virtus ſcis de omni, & per te mihi evénit omne id, quod recepi à meo Amato. Etiam dico tibi amor, quòd meus Amatus poteſt ſuper te iraſci, quia illum habuiſti in ſuſpicione, quòd mihi non dederit completè ſuas ſimilitudines: amor, & quid eſſet meus Amatus, ſi non daret bonitatem, poſtquam illam poteſt dare? & hoc idem de magnitudine &c.; & quid valerent ſua bonitas, magnitudo &c.? & quid faceret ſua largitas? iratus fuit Amicus, & clamavit: ô amor amor! quare inculpas tuum ſervum?

Quæſtio 8.

AMicus quæſivit à differentia amoris, utrùm in ſuo Amato gloria & veritas poſſent eſſe rationes reales & inconfuſæ, exiſtens una alia in uno eodem numero?

1. Solutio. Veritas eſt id, quod eſt verum de bonitate, magnitudine, durationé &c.: & verificare eſt id, quod eſt verum de bonificare, magnificare, durificare &c. Differentia amoris reſpondit Amico, & dixit hæc verba: ſecundùm quòd narratur in definitione veritatis, convenit reſpondere ad quæſtionem, hoc eſt, quòd definitio & ſolutio quæſtionis concordent; quæ concordantia eſt hoc modo: veritas ponit in vero actum bonitatis, magnitudinis, durationis in eſſentia Amati, ita quòd bonitas ſit bonificans, & magnitudo magnificans &c.; quia tale verum tam bonum & magnum convenit actui veritatis, & convenit actui magnitudinis: hoc opus poteſt fieri ratione poteſtatis, quæ eſt id, per quod bonitas poteſt exiſtere id, quod eſt; & poteſt agere bonum; & hoc idem de magnitudine &c.; & veritas poteſt id ponere in vero, quia eſt magnum bonum, & quia poteſtas eſt id, per quod veritas poteſt exiſtere & agere; & etiam ratione magnitudinis, quæ eſt id, per quod veritas eſt magna in exiſtere & agere, & hoc idem de bonitate, quæ eſt ratio veritati ponendi in vero magnum bonum, bonitate exiſtente ratione bono, quòd faciat magnum bonum & magnum verum &c.: unde ſicut diximus de veritate & de aliis, intelligitur de gloria, quæ ponit in quiete omnes actus dignitatum, in quantum quælibet dignitas dat ſuam ſimilitudinem alteri completè, & quælibet illam recipit ab alia completè, & quælibet retinet in ſe ipſa ſuam ſimilitudinem, quam dat, & ſimilitudines, quas recipit; & convenit, quòd omnia iſta fiant mecum, quæ ſum differentia exiſtens per omnes actus; ita quòd omnibus dignitatibus do meam ſimilitudinem, per quam ſimilitudinem dignitates permanent inconfuſæ, & quælibet apparet id, quod eſt, & ſunt idem actu, ita quòd in opere cujuslibet quælibet ratio appareat realis, & quòd ſuum opus appareat realiter & inconfuſè; nam in qualibet eſt infinita magnitudo, quæ facit, quòd quælibet eſt alia in uno eodem numero, ut nulla noſtrûm ſit terminata nec finita; quia ſi una noſtrûm non eſſet alia in uno eodem numero, & in una eadem eſſentia & natura, Amice in tuo Amato eſſent multæ eſſentiæ & naturæ, ita quòd una non eſſet alia, & ego perderem meam unitatem, ita quòd eſſent multæ differentiæ; & ſimiliter fieret de bonitate, quæ perderet ſuam unitatem, quia eſſent multæ bonitates, quarum una non eſſet alia; & ſic perderetur in tuo Amato bonitas, magnitudo, divinitas, & univerſa, quæ ſunt in tuo Amato, nec haberet in ſe, quòd poſſet remanere id, quod eſt, nec poſſet ab alio habere ſuam ſimilitudinem; & quia omnia iſta ſunt impoſſibilia, & quælibet noſtrûm remanet id, quod eſt, remanemus omnes inſimul una eadem eſſentia & natura & unus Amatus, & quælibet eſt alia, & unus idem numerus, & apparet noſtra inconfuſio & noſtra realitas in opere cujuslibet noſtrûm, quod habemus; & illa apparentia realitatis & inconfuſionis eſt meus actus & meum opus: nam ſicut infinitas facit, quòd una ſit alia, ut non ſimus finitæ, & quòd quælibet ſit infi-

infinita, & ſicut poteſtas hoc poſſificat, & bonitas bonificat, & veritas hoc ponit in vero, & voluntas hoc amat, ſic ego, quæ ſum differentia, in opere demonſtro & declaro quamlibet, demonſtrans, illam eſſe, quod eſt, & id, quod agit; & hoc idem facit ſapientia, & veritas ponit hoc in vero: unde omnia iſta & multa alia, Amice, dixit differentia, potes tu intelligere & amare de tuo Amato, ſi benè ſtudeas noſtras definitiones & proceſſum hujus Artis.

2. Verus amor eſt ille, qui eſt remotus à falſo odibili amore. O amica differentia, dixit Amicus, benedicta ſis tu; ô germana differentia, quàm magnam cognitionem dediſti mihi de meo Amato? ſi tibi placeat, non invideas mihi, & dicas mihi plura verba de meo Amato, quia quò magìs mihi de illo dixeris, eò magìs repræſentas mihi illum, & ligas meam voluntatem ad illum amandum. Amice, dixit differentia amoris, quantò magìs verus amor eſt remotus à falſo odibili amore, tantò magìs amabilis & tantò melior & nobilior eſt amor: unde amor tui Amati eſt veritas tui Amati, & veritas tui Amati eſt amor tui Amati; & ideò quia una eſt alia, eſt amor per ſe ipſum remotus ab odibilitate & à falſo odibili amore ratione veritatis, & hæc remotio eſt major, ſi ſunt rationes reales & inconfuſæ, & ſunt una eadem eſſentia & natura, & unus idem numerus & unus Amatus: unde quâlibet noſtrûm ad hanc remotionem ponente ſe ipſam & opera, quæ habemus una in alia, poteſt eſſe hæc remotio; & ſi in tuo Amato veritas & gloria &c. non eſſent rationes reales & inconfuſæ, non eſſet remotio tam magna, & ſic deficeret magnitudo bonitati &c., & ſimiliter deficeret bonitas magnitudini &c., ex quo ſequeretur malitia & parvitas per omnes; quod eſt impoſſibile: ſed quia veritas & gloria & amor &c. ſunt inconfuſæ & reales rationes, & quælibet eſt alia, eſt illa remotio tam magna, quòd non poſſit eſſe major, & eſt apparens, in quantum veritas verificando eſt remota à falſitate, & amor amando ab odibilitate, & gloria glorificando à pœna &c.

3. Tantùm placuerunt Amico verba, quæ differentia dicebat de ſuo Amato, quòd non potuit abſtinere à plorando, & à dicendo ad ſuum Amatum hæc verba: Amate, quando deſidero conſiderare in te magnum opus, quod mihi differentia amoris per ſuam gratiam demonſtravit, & illud applico ad duas definitiones & octavam Regulam, tunc ſentio me clarificatum de quæſtione, & ſentio me ligari & excitari ad te amandum ſuper omnia; quia quando conſidero & deſidero tuam bonitatem per ſe ipſam, & magnum bonum, quod facit in hoc, quòd dat ſuam ſimilitudinem magnitudini & omnibus aliis, ſic quòd omnia ſint bona ſub ratione bonitatis, & omnia permaneant una eadem bonitas & unum idem bonum, tunc ſum totus excitatus, motus & ligatus ad amandum te ſub ratione bonitatis, & ad amandum omne aliud bonum, quod bonitas bonificat; & ſi poſtea conſidero & deſidero, quòd veritas ponat in vero id, quod conſidero de tua bonitate & de ſuo toto opere, & omne id, quod deſidero, & id, quod eſt remotum à falſo odibili amore, tunc eſt mihi tam aperta & clara natura & proportionata amabilitas tuæ bonitatis, quòd me totum ſentiam captum & conſtrictum ab amore & amare: hoc idem mihi accidit Amate, quando me ſinis conſiderare & deſiderare tuam bonitatem, & poſtea tuam gloriam, & conſidero & deſidero in illa ſecundùm doctrinam, quam mihi dedit differentia; & ſic Amate, quomodo poſſem dicere magnam delectationem & placitum, quod mihi dat amor in conſiderando & deſiderando talia de te: hoc idem mihi accidit, quando incipio contemplari tuam æternitatem, tuam poteſtatem &c.; & ſi totum hoc inſimul in uno tempore poſſem conſiderare & deſiderare, quis poſſet æſtimare multiplicationem mei conſiderare & deſiderare & meæ felicitatis: unde ſi in te Amate, bonitas & magnitudo &c. non eſſent rationes reales & inconfuſæ, & una non eſſet alia, vel ſi una eſſet alia, & eſſent confuſæ, quomodo poſſem te conſiderare & amare? & quid poſſem de te ſcire & deſiderare? & quid mihi valeret, ſi de te conſiderarem & deſiderarem bonitatem, magnitudinem &c., & ſi non eſſet in te id, quod de te conſidero & deſidero? ô Amate, quanta mihi dediſti, quia facis, quòd te amem & intelligam, & per tam magnos labores & pericula convenit me tranſire ad te honorandum, laudandum & tibi ſerviendum.

4. *Si veritas & gloria non eſſent rationes inconfuſæ & reales, veritas non quieſceret in gloria, nec amor in amare.* Amice, dixit amor, ſecundùm hanc primam conditionem Veritatis & Gloriæ, apparet, quænam debeat eſſe concluſio quæſtionis, quam feciſti differentiæ amoris; quia ſi veritas & gloria exiſtentes una alia non eſſent rationes reales & inconfuſæ, per hoc quòd una eſt alia, veritas non poſſet quieſcere in gloria, nec ego in amare; quia eſſet malum veritati eſſe unum cum gloria in numero, poſtquam perderet ſuam realitatem & ſuam inconfuſionem, & poſtquam bonitas & magnitudo non eſſent veræ in exiſtere & agere ſub ratione veritatis; & ſic poſtquam veritati eſſet malum, ſimiliter eſſet malum omnibus aliis; propter quod veritas non poſſet habere quietem in gloria, nec ulla noſtrûm, nec ego poſſem quieſcere in meo amare, ſi amarem, quòd veritas & gloria non eſſent rationes reales & inconfuſæ, quia haberem malum & defectivum amare, & amarem malum & confuſionem, & privationem rationis & realitatis ipſius veritatis & gloriæ & omnium noſtrûm; ideo meum amare eſſet mihi pœna, & meum odire quies; & hoc eſt impoſſibile: ex quo ſequitur, quòd conveniat, quòd oppoſitum hujus impoſſibilitatis ſit neceſſarium.

Quæſtio 9.

Amicus quæſivit ab amore, utrùm in gloria ſui Amati ceſſaret ab amare?

1. Solutio. Gloria eſt delectatio, in qua bonitas, magnitudo, duratio &c. quieſcunt. Amice, dixit amor, gloria eſt ſubſtantiale principium, ſecundùm quòd narratur in ſua definitione, & in illa quieſcunt omnia alia principia; velut in ſubſtantia, in qua quieſcit bonitas bonificando magnitudinem, durationem &c., quia ipſi eſt quies agere bonum & exiſtere id, quod eſt, abſque eo, quòd perdat aliquid de ſuo eſſe, & hoc idem ſequitur de magnitudine, quæ quieſcit in magnificare bonitatem, durationem &c., & in remanere id, quod eſt; & ſic de duratione, poteſtate &c.: unde omnia iſta principia non ceſſant quieſcere, in quantum exiſtunt id, quod ſunt, & agunt intrà ſubſtantiam unum in alio continuè, quia aliter ſubſtantia non poſſet vivere nec eſſe hoc, quod eſt formaliter & materialiter: unde tota quies, quam principia habent, de quibus ſubſtantia eſt compoſita, ſtat ſub ratione gloriæ; velut ignis, qui eſt ratio toti calori ignîs; & hæc gloria eſt ſubſtantialis pars, quæ dat ſub ratione quietis ſuam ſimilitudinem aliis ſubſtantialibus partibus ſubſtantiæ, cum quibus ſimilitudinibus ſtat ſubſtantia in delectatione & quiete: poſt hanc gloriam, quæ eſt intrà ſubſtantiam, eſt alia gloria, quæ venit ab extra per ſenſus corporales, vel per tres potentias animæ: in hac gloria & felicitate ſuppoſitum habet quietem, ſed hæc multoties impeditur, quando exteriora quandoque non ſunt benè apta, quòd applicentur ad interiora; & ſic ceſſat illa felicitas, & multoties inde ſequitur pœna ipſi ſubſtantiæ per colorem vel frigus, per famem vel ſitim, infirmitatem &c., & ipſi animæ ira, ignorantia &c.: ſed Amice, dixit amor, in gloria tui Amati non ceſſabis ab amare, nam ſicut in te tua principia, ex quibus es conjunctus, non ceſſant ab exiſtere & agere, uno dante alteri ſuam ſimilitudinem, ita non ceſſabit tuum amare; quia quies omnium tuarum partium erit in tua naturali gloria & in gloria tui Amati, in quâ tuum amare non ceſſabit à contemplari.

2. Glorioſus amor eſt ille, in quo gloriantur Amans & Amatus. Amice, dixit amor, in gloria tu concipies de tuo Amato glorioſam & amoroſam cogitationem, quæ erit veſtita & ornata ſimilitudinibus & ſecretis, quæ tibi revelabit & dabit tuus Amatus; quæ erunt bonitas, magnitudo &c.; & ideo, Amice, tu non poteris ceſſare ab amare; quia in illa erit magnitudo, quæ tuum amare faciet magnum, & æternitas, quæ illud tibi faciet durare, & bonitas, quæ illud tibi faciet bonum, & ſic de aliis: & ſi tuum amare ceſſaret, deficerent tibi in illâ ſimilitudines tui Amati, & haberes pœnam in defectu illarum, quem haberes, & ſic non eſſes in gloria tui Amati.

3. Multùm placuerunt Amico verba, quæ amor dixerat, & clamavit & dixit: ô amor amor! ô amare amare! quis poſſet te comparare? amoroſe Amice, dixit amor, recurre ad *nonam Regulam*, & applica illi duas definitiones ſecundùm proceſſum Regulæ & ſecundùm definitiones; quia per illam applicationem & recurſum poteris cognoſcere, quòd tuus Amatus nullo modo ſuſtineat, quòd in ſua gloria ullum amare ſit otioſum, quia hoc non poſſet ſuſtinere ſua gloria, nec amor Amati & Amici eſſet ratio gloriandi, poſtquam eſſet otioſus; quia ſinè amare de nullo poſſet illam habere: unde Figuræ, Regulæ, Definitiones, Conditiones & Quæſtiones, & totus modus procedendi Artis tibi dabit cognitionem

nem omnium istorum, quæ tibi dico, si hoc scias inquirere secundùm Artem; sicut si in tua cogitatione facias quoddam universale de bonitate DEI, quæ est universalis, in quantum omnes bonitates veniunt ab illa; & si consideres, quòd illa accipiat similitudinem à sua magnitudine, in quantum est magna per magnitudinem; & sic de æternitate &c., & omnes sunt bonæ per bonitatem, & quælibet est alia per se ipsam & per alias, tunc invenies particulare, quod quæris, hoc est, quæstionem, quam facis, quæ est declarata in universali; nam si tuum amare cessaret, deficeret bonitas tuo amare, quæ non potest deficere, existens hoc, quod est in se ipsa & in magnitudine & in cæteris.

4. *Ut Amicus non cesset amare, sunt amabilia in gloria durativum & durabile, & in duratione glorificativum & glorificabile, & in distinctione distinctivum & distinguibile.* In hac prima Conditione Æternitatis & Gloriæ, Amice, dixit amor, potes cognoscere, quòd in gloria tui Amati non cessabis ab amare, quia postquam in gloria durativum & durabile sunt amabilia, convenit, quòd durare sit amabile; & postea, ut Amicus non cesset ab amare in gloria, & ut durativum & durabile sint amabilia, convenit, quòd tuum amare sit vestitum de durare; & hoc idem de gloriari, quod vestit tuum amare; & sic non poteris cessare ab amare, & ita durabit tuum amare, sicut tuum durare & gloriari: & quia ita est Amice, dixit amor, cogita & labora in hac præsenti vita, quomodo possis multùm amare tuum Amatum; nam quò magìs illum amabis in hac vita, eò magìs amabis eum in alia, & eò magìs amaberis & exaltaberis ab illo ad amandum ipsum: & considera Amice, dixit amor, quàm altum & quàm nobile erit tuum amare, quia erit vestitum de bonitate & bonificare, & magnitudine & magnificare, sola contrarietas non erit ibi, & non erit vestita & ornata omnibus aliis principiis: & quod adhuc plus est, à toto tuo Amato amaberis; veruntamen Amice, ad acquirendum tale amare convenit, quòd multùm ames tuum Amatum in hoc mundo, & quòd facias pro suo amore & pro suo honore multa, quæ illi sunt acceptabilia, & per quæ honoretur, ut ille te ponat in sua gloria, & ut te velit amare.

Quæstio 10.

Amatus quæsivit à suo Amico, an in suo amare haberet potestatem de differentia, & differentiam de potestate?

1. Solutio. Differentia est id, per quod bonitas, magnitudo &c. sunt rationes inconfusæ, & per quod bonificans & bonificabile sunt inconfusa & unum distinctum ab alio. Multùm consideravit Amicus quæstionem, quam illi fecerat suus Amatus, & mirabatur, quare illi fecisset talem quæstionem, & dixit ad suum Amatum hæc verba: Amate, dixit Amicus, tu scis benè, secundùm quòd narratur in definitionibus principiorum Amantiæ, quòd quodlibet principium det alteri suam similitudinem: unde ratione hujus convenit, quòd sit potestas de differentia, & differentia de potestate, dante substantiali potestate suam propriam accidentalem potestatem substantiali differentiæ, & è converso, ut differentia possideat appropriatam potestatem, cum qua possit existere id, quod est, & ut possit differentiare; & hoc idem sequitur de substantiali differentia, quæ appropriat substantiali potestati accidentalem differentiam, ut possit differentiare inter unum & aliud, & ut illa faciat existere & agere inconfusè & distinctè: tu scis etiam Amate, dixit Amicus, quòd magnitudo det suam similitudinem differentiæ & potestati, & ideo est magnitudo de differentia & de potestate; per quam magnitudinem, quam differentia & potestas possident, est magnitudo de potestate, ut sit de differentia, & ut differentia sit de potestate: nam multò nobilius est cuilibet principiorum, quòd quodlibet sit de alio, & quòd remaneat in sua propria essentia & unitate & natura; hoc idem Amate, dixit Amicus, sequitur de bonitate, duratione &c.: unde cùm hoc ita sit, & tu Amate scias, quòd meum amare, cum quo ego te amo, sit valde bonum, magnum, durabile & potens, quod non esset, nisi in se haberet potestatem, quæ esset de differentia, & differentiam, quæ esset de potestate; & multùm sum miratus, quare mihi feceris supradictam quæstionem.

2. Differentia amoris est illa, quæ Amantem & Amatum facit esse distinctos in amare. Amor cognovit, quòd suus Amicus ipsi hoc malè susceperit, quòd suus Amatus illi fecisset hanc quæstionem, & excusavit Amatum apud Amicum, & dixit de Amato hæc verba: Amice, tuus Amatus habet multò altius & nobilius amare quàm tu, quia in tuo amare potestas est per accidens de differentia, & similiter est differentia de potestate, sicut tu ipse dixisti; sed in amare tui Amati est potestas de differentia, & differentia de potestate substantialiter; & hoc est ideo, quia in tuo Amato quodlibet principium est cum alio una eadem essentia & natura in numero, sicut jam est dictum: & quia tu Amice non habes tam nobile nec tam virtuosum amare sicut tuus Amatus, facit tibi tuus Amatus illam quæstionem, ut tu illi respondeas talia verba de tuo amare, quæ sint ad laudem sui amare, dicendo, quòd in tuo amare potestas sit de differentia, & differentia de potestate per accidens, sed quòd in suo amare sint per substantiam.

3. Amice, dixit amor, secundùm quòd continetur in *decima Regula*, & in tertio paragrapho de definitione differentiæ, potes considerare, quomodo de quæstione, quam tibi fecit tuus Amatus, potest procedere alta & nobilis responsio; & quomodo Amice, dixit amor, posset tuum amare attingere altitudinem & nobilitatem tui Amati, nisi contemplareris multa alta & multa excellentia de tuo Amato? & an nescis, quòd in elementatis calor, quem ignis dat aëri, est aëris, postquam ignis dat ipsum calorem aëri, & illum subjicit aëri, ut ille possit inde calefacere se ipsum, aquam & terram: veruntamen ille calor, quem ignis dat aëri, ita retinetur, quòd calor sit ignîs & sit aëris; ignîs est essentialiter, & aëris per accidens, & super illud genus caloris concordant ignis & aër, sicut pater & mater concordant in suo filio, & in illo se amant, quia est de ambobus; & hoc idem sequitur in aliis naturalibus rebus: ideo Amice consideras tuum amare in simili natura, quòd in illo sit potestas de differentia, & differentia de potestate, & quòd quodlibet principium concordet cum alio super hoc, quod quodlibet dat alteri, & quòd quodlibet sibi retineat hoc, quod dat; & sic considerando ascendis ad contemplandum tuum Amatum supra tuum amare, & supra ea, quæ sunt infra amare tui Amati; & consideras & contemplaris, quòd in tuo Amato potestas sit de differentia, & differentia de potestate substantialiter, & applicas ibi alia principia, quæ sunt in illo, hoc est, bonitatem, magnitudinem &c., & consideras, quòd omnes istæ possessiones sint essentiales, & quælibet remaneat id, quod est, & una sit de alia, & quælibet concordet cum alia in hoc, quod est, & in hoc, quod dat, & in hoc, quod recipit: unde si omnia ista consideras & contemplaris secundùm doctrinam hujus Artis, potes benè dicere, quòd habeas altam & excellentem considerationem & contemplationem, ideo tuus Amatus tibi fecit illam quæstionem ad excitandum te, & ad movendum te, ad multùm altè contemplandum ipsum Amatum, & ad exaltandum tuum amare in altè considerare & contemplari illum: & tu Amice, dixit amor, non debes malè suscipere, quidquid tibi dicat tuus Amatus, tantùm debes amare sua verba.

4. *Si potestas non esset de differentia, & differentia de potestate, medium amoris non posset existere inter Amicum & Amatum.* Amor, dixit Amicus, secundùm hanc quartam Conditionem Potestatis & Differentiæ significatur solutio quæstionis, quam mihi fecit meus Amatus; quia nisi potestas esset de differentia in meo amare, & differentia de potestate, meum amare non posset esse inter me & meum Amatum; quia si in meo amare esset potestas, quæ non esset de differentia, & si esset differentia, quæ non esset de potestate, una non posset alteri sufficere, quia principium deficeret in hoc, quòd non posset principiare unum de alio, & similiter deficeret finis in hoc, quòd potestas non moveretur ad differentiare, neque differentia moveretur ad possificare; & hoc idem sequeretur de aliis principiis; & sic amare non posset existere inter Amantem & Amatum: sed quia potestas est de differentia in amare, & differentia de potestate, est magìs in amare quàm esset, si una non esset de alia; & quia illud *magìs* implicat complementum, & ponit id, quod privatio illius *magìs* non posset ponere, ideo amare potest perseverare inter Amicum & Amatum; quapropter ô amor, benè scio, quòd meus Amatus sciat omnia ista in meo amare, quia de illo mihi venit totum, quod habeo de bono & de amare; sed tantùm timeo, ne meus Amatus sit malè contentus de me in aliquo, quòd, cùm mihi facit hanc quæstionem, timeam, ne habeat suspicionem de aliquo, quod ego fecerim vel dixerim

contra ſuum honorem & contra ſuum valorem & honorificentiam & amorem, & magìs amarem eſſe mortuus, quàm ſi ille de me haberet hanc ſuſpicionem.

Quæſtio 11.

AMice, dixit Amatus, habesne tam magnam poteſtatem amandi per amare in me unire, quàm per amare unitatem?

1. Solutio. Concordantia eſt id, ratione cujus bonitas, magnitudo &c. concordant in uno & in multis. Antequam Amicus reſponderet ad quæſtionem, quam illi faciebat ſuus Amatus, conſiderabat naturam & definitiones principiorum, quæ continentur in quæſtione, & maximè definitionem concordantiæ; & ſecundùm quòd poteſt attingere naturam & definitiones principiorum, reſpondet Amato his verbis: Amate, dixit Amicus, concordantia amoris applicata ad magnitudinem amoris & ad poteſtatem amoris ponit me in via, ut reſpondeam ad quæſtionem, hoc eſt, quòd, in hoc, quòd concordantia ſit ſubſtantiale principium, ratione cujus bonitas, magnitudo &c. concordant in una ſubſtantia conſtituta ex illis principiis, unientibus de ſe ipſis ſubſtantiam ſub naturali agente, quod generat illam ſubſtantiam, convenit tantúm amare in illa ſubſtantia actum uniendi, quantúm unitatem ſubſtantiæ, cùm ſubſtantia non poſſit eſſe ſinè ſubſtantiali unire, quod fit in ſubſtantia, nec ſinè unitate ipſius ſubſtantiæ: unde quando ego te Amate conſidero, quòd tu ſis una ſubſtantia & unum unire de bonitate, magnitudine &c., convenit ſecundùm naturalem rationem, quòd ego in me ſentiam tam magnam poteſtatem te amandi per amare in te unire, quàm per amare in te unitatem, ut magnitudo & poteſtas ſatisfaciant magnitudini amandi, & ut tuum unire non ſit minùs amabile quàm tua unitas, per quod unire tu es una unitas & una ſubſtantia, quæ convertitur cum omnibus tuis principiis.

2. Concordantia amoris eſt illa, per quam Amans & Amatus concordant in amare. Amate, dixit Amicus, de te & de me procedit amare, cùm tu ſis amabilis, & ego ſim amans; in quo amare eſt concordantia bonitatis, magnitudinis &c. ipſius amare: in hoc amare Amate ſunt tuæ ſimilitudines & meæ, in quibus habemus concordantiam in amare, ego tecum, & tu mecum ſecundùm illas ſimilitudines, hoc eſt, bonitatem, magnitudinem &c.: unde ſi ego non amarem tantúm in te unire, quantúm unitatem, non amarem te ſecundùm tuas ſimilitudines nec ſecundùm meas; quia in te tua bonitas unit de ſe ipſa unam bonitatem in magnitudine & in duratione & in poteſtate & in reliquis, ita quòd una ſit bonitas magnitudinis, & bonitas poteſtatis, & bonitas durationis; & ſubſtantialis bonitas, quæ eſt unitiva, remanet una bonitas in ſe ipſa, de qua influitur bonitas magnitudinis, & bonitas durationis &c.; hoc idem ſequitur de tua ſubſtantiali magnitudine & de tua ſubſtantiali duratione &c.; quia tua bonitas & magnitudo &c. ſunt una eadem unitas, una eſſentia & natura in numero; & una eſt bonitas magnitudinis, & bonitas durationis &c., & in eſſe una bonitas tantùm uniuntur in bono, & ſunt una ſubſtantia, ita quòd in illa ſubſtantia non ſit niſi una bonitas tantùm; & iſta unio, quæ fit de bonitate magnitudinis, & bonitate durationis &c., & bonitate influente, fit ideo, quia bonitas ſimpliciter & magnitudo ſimpliciter, & cætera principia tuæ ſubſtantiæ ſunt una eadẽ eſſentia & natura in numero, in quo fit unio influentis & refluentis; influentis fit, in quantum bonitas influit unam bonitatem in magnitudinem, in quantum magnitudinem convenit eſſe bonam ratione bonitatis, & influit unam bonitatem in durationem, in quantum durationem convenit eſſe bonam ratione bonitatis; & ſic de aliis principiis: & unio, quæ fit refluendo, eſt, in quantum bonitas magnitudinis & bonitas durationis influitur una bonitas in numero, quia bonitas magnitudinis & bonitas durationis uniuntur ad eſſe una eſſentia & natura in numero: unde cùm hoc ita ſit, convenit, quòd ego te amem, tantúm amando te propter unire, quantúm propter unitatem, ut te amem ſecundùm tuas ſimilitudines, & ſecundùm ſimilitudines, quas mihi dediſti, fruente te ipſo tuis ſimilitudinibus.

3. Amate, dixit Amicus, quando conſidero ambas ſupradictas definitiones, & illas applico ad *undecimam Regulam*, ſecundùm hoc convenit, quòd habeam tantúm poteſtatis amandi per amare in te unire, quantúm unitatem; quia abſtrahendo in mea phantaſtica ratione magnitudinem à duratione &c. tuæ bonitatis, remanet ſimpliciter unitas tuæ bonitatis in mea

mea ratione; & contrahendo ad tuam bonitatem unitatem tuæ magnitudinis, durationis &c. convenit me conſiderare, quòd in tua bonitate ſit bonificare, quia ſinè bonificare non eſſet in ea magnitudo nec duratio &c.: unde ſicut convenit, me amare bonificare tuæ bonitatis, ſic convenit, me amare unire tuæ unitatis, contrahendo bonitatem, magnitudinem &c. ad tuam unitatem, quod unire exiſtit inter bonificans & bonificabile, bonificante exiſtente uno, & bonificabili alio, quam alietatem convenit amari, ut ametur illorum inconfuſio, & ut quodlibet principium inconfusè ametur in concordantia Amici & Amati, & in concordantia unitatis & unire bonitatis, magnitudinis &c. in Amico & Amato.

4. *Magnitudo & poteſtas habent tam magnam & tam potentem concordantiam in Amato, quòd tantúm concordant in unire Amati, quantúm concordant in ſua unitate; & ideo habet Amicus tam magnam concordantiam cum ſuo Amato in amare ipſum unire unitatis, ſicut habet in amare unitatem ſui Amati.* Amate, dixit Amicus, ſecundùm ſeptimam Conditionem Magnitudinis & Poteſtatis ſignificatur, quòd ego naturaliter te poſſim tantúm amare, quando amo in te opus tuæ unitatis, quantúm te amo, quando amo tuam ipſammet unitatem; nam quia tua magnitudo & tua poteſtas concordant tantúm, magnitudo in unire unũ magnificare & poteſtas unũ poſſificare, quantúm magnitudo in eſſe una & poteſtas in eſſe una, & poteſtas & magnitudo in eſſe una eadem eſſentia & natura in numero, convenit, quòd in me influatur tam magna poteſtas amandi per amare unire, quàm per amare unitatem, & per amare unitatem, quàm unire, quia in te Amate unire & unitas ſunt una eadem eſſentia & natura in numero, & una ſubſtantia, quæ es tu Amate.

Quæſtio 12.

MAgnitudo & voluntas Amici quæſiverunt ab Amato, utrùm in ſe ipſo magìs poſſet elongare ſuum Amicum à contrarietate quàm in ullo alio?

1. Solutio. Contrarietas eſt quorundam mutua reſiſtentia propter diverſos fines. Malè hoc ſuſcepit Amatus, quòd magnitudo & voluntas Amici ipſi fecerint talem quæſtionem, & dixit hæc verba: in me non eſt ulla contrarietas, imò ſum concordantia, quæ eſt concordanter de diſtinctis finibus, ut ſint unus finis per eſſentiàm & per numerum, & ego ſum contrarius contrarietati, cui reſiſto cum bonitate, magnitudine &c.; & quidquid eſt in mea unitate, eſt ſubſtantiale ſinè ullo accidente, & ego ſum totum id, quod eſt in me, & quidquid eſt in me, ſum ego; unde ratione hujus, in quo poſſem ego tantúm removere meum Amicum à contrarietate, quantúm in me ipſo, uniendo illum mihi, & amando illum in me, & magnificando illum & bonificando in me? cùm à nullo alio contrarietas ſit ita diſparata nec tam remota ſicut à me: valdè fatuos & ignorantes æſtimo omnes illos & illas, qui mihi faciunt talem quæſtionem; & vos magnitudo & voluntas, dixit Amatus, non feciſtis benè, quòd mihi feceritis talem quæſtionem; quia ſecundùm definitionẽ contrarietatis poteſtis cogitare & cognoſcere, cùm ego ſim id, quod poteſt dici de contraria definitione illius, quæ eſt contrarietatis, quòd ego in nullo alio poſſim tantúm removere Amicũ à contrarietate, quantúm in me ipſo.

2. Contrarius amor eſt ille, qui reſiſtit bonitati & magno amori Amantis & Amati. Amate, dixit magnitudo Amici, verum eſt, quòd tu ſis concordantia ſub bonitate, magnitudine &c., & nullus alius Amatus, quamvìs habeat concordantiam, bonitatem & magnitudinem &c., ſufficit eſſe concordantia, bonitas, magnitudo &c., attamen Amate, inter te & tuum Amicum habet contrarietas magnam poteſtatem, quia facit te minùs amari quàm denarios, honores, parentes, delicias & proſperitates hujus mundi, ſecundùm quòd manifeſtatur & ſignificatur in definitione contrarietatis, & etiam quòd contrarietas teneat tuum Amicum in laboribus, periculis, languoribus, ſuſpiriis, cogitationibus, lacrymis & ploratibus, & vix vivat & habeat à te ſuſtentationem: unde ratione hujus Amate, poſtquam tu tantúm potes removere Amicum à contrarietate, & magìs illum poſſis removere à contrarietate in te quàm in ulla alia re, quare ergò non facis illum appropinquare ad te, & non ponis illum tantúm in tua concordantia, bonitate, magnitudine &c., quòd omni modo ſit ſeparatus & remotus à contrarietate, quæ illum occidit, & illum facit exiſtere in triſtitia, & impedit illum ab amando te, & ab honorando te & tuos valores?

3. Magnitudo, dixit Amatus, ſecundùm quod ſignificatur *in tertio paragrapho Contra-*

rietatis, potes scire, quòd ego magìs removeam meum Amicum à contrarietate in me quàm in ullo alio, in transmittendo illi magìs meas similitudines, quàm ullas alias similitudines secundùm intentionem & finem: sed tu magnitudo, quando ego tibi transmitto similitudinem meæ magnitudinis, tunc accipis illam sub forma parvitatis, & accipis similitudines prosperitatum hujus mundi, quas tibi transmittit contrarietas, sub forma magnitudinis, & facis meas similitudines amari à voluntate cum minoritate, & similitudines, quas tibi transmittit contrarietas, facis ab illa amari cum majoritate; & ideo non miror, si Amicus existat cum contrarietate, & si sit in labore, & sit timidus & debilis & sinè audacia, quam non habet ad faciendum pro meo honore & pro meo amore magna & utilia, & quæ redundent ad meum honorem, quia tu ipsa & voluntas estis illi contrariæ, & in servitute estis subditæ contrarietati amoris; & tu magnitudo & voluntas mihi imponitis totum pondus, & non vultis quidquam portare, nec uti vestrâ libertate, nec vultis in bono sed in malo & contra finem; & ducitis Amicum contra finem & veram intentionem ad ea opera, quæ vos vultis: veruntamen de omni hoc vobis conveniet reddere rationem mihi, qui sum vester Dominus & Judex.

4. *In magnitudine concordantiæ Amici & Amati elongat se voluntas Amici & Amati à contrarietate.* Secundùm hanc sextam Conditionem Magnitudinis & Voluntatis significatur, quòd magìs possim removere Amicum à contrarietate in me quàm in alia re; nam quia magnitudo concordantiæ est major inter me & meum Amicum, quàm inter me & aliquam aliam rem, quæ non sit meus Amicus, possum magìs removere meum Amicum in me quàm extrà me; quia si hoc non possem, sequeretur, quòd conditio esset falsa, ita quòd in magnitudine concordantiæ non moveretur voluntas Amici & Amati à contrarietate, & sequeretur, quòd voluntas Amici & Amati appropinquaret ad contrarietatem, & elongaretur à concordantia in magnitudine concordantiæ Amici & Amati; quod est impossibile: unde respondeo vobis magnitudo & voluntas, quòd ego Amatus secundùm conditionem, quæ est vera, magìs possim à contrarietate removere in me, hoc est, unire mihi Amicum, quàm in ulla alia re, ita quòd uniam suam concordantiam cum mea concordantia, & quòd te magnitudinem uniam cum mea magnitudine, & te bonitatem; & sic de voluntate & duratione &c.: & quòd ego sim concordantia, magnitudo, voluntas, bonitas &c., sinè omni contrarietate.

Quæstio 13.

Amicus veniebat ab amare, & alius Amicus ibat ad amare, & est quæstio, quis amborum sit propinquior ipsi amare?

1. Solutio. Principium est id, quod se habet ante omnia alia sub ratione alicujus prioritatis. Principium, duratio, amor & æqualitas voluerunt respondere ad quæstionem, & primò principium dixit hæc verba: secundùm quòd enarratur in mea definitione, ego sum ens, quod sum ante omnia in principiare, & ideo in amare sum ante durationem & magnitudinem, bonitatem & ante tempus &c., in quantum sub me omnes aliæ partes substantiæ sunt principiatæ & vestitæ de mea similitudine; & quia ego sum pars substantialis substantiæ, principio amare sub mea forma & sub mea similitudine de amativo & amabili, & amativum & amabile, quæ sunt partes substantiales, sunt magìs conservabilia & perseverabilia per durationem substantialem, quàm per accidentalem, & amare Amici est magìs per me principiatum de amativo & de amabili, in quantum sum ens substantiale quàm accidentale; & hoc idem sequitur de fine substantiali & accidentali: unde ratione hujus sequitur, quòd Amicus, qui venit ab amare, sit propinquior ipsi amare quàm Amicus, qui vadit ad amare; quia Amicus, qui venit ab amare, principiavit amare in fine amandi, & duratio facit ipsi illum finem durare, & in fine amoris amare Amici habet quietem, quod amare erat in labore, quando Amicus ibat amare in potentia & in habitu; & cùm exivit & venit in actum, habet quietem; sed finis ipsius amare Amici, qui vadit, est in potentia & in habitu, & vadit ad suum actum amandi; quapropter ille, qui est in medio, & vadit ad finem, non est tam propinquus ipsi amare, quàm ille, qui venit de fine ipsius amare, & portat secum amare, quod lucratus est in fine amandi; in quo fine amandi & principiandi & finiendi illum faciunt perseverare absque eo, quòd tempus præteritum, quod est accidens,

dens, in illo possit resistere; cùm in substantia fortiores sint substantiales partes quàm accidentales, secundùm quòd jam significavimus.

2. Principia amoris sunt amans, amativus, amatus, amabilis & amare. Respondit duratio & dixit hæc verba: secundùm hanc definitionem principii amoris est satìs clara & satìs apparet conclusio quæstionis; quia Amicus, qui venit ab amare, plus conquisivit de principiis amoris, quàm Amicus, qui vadit ad amare; & sicut plus habet de illis in magnitudine, convenit, quòd de illis habeat plus in me & in bonitate &c. quàm Amicus, qui vadit ad amare: veruntamen si in Amico, qui venit ab amare, deficit magnitudo bonitatis, potestatis, sapientiæ & amoris, convenit, quòd sit defectus meî; & si magnitudo Amici, qui vadit ad amare, non deficit à bonitate, potestate &c., neque deficit à me, sic Amicus, qui vadit ad amare, sub tali conditione est magìs propinquus ipsi amare, quàm Amicus, qui venit ab amare.

3. Amicus respondit ad quæstionem, & dixit hæc verba secundùm *decimam tertiam Regulam* & duas definitiones principii, quòd Amicus, qui vadit ad amare, habeat spem in suo Amato, quòd ipsi det suum amorem, & quòd ipsi det in illo amore suam bonitatem, magnitudinem, durationem &c., & per consequens suam justitiam & suam misericordiam: & in hac spe, dixit amor, existebat Amicus, qui venit ab amare, cum omnibus supradictis: unde si Amicus, qui venit ab amare, non esset tam propinquus ipsi amare, quàm Amicus, qui vadit ad amare, Amatus dedisset suum amorem sinè perseverantia bonitatis, magnitudinis &c., & Amicus perderet suum amare habendo amorem, & perderet spem, & similiter perderet bonitatem, magnitudinem Amati; & sic Amicus, qui venit ab amare, haberet amorem vacuum suo Amato; quod est impossibile: per quam impossibilitatem declaratur responsio quæstionis.

4. *Quoniam in æqualitate amoris duratio & principium æqualiter existunt, non potest Amicus habere indigentiam amoris, nec ipsius amare.* Respondit æqualitas ad quæstionem & dixit: secundùm quòd significatur in quarta Conditione Æternitatis & Principii, quilibet Amicorum potest æqualiter esse propinquus ipsi amare, eunte Amico, qui vadit ad Amatum, sub ratione amabilitatis, & veniente Amico à suo Amato sub ratione amativitatis, & in Amato æqualiter existentibus amativitate & amabilitate, & influente Amato amabilitatem Amico, qui vadit, & Amico, qui venit, & amativitatem in durationem & in principium & in æqualitatem tali modo, quòd nullus Amicorum habeat defectum amoris neque ipsius amare: veruntamen, dixit æqualitas, ille Amicus potest esse magìs propinquus ipsi amare, qui magis intensè potest coæquare bonitatem, magnitudinem &c. in suo amare; quare de hoc non oportet procedere in plura verba.

Quæstio 14.

Amor dixit Amicus, hoc meum amare esse factum, vel fit, vel debet adhuc fieri?

1. Solutio. Medium est subjectum, in quo & per quod finis influit in principium, & principium refluit in finem, ita quòd medium sapiat naturam amborum, & sit imago illorum. Amor respondit Amico secundùm definitionem medii, & dixit hæc verba: Amice, dixit amor, si consideres principia hujus Amantiæ, & naturam cujuslibet illorum principiorum, & recolas processum definitionum illorum, poteris percipere solutionem tuæ quæstionis, ita quòd fine transmittente ad principium suam similitudinem cum aliis similitudinibus, quas sumit ab aliis principiis, & principio refluente ad finem similitudines cum sua similitudine, transeuntibus omnibus illis similitudinibus per medium finîs & principii, quod medium est imago amborum, fit tuum amare; quod amare, secundùm quòd est imago similitudinum, est factum per principia, & per illâ fit, & per illa eadem est faciendum: *fit*, in quantum existit in supradicta influentia & refluentia, agentibus principiis sub ratione potestatis ad invicem: *est factum*, in quantum illa influentia est actu, existens sub ratione durationis in bonitate, magnitudine &c.: *& est faciendum*, in quantum magnitudo in bonitate &c. durationis magnificat, donec habeat complementum, quod illi convenit secundùm finem tali modo, quòd partes quiescant in fine, & quòd duratio illum faciat durare & omnia principia, donec habeant complementum de omnibus similitudinibus principiorum: unde

quan-

quando amare habet totum suum complementum, secundùm quòd illud potest habere in hac vita, tunc est factum, & fit, & est faciendum; *est factum*, ut principia habeant perfectum opus; *fit*, ut operando bonum continuent: *& est faciendum*, ut non cessent.

2. Medium amoris est amare, cum quo se amant Amans & Amatus. Amice, dixit amor, de me sunt amativum & amabile, & de amativo & amabili procedit amare; hoc amare *est factum* procedendo de amativo & amabili, existens medium inter Amantem & Amatum; *& fit* procedendo, in quantum quodlibet principium in eo habet suum opus, & vestit illud suâ similitudine; *& est faciendum*, in quantum est multiplicabile; quia Amicus potest magìs amare suum Amatum, quàm illum amet, vel secundùm bonitatem, vel secundùm magnitudinem, vel alias; sicut secundùm virtutem, quæ procedit de unitate bonitatis, quæ de illa magìs potest procedere in uno tempore quàm in alio, & in una magnitudine quàm in alia; & sic de aliis principiis: sicut duratio, quæ magìs potest sustentare tuum amare in uno tempore quàm in alio, & secundùm unum principium quàm secundùm aliud; & hoc faciendum necessariò convenit esse, ut principia non sint cessabilia, & ut in quolibet remaneant suæ propriæ activitates & passibilitates & actus ipsius agere illorum.

3. Si tu Amice, dixit amor, recolas *decimam quartam Regulam* & suum processum & duas definitiones medii, & de omnibus tribus formes quoddam universale, & in illo inquiras tuum particulare, quod à me quæris, poteris facilè habere cognitionem hujus, de quo dubitas, sicut si consideres, quòd consolatio sit facta de actione & passione; de actione, in quantum Amatus facit de suo Amico ad suam voluntatem; & de passione in hoc, quòd Amicus habet pro bono, quidquid Amato placet, & si tollat ab eo aliquid, quod ipsi dedit suus Amatus, consolatur Amicus in bonitate, magnitudine, voluntate & potestate & dominio Amati, & in amore, quem ipse habet erga suum Amicum, & in benedictionibus, quas ipsi potest dare suus Amatus: unde hoc opus, quamvìs sit factum, postquam est, tamen perseverando fit, & perseverare est faciendum, in quantum potest multiplicari vel potest mutari de una qualitate in aliam, & de una similitudine in aliam, & de uno habitu in alium, sicut pater, qui consolatur de suo filio, quando illum perdidit, & in alio tempore consolatur, quando perdidit aliqua mobilia vel immobilia bona; & sic de aliis: unde simili modo potes hoc considerare Amice de tuo amare, quod potes considerare de consolatione.

4. *Principium principiavit medium amoris in magnitudine, ut inde nasceretur magnum & amorosum principiare.* Amice, dixit amor, si consideres hanc primam Conditionem Magnitudinis & Principii, satis clarè poteris attingere solutionem quæstionis; nam postquàm principium principiavit amare in magnitudine, ut ab ipso nascatur magnum & amorosum amare, convenit, quòd bonum amare sit factum, & quòd fiat, & quòd sit faciendum, ut sequatur finis, secundùm quem amare est principiatum in magnitudine; quia aliter non posset sequi: unde ratione hujus, cùm amare sit principiatum in magnitudine, magnitudo vestit illud suâ similitudine, & principium suâ; ita quòd in amare est magnificare & principiare, ideo est magnitudo amandi, quòd amare sit factum, & quòd fiat, & quòd sit faciendum; quia si hoc non ita esset, in illo non esset magnificare nec principiare, nec actio amantis, nec passio amabilìs, & privatio principiorum supradictorum esset illi minoritas, & sic non esset principiatum in magnitùdine, propter quod non posset esse magnum nec amorosum tuum amare vestitum similitudinibus contrariis ipsis principiis, quæ illud vestiunt suis similitudinibus.

Quæstio 15.

A Mice, dixit amor, cum quo ligas meum amare ad tuum Amatum?

1. Solutio. Finis est id, in quo principium quiescit. Amor, dixit Amicus, secundùm quòd narratur in hac definitione finìs, in substantia finis est unum substantialium principiorum, ex quibus substantia est constituta; & in hoc fine est finitivum & finibile, ex quibus oritur finire, & procedit in alia principia substantiæ, ut in illo omnia principia sumant suam substantiam, & ut in illo habeant complementum & quietem, transeundo per ipsum ad finem; in quo quodlibet principium est quiescibile, veluti tu amor, qui quiescis in amare,

amare, quando est vestitum ipso finire producto de finitivo & finibili in amativum & amabile: unde secundùm hoc opus ego Amicus ligo tuum amare ad meum Amatum considerando bonitatem mei Amati, & considerando bonitatem, quam mihi naturaliter dedit, & considero finem, propter quem Amatus mihi illam dedit, & considero, quòd illa bonitas mei Amati sit amabilis, & quòd in me sit proprietas amativa; & tunc vestio amabilitatem mei Amati & meam amativitatem cum fine mei amativi & amabilìs, ex quibus procedit amare vestitum de finire producto de finitivo & finibili; ita ligo tuum amare, quod est meum, ad meum Amatum cum finire de finitivo & finibili, & ad bonitatem mei Amati ligo bonitatem mei amare, & ad magnitudinem mei Amati ligo magnitudinem mei amare &c.; & sic ligo cum omnibus istis tuum amare ad meum Amatum. Multùm placuit amori responsio, quam ipsi fecerat Amicus, & desiderabat, quòd Amatus haberet multos tales amatores, quia est benè dignus illis.

2. Finis amoris est ille, in quo Amans & Amatus quiescunt. Amor, dixit Amicus, sicut Amicus est quies Amati, sic Amatus est quies Amici: unde amor, tuus finis est quies Amici & Amati, ad quam quietem ligo tuum amare tali modo, quòd meus Amatus habeat quietem, hoc est, placitum, quòd à me ametur, & quòd ego inveniam placitum in illo amare; & ligamina amoris, cum quibus ligo tuum amare ad meum placitum & ad placitum mei Amati, sunt bonificare, magnificare, durare, possificare, intelligere &c.; quia omnia ista opera sunt amabilia tuo amare, in qua amabilitate ligatur & capitur meum ipsummet amare, & ligant & capiunt illud similitudines mei Amati, in quantum illi sunt amabiles; cum quibus similitudinibus ego ligo meas similitudines, & cum meis ligatis similitudinibus ligo tuum amare ad similitudines mei Amati.

3. Amor, dixit Amicus, in *tertio paragrapho finis* significatur responsio quæstionis, quam mihi fecisti; quia homo potest ligare suum amare ad suum Amatum cum contritione & conscientiâ; cum contritione, in quantum homo considerat defectus, quos fecit contra suum Amatum, non amando illum, secundùm quòd illum convenit amari in magnitudine bonitatis, durationis &c., vel odiendo illum contra finem bonitatis, magnitudinis &c., & amativi, amabilìs & amare, quia de omnibus istis oritur contritio, & quando humanus intellectus utitur fine, propter quem Amico est data conscientia, qui fecit defectum contra suum Amatum; quare cum contritione & conscientia potest homo ligare tuum & meum amare ad meum Amatum; & hanc potestatem potest homo ligare ad possificare cum bonitate, magnitudine, duratione, & contritionare & conscientiare.

4. *Cum fine potestatis, differentiæ & amoris ligat Amicus suum amare ad suum Amatum.* Secundùm hanc quintam conditionem Potestatis & Differentiæ potes tu amor, dixit Amicus, cognoscere solutionem tuæ quæstionis: amor, dixit Amicus, finis potestatis est possificare per bonitatem, magnitudinem, durationem &c., & finis differentiæ est differentiare per bonitatem, magnitudinem, durationem &c.; sicut finis tuî est amare per bonitatem, magnitudinem, durationem &c., & applicare totam unionem ad finem Amati est ligare amare cum fine potestatis & differentiæ ad Amatum; & disligare amare à suo Amato fit, quando homo unit finem potestatis & differentiæ ad non finem amandi bonitatem, magnitudinem, durationem &c.

Quæstio 16.

A Mores quærebant ab Amatoribus, utrùm scirent, quomodo fiat major æqualitas Amici & Amati?

1. Solutio. Majoritas est imago immensitatis bonitatis, magnitudinis &c. Responderunt amatores amoribus secundùm hanc definitionem majoritatis, & dixerunt hæc verba: majoritas est imago magnitudinis Amici & Amati: unde ad inquirendum majus opus æqualitatis inter Amicum & Amatum, convenit, quòd illa inquisitio fiat cum majori majoritate bonitatis & magnitudinis Amici & Amati; & hoc in tantum, quòd æqualitas sit infinita in bonitate & magnitudine Amici & Amati: hæc major æqualitas, quæ est Amici & Amati, convenit, quòd sit cum immensitate bonitatis, magnitudinis, durationis &c., & quòd bonitas, magnitudo &c. sint de immensitate, & quòd bonitas sit id, quod est, & sit immensitas &c.; & hoc idem de magnitudine &c., & quòd bonitas, magnitudo &c. sint Amicus & Amatus: unde ratione

tione hujus conveniet, quòd æqualitas talis Amici & Amati sit major, quàm ulla alia æqualitas, quæ non sit immensitas bonitatis &c., nec sit Amicus & Amatus, & in qua bonitas non sit immensitas & magnitudo &c.: hæc major æqualitas Amici & Amati, dixerunt amatores, significatur per majorem majoritatem, & habet esse in Amato dante suam totam bonitatem & magnitudinem &c. Amico, Amato existente immenso in bonitate, magnitudine &c., & remanente hoc, quod est, & Amico similiter, sinè ulla confusione & sinè omni accidente, & bonitate dante se magnitudini & cæteris substantialiter, bonitate remanente hoc, quod est, & magnitudine remanente hoc, quod est; & bonitate existente magnitudine, & magnitudine bonitate &c., & Amato & Amico remanentibus unâ bonitate, magnitudine &c., & unâ essentiâ & naturâ; & sic amores, dixerunt amatores, nos non possumus invenire majorem æqualitatem Amici & Amati quàm istam, quam inquisivimus cum majori majoritate bonitatis, magnitudinis &c.

2. Majoritas amoris est illa, in qua Amans & Amatus sunt æquales in amare. Ista majoritas amoris, dixerunt amatores, non potest esse major omni alio amore, nisi Amatus amet suum Amicum tantúm, quantúm se ipsum, & è converso Amicus suum Amatum, & nisi Amatus & Amicus sint una bonitas, una magnitudo, unus amor &c.; quia convenit, quòd æqualitas talis Amici & Amati sit major, quàm ulla alia æqualitas Amici & Amati; & habet esse æqualitas in hoc, quòd Amicus tantúm amet suum Amatum, quantúm se ipsum, & plùs quàm ullum alium Amatum, & hoc idem facit Amatus; & etiam in hoc, quòd Amatus & Amicus sunt una bonitas, una magnitudo &c. in uno eodem numero, & quòd æqualitas est amabilis in infinitate bonitatis, magnitudinis &c.; propter quam amabilitatem bonitas dat tantúm magnitudini, quantúm magnitudo bonitati, & bonitas est tanta in magnitudine hoc, quod est, quanta est in se ipsa, & è converso; & bonitas est tanta in agendo, quanta in existendo, & è converso; & hoc idem de magnitudine: unde per omnia ista & per multa alia, quæ enarrare longum esset, majoritas bonitatis, magnitudinis &c. significat opus, secundùm quod fit major æqualitas Amici & Amati.

3. Amores, dixerunt Amatores, secundùm quòd significatur *in tertio paragrapho* de definitione majoritatis, potes scire, quomodo fiat major æqualitas Amici & Amati, hoc est, quòd Amicus sit totus patiens & obediens voluntati sui Amati tali modo, quòd in tantum Amicus sit patiens in recipere de suo Amato, quantúm Amatus in dare suo Amico; & si Amatus vult, quòd Amicus pro suo amore habeat paupertatem, labores, languores, persecutiones & mortem, totum sit placens & amabile Amico; & si Amatus vilipendatur, blasphemetur, inhonoretur, ignoretur, odiatur, Amicus habeat passionem in dedecore, quod fit suo Amato: unde quantum in istis & in similibus Amatus & Amicus possunt coæquari, fit æqualitas in majori majoritate amborum quàm ulla alia æqualitas, in qua Amicus non sit tam patiens pro amore sui Amati.

4. *Majorem æqualitatem Amici & Amati, convenit esse sinè majoritate & minoritate.* Amores, dixerunt Amatores, secundùm quòd significatur in prima Conditione Majoritatis & Æqualitatis, fit major æqualitas Amici & Amati, quando est sinè majoritate & minoritate; & hæc fit, quando Amatus tantúm est ideo, ut sit Amicus, quantúm Amicus est ideo, ut sit Amatus; & ut hoc *tantúm* sit de bonitate, magnitudine &c.; nam postquam est de qualibet, est unus finis Amici & Amati; & sic non potest in ea esse majoritas nec minoritas: hoc idem sequitur de bonitate, quando Amicus est tam bonus quàm Amatus, & quòd hoc *tantúm* sit de bonitate, magnitudine &c.; ita quòd remaneat una bonitas Amici & Amati: quapropter in illa bonitate non potest esse majoritas nec minoritas; hoc idem sequitur de magnitudine &c.: & etiam quando bonificativus, qui est Amatus, & bonificabilis, qui est Amicus, sunt æquales in bonificare; & illa æqualitas est bonificare cum magnitudine &c., tunc in illa æqualitate & bonificare non potest esse majoritas nec minoritas: unde per talem æqualitatem, quæ fit sinè majoritate & minoritate, dicimus vobis amores, quòd fiat major æqualitas Amici & Amati, & super hanc æqualitatem nullam aliam æqualitatem possumus considerare, nec scire, nec amare.

Quæstio 17.

Amice, dixit amor, posuistine tuum Amatum in æqualitate sciendi & amandi?

1. Solutio. Æqualitas est subjectum, in quo quiescit finis concordantiæ bonitatis, magnitudinis &c. Amor, dixit Amicus, secundùm hanc definitionem æqualitatis volo respondere ad tuam quæstionem: amor, tu scis, quòd finis concordantiæ sit factus de bonitate, magnitudine &c.: iste finis concordantiæ non posset quiescere in æqualitate, quæ non esset æqualitas sciendi & amandi meum Amatum, cùm meus Amatus sit æqualiter scibilis & amabilis; quare ego amor posui meum Amatum in æqualitate mei scire & mei amare, quia meus Amatus est dignus, ut æqualiter sciatur & ametur, & ut tu amor & sapientia sitis quiescibiles in fine concordantiæ: veruntamen tu amor & sapientia, qui in me vos coæquatis, me torquetis & facitis me languere, & ponitis me in multis periculis mortis ad honorandum, sciendum & amandum meum Amatum; & quò fortiùs in me vestra opera coæquatis, eò magìs me torquetis: quapropter ego miror de vobis, quare mihi faciatis talem quæstionem.

2. Æqualitas amoris est illa, in qua Amans & Amatus se coæquant in amare. Amor, dixit Amicus, secundùm hanc definitionem respondeo ad quæstionem: amor, nonne tu in tuo amare amas æqualitatem amativi & amabilis? si facis, benè; & adhuc, nonne amas, quòd in tuo amare sit æqualitas scientis & scibilis, ut magìs possis amare? unde ratione hujus tibi convenit, quòd ames æqualitatem sciendi & amandi, & cùm naturaliter debeas amare hanc æqualitatem, sequitur, quòd ratio & natura te constringat, quòd illam debeas amare in meo Amato, & quòd me debeas constringere, ut æqualiter contempler meum Amatum sciendo & amando; & si hoc non facis, dico tibi, quòd facis injuriam & peccatum contra me & contra meum Amatum, & etiam contra bonitatem, magnitudinem &c., quæ me excitant, ut æqualiter de illis floreat & germinet meum amare.

3. Amor, secundùm quòd significatur *in tertio paragrapho de definitione æqualitatis*, es obligatus, quòd satisfacias sapientiæ amativitatis, quòd sua amabilitas sit magna in bonitate, duratione &c.; nam sicut es obligatus, quòd de amativitate satisfacias tuæ amabilitati & tuæ bonitati, & magnitudini tuæ amativitatis & amabilitatis, ita es obligatus & teneris, quòd satisfacias amabilitati sapientiæ & scitivitatis & scibilitatis; & in hoc eodem debito tu amor teneris bonitati & suæ bonificativitati & bonificabilitati, & similiter teneris magnitudini &c.: unde propter omnes istas rationes & propter multas alias precor te amor, quòd propter debitum tui ipsius, pro me, qui sum tuus servus sustinens multos labores pro te & maximè pro meo Amato, de quo ego & tu sumus, me facias desiderare æqualiter scire & amare meum Amatum; nam aliter me non tenerem pro beato nec pro fino amatore.

4. *Sapientia & voluntas se coæquarunt in scire & amare, & recurrerunt ad Amatum, quem æqualiter attigerunt super earum amare & intelligere.* Amor, dixit Amicus, super hanc undecimam Conditionem Sapientiæ & Voluntatis tibi respondeo, & tibi dico, quòd, quia meus Amatus æqualiter est intelligibilis & amabilis, scire & amare sunt in me coæquata ad attingendum æqualiter meum Amatum; & quia est debitum cujuslibet, quòd illum attingat ex omnibus suis viribus, currunt & conantur tantúm, quantúm possunt, ut illum attingant; veruntamen non possunt illum attingere in se ipsis, sed supra se ipsas illum attingunt in bonitate, magnitudine &c. Amati; & attingunt illum per puncta transcendentia, sicut quando intellectus intelligit supra se ipsum, intelligendo de suo Amato plus bonitatis, magnitudinis, durationis, potestatis &c. quàm de se ipso, sic voluntas illum attingit supra se ipsam, amando de suo Amato majorem bonitatem, magnitudinem, durationem, potestatem quàm de se ipsa: unde quantò magìs ambo se coæquant in se ipsis de bonitate, magnitudine &c., & supra se ipsos, tantò magìs se coæquant in bonitate, magnitudine &c. sui Amati, & tantò magìs illum attingunt, & in illa attinctione plus bonitatis, magnitudinis &c. potest capi, quando illum æqualiter attingunt, quàm caperent, si ipsum non æqualiter attingerent, & Amatus potest in illos influere plus de suis similitudinibus.

Quæstio 18.

Minoritas quæsivit à bono Amore, utrùm differentia Amici & Amati possit esse indivisibilis?

1. Solutio. Minoritas est ens propè non esse. Minoritas, dixit bonus amor, secundùm tuam definitionem volo respondere ad tuam quæstionem: tu scis, minoritas, quòd sis ens propè non esse, & quòd ideo sis propè non esse, quia es composita ex divisibilibus, ita quòd tua bonitas non est tua parvitas, nec tua duratio &c., imò est differentia inter unam & aliam; & tua bonitas sic est divisibilis, quòd potest separari à tua parvitate & duratione &c.; & ideo tu minoritas es apta reduci ad privationem, per quam es propè non esse: ex quo sequitur, quòd, si tu es in differentia Amici & Amati, illa differentia sit divisibilis, ita quòd bonitas Amici, quæ non est bonitas Amati, sit unum, & bonitas Amati, quæ non est bonitas Amici, sit alterum; & similiter est de differentia, quæ est in bonitate Amici, & de differentia, quæ est in bonitate Amati; & hoc idem sequitur de differentia, quæ est in magnitudine &c. Amici, & in magnitudine &c. Amati; & sic Amicus & Amatus, postquam tu es in illis, sunt propè non esse, & similiter omnes ipsorum partes: unde convenit, quòd omnis Amicus & Amatus, in quo tu es, sint in sua differentia divisibiles; igitur convenit, quòd omnis differentia Amici & Amati, in qua tu non es, sit indivisibilis, ita quòd ambo se habeant tantúm in esse, quòd non possint ultra; nam sicut per te Amicus & Amatus, in quibus tu es, sunt propè non esse, ita convenit, quòd ille Amicus & Amatus, in quibus tu non es, sint remoti à non esse, & quòd sint propinqui ipsi esse, & quòd sint illud idem esse; & propterea convenit, quòd Amicus & Amatus, in quibus tu non es, possint esse, & etiam, quòd sint una eadem essentia & natura, & una differentia indistincta & indivisibilis, ut permaneant una bonitas, magnitudo, duratio &c., quamvis unus ab alio sit distinctus sub ratione differentiæ, sicut sunt boni sub ratione bonitatis, & magni sub ratione magnitudinis &c.

2. Minoritas amoris est illa, quæ est defectiva in amare. Minoritas, dixit bonus amor, quando tu es in amare, tu facis amorem defectivum in amare, sicut majoritas per contrarium facit amorem perfectivum in amare, quando est in illo cum bonitate, magnitudine: unde ratione hujus potes tu minoritas intelligere & scire, quòd differentia, quæ est majoris Amici & majoris Amati, est indivisibilis, ut ipsorum amor non sit defectivus; qui amor esset defectivus, si ipsorum amor esset divisibilis; nam sicut si ipsorum differentia esset divisibilis, similiter esset divisibilis ipsorum amor, bonitas, magnitudo &c.; & sic essent in illis diversæ essentiæ & naturæ, & una esset separata ab alia, & quælibet haberet quantitatem, & tu minoritas esses in illis; sed quia tu non potes esse in illis, existentibus Amico & Amato distinctis, ita quòd una non esset alia, eò quòd una est differentia, quæ illos facit esse distinctos, sicut unus est amor, qui illos facit esse amatos & amantes, & una est bonitas, quæ illos facit esse bonos &c., ita est ipsorum amor perfectivus in amare.

3. Minoritas, dixit bonus amor, in tua definitione *in tertio paragrapho* datur doctrina ligandi voluntatem ad bonum amare, *secundùm decimam octavam Regulam de Consideratione*, & secundùm tuas duas definitiones: unde quando considero secundùm illam Artem & modum, quàm magna res sit, quòd Amicus & Amatus possint esse, & sint distincti unus ab alio sinè distinctione essentiæ & naturæ, & bonitatis, magnitudinis &c., differentiâ, bonitate &c. existentibus indivisibilibus in essentia & natura & unitate bonitatis, magnitudinis &c., & Amico existente uno, & Amato alio, tunc non possum altiùs considerare magnitudinem bonitatis, durationis &c. in differentia, nec differentiæ in bonitate &c.: & ideo minoritas, per talem considerationem, dixit bonus amor, me sentio ligari ad bonificandum magnitudinem &c., & ad faciendum quidquid boni possum, & ad honorandum & ad serviendum tantæ & tam nobili differentiæ Amici & Amati.

4. *In bonitate & amore differentia Amici & Amati est indistincta, ut sit remota à malitia & à confusione & à parvitate amandi.* Bone amor, dixit minoritas, quomodo es certus, quòd illa differentia, quam tu dicis, sit in realitate? & quomodo posses tu mihi probare, quòd Amicus & Amatus possint esse distincti ab invicem? & quòd ipsorum distinctio sit indivisibilis, & ipsorum bonitas, magnitudo &c., & etiam ipso-

ipsorum essentia & natura? minoritas, dixit bonus amor, secundùm octavam Conditionem Bonitatis & Differentiæ significatur, quòd necessariò conveniat, quòd differentia sit indistincta & indivisibilis; sed quia tu minoritas omne id, quod consideras, consideras secundùm tuam naturam & proprietatem, ideo non potes intelligere nec amare sinè defectu meî & magnitudinis &c., postquam tu me ponis in tua societate, sed recede tu à me & à magnitudine &c., & veniat majoritas meî & magnitudinis &c., quia ipsa hoc intelliget & sciet; & si tu ab illa quæras, de omni hoc ipsa tibi dicet veritatem. Et quomodo minoritas, dixit bonus amor, si differentia est indivisibilis, quia est in te & in malitia, quare differentia non esset indivisibilis, quia est in me & in bonitate, duratione &c.? & si talis differentia Amici & Amati non esset, in quo differentia esset remota à malitia, parvitate & inconfusione & à parvitate amandi? & sinè tali differentia indivisibili Amici & Amati quomodo possem ego & bonitas, magnitudo, duratio &c. esse rationes reales & inconfusæ, existentes quælibet alia in essentia & in numero? & per quid esset in nobis agere, hoc est, bonificare, magnificare, durificare, possificare, intelligere & amare, unire & concordare? & finire & coæquare non posset fieri, & esset perditum omne nostrum agere, & quælibet nostrûm esset tantúm in te minoritas, quòd non essemus tantúm in esse, quantúm in privatione, & in te esset tantum de malitia, quantum de me, & in te esset plus de parvitate, quàm de magnitudine, & de privatione, quàm de esse &c.; quod est impossibile: & imposterum minoritas non ampliùs nec mihi nec alteri fac talem quæstionem, & imposterum immisce te iis, quæ sunt tuæ similitudinis, & relinque nobis res tam altas & tam nobiles, quia non es digna, quòd possis illas omnes scire & amare.

Quæstio 19.

Amor, dixit Amicus, possesne tu habere concordare in amare sinè differentiare?

1. Solutio. Consideravit amor in quæstione, quam illi fecit Amicus, & recoluit *tertiam Figuram* & processum illius, & elegit cameram ipsorum B. C., in qua recoluit conditiones, quas illa camera significat, & ad quas significatum literarum transmittit illos, qui inquirunt solutiones quæstionum: unde ratione hujus amor elegit quatuor conditiones, quas camera B. C. significat, & solvit quæstionem per illas conditiones; & primò assumpsit hanc tertiam conditionem differentiæ & concordantiæ: sinè differentia concordantis & concordabilis concordare non posset esse in medio amoris. Amice, dixit amor, concordare non potest esse sinè concordante & concordabili, & concordans & concordabilis non possunt esse sinè differentia; quia si essent, essent id, quod non sunt, ita quòd concordans esset concordabilis, & concordabilis esset concordans; & sic sequeretur contradictio & confusio concordantis & concordabilis; & similiter fieret de bonificante & bonificabili, magnificante & magnificabili &c.; & quia hoc est impossibile, convenit, quòd sit illa differentia, ut non sit hæc supradicta contradictio vel confusio, & ut sit concordans & concordabile: per quam differentiam sequitur differentiare, quod est necessarium in amare, ut sit amare amantis & amabilis, & ut sit concordare Amici & Amati, sinè quo ego, dixit amor, non possem habere amare, & essem otiosus, & essem privatio Amici & Amati: & adhuc, dixit amor, sinè differentia Amici & Amati non possem cognoscere sapientiam amborum, & Amicus & Amatus non possent se amare neque concordare in amare.

2. Amans & Amatus existentes distincti & inconfusi in amare, amant se ambo in una indistincta & inconfusa essentia & natura bonitatis, magnitudinis & amoris. Amice, dixit amor, si Amatus & Amicus non essent distincti in amare, ita quòd in illo amare Amans non esset unus, & Amatus alius, unus non posset amare alium, & periret amare & unitas Amantis & Amati, & esset confusio nostrûm in substantia, in qua sumus; sed quia Amans est unus, & Amatus est alius, restauratur totum, quia Amans & Amatus se amant in una bonitate, quæ sunt ambo, & in una magnitudine, in una essentia & natura, & in una substantia, & permanent amare, bonificare &c.: unde hoc opus, Amice, dixit amor, significatur *in octava Conditione bonitatis magnitudinis*, quod non posset esse, nisi haberem differentiare, in quo Amatus & Amicus essent cum concordare & amare;

& ideo tale amare est exaltatum super omnia alia amare, quia in tali amare Amans & Amatus se amant in una eadem essentia & natura, & in una bonitate & amore, concordantia &c., quolibet existente illâ eâdem essentiâ, naturâ & bonitate, magnitudine &c.

3. Si non esset plus concordantiæ quàm contrarietatis, magnitudo bonitatis non sufficeret amori Amici, qui amat suum amabilem Amatum, & magnitudo malitiæ sufficeret inimico, qui odit amabilem Amatum. In hac *nona Conditione* bonitatis magnitudinis, dixit amor, significatur, quòd ego non possem habere concordare in amare sinè differentiare; nam in hoc, quòd convenit esse plus concordantiæ quàm contrarietatis, convenit, quòd concordare sit in differentiare, & differentiare in concordare, ut concordantia habeat objectum, in quo possit esse altiùs in amare, quàm contrarietas in odire, sufficiente magnitudine bonitatis ipsi amare & concordare & differentiare sinè contrariari.

4. *Magnitudo differentiæ & concordantiæ est, quòd Amatus & Amicus sint distincti & concordantes, & quòd remaneant una differentia, una concordantia in amare.* Amice, dixit amor, secundùm hanc primam Conditionem Magnitudinis & Differentiæ significatur conclusio tuæ quæstionis; quia est magnitudo differentiæ, quòd amare non possit esse sinè illa, & est magnitudo concordantiæ, quòd amare non possit esse sinè concordantia; & hoc idem sequitur de magnitudine & amore, quòd non possint esse differentia & concordantia in magnitudine bonitatis &c. sinè amore; & magnitudo omnium insimul est, quòd Amatus & Amicus sint distincti, concordantes, amati & amantes, & quòd remaneant una differentia, concordantia & unus amor in amare & concordare & differentiare; & quia magnitudo differentiæ est, quòd Amatus & Amicus sint distincti, & quòd sint una differentia (& hoc idem de magnitudine, de bonitate &c.) ideo Amice, dixit amor, ego non volo, nec desidero, quòd in meo amare sit concordare sinè differentiare, nec posset esse, nisi magnitudo fieret parvitas concordandi & amandi: & quomodo amor, dixit Amicus, an non possum habere concordare in meo amare sinè differentiare, cùm ego possim me ipsum amare, & à me ipso amari, concordans me ipsum in amare me ipsum? amor respondit Amico, & dixit ista verba: Amice, in te est differentia inter amativum & amabile, & inter concordativum & concordabile, inter tuam bonitatem, magnitudinem &c.; quia nullum horum est aliud; & propterea potes tu temet ipsum amare, & à temet ipso amari, quia non habes in tuo amare concordare sinè differentiare; sed si in te non haberes aliquam differentiam, non posses amare te, nec haberes, in quo nec cum quo te posses concordare; & quia de tuo amare & concordare non sequitur tantum, quantum de te ipso, deficit magnitudo bonitatis &c. tuo amare & concordare.

Quæstio 20.

Amice, dixit amor, si tuus Amatus tibi daret plus quàm tibi dedit, aut si tibi aufferret id, quod tibi dedit, crescereтne vel minueretur tuum amare?

1. Solutio. Principiare & contemplari intraverunt in medium amoris perdere & occidere contrarietatem amandi. Amor, dixit Amicus, secundùm cameram ipsorum D.E.F., quæ est in *quarta Figura*, volo respondere ad tuam quæstionem; & quamvis illa camera significet viginti conditiones, considerando id, quod literæ illius cameræ significant, veruntamen ad evitandum prolixitatem, per quatuor suarum conditionum tantùm proposuimus solvere quæstionem; & secundùm modum & doctrinam, quam dabimus de illis, poterit quæstio solvi per alias sedecim conditiones. Amor, dixit Amicus, secundùm quòd significat *prima conditio contrarietatis & principii*, inconveniens est, quòd verus Amator propter aliquid, quod ipsi facit suus Amatus, multiplicet aut minuat suum amare; nam postquam principium Amico principiavit amare de bonitate, magnitudine, durationc, amore &c., & Amicus contemplatur suum Amatum secundùm *decimam Regulam Contemplationis*, non convenit, quòd contrariare habeat potestatem in amare, imò convenit, quòd tanta sit magnitudo principiandi & contemplandi in amare vestito de bonitate, magnitudine, duratione &c., quòd amare non possit crescere nec minui; nam si posset crescere vel minui, principiare & contemplari non intravissent in medium amoris,

ris perdere & occidere contrarietatem amandi.

2. Æternitas faciebat durare labores & languores, quos Amicus sustinet propter amorem, & potestas faciebat Amicum potentem ad amandum suum Amatum, & hoc sciebat sapientia Amati. Et quomodo amor, dixit Amicus, an nescis, quòd secundùm hanc *primam Conditionem Æternitatis & Potestatis* significetur, quòd Amicus debeat habere potestatem in sustinendo labores, languores & mortem propter amorem sui Amati, postquam sapientia Amati scit omne illud, quod Amicus sustinet propter suum amorem, quia est multò majus bonum & majus placitum Amico scire, quòd suus Amatus sciat id, quod ille sustinet propter suum amorem, quàm sint mala & afflictiones, quas Amicus sustinet in esse in tormentis & laboribus & morte propter suum Amatum; nam in sustinendo afflictiones, languores & mortem propter amorem, est Amicus patiens sub obedientia Amati, & scit potestatem ad amandum, & æternitas facit durare illam passionem & obedientiam & amorem; & sic recipit Amicus influentiam & similitudines sui Amati, & Amicus, si suus Amatus ab illo tollat aliquid, quod illi dedit, non debet retrogredi ab amare, & si Amatus ab illo tollat per unum modum, dat illi per alium, in quantum illi dat patientiam, spem, obedientiam, & ipsum vestit suâ similitudine: hoc idem tibi dico amor, dixit Amicus, quòd sequatur, si Amatus det Amico aliqua bona hujus mundi, non debet Amicus magìs amare Amatum, quia illi dat & multiplicat illa dona; quia tantúm debet illum amare, quòd illum non possit plùs amare; nam si illum eò magìs amaret, quò plùs Amatus illi daret de bonis hujus mundi, tantò magìs multiplicaret Amicus primam intentionem ad hoc, quod reciperet de suo Amato, & secundam intentionem ad suum Amatum, non amando Amatum per primam intentionem, sed per secundam, & faceret contra *secundam Regulam*; & videretur, quòd, si Amatus ab eo tolleret id, quod Amatus illi dedit, Amicus haberet rationem odiendi suum Amatum: ideo amor, dixit Amicus, non videtur mihi, quòd mihi feceris sapientem quæstionem; & hanc quæstionem non facias ex nunc imposterum mihi neque ulli Amatori, qui veraciter & fideliter amat suum Amatum, sed potiùs facias illam falsis amatoribus, qui te faciunt esse inhonoratum in hoc mundo, & qui magìs amant meum Amatum, ut illis det, vel ne ab illis tollat id, quod illis dedit, quàm illum ament propter bonitatem, magnitudinem, æternitatem &c., quæ sunt in meo Amato.

3. Amor excusavit se apud Amicum, & dixit hæc verba: Amatus principiavit amare Amici de duratione & sapientia, quia Amatus est perdurabiliter scibilis & amabilis. Amice, dixit amor, secundùm hanc *octavam Conditionem Æternitatis & Sapientiæ* volo tibi loqui de tuo Amato: tuus Amatus est perdurabiliter scibilis & amabilis, & ideo principiavit amare Amici de duratione & sapientia; & idem est de amore, ut Amicus perdurabiliter amet Amatum, & illum sciat; & in hoc amare posuit Amatus bonitatem, magnitudinem, potestatem &c., ut Amicus amet Amatum cum bonitate, magnitudine, potestate &c., sic quòd simpliciter amet Amatum propter bonitatem, magnitudinem &c. Amati, secundùm quòd *secunda & decima Regula* significant: veruntamen quasi omnes homines, qui amant tuum Amatum, amant illum per contrariam intentionem, ita quòd quidam illum ament, ut illis det gloriam, alii illum ament, ne illis det pœnam, & quidam ament tuum Amatum, ut ipsis det felicitatem hujus mundi, & alii ament illum, ne illis det labores hujus mundi; & omnes isti sunt de illis falsis amatoribus, quos tu dicis, quòd multiplicent vel minuant suum amare, secundùm quòd tuus Amatus illis dat, vel ab illis tollit felicitates hujus mundi; & quasi nullum Amicum invenio, qui velit amare tuum Amatum cum vera intentione & cum vera ratione; ideo est tuus Amatus sinè fidelibus Amatoribus, & stat inter falsos amatores odio habitus & vilipensus, & ego sum parvus, quia non invenio fideles Amatores, in quibus me possim extendere & magnificare: unde ratione hujus Amice feci tibi quæstionem, quia cogitabam, quòd esses ex illis amatoribus, qui tuum Amatum amant falsè & fraudulenter.

4. *Quando Amicus magìs amat suum Amatum quàm se ipsum, tunc utitur punctis transcendentibus in durare, possificare, scire, amare, contrariare, principiare, mediare &c.* Amice, dixit amor, magìs debes amare tuum

tuum Amatum quàm te ipsum, secundùm quòd hæc secunda Conditio Æternitatis & Contrarietatis significat; & si magìs amas tuum Amatum, quàm te ipsum, tunc utéris punctis transcendentibus, secundùm quod *sexta Regula* significat, & utéris illis per omnia tua principia, per quod tantum exaltabis tuum amare, quòd non poteris progredi nec retrogredi; quia durare faciet illud perseverare in magnitudine bonitatis, durationis, potestatis &c.: & sicut tuus intellectus exaltat se ipsum, quando intelligit suum Amatum magìs bonum, magnum, durabilem, potentem &c. quàm se ipsum, & in hoc, quod intelligit de suo Amato, affirmat omne id, quod sequitur secundùm bonitatem, magnitudinem &c. sui Amati, & negat omne id, quod intelligit secundùm se ipsum contra suum Amatum, sic tunc ita exaltatur durare tui amare in durare tui Amati, per quod durat tuum amare, quòd magìs amat amare tui Amati, quàm se ipsum, & magìs possificatur tuum amare in possificare tui Amati, quàm in se ipso; & contrariare tui amare vel tui intelligere non potest tibi resistere, postquam exaltasti tuum concordare ad concordare tui Amati, & in illo tuum amare incipit super suum contrariare & concordare amare Amatum; & amare est medium amoris, quod te facit ascendere ad tuum Amatum, ut illum ames super te ipsum & propter semet ipsum; & sic uteris punctis transcendentibus super tua principia, quando magìs amas tuum Amatum, quàm te ipsum: quare tunc tibi est pulchrum dulce & placens, quidquid sustines pro tuo Amato: sed si tu Amice magìs amares te ipsum quàm tuum Amatum, tunc non posses uti punctis transcendentibus, quia non haberes virtutè nec vires, cum quibus posses altiùs ascendere quàm tua principia: imò dico tibi Amice (& considera benè hæc verba) quòd, quamprimùm aliquis magìs amat se ipsum vel alium quàm suum Amatum, tam citò cadit & descendit infrà sua principia, hoc est, quòd descendat ad malitiam & peccata, quibus vestit omnia sua principia, & sic non potest habere punctos transcendentes ad utendum suis principiis, nec potest contemplari & frui bonitate, magnitudine &c. tui Amati; & quia quasi omnes homines hujus mundi sunt in hoc defectu & in hac profunditate, dico tibi, Amice, quòd sum in tristitia & in dolore, & in illis ero omnibus diebus meæ vitæ: ploravit amor, & similiter ploravit Amicus, & clamabant ambo: o Amate! o Amate! quando habebis fideles Amatores, qui per totum mundum prædicent tuos valores?

De Fine hujus Artis.

IN hoc processu finìs hujus Artis potest Amicus comprehendere & habituare modum mixtionis, qui est principiorum, & potest habere Artem & doctrinam ad utendum principiis hujus Artis secundùm hæc verba:

Amicus & Amatus loquebantur, & Amatus conquerebatur, quòd tam parùm amaretur & cognosceretur à suo populo, cui tanta dedit; Amicus ploravit, & accusavit amorem apud suum Amatum, quia non faciebat homines magìs amare Amatum quàm ullam aliam rem: amor excusavit se, & dixit de sapientia hæc verba:

1. In principio, quando gentes ceperunt intelligere opera mei Amati, fuit data Ars & doctrina sapientiæ per Philosophos, qui nos præcesserunt, ita quòd sapientia habuerit multos servos, qui illam posuerunt in multis & diversis Artibus, & quia non habuerunt curam de me, non dederunt Artem, per quam docuissent homines amare meum Amatum, secundùm quòd dederunt Artem, per quam Amatus cognoscatur; & sic habent gentes sapientiam artificialiter, & non habent me secundùm Artem; ideo si gentes magìs intelligant Amatum, quàm illum ament, non est mea culpa, quia, qui nos præcesserunt, majus adjutorium fecerunt sapientiæ quàm mihi: imò dico Amice, dixit amor, quòd ego debeam conqueri de bonitate, magnitudine &c., quia sum æquè bona ac sapientia, quare defecerunt bonitas & magnitudo contra me, quòd me non tantùm bonificaverint & magnificaverint in doctrina & Arte amandi meum Amatum & se ipsas, quantùm bonificaverunt & magnificaverunt sapientiam ad intelligendum.

2. Sapientia respondit amori, & dixit: quòd antiqui, qui transierunt ex hac vita, sapienter fecerint id, quod fecerunt in ponendo ipsam in Artibus, ut gentes haberent modum vivendi per intelligere, & ut sapientia esset lumen, quod præcederet amorem illuminando illum, ut amet

suum Amatum & sua opera: sed tu amor, dixit sapientia, inamorasti gentes temporalibus bonis, & facis illas magìs amare simpliciter se ipsas & sua opera, quàm tuum Amatum & sua opera, & non vis accipere illuminationem à me, quæ te doceo nobilitatem & altitudinem Amati & suorum operum, & vilitatem hujus mundi & omnium suorum amatorum; ideo conqueror de te, amor, & etiam dico tibi, quòd non sim contenta de bonitate, quia te non bonificat, nec de magnitudine &c., quia te non magnificat tali modo, quòd tu me ames, secundùm quòd de me posses habere Artem & doctrinam.

3. Excusavit se bonitas, & accusavit magnitudinem, quòd illam non magnificaverit in magnitudine & amore, & similiter accusavit durationem &c., quòd illam non fecerit tantùm durare in magnitudine, quòd bonificâsset sapientiam & amorem tali modo, quòd sapientia sciret, & amor amaret magis bonitatem Amati, quàm ullam aliam bonitatem; quia si magnitudo & duratio mihi, ait bonitas, completè dedissent suas similitudines, in tantum bonificassem sapientiam & amorem, quòd Amatus magìs amaretur & cognosceretur, quàm ulla alia res.

4. Non placuit magnitudini, quòd bonitas illam inculpaverat, & similiter non placuit durationi, & magnitudo dixit ad bonitatem hæc verba: si tu bonitas me tantùm bonificasses, quantùm me potes bonificare, ego te magnificassem secundùm meam potestatem; sed tu bonitas putas, quòd ego te possim magnificare, & quòd tu sis otiosa ad multiplicandum tuam similitudinem in me & in duratione &c., quæ tantùm finis multiplicari malitiam, quæ conatur, quantùm potest, quòd tibi det suas similitudines, & tibi tollat tuas; & in hoc non facis bene bonitas, dixit magnitudo, quòd me & alia principia inculpes; & mihi videtur, quòd tu sis acediosa, injuriosa & similis malitiæ, quæ est tuum contrarium & contrarium omnium nostrùm.

5. Duratio fuit irata bonitati, quòd eam accusavisset coram Amico & Amato & coram principiis substantiæ, & dixit ad bonitatem: & quomodo bonitas, putasne tu, quòd ego tibi faciam durare tuum bonificare, quòd habes in Arte Scientiæ & in Arte Amantiæ, & non habes curam & solicitudinem bonificandi *Artem Recolentiæ*? & nonne esset æquè magnum bonum, quòd esset *Ars Memorativa*, per quam homo haberet Recolentiam præteritarum rerum, sicut est Ars Inventiva & Amativa ad sciendum & inveniendum & amandum ea, quæ sunt, & quæ erunt? & quomodo bonitas, nonne est tantus honor Amato, quòd recolatur, quantus est, quòd intelligatur & ametur? & nonne ego sum tam benè similitudo suæ æternitatis, quàm sapientia Amici sapientiæ Amati, & amor Amici amoris Amati? & tu bonitas habes diligentiam & curam, quod sit *Ars Inventiva & Amativa*, & non curas de *Arte Memorativa*, nec ullo tempore audivi dici, quòd aliquem hominem rogasses, quòd daret materiam ad recolendum Amatum, & finis à gentibus obliviscì Amatum & sua opera.

6. Potestas taceret, si auderet, sed quia alia Principia loquebantur & se excusabant, dixit ad Amatum hæc verba: Domine Amate, ego possem in parte me excusare à criminibus, quæ bonitas, magnitudo &c. posuerunt super me in hoc, quòd non tantùm possificem unum principium in alio, quòd faciam, quodlibet te honorare & tibi servire secundùm suam proprietatem & naturam, tamen affero aliquam excusationem in tantum, quòd bonitas & magnitudo &c. non perfectè consentiant, quòd in illis possim uti meo proprio officio, & sic, quando illæ deficiunt, benè cognosco & confiteor, quòd ego deficiam illis, & sic me non omninò excuso, & ignoro, unde accidat & unde veniat, quòd quasi ad hoc venerimus secundùm tempus, in quo sumus, quòd quælibet quasi omninò sint contra alia; ideo judicarem bonum, quòd omnes insimul à te peteremus veniam, quòd nobis parceres, & quòd à nobis nullo modo separares finem, propter quem sumus, sed quòd supra nostras vires nos dirigeres, & nos adjuvares ad honorandum te, & ad serviendum tibi, ita quòd tu faceres hoc totum; sed quia in parte hoc committis nobis & libertati, quam nobis dedisti, destruimus hoc totum propter defectum, qui est in nobis propter malum usum, in quo mundus diu stetit.

7. Virtus, dixit Amatus, & quid dicis tu? Domine Amate, dixit virtus, tantùm multiplicantur vitia in hoc mundo, & tan-

tùm ſum erga te culpabilis, quia non ſum magìs orta in unitate bonitatis, magnitudinis &c., ut facerem, quòd homines te laudent & honorent, & tibi ſerviant, quòd mihi non ſufficiat fortitudo nec modus, quo poſſim à te petere veniam, & quo me poſſim apud te excuſare, nec poſſum excuſare aliquem meorum fratrum vel mearum ſororum, ſed ſto verecunda & in triſtitia & ploratu ante tuam præſentiam, ſperans à te gratiam & benedictionem & judicium, ſecundùm quòd placebit tuæ ſanctæ juſtitiæ, erga quam ego ſum tam culpabilis.

8. Dùm virtus loquebatur, plorabat & plangebat veritas, & dixit Amatus: quare ploras? reſpondit veritas & dixit, quòd ipſa ploraret, quia tam parum poſuiſſet in vero de bonificare, magnificare, durare &c.; & ploro etiam Domine Amate, quia falſitas tantum poſuit in falſo de malificare, parvificare: unde cùm tu, Amate, ſis in tam magna veritate bonitatis, magnitudinis &c., quare ſinis me à falſitate ita ſuperari, malè tractari & occidi? & quare tua veritas non transmittit mihi tot de ſuis ſimilitudinibus, quòd ego falſitatem hujus mundi poſſim capere, incarcerare & occidere?

9. Dum veritas plorabat, & cum ſuo Amato loquebatur, conſiderabat gloria, de quæ gloria poſſet loqui cum ſuo Amato, & ſuſpirans & plorans dixit hæc verba ad Amatum: quando conſidero homines, qui tranſiverunt de hac vita, & quando conſidero, quàm pauci ſint illi, qui ſunt in tua gloria reſpectu illorum, qui ſunt in pœna, in qua blasphemant & maledicunt tibi, Amate, qui es tam dignus amari, cognoſci & honorari, conſiderando hoc perdo virtutem & vires, & non poſſum dare conſolationem bonitati, magnitudini &c.; & ſic ego, quæ ſum gloria, ſto in triſtitia propter te Amatum: ideo potes conſiderare, quanti ſint labores, quos ſuſtineo, & quomodo in meis laboribus multùm affligantur principia ſubſtantiæ, & quòd ſit magna privatio quietis in pœna, quam ſuſtineo: Amate, dixit gloria, & ubi eſt tua gloria, cujus ſimilitudinem mihi dediſti? & ubi eſt tua miſericordia & tua pietas? & quare tu Amate non deſideras, quòd multi homines ſint in tua gloria, & quòd pauci ſint in pœna? & etiam quòd illi, qui ſunt in gloria, ſint in valde magna magnitudine bonitatis &c., ut poſſint eſſe poſſeſſores valde magnæ gloriæ?

10. Amate, dixit differentia, tu es unus, & tuus Amicus alius, & quò magìs es diſtinctus à tuo Amico, eò majores ſimilitudines poteſt mihi de ſe ipſa dare differentia, quæ eſt inter te Amatum & tuum Amicum, & eò magìs poſſum eſſe remota à confuſione in principiis ſubſtantiæ; ſed non ſcio, quomodo poſſit eſſe, Amate, quòd homines hujus mundi ſint in tam magna confuſione, quia quidam ſunt boni per unum modum, & mali per alium; & quidam ſunt magni in poteſtate, & parvi in virtutibus & voluntate; & ſic de aliis principiis: unde ratione hujus ego, quæ ſum inconfuſio, exiſto confuſè inter gentes, & ſum inconfuſio intra ſubſtantiam, & confuſa extra per mala opera, & per perverſos rectores, & conqueror apud te de concordantia, quòd me non removeat à contrarietate, quæ me facit exiſtere confuſè in mundo, nec illa ſe removet tantúm, quantúm poſſet, à contrarietate, & ibi eſt malè contenta, & participat cum ſuo contrario.

11. Malè ſuſcepit concordantia, quòd differentia de illa dixerit talia verba, & dixit ad Amatum: differentia accuſat me de hoc, de quo deberet ſe ipſam accuſare; nam tu benè ſcis, quòd differentia naturaliter habeat majorem proportionem & naturam, quòd ſit in me, quàm in contrarietate, cùm ego ſim ſubſtantiale principium, & differentia ſimiliter, & contrarietas ſit tantùm accidentale principium; ſed differentia dilatat & extendit ſe tantúm in contrarietate, & recipit tantúm ſuam ſimilitudinem, quòd quaſi ſe totam colorat & ſe veſtit contrarietate, & reſiſtit, quantúm poteſt, recipere meas ſimilitudines ſecundùm bonitatem, magnitudinem &c., & recipit ſimilitudines contrarietatis ſecundùm malitiam, parvitatem &c.: veruntamen, Amate, tui oculi perhibent tibi inde teſtimonium, quia vides per experientiam, quòd differentia in hominibus hujus mundi ſit magìs in contrarietate bonitatis, magnitudinis &c. quàm in me, quæ ſum concordantia bonificativi & bonificabilis, & magnificativi & magnificabilis, & bonitatis, magnitudinis &c.: cùm enim proportionaliter ordino & ordinatè naturo, quòd ſim concordantia unius & multorum in bonitate magnitudine &c., tunc venit differentia in contrarietatem, & contrarietas in differentiam, quæ diſſipant & deſtruunt omne id, quod ordinavi & concordavi; ideo conqueror apud te, Amate, de differentia, & ſimiliter de contrarietate.

12. Amate, dixit contrarietas, quare conqueritur concordantia de me, nonne ego contrarietas ſum ſuum contrarium? & quando illi transmitto meas ſimilitudines, quare accipit illas concordantia? & quare credit huic, quod ipſi dico? ego facio meum officium, & ſi illa non benè faciat ſuum, quid ad me? imò dico tibi, Amate, quòd concordantia mihi faciat injuriam & omnibus aliis principiis ſubſtantiæ; mihi facit injuriam, in quantum ſe immiſcet meo officio, quia ego ſum illud ens, quod reſiſtit fini rerum, & illas vult deviare à ſuo fine, & applicare non fini; & concordantia facit hoc idem, in quantum facit, gentes magìs concordare cum minori fine, quàm cum majori: facit etiam injuriam bonitati, quia ſe magìs delectat in malis quàm in bonis, & ſimiliter facit injuriam magnitudini & aliis, quia minor eſt magnitudo boni quàm magnitudo mali: & igitur Amate, dixit contrarietas, cùm ipſa ſe malè gerat, & ſit naturaliter fortior quàm ego, quare conqueritur de me, & quare patitur, quòd ego ponam reſiſtentiam inter illam & alia principia ſubſtantiæ, poſtquam illa eſt tam fortis & tam potens, quòd me poſſit capere & ligare, & quòd de me poſſit agere pro ſuâ voluntate, cùm ipſa ſit ens ſubſtantiale & accidentale, & ego accidentale tantùm?

13. Principium accuſavit medium apud ſuum Amatum, & dixit, quòd medium illud perturbaret in hoc, quòd conjungeret unum principium cum alio improportionatè & inconvenienter, & in illa conjunctione conjungeret contrarietatem & minoritatem, quæ ipſi ſuffocant quaſi ſuum totum principiare: unde, quando illud per medium volebat venire ad finem, invenit medium totum alteratũ & immutatum à ſua natura, & non potuit tranſire per illud medium ad finem, quem deſiderabat; nam Amate, dixit principium, quando principio principiare cum bonitate, magnitudine, duratione, medium, quod eſt principiare procedens de principiativo & principiabili, induit ſe contrariare de contrarietate, & minorificare de minoritate, & ſic facit me tranſire per contrarietatem & per minoritatem, quarum ſimilitudines mihi dat, & tollit à me ſimilitudines bonitatis, magnitudinis, concordantiæ, majoritatis, finis &c.; & ſic non poſſum quieſcere in fine.

14. Medium excuſavit ſe apud Amatum, & accuſavit principium & finem, & dixit hæc verba: Domine Amate, in te eſt fidelitas, amor & juſtitia, principium conqueritur de me, ſecundùm quòd audis, & tu Domine ſcis, quòd amor conqueratur apud te de illo, quia dixit, quòd in principio Sapientes, qui nos præceſſerunt, non dederunt Artem & doctrinam amandi, & dederunt Artem & doctrinam ſciendi: etiam Domine Amate, duratio conqueritur de principio, quia non poteſt perficere, quòd detur Ars recolendi, ſicut datur Ars intelligendi & amandi; etiam dico tibi, Domine, quòd principium & finis faciant contra me injuriam & peccatum, quia ego non ſum aliud, niſi id, quod venit de influentia finis & de refluentia principii; nam de illis procedo, & ſum id, quod ſum, & debeo ſapere naturam illorum amborum; ſed cum tam magna confuſione finis me influit, & principium me refluit, miſcentes in illa influentia & refluentia bonitatem cum malitia, & magnitudinem cum parvitate &c., quòd me totum faciant exiſtere inter homines inordinatum & confuſum, ideo conqueror de illis apud te Domine, & niſi mihi facias juſtitiam, nolo deinceps habere libertatem, quam mihi dediſti, quia principium & finis me ejiciunt de mea natura; quære tibi aliud medium, in quo libertas conſervetur.

15. Finis non audebat ſe excuſare, nec audebat accuſare medium apud Amatum, ſed conquerebatur de majoritate, dicendo hæc verba: tu vis, quòd ego ſum principium, in quo principium poteſt quieſcere; tu Amate ſcis, quòd majoritas fortiùs extenditur in mundo in mea contrarietate, quàm in mea concordantia, & illi magìs placet majorificare non finem quàm me, & tantúm perſeveravit majoritas in non fine, quòd vix poſſum illam inclinare & inducere ad aliquid, quod ſit meæ naturæ & meæ ſimilitudinis; unde facio te ſcire, Amate, quòd, ſi majoritas diu habet talem poteſtatem & talem uſum in mundo, ipſa cum toto mundo peribit; & mihi

videtur Amate, quòd tu das gentibus similitudinem, quòd parùm æstimes finem, propter quem creasti mundum, & quòd majoritas possit deviare mundum à me, & quòd illum possit applicare ad meum contrarium: ploravit finis, & similiter fecerunt bonitas, magnitudo &c., & omnes insimul accusaverunt majoritatem apud Amatum.

16. Majoritas mirabatur, quare omnia principia substantiæ Amici & Amati illam accusarent, & dixit hæc verba: Domine Amate, tu creasti me majorem in fine intellectualium, quàm in fine sensualium, & tu vis, quòd ego sim imago immensitatis tuæ bonitatis, magnitudinis &c., ut in me repræsententur tua principia esse majora quàm ulla alia principia: Amate valeant mihi apud te sapientia & charitas & ratio, quia tu scis, quòd ego sim materia bonitati, magnitudini, durationi &c., quòd quodlibet principium capiens meas similitudines possit majorificare suas similitudines & sua opera: unde quod malum mereor de bonitate, si illa fortiùs de me vult majorificare suum sensualem finem quàm suum intellectualem finem? hoc idem dico tibi Amate de magnitudine & cæteris: Amate non credas ipsorum verbis, & si injustè agunt accusando me, & dando me plùs minori fini quàm majori, facias mihi justitiam & vindictam; & si ego injustè ago, peto à te veniam, & volo me subjicere tuæ justitiæ & tuæ voluntati, & volo habere spem in tua misericordia.

17. O Amate, dixit æqualitas, quàm pulchrè loquitur majoritas, quomodo vult cum suis blandis dictis excusare se ipsam, & accusare nos omnes: & quomodo majoritas, dixit æqualitas, an nescis, quòd ego sim naturaliter in substantia Amici inter bonificativum & bonificabile, magnificativum & magnificabile &c. intellectualiter & sensualiter: ex quo sequitur, quòd, secundùm quòd ego sum intrà subsantiam subjectum, in quo naturaliter quiescit finis concordantiæ & bonitatis, magnitudinis &c., sic deberet sequi in extrinseco opere; sed tu majoritas turbas hoc totum cum contrarietate, quæ te in hoc adjuvat, & similiter facit minoritas, quia, quantúm potes, vis esse super me & super minoritatem, ut sis magna in mundo, & ut ego & minoritas simus in parva quantitate; & cùm de bonificativo & bonificabili deberet sequi coæquare, facis tu, quòd inde sequatur inæquare, in quo sis major quàm minoritas; ideo facis injuriam & peccatum, & facis malum tibi ipsi, & omnibus nobis, & es contra amorem Amici & Amati.

18. Omnia principia voluerunt, quòd minoritas loqueretur coram Amato, & omnia steterunt parata, quòd, si minoritas accusaret illa apud Amatum, ipsam reprehenderent, quia in amare, cognoscere, honorare Amatum & servire illi minoritas dabat ipsis suas similitudines, ut inde Amatus minùs amaretur, cognosceretur, honoraretur, & ei minùs serviretur per minoritatem; & ipsa dixit, quòd esset ens propè nihil, unde non esset tale ens, quod deberet accusare aliud de aliquo defectu, quem faceret, quia tot defectus haberet in se ipsa, quòd esset satis occupata in accusare se ipsam; & dixit, quòd ipsa esset in culpa, quia in servire Amato dabat aliis principiis suas similitudines, cum quibus illa inclinabat, quantúm poterat, ad non esse, & illa elongabat ab Amato, & quòd ipsa haberet culpam de culpâ, quam habent alia principia, quia ab ipsâ recipiunt suas similitudines: minoritas tantúm se humiliavit, quantúm potuit, & fugit à contrarietate sui ipsius & aliorum principiorum, quæ rogavit, quantúm potuit, quòd omnia insimul peterent veniam ab Amato, ut cum illis non intraret in judicium; omnia principia consenserunt minoritati, & omnia insimul clamarunt: miserere, miserere, Amate, Amate!

Finita est Ars Amativa, quæ noviter est inventa hâc intentione, ut per totum mundum cognoscatur & ametur noster Dominus DEUS, cujus custodiæ illam commendamus, & similiter custodiæ Sanctorum Angelorum & omnium Sanctorum, & omnium illorum, qui abnegant semet ipsos, & sequuntur nostrum Dominum DEUM. Anno Nativitatis M CCXC., in Vigilia Sancti Laurentii fuit ista Ars inventa per gratiam nostri Domini JESU Christi.

TABU-

TABULA,

QUÆ EST

De Explanatione Vocabulorum hujus Artis secundùm Alphabetum.

HÆc Tabula est de verbis, quæ sunt in Latino in hac Arte, quæ declaramus illis, qui nesciunt latinum, ita quòd, si non intelligant illa verba, recurrant ad hanc Tabulam, in qua sunt declarata: & si verbum incipiat ab A. vel B. vel C. inquirant illud in hac Tabula in illa litera rubea vel cærulea, à qua incipit.

Abstractio est natura rei simpliciter acceptæ, sicut humanitas hominis, & justitia justi, & bonitas boni, & magnitudo magni &c.

Accidens est id, quod non potest per se existere sed in alio, sicut color, qui non potest existere sinè colorato, & calor sinè igne, & loqui sinè homine, & intelligere sinè intellectu.

Actio est illius, qui agit in illud, quod patitur, sicut ignis habet actionem in aërem, quando illum calefacit, & dominus, qui dominatur suo servo.

Actus intelligitur duobus modis, primus est esse, sicut esse rei, quæ est; secundus est agere rei, sicut intelligere, loqui, videre, calefacere, currere, & alia similia.

Agens est id, quod operatur de aliquo.

Agentia est essentia operandi.

Alteratio est mutatio rerum, sicut homo non justus, qui mutatur ad esse justus, quando facit bona opera, & sicut vinum, quod mutatur, quando fit acetum.

Amabundus est idem dicere, ac abundans amore; & hoc idem intelligitur de *bonificabundo*, qui est abundans bono, & de *amoroso*, qui est completus amore, & de *bonoso*, qui est completus bono; & sic de aliis verbis his similibus.

Amantia dicitur de voluntate, quæ amat, sicut scientia de intellectu, qui intelligit.

Amativa dicitur de amare, sicut visiva de videre.

Animal est omne id, quod sentit, sicut homo, bestia, avis, piscis.

Antecedens est id, de quo est aliud, sicut homo est id, de quo sequitur animal, & de bonitate bonum.

Bonificativum est bonum, quod agit bonum sub ratione bonitatis; & bonificabile est id, quod est dispositum ad esse bonum; & bonificare est actus bonitatis; & bonificatum est id, quod est factum bonum: & hoc idem intelligitur de intellectivo, intelligente, intelligibili, intelligere, intellecto; & sic de aliis his similibus.

Chäos est confusio & mixtio elementorum & omnium rerum corporalium generabilium & corruptibilium, quæ sunt intrà chäos, & sunt de sua essentia & natura, & quod complet totum spatium sub luna.

Compositum est id, quod est conjunctum ex multis, sicut elementatum ex quatuor elementis, & homo ex corpore & anima.

Conclusio est affirmare vel negare aliquid per necessitatem aliquorum præcedentium dictorum, veluti si dicatur, hic homo est bonus, ergò convenit, quòd faciat bona opera.

Concretum est, veluti bonum de bonitate, & justum de justitia.

Conditio est in hac Arte mixtio suorum principiorum, stante uno conditionato in alio, secundùm suas definitiones & proprietates, sicut bonitas, quæ est conditionata in esse magna sub ratione magnitudinis, & in esse durabilis sub ratione æternitatis, & est magna & durabilis secundùm suam propriam conditionem, hoc est, quòd sua magnitudo & sua duratio sit bona; & hoc idem sequitur de conditione in aliis elementis.

Consequens est id, quod sequitur per antecedens, de quo diximus, sicut si est cultellus, convenit, quòd sit ferrum; & si est justus, convenit, quòd sit justitia.

Constituere est de multis rebus facere aliud, sicut de anima & corpore constituitur homo.

Contentum est res contenta in re, in qua stat, sicut vinum in ampulla, vel homo in camera, in qua stat.

Contiguitas est contactus & convenientia rerum, sicut in homine, in quo caro & ossa se tangunt.

Continens est id, quod continet hoc,

quod in illo ſtat, ſicut ampulla, quæ continet vinum.

Continuitas eſt integritas ſinè diviſione ab una parte uſque ad aliam.

Contingens eſt id, quod poteſt evenire fortuitò, ſicut ruſticus poteſt per fortunam fieri eques.

Contingentia eſt fortuna.

Contractio eſt conjunctio alicujus rei cum alia, ſicut bonitas conjuncta cum homine, ut homo ſit bonus & juſtus.

Definitio eſt declaratio rei per ſua propria principia, ſicut magnitudo eſt id, per quod bonitas eſt magna.

Differentia eſt id, quod facit, quòd unum non ſit aliud, hoc eſt, quod facit, quòd unus homo non ſit alius, & quòd homo non ſit lapis.

Diſcurrere eſt inquirere multa & diverſa.

Diſparatio eſt remotio rerum in natura, ſicuti homo, qui eſt diſparatus ab aſino, & eſt remotus à natura aſini.

Diſpoſitio eſt præparatio rerum, per quam res præparantur ad aliquem finem, ſicut divitiæ ſunt diſpoſitio ad faciendum bonum, & equus ad currendum.

E converſo eſt idem dicere, ac converſio duorum, ſicut homo, qui eſt riſibilis, & riſibile, quod eſt homo.

Elementativa eſt poteſtas elementi, cum qua elementum facit id, quod facit, ſicut oculi, qui habent viſivam potentiam in hoc, quòd cum illis videamus id, quod videmus.

Ens eſt tota res, & tota res eſt ens.

Entitas eſt eſſentia entis, quæ eſt ſuus actus.

Eſſentia eſt id, per quod eſt eſſe, ſicut humanitas eſt eſſentia, per quam eſt homo.

Exiſtentia eſt proprietas & natura, per quam res exiſtit.

Explicitè eſt, quando una res explicatur de alia, veluti dicere, quòd in DEO ſit bonitas, & in igne calor.

Extenſitas eſt extenſio rei.

Extrinſecitas eſt idem, quod res, quæ eſt ad extra.

Figura eſt id, quod ſenſus hominis attingit videndo vel tangendo, ſicut videre figuram hominis in pariete, vel ſentire calorem in aqua, qui eſt figura caloris ignîs.

Finitas eſt id, per quod res terminatur.

Forma eſt id, quod dat eſſe rei, ſicut anima, quæ dat eſſe corpori.

Genus eſt id, quod ſtat ſupra diverſas res in natura, ſicut animal, quod ſtat ſupra hominem & equum & leonem &c., ita quòd homo eſt animal, & leo eſt animal.

Habitus eſt id, quod veſtit de ſe ipſo hoc, quod illum habet, ſicuti juſtitia, quæ veſtit hominem juſtum, & ſcientia hominem ſapientem, & tunica & pallium hominem veſtitum.

Imaginativa eſt poteſtas, cum qua homo imaginatur imaginabilia, ſicut homo, qui cum ſua imaginatione imaginatur figuras, quas vidit, & terras, in quibus fuit; & ſic de cæteris.

Immenſitas eſt magnitudo ſinè menſura.

Implicitè eſt, quando quid implicatur in alio, ſicut in bonitate, in qua eſt bonificans & bonificabile, & in homine anima & corpus; & ſic de reliquis.

Impoſſibile eſt id, quod non poteſt eſſe.

Inconfuſio eſt id, per quod res ſtant apparentes diverſæ, ita quòd appareat, quòd una non ſit alia, ſicut bonitas, quæ apparet, quòd non ſit magnitudo, nec homo lapis.

Individuum eſt quid ſingulare, veluti Petrus, Martinus, iſte equus, iſte canis.

Infinitas eſt extenſio, quæ non habet terminum, ſicut DEUS, æternitas, qui non habent principium.

Intenſitas eſt puritas rei, veluti bonitas eſt puritas boni, & calor calidi.

Limitatio eſt terminatio continentis & contenti.

Materia eſt id, de quo agens operatur ſub ratione formæ.

Mixtio eſt confuſio multarum rerum, velut vini & aquæ, quando miſcentur.

Neceſſarium eſt id, quod nullo modo poteſt evitari, ſicut homo, qui non poteſt evitare, quòd non habeat corpus, & ignis, quòd non habeat calorem.

Objectum eſt id, quod comprehenditur per potentiam, ſicut veritas quæ comprehenditur per intellectum, quando illam intelligit, & calor, qui comprehenditur per viſum, quando illum videt.

Organum eſt inſtrumentum, ſicut oculi, qui ſunt inſtrumentum ad videndum, & lingua ad loquendum.

Particulare eſt id, quod cum alio ſtat ſub una communi natura, veluti ſub homine ſtant Petrus & Martinus.

Paſſio eſt de illo, qui patitur ſub aliquo, quod agit, ſicut aër, qui habet paſſionem ſub igne, qui illum calefacit, & ſervus ſub ſuo domino, qui illi dominatur.

Poſſi-

Poſſibile eſt id, quod poteſt eſſe.

Potentia intelligitur duobus modis: *una* potentia eſt id, quod accipit objectum; ſicut intellectus, qui accipit veritatem, & viſus, qui accipit colorem, & voluntas amatum: *alia* potentia eſt id, per quod illud, quod non eſt, poteſt eſſe, ſicut in manu hominis, in qua poſſunt eſſe vermes.

Prædicatum eſt id, quod dicitur de aliquo, veluti de homine, de quo dicitur animal, & de lapide corpus; nam omnis homo eſt animal, & omnis lapis eſt corpus.

Privatio eſt, quando id, quod erat, non eſt, ſicut homo, quando eſt mortuus, non eſt id, quod eſſe ſolebat.

Propinquitas eſt idem dicere, ac prope.

Proportio eſt ordo gradûs ad aliquid, ſicut ad regimen eques, Comes vel Rex, vel ſicut ad hominem ſentire, imaginari & intelligere.

Proprietas eſt id, per quod res definitur & cognoſcitur, ſicut homini, cui eſt proprium ridere, & igni comburere.

Punctus tranſcendens eſt ille, per quem homo aſcendit ad intelligendum ſupra ſuas vires, ſicut intellectus, qui aſcendit ad intelligendum in DEO, quòd bonitas, magnitudo & æternitas &c. ſint unum in numero ſub rationibus realibus & inconfuſis.

Qualitas eſt id, quod rem facit eſſe talem, qualis eſt, ſicut hominem fortem vel fragilem, vel album vel nigrum, vel ſcribam vel nautam.

Quantitas eſt id, cum quo menſurantur res, ſicut per longum latum & profundum menſuratur corpus, vel per duo vel per tria vel per plura menſurantur numerata.

Quidditas eſt eſſentia alicujus rei, veluti aurëitas, quæ eſt eſſentia auri, & humanitas hominis.

Ratio intelligitur duobus modis: *una* eſt id, per quod homo eſt homo; & *altera* eſt ſimilitudo realitatis, quam intellectus capit in ſe ipſo, quando aliquid intelligit.

Realitas eſt eſſe rei, quæ eſt extra intellectum, veluti proprium eſſe lapidis, quod non eſt in intellectu, vel argenti, & ſic de omni re.

Relatio eſt id, per quod unum de neceſſitate demonſtrat aliud, ſicut ſi eſt pater, convenit, quòd ſit filius; & ſi eſt unum ſimile, convenit, quòd ſit aliud; & ſi eſt unum æquale, convenit, quòd ſit aliud; & ſi eſt major, convenit, quòd ſit minor.

Remotum eſt idem dicere, ac longinquum.

Senſitiva eſt poteſtas rerum, quæ ſentiunt, ſicut homo, qui habet ſentire, cum quo ſentit calorem vel frigus.

Simplicitas eſt pars compoſitionis, ita quòd de multis ſimplicibus fiat compoſitum, ſicut de quatuor elementis fit corpus elementatum compoſitum.

Situs eſt ſtatus corporis, ſicut in ſedendo vel jacendo, vel recumbendo vel ſtando pedibus, vel videndo.

Species eſt una natura communis multis individuis, ſicut humanitas Petro & Joanni, & color albedini & nigredini.

Subjectum eſt id, quod ſtat ſub accidente, ſicut homo ſub currere, & ferrum ſub calefacere.

Subſtantia eſt id, quod ſtat per ſe & ſub accidente, ſicut homo vel lapis, qui ſtant per ſe & ſub colore & quantitate &c.

Succeſſio eſt idem dicere, ac unum, quod eſt poſt aliud, ſicut filius, qui ſuccedit in hæreditate poſt ſuum patrem, & ſicut in ſeptimana, in qua eſt una dies poſt aliam.

Superficies eſt ſuprema extremitas corporis, in qua apparet color corporis.

Suppoſitio eſt id, per quod homo ſupponit, res eſſe vel non eſſe ſinè aliqua probatione, veluti ſupponere, quòd DEUS ſit, vel non ſit, vel quòd ſit aliud ſæculum, vel quòd non ſit.

Suppoſitum eſt id, quod per ſe exiſtit, & quod eſt poſitum ſub alio, ſicut dicitur de ſubſtantia.

Vegetativa eſt poteſtas rei creſcentis vel decreſcentis, generabilis vel corruptibilis per viam naturæ; cum qua poteſtate facit naturale agens ſua opera; ſicut in arbore, in qua vegetatio vegetat folia, flores & fructus.

Univerſale eſt id, quod includit multa ſub ſe, ſicut populus continet multos homines ſub ſe, & domus multos lapides.

De his verbis, quæ declaravimus, procedunt multa alia verba, ideo debet homo ea judicare ſecundùm illa, quæ declaravimus; ſicut de ſenſitiva, de qua deſcendit ſentire, quod eſt opus ſenſitivæ, & ſicut ſenſibile, quod eſt diſpoſitum ad eſſe ſentitum, & ſicut ſentitum, quod eſt hoc, quod homo ſentit, & ſic de aliis his ſimilibus.

Finita eſt Tabula ad gloriam & ad laudem noſtri Domini DEI, qui cognoſcatur & ametur ab omnibus populis de generatione in generationem.

Amen.

)o(

Notæ in præcedentem Tractatum.

NOta 1. *Per gratiam DEI & adjutorium noſtri B. Magiſtri complevimus tertium Inſtrumentum, ſcilicet* Artem Amativam *deſtinatam uſui tertiæ Potentiæ Animæ rationalis, ſcilicet Voluntati, quam Artem Amativam ex vulgari & nativa Lingua D. Authoris, h. e. ex Lemovicenſi, in qua ab illo ſcripta erat, vertimus in Latinam, prout ipſemet Illum. Doctor propoſuerat facere, út habet* fol. 3. n. 7., *quod, an fecerit, ignoramus: unde, quamvis Exemplaria jam translata in Latinum ad manus fuerint, noluimus illis fidere; tum quia translatio non ſapit Stylum Authoris, nec ubique exprimit genuinum ſenſum; tum quia notæ additæ terminis Artis à Translatore (v. g. quid ſit Amatus, Amicus &c.) multoties, imò plerumque ſunt contra mentem Doctoris; & utinam nobis liberum fuiſſet hoc ipſum exequi circa* Artem Inventivam, *cujus Translatio in Latinum facta ab Alphonſo à Proaza & ejus Amanuenſi F. Dominico Senenſi ex Ordine Minim. eximiis Diſcipulis ipſius Illum. Doctoris non eſt ſatis conformis modo ſcribendi uſitato à D. Authore; nam hi egregii Viri volentes aliquid tribuere opinioni vulgi, dum ſatagunt aliquantisper mitigare putatitiam barbariem Latinitatis, multùm amaricarunt dulcedinem profundiſſimæ Scientiæ, quæ in humili & plano ſtylo ſe ultrò legentibus offert, quod collatis inter ſe his duabus Artibus facilè poteritis videre & guſtare: hinc*

Nota 2. *Altitudinem hujus Artis non conſiſtere* in ſublimitate ſermonis, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritûs & Virtutis *1. ad Cor. c. 2. v. 1. & 4.*: cùm eſſem parvulus loquebar ût parvulus, ſapiebam ût parvulus, cogitabam ût parvulus; *nam arbitrabar, totam efficaciam perſuadendi non eſſe ſitam in alio, quàm in verbis alto cothurno incedentibus ad Leges ethnicorum Rhetorum; plùs mihi ſapiebat Ars fandi Tullii, quàm Ars amandi B. Lullii, quia plus me delectabat inanis ſtrepitus barbaræ Latinitatis, quàm humilis & delectabilis Suada Chriſtianæ Veritatis*; quando autem factus ſum Vir, evacuavi, quæ erant parvuli *1. Cor. c. 13. v. 11.*; *nam abjeci puerile crepitaculum, & reliqui magiſtros purientes auribus, videlicet prædictos ethnicos Oratores: qui igitur mecum cupit guſtare fructus hujus Artis amandi dulciores omni melle, non abhorreat ab inuſitatis vel (út ajunt) barbaris & abjectis vocabulis, aſſueſcat paulatim altitudini rerum abſconditarum ſub altiſſimis principiis, quibus animus cupidus veri & boni ſemel ineſcatus facilè ſpernet æs ſonans & cimbalum tinniens inutilis ornatûs verborum.*

Nota 3. *Quòd Mens B. Authoris fuerit transferre hanc Artem amandi ex ſua nativa Lingua in varias Linguas, videlicet Latinam & Arabicam, út habet* fol. 3. n. 7.; *item in Linguam Græcam & Hebraicam* ibid n. 8., *ſcilicet ad convertendos Saracenos, Judæos, Schiſmaticos & Paganos; ex quo loco & aliis, quos adducemus in Actis illius, Vincentius Mut potuiſſet conſpicere*, an certum ſit, Raymundum hebraicè neſciiſſe, neque ſcire interfuiſſe ejus vocationis; *quaſi verò Illum. Doctor habuiſſet majorem rationem convertendi Saracenos per ſuam Artem Generalem, quàm Schiſmaticos & Judæos, quæ tamen ipſi eſt data à DEO,* ut per illam totus mundus reducatur ad bonum ſtatum, ſicut ibid. docet n. 10., *qui eſt finis hujus & omnium Artium illius, propinquiſſimus ultimo & ſupremo fini.*

Nota 4. *Illum. Doctor tradidit modum transferendi unam Linguam in alteram per exemplum hujus Artis Amativæ, ibid.* fol. 3. n. 6.; *unde cùm omnes Linguæ habeant adhuc grandem defectum verborum, quibus res exprimantur, docet, quomodo inveniantur vocabula ad hoc neceſſaria, quamvis non ſint uſitata in illa Lingua, cujus laudabili & utiliſſimæ intentioni obſecundantes ſumus aggreſſi arduum Opus Artis ſignificandi, transferendo* Artem Generalem *de qualibet Lingua in quamlibet.*

Nota 5. *Præter alias Utilitates hujus Artis, quas B. Author recenſet* n. 9. dicto fol. 3., *hæc eſt prima & fundamentalis, cui cæteræ inædificantur, ſcilicet*, quòd per hanc Artem homo poſſit habere in brevi tempore Scientias, quæcunque ſint: *modum ibi oſtendit Doctor Illum.*; *nam hæc Ars docet non putare, ſed infallibiliter ſcire: unde ſi nihil amatum, niſi cognitum, quis miretur, dari tam paucos Amatores magni Boni, cùm videat, dari tam paucos ſcientificos magni Veri, quia plerique non tantùm non erubeſcunt publicè profiteri, ſe neſcire, ſed etiam opinantur, quòd nemo poſſit ſcire hoc, quod ipſi nolunt diſcere.*

Nota 6. & ultimò. *Tabulam in fine poſitam eſſe quoque translatam ex Lingua Limoſina in Latinam; unde initiales literæ vocabulorum in M. S. ſignabantur rubeo & cæruleo colore.*

)(I)(

BEATI RAYMUNDI LULLI DOCTORIS ILLUMINATI ET MARTYRIS ARBOR PHILOSOPHIÆ AMORIS.

DEUS propter tuî Amorem incipit *Arbor Philoſophiæ Amoris.*

DE PROLOGO.

1. RAYMUNDUS exiſtens Pariſiis, ut poſſet facere magnum Bonum per modum *Scientiæ*, nondum potuit illud facere, ût cum magno affectu deſideravit; interim conſideravit, quòd ipſe per alium modum poſſet facere magnum Bonum, ſcilicet per modum *Amoris;* & ideo propoſuit facere hanc Arborem Philoſophiæ Amoris: & ut hanc Arborem faceret & ordinaret ſinè aliquo impedimento, acceſſit cogitabundus ad quoddam nemus juxta Pariſios denſum arboribus & abundans fontibus, pratis, rivis, avibus & ſylveſtribus beſtiis. Tandem accidit, quòd in aliquo prato, in cujus medio erat magna Arbor & Fons, invenerit ſedentem quandam Dominam valde formoſam & ornatam pulchris veſtibus, quæ plorabat & plangebat dicens hæc verba: heu me triſtem & doloroſam! quantum ſum deſpecta in hac præſenti vita: quoniam Scientia, quæ eſt mea ſoror, habet multos ſectatores, qui ipſam colunt per Philophiam; ſed ego habeo paucos ſecundùm dignitatem & honorem, quem debeo habere.

2. Raymundus motus pietate & charitate reverenter ſalutavit illam Dominam, quærens ab ea, quo nomine vocaretur, & quare tam vehementer ploraret & plangeret? cui Domina reſpondit, quòd vocaretur Philoſophia Amoris, & ideo ploraret & plangeret, quia haberet tam paucos Amatores, & ipſius ſoror, quæ vocaretur Philoſophia Scientiæ, haberet multò plures.

3. Philoſophia Amoris, dixit Raymundus: quænam eſt cauſa, quòd Philoſophia Scientiæ habeat plures amatores, quàm tu? & quare propter hoc invides ipſi, poſtquàm ipſa eſt tua ſoror? cui Domina Amoris reſpondit: cauſa, propter quam mea ſoror nunc habet plures amatores, quàm ego, eſt, quia, quando homines incipiunt diſcere Scientiam, incipiunt ipſam per me amare; & quando ſciunt Scientiam, amant ipſam & ejus Philoſophiam, de qua fecerunt plures

res Libros & plures Artes, & valde delectantur amando ipſas, & non delectantur amando me neque meam Philoſophiam, quæ propriè eſt de mea eſſentia & natura; & ideo quando me volunt amare, neſciunt me amare, nec ſciunt intelligere meas conditiones in tam magna virtute, ſicut intelligunt veritates rerum, quas diſcunt; & hoc eſt ideo, quia diu laborant in diſcendo *Scientias Veritatis & Intellectûs*, ſed non in diſcendo *Scientias Amoris & Bonitatis*; & ideo ſit mihi magna injuria, & ſit contra me magnum peccatum & magnum damnum pluribus amatoribus Scientiæ: nam quantò plus ſciunt non amando me nec Bonitatem, tantò majorem aſtutiam habent faciendi malum, & decipiendi & prodendi ſe invicem; & ideo ploro & plango, & ſto in deſolatione & triſtitia. Nec invidia nec ſuperbia cogunt me gemere, ſed gemo, ploro & plango, quia maxima pars hominum hujus mundi neſciunt amare: nam, ſi tantum ſcirent me amare, quantum ſciunt intelligere, poſſet totus mundus per me & meam ſororem reduci ad eum ſtatum, propter quem factus eſt; nam mundus haberet ſe ad finem, ad quem à DEO creatus eſt, à quo fine maxima pars hominum hujus mundi deviat & excluſa manet.

4. Cùm Raymundus intellexiſſet clamorem & quærelam Philoſophiæ Amoris, dixit illi, quòd nuper compoſuiſſet quandam Artem de bono & vero Amore, quæ vocatur *Ars Amativa*, cum qua homo poteſt ligare ſuam Voluntatem ad amandum bonum, & ad evitandum malum, & ad amandum DEUM, ſe ipſum & ſuum proximum; nam, ſicut intellectus ſe liberè inclinat ad intelligendum Veritatem rerum per modum Scientiæ, ita poteſt Voluntas ſe liberè inclinare ad volendum Bonum & bonas operationes, & ad fugiendum malum & malas operationes, per modum Amoris.

5. Adhuc dico tibi Domina, ait Raymundus: propono facere Arborem Philoſophiæ Amoris, quam nolo vocari meo nomine, ſed tuo: quæ Arbor erit in ſe continens Artem amandi Bonum, & fugiendi malum; &, ſi iſti duo Libri addiſcantur à pluribus hominibus, poterit fieri, quòd per ipſos adhuc per gratiam DEI in parte conſolaberis.

6. Valde placuerunt Dominæ verba, quæ Raymundus dixerat, & deſideravit, quòd inciperet Arborem Philoſophiæ Amoris, & quòd ipſi daret Artem Amativam, quam nuper compoſuerat, in qua volebat legere, & experiri, an eſſet verum id, quod Raymundus promiſerat.

De Diviſione hujus Arboris Amoris.

1. AD exaltandum bonum & magnum Amorem & ad deſtruendum malum & falſum Amorem incepit Raymundus hanc Arborem Philoſophiæ Amoris, quam diviſit in *ſeptem principales Partes*, quæ ſunt: *Radices, Truncus, Branchæ, Rami, Folia, Flores & Fructus*, cujus diviſionem Raymundus fecit ſecundùm diviſionem *Arboris Scientiæ*, quam nuper compoſuerat.

2. Per hanc diviſionem Arboris Philoſophiæ Amoris poteſt homo cognoſcere principia, truncum & partes Amoris; & per cognitionem, quam habebit de Amore, poterit ordinare & diſponere ſuam Voluntatem ad amandum & ad acquirendum habitum Amoris per gratiam DEI, qui dat habitum charitatis, qui eſt forma Amoris informans Voluntatem hominis ad amandum Bonum & ad evitandum malum, & qui ordinat & movet ad amandum fortiùs magna bona, quàm parva, & ad magìs odiendum majora mala, quàm minora.

3. In hac Arbore damus *quinque Metaphoras* moraliter & allegoricè, ut meliùs habeamus locum loquendi de Amore: ſicut dicendo: quòd DEUS ſit *Amatus*, & homo diligens DEUM ſit *Amicus:* & Amor *Charitas:* & amare, bonificare &c. *Domicelli Amoris;* & ſicut dicendo *Dominam Amoris* quamlibet Radicum Arboris: & *Aquilam Amoris* intelligendo altum Amorem; & ſic de ſimilibus, quæ metaphoricè & allegoricè ſuo modo poſſunt intelligi.

PARS I.
De Radicibus Arboris Amoris.

RAymundus recoluit *Artem Amativam*, quam nuper fecerat, cujus *octodecim Principia* ſunt Radices hujus Arboris, quæ ſunt: *Bonitas, Magnitudo, Duratio, Poteſtas, Sapientia, Voluntas, Virtus, Veritas, Gloria, Differentia, Concordantia, Contrarietas, Principium, Medium, Finis, Majoritas, Æqualitas & Minoritas.* Per has Radices Amoris poterit Artiſta inveſtigare & invenire hoc, quod pertinetad bonum Amorem. Iſtas Radices dividimus in *tres Partes*, ſcilicet in *Definitiones, Mixtiones & Cogitationes* Amoris.

10. *Differentia* eſt id, per quod Bonitas, Magnitudo & aliæ rationes ſunt claræ & reales.

11. *Concordantia* eſt id, per quod Bonitas, Magnitudo &c. in uno & in pluribus concordant.

12. *Contrarietas* eſt id, per quod plures res ſunt contrariæ.

13. *Principium* eſt id, quod eſt ante omnes res principiando.

14. *Medium* eſt id, quod eſt inter Principium & Finem, & quod ſapit naturam utriusque.

15. *Finis* eſt id, in quo Principium quieſcit.

16. *Majoritas* eſt imago & ſimilitudo immenſitatis Bonitatis, Magnitudinis, Durationis &c.

17. *Æqualitas* eſt ſubjectum, in quo quieſcit Concordantia Bonitatis, Magnitudinis &c.

18. *Minoritas* eſt id, quod eſt prope nihil, & eſt ſimilitudo parvæ Bonitatis, Magnitudinis &c.

Amor eſt vinculum, cum quo Amicus eſt ligatus ad amandum ſuum Amatum.

In hac Arbore Philoſophiæ Amoris vocamus Amicum, hominem, qui amat DEUM, ſe ipſum & ſuum proximum: & Amatum maximè vocamus DEUM.

PRIMA PARS PRIMÆ PARTIS.
De duplici Definitione Radicum Amoris.

1. HÆc Pars dividitur in *duas Partes*: *una* Pars eſt de ſimplicibus Definitionibus, *altera* eſt de compoſitis Definitionibus. *Simplices* Definitiones ſunt, quæ fiunt de Radicibus Amoris: *compoſitæ* ſunt, per quas Amor cum qualibet ſuarum Radicum definitur.

2. Ratio, propter quam in hac Arbore Philoſophiæ Amoris facimus Definitiones, eſt, ut cum illis poſſimus cognoſcere & invenire eſſentiam & naturam Amoris & ſecreta illius; nam, qui habet cognitionem principiorum & radicum ſubſtantiæ, poteſt habere cognitionem eſſentiæ & naturæ illius, cùm ejus principia revelent & demonſtrent ſecreta ipſius.

De ſimplicibus Definitionibus Radicum Amoris.

1. BOnitas eſt id, per quod bonum agit bonum, & per quod bonum eſt *eſſe*, & malum eſt *non eſſe*.

2. *Magnitudo* eſt id, per quod Bonitas, Duratio, Poteſtas & aliæ Radices ſunt magnæ.

3. *Duratio* eſt id, per quod Bonitas, Magnitudo & aliæ Radices durant.

4. *Poteſtas* eſt id, per quod Bonitas, Magnitudo &c. poſſunt eſſe id, quod ſunt, & poſſunt facere id, quod faciunt.

5. *Sapientia* eſt id, per quod ſapiens intelligit.

6. *Voluntas* eſt id, cum quo homo vult Bonitatem, Magnitudinem & alias Radices.

7. *Virtus* eſt id, quod de Bonitate facit exire virtuoſum bonificare, & de Magnitudine virtuoſum magnificare, & ſic de aliis.

8. *Veritas* eſt id, per quod Radices ſunt veræ.

9. *Gloria* eſt id, in quo Bonitas, Magnitudo & omnes aliæ Radices habent quietem.

De compoſitis Definitionibus Radicum Amoris.

IN hac Parte Philoſophiæ Amoris volumus componere & conjungere octodecim prædictas Definitiones cum Definitione Amoris; & hoc facimus ideo, ut Definitio Amoris meliùs cognoſcatur per alias Definitiones.

1. Bonum vinculum Amoris eſt id, quod cum bono Amare ligat bonum Amicum ad bonum Amatum.

2. Magnum vinculum Amoris eſt id, quod bonum & magnum Amicum ligat ad bonum & magnum Amatum.

3. Durabile vinculum Amoris eſt id, quod in omnibus momentis, horis, diebus & noctibus ligat bonum & magnum Amicum ad bonum & magnum Amatum.

4. Potens & forte vinculum Amoris eſt id, quod bonum magnum durabilem & potentem Amicum ligat ad bonum magnum durabilem & potentem Amatum, ita, quòd Amicus non habeat Poteſtatem, quòd ſe ſeparet & dividat ab Amato.

5. Sapiens vinculum Amoris eſt id, quod

Amico repræſentat bona magna alta & potentia Secreta boni magni durabilis potentis & ſapientis Amati.

6. Amoroſum vinculum Amoris eſt id, quod ligat Voluntatem ad bonum magnum durabilem & potentem habitum Amoris illuminatum per Sapientiam.

7. Virtuoſum vinculum Amoris eſt id, quod in Amare ligat virtuoſum bonum magnum durabile & potens bonificare, magnificare, durare & poſſe.

8. Verum vinculum Amoris eſt id, quod facit eſſe veros Amatores Bonitatis, Magnitudinis &c.

9. Glorioſum vinculum Amoris eſt id, quod Amare Amici & Amati facit ligari & quieſcere in Bonitate, Magnitudine &c.

10. Differentia boni magni durabilis potentis ſapientis amoroſi virtuoſi veri & glorioſi Amici & Amati eſt vinculum boni & magni Amoris, cum quo Amicus & Amatus tantum ligantur ad invicem, quòd non poſſint ſeparari ab invicem.

11. Concordantia boni & magni Amare eſt vinculum Amici & Amati, cum quo ad invicem concordant in una Bonitate Magnitudine &c.

12. Contrarietas, cum qua Amicus reſiſtit inimicis ſui Amati, eſt vinculum boni magni durabilis & potentis Amoris, quod inimici boni & magni Amici & Amati non poſſunt frangere.

13. Principium boni magni durabilis &c. Amare eſt vinculum Amoris, quod incipit ligare Amicum ad ſuum Amatum; & quantò plùs incipit ipſum ligare cum Bonitate, tantò melius eſt vinculum Amoris; & quantò plùs incipit ipſum ligare cum Magnitudine, tantò majus eſt vinculum Amoris, & ſic de aliis vinculis, quæ Amor habet per ſuas Radices.

14. Medium, quod conjungit & aggregat Bonitatem & Magnitudinem in Amare, eſt vinculum Amoris, cum quo Amicus captus & ligatus eſt ad ſuum Amatum, & cum illo vinculo hæret Amicus, ne recedat à ſuo Amato, cùm propter ipſum poſitus eſt in labore, in afflictionibus & adverſitatibus.

15. Finale vinculum Amoris eſt Finis Amoris, in quo quodlibet Principium habet bonum magnum durabile & potens Amare; & ideo, quando Amicus incipit amare ſuum Amatum, non poteſt habere quietem ſinè bono magno durabili & potente Amare.

16. Majus vinculum Amoris, per quod Amicus aſcendit ad amandum ſuum bonum & magnum Amatum, eſt id, quod tenet Amicum totum captum & ligatum ad Amatum; & quantò hoc vinculum eſt majoris Durationis, Poteſtatis &c., tantò eſt Amicus major in Amare.

17. Æqualitas majoris Amici & Amati, quæ eſt de Bonitate, Magnitudine &c. Amici & Amati, eſt majus vinculum Amoris; & qui cum tali vinculo ligatus eſt ad ſuum Amatum, eſt ab ipſo inſeparabilis, nec poſſet ſubſiſtere in ejus abſentia.

18. Minus vinculum Amoris eſt id, quod eſt parvum in Bonitate, & quod parum durat, quia non habet magnam Poteſtatem nec Virtutem; & ideo Amici, qui ſunt ligati cum tali vinculo ad ipſorum Amatum, citò fatigantur in Amare, & una parva adverſitas avellit ipſos & facit recedere ab Amato.

„ Diximus de Definitionibus Amoris, „ quæ neceſſariæ ſunt, ut memoriter tene- „ antur ab illis, qui volunt habere mag- „ nam cognitionem Arboris Philoſophiæ „ Amoris, & qui volunt habere Artem & „ modum ſolvendi quæſtiones & inveni- „ endi Secreta Philoſophiæ Amoris.

SECUNDA PARS PRIMÆ PARTIS.

De duplici Mixtione Radicum Amoris.

1. PRæſens Pars eſt diviſa in *duas Partes*. *Prima Pars* eſt de Mixtione, quam Amor habet in qualibet ſuarum Radicum ſpecialiter. *Secunda Pars* eſt de generali Mixtione, quam Amor habet in uno tempore cum omnibus ſuis Radicibus & Principiis.

2. Intentio, propter quam miſcemus Amorem cum aliis Principiis & Radicibus, eſt, ut oſtendamus & demus doctrinam multiplicandi Amorem per ſuas Radices; nam multiplicando Amorem multiplicatur vinculum Amoris, quod Amicum ligat ad amandum ſuum Amatum; &, quantò majus eſt vinculum Amoris, tantò major eſt participatio & ſolatium inter Amicum & Amatum.

De ſpeciali Mixtione Radicum Amoris.

1. QUando Amicus amat ſuum Amatum cum bono Amare, tunc facit mixtionẽ Amoris & Bonitatis, quorum mixtio eſt, quia de natura Bonitatis eſt bonificare, & de natura Amoris eſt Amare; & quando Amatus Amico dat præmium pro ſuo bono Amare, prout ipſum diligit cum bono Amare, & ipſum facit amare bonum, tunc miſcentur Bonitas & Amor Amici & Bonitas & Amor Amati in bono Amare.

2. Quando Amatus & Amicus ſe amant cum magno Amare, tunc miſcentur Magnitudo & Amor Amici & Magnitudo & Amor Amati per eorum Amare: & talem mixtionem magni Amoris amat Amicus plùs, quàm habere ex ſuo Amare multas pecunias vel poſſeſſiones, quia per hujusmodi temporalia Amicus non poteſt habere magnum Amare ad ſuum Amatum, nec Amatus ad ſuum Amicum; & ideo magni Amatores non amant magnas proſperitates hujus mundi, ne in ipſis ſint occupati, quia ſimpliciter volunt amare DEUM.

3. Amicus, qui facit durare ſuum Amare, ut diu poſſit amare ſuum ſemper durabilem Amatum, miſcet Durationem & Amorem in durabili Amare: & per hujusmodi mixtionem durat amicitia & ſolatium inter Amicum & Amatum; & quantò diutiùs durat, tantò fortiùs conjunguntur Amicus & Amatus in Amore & Amare.

4. Cùm Amicus cum toto ſuo poſſe fortificat ſuum Amorem ad amandum ſuum Amatum, tunc miſcentur Poteſtas & Amor Amici in potenti Amare, quod Amare eſt ita forte, quòd nulla minor Poteſtas ipſum poteſt vincere vel ſuperare; nam, quantò fortior eſt Amor, tantò fortiorem appetitum & naturam habet ad reſiſtendum ſuis inimicis & inimicis ſui Amati; & Amatus, qui cum forti Amore amatur à ſuo Amico, non permittit nec vult, quòd major Poteſtas Amoris devincatur vel ligetur per minorem Amorem.

5. Sapientia & Amor miſcentur per ſcibilitatem & amabilitatem: nam, in quantum Amor ſcitur per Sapientiam, & Sapientia amatur per Amorem, miſcentur Amare & intelligere Amici & Amati, per quorum mixtionem miſcentur eorum Sapientia & Amor; & ideo, quia Amicus ſcit, quòd amet Amorem ſui Amati, & ſcit, quòd per ipſum ametur, plùs amat id, quod ſcit de Amore, quàm omne id, quod ſcit de ſuo corpore vel de omnibus proſperitatibus vel felicitatibus ejus.

6. Cùm Amicus miſcet ſuum velle, quod eſt operatio habitûs Amoris, cum Amore, tunc induit ſuam Voluntatem de Amore & ſuum velle de Amare: &, quando Voluntas propter aliquas adverſitates ſe vult inclinare ad non amandum ſuum Amatum, velle & Amare non poſſunt ab invicem ſeparari, quia habitus Amoris induit Voluntatem de ſuo Amare; veruntamen Amor non poteſt hoc facere ſinè juvamine ſui Amati & aliarum Radicum Amoris.

7. Quando Virtus & Amor invicem miſcentur, ſunt mixta eorum virtuificare & Amare: & per virtuificare eſt Amare virtuoſum & indutum Virtute, & per Amare eſt virtuificare amoroſum & indutum Amore; & dum Virtus & Amor ita ſunt mixta invicem, & habent ſuos actus mixtos, tunc nec vitia nec odia poſſunt intrare in ipſa; & Virtutes & Amores ſunt nuncii Amici, qui ipſi ſimul transmittunt virtuoſum Amare.

8. Veritas & Amor miſcentur in veris Amatoribus, qui per verum Amorem amant verum Amatum, quorum mixtio eſt tam magna, quòd nec falſitas nec odium in ipſa poſſint intrare; & ideo volunt veri Amatores potiùs mori vel ſuſtinere omnes labores, quàm mentiri vel non amare Amatum; & Amatus, qui habet tam veros Amatores, non poteſt ſe celare nec ſuum Amare, nec illis denegare ſuum regnum.

9. In ſummo glorioſo Amato miſcentur invicem Gloria & Amor per mixtionem Glorificantis & Amantis, Glorificati & Amati in ipſorum Glorificare & Amare; & quando iſta miſcentur cum Glorificare & Amare Amatorum, qui amant ſummum glorioſum & amoroſum Amatum, tunc tales Amatores reputant labores, pericula, pœnas & languores eſſe Glorias & Amores, ſecuritates, delicias & dominia.

10. Differentia & Amor miſcentur invicem, in quantum Differentia facit, quòd ipſa in Amore ſit inter Amantem, Amabilem & Amare, & in quantum Amor facit, quòd diſtinguens, diſtinctus & diſtinguere Amici & Amati ſint amabilia, quorum quodlibet per Differentiam differt ab alio, & quodlibet per Amorem amatur ab alio adeò, quòd uniantur in Amare.

11. Concordantia & Amor miſcentur invicem, cùm Amicus & Amatus concordant in Amore: &, quantò magis inter ſe habent bonum magnum & durabilem Amorem, tantò fortiùs miſcentur & conjun-

guntur Concordantia & Amor, & elongantur à Contrarietate & ſeparatione Amici & Amati; & ideo quando Concordantia & Amor ſunt mixta forti nexu, nulli labores & nullæ adverſitates, quas Amicus poſſit ſuſtinere propter Amorem, poſſunt ipſum ſeparare à ſuo Amato.

12. Contrarietas & Amor miſcentur in tantum in Amico, cùm in ſuo Amare, cum quo amat ſuum Amatum, non ſequitur ordinem Radicum Amoris; & ideo talis Amicus citò defatigatus ceſſat amare ſuum Amatum; nam modica adverſitas laboris, quam ſuſtinet propter Amorem, vincit ipſum, & facit eum adverſùs ſuum Amatum infenſum.

13. Principium & Amor miſcentur tunc, cùm Amicus incipit amare ſuum Amatum: & cùm Amicus incipit multiplicare ſuum Amare per Bonitatem, Magnitudinem, Durationem &c., tunc incipit Amor eſſe melior, major & durabilior; & ideo facit Amicus, qui perſeverat in Amore, ſemper creſcere ſuum Amare.

14. Medium & Amor miſcentur, quando de Amore Amici & de Amore Amati fit unum Amare, quod conjungit Amicum & Amatum: & cùm Amare de Amore Amici & de Amore Amati eſt æquale Medium inter ambos, tunc eſt ille Amor adeò fortis, quòd nihil poterit ſeparare Amicum ab Amato, nec Amatum ab Amico; & ideo pretioſum Amare & plenum Amore eſt theſaurus Amoris Amici & Amati, quem non venderent pro ulla re hujus vel alterius mundi.

15. Finis & Amor ſemper miſcentur invicem, cùm Amicus conſiderat valores & honores ſui Amati, & deſiderat videre ſuum Amatum & illi ſervire: & quando Amicus habet plures languores, fletus & ſuſpiria propter Amores, tunc computat Amatus remunerationes, quæ pertinent ad Amicum propter labores, quos ſuſtinet propter Amorem; ſed quando Amicus amat Amatum, ut per ipſum habeat remunerationes laborum, quos ſuſtinet propter ejus Amorem, tunc non miſcentur invicem Finis & Amor, imò recedunt & elongantur ab invicem, nec Amatus vellet eſſe in præſentia Amici non amantis ipſum propter ſe & propter ſuam bonam & magnam Virtutem.

16. Majoritas & Amor miſcentur, cùm Amicus amat ſuum Amatum cum majori Bonitate, Magnitudine, Duratione & Virtute: & ideo aſcendit Amor ad Majoritatem ipſius Amare; &, quantò majus eſt ſuum Amare, tantò majus ſolatium & gaudium eſt inter Amicum & Amatum: & Amicus, qui eſt in majori gradu Amoris, eſt tam inebriatus Amore, quòd minores gradus Amoris non ſentiat, nec de illis habeat cognitionem.

17. Æqualitas & Amor miſcentur, cùm Amicus & Amatus ſe invicem æqualiter amant per æqualem Bonitatem, Magnitudinem, Durationem & Poteſtatem: talis Æqualitas Amoris non poteſt eſſe in creatura, ſed in DEO tantùm, qui æqualiter amat ſuam Amativitatem & Amabilitatem; & ideo homo, qui poteſt æqualificare ipſa bonificare, magnificare, durare & alios actus Radicum, facit ſuum Amare aſcendere ad aſſumendum aliquam ſimilitudinem Amoris ſui Amati.

18. Minoritas & Amor miſcentur invicem, cùm Amicus parùm amat ſuum Amatum, & cùm ſuum Amare eſt bonum per parvam Bonitatem, ut fugiat pericula & adverſitates, quas Amatus vult, quòd habeat propter ſuum Amorem; & ideo Amatores, qui amant Amatum cum minori Amare, non ſunt boni nec magni Amatores, & ex levi cauſa admittunt proditiones & deceptiones adverſùs Amatum.

De generali Mixtione Radicum Amoris.

1. MI Amor, dixit Amicus, oſtendas mihi modum, per quem multùm poſſim amare ſupremum Amatum, nam non decet ipſum amare ſinè magno Amare, nec poſſum ſaturari cum parvo Amare.

2. Amice, dixit Amor: ſi vis habere magnum Amare erga tuum Amatum, pone omnes actus mearum Radicum in tuo Amare, excepto actu Contrarietatis & actu Minoritatis, qui impediunt actus aliarum Radicum in Amare, & tunc habebis altum & valde ornatum Amare & munitum actibus mearum Rationum. Tunc diſpoſuit ſe Amicus ad amandum ſuum ſupremum Amatum, & poſuit in ſuo Amare actus Radicum Amoris hoc modo.

3. Mi Amate, dixit Amicus: quia tu es bonus & magnus, volo propter te & erga te habere bonum & magnum Amare; & quia tu es æternus, volo, quòd in meo Amore perſeveret bonum & magnum Amare.

4. Amicus perſeverabat in amando ſuum Amatum cum bono & magno Amare, qui conſideravit, an ipſum poſſet plùs amare: & tunc de toto ſuo poſſe multiplicavit ſuum bonum & magnum Amare; & dum Amicus ſic amabat Amatum cum bono magno durabili & potenti Amare, ſentiebat ſe multùm oppreſſum, adeò, quòd non ſufficiebat ſuſtinere altitudinem amandi; & ratio hujus erat, quia ſuum Amare fuerat multiplicatum per bonificationem, magnificationem & acceptionem Durationis & Poteſtatis, cujus corpus ſic languebat & amittebat ſuas vires, quòd Amicus tunc fuiſſet mortuus, niſi ipſum ſuſtinuiſſet lætitia amandi.

5. Dum Amicus ſic amabat ſuum Amatum, transmiſit ſuum intelligere ad intelligendum Amatum & Dignitates ejus & ſimiliter actus earum, quos per illas Dignitates habet in ſe & extrà ſe: & dedit totum ſuum velle ad amandum ſuum Amatum, ſecundùm quòd ſuus intellectus ipſi repræſentavit Amatum; & tunc miſcuit Amicus intelligere & Amare cum ſupradictis actibus, & ſic fuit Amare valde multiplicatum.

6. Sed Amicus voluit adhuc ampliùs multiplicare ſuum Amare, & recoluit cardinales & theologicas Virtutes & alias derivatas ab ipſis, quas miſcuit cum ſuo Amare, ut cum ipſis amaret ſuum Amatum; & tunc quælibet Virtus produxit in ejus Amare multiplicationem Amoris, & Amare Amici fuit plenum Virtutibus & bonificatione & magnificatione &c.

7. Item Amicus recoluit Veritatem & Gloriam ſui Amati, & poſuit in ſua recolitione prædictas conſiderationes, ut omnes ſimul & ſemel conjungerentur, & ut per ipſas ſuum Amare eſſet diſpoſitum ad attingendum per Amorem Altitudines ſui Amati: & tunc habuit Amicus tam altum Amare erga ſuum ſupremum Amatum, quòd ejus intellectus & ejus memoria non ſufficiebant ad regendum illud; nam Amicus erat propè raptum propter repletionem Amoris, qui tunc dixit Amori, quòd de actibus aliarum Radicum Amoris non poſſet plus habere, quia vix poſſet ſuſtinere illos, quos jam haberet in ſuo Amare.

8. Amice dixit Amor: cùm omnis Virtus ſit circa difficile, debes te ita viriliter cogere, ut facias, quòd omnes alii actus mearum Radicum ſint in tuo Amare, aliàs non eſſet tuum Amare plenum omnibus meis Radicibus.

9. Mi Amor, dixit Amicus: cùm tuæ Radices non ſint idem numero, ſed diſtinctæ ab invicem, in quantum tu es creatura, quomodo poſſem habere ipſas ſinè ſucceſſione temporis in uno *nunc?* hoc, dixit Amicus Amori, eſt impoſſibile in præſenti vita; & ſic tu non debes me cogere ad faciendum id, quod eſt impoſſibile in hac vita.

10. Amice, dixit Amor: non dico, quòd tu in uno *nunc* habeas omnes actus mearum Radicum in momento, ſed volo, quòd ipſos actus habeas in tuo Amare ſucceſſivè de uno *nunc* in aliud, objectando tuum Amatum, ſuas Dignitates & actus earum tali modo, quòd in tuo Amare non ſit aliud objectum neque aliæ rationes, & hoc potes facere.

11. Amicus audiens verba Amoris tunc recoluit Rationes ſive Dignitates Amati, conſiderando, quòd ipſæ ſint diſtinctæ in ſuo recolere & intelligere, quas in ſuo Amare tantum concordavit, quantum potuit, & tentavit ipſas objectare in uno *nunc* ſive in uno momento.

12. Dum Amicus hoc tentabat, recoluit Principium, quod idem eſt ac Amatus, & ejus infinitum & æternum Principiare, & per conſequens Medium ſui Amati, ſcilicet Bonificare, quod eſt Medium ſuæ Bonitatis, & Magnificare, quod eſt Medium ſuæ Magnitudinis, & Æternificare, quod eſt Medium ſuæ Æternitatis, & ſic de aliis. Etiam recoluit & intellexit Finem ſui Amati, ſcilicet ſuum Bonificatum, ſuum Magnificatum & Æternificatum &c., quæ omnia ſimul & ſemel miſcuit in ſuo Amare, & quantum potuit, coæquavit in ſuo recolere, intelligere & amare: unde Amicus tali modo ſpeculando & contemplando ſuum Amatum, ſenſit ſuum Amare ita multiplicatum in Majoritate altitudinis ſuæ ſpeculationis & contemplationis, quòd fuerit propè raptum, donec advénit Minoritas Amoris in ſuum recolere, intelligere & Amare ad minorificandum ſuam ſpeculationem & contemplationem; & tunc maledixit Amicus Minoritatem Amoris, quæ ipſum dejecit à ſua contemplatione, & quæ ipſum movit ad ſpeculationem mundanarum rerum, quæ ſunt parvi valoris, ad quas ſinè permiſſione deduxit ejus recolere, intelligere & amare.

Diximus de Mixtione Amoris, quæ fit cum ejus Radicibus: &, ſi ipſius Mixtio fiat cum tribus Radicibus, eſt major,

major, quàm cum duabus; &, ſi ſit cum omnibus, eſt adeò magna, quòd non poteſt eſſe major; & ideo Amatores, qui fortiùs miſcent Amorem cum ſuis Principiis, ſunt majores, meliores, conſtantiores & veriores Amatores, quàm qui miſcent Amorem cum paucis Principiis.

TERTIA PARS PRIMÆ PARTIS.

De Cogitationibus Amoris.

1. ISta Pars dividitur in *duas Partes: una* eſt de *Cogitationibus, quas Amicus habet in Eſſentia & Natura Amoris & in Operationibus ipſius: altera* eſt de *Cogitationibus, quas Amicus habet conſiderando Conditiones, quæ pertinent ad Amicum & Amatum;* & has duas partes volumus invicem ducere, & alias Cogitationes commiſcere cum aliis; nam, quantò fortiùs ad invicem miſcentur, tantò fortiùs capitur Amicus Amore ſui Amati.

2. Ratio, propter quam in hac Arbore Philoſophiæ Amoris ponimus *Cogitationes Amoris*, eſt, ut Amatoribus demus doctrinam, ut ſciant habere plures bonas & magnas Cogitationes de Amato; nam ſunt multi homines, qui deſiderant amare, ſed non poſſunt amare, quia neſciunt cogitare de Amore nec multiplicare Cogitationes Amoris.

3. Amicus cogitabat in *Eſſentiam* Amoris, quæ dixit, quòd ſit illa forma, quæ Amicum movet ad amandum.

4. Amicus cogitavit in *Naturam* Amoris, cui Amor dixit, quòd Natura Amoris ſit illud vinculum, quod Amicum ligat ad ſuum Amatum.

5. Amicus cogitabat in *Conditiones* ſui Amati, dicens, quòd omnes Conditiones Amati ſint amabiles cum Magnitudine Bonitatis, Durationis, Poteſtatis & Virtutis: & cogitans de conditionibus & qualitatibus ſuæ imperfectionis, dicebat cum omni humilitate in ſuo animo, quòd non eſſet dignus amare maximum & maximè bonum Amatum, quia invénit in ſe modicum bonum, & quia frequenter peccavit & erravit contra Amatum.

6. Amicus iterum conſideravit in magnam Bonitatem, Virtutem & Amorem ſui Amati ſecum dicens, quòd Conditio ſeu Natura Amati eſſet aptiſſima ad multum dandum miſerendum & amandum; & ideo deberet Amicus per Conditiones ſui Amati habere conditionem ad multùm amandum ſuum Amatum.

7. Amicus & Amatus ſunt locuti inter ſe cum Cogitationibus, quorum ſermones Amor dulcoravit, & Amor dulcoravit Amicum cum omnibus eſſentiis & naturis Radicum Arboris, exceptâ Contrarietate & Minoritate, quæ non debebant aſſociari cum Radicibus.

8. Dum Amicus recoluit, intellexit & amavit ſuum Amatum, quæſiverunt lux & virtus ſolis ab Amico, an vellet, quòd intrarent in ipſum ad faciendum ipſum amare ſuum Amatum? quibus Amicus reſpondit, quòd Amabilitates ſui Amati, & Eſſentia & Natura Amoris, & Cogitationes, quas haberet de ſuo Amato, ipſi ſufficerent ad amandum ſuum Amatum.

9. Amicus vidit pulchrum florem, quem Amatus creavit, & dixit flori, quòd ſua pulchritudo ipſum moveret ad cogitandum in Pulchritudinem ſui Amati, cui flos reſpondit dicens: quòd non haberet magnas & durabiles Cogitationes erga Amatum; nam ille ſolùm habet magnas Cogitationes Amoris, qui ſimpliciter in Amato conſideratConditionesAmati, & Eſſentiam & Naturam Amoris.

10. Amicus voluit proficiſci cum Cogitationibus ad videndum Amatum, & in via timuit, ne latrones ipſum invaderent, & Conditiones Amoris ſui Amati abſentabant ſe ab Amico, & Cogitationes evaneſcebant, & Amicus non habuit, cum quo videret ſuum Amatum.

11. Propter magnas Cogitationes, quas Amicus habuit de Amato, erat corpus Amici infirmum, qui petebat ſanitatem, ſed anima nolebat ipſam habere, ut haberet ſanitatem in Amore & Amatione.

12. Mali homines vituperabant & percutiebant Amicum, qui laudabat ſuum Amatum: & Amicus ridebat & agebat illis gratias, quia ipſi fecerunt honorem.

13. Amicus cogitavit, quòd Amatus non poſſit multùm amari à ſuo Amico ſinè ſuſpiriis & fletibus.

14. Amicus cogitavit in Pulchritudines & Honores ſui Amati dicens ad Amorem, quòd de ſua natura parum poſuiſſet in Amare.

15. Amor ornabat per ſuam Naturam & per Conditiones Amati Cogitationes Amici, & Amicus moriebatur, cujus anima vivebat in Amato.

16. Amicus volebat deſtruere ſuam Cogitationem, quæ ipſum adeò vexabat, quòd ipſum non ſinebat quieſcere, nec poterat comedere nec bibere; ſed conditiones Amoris & Amati juvabant Cogitationes Amici.

17. Amicus voluit vendere majores Cogitationes & commutare pro minoribus, quia non poterat ſuſtinere magnos labores Amoris; Amatus verò emit majores Cogitationes pro minoribus, quæ fortiùs torquebant Amicum, quàm majores, quia per minores Cogitationes non habet Amicus tam magnum juvamen ab Amato & Amore, ſicut per majores; & ideo fugit Amicus à minoribus Cogitationibus Amoris, ut haberet quietem in majoribus.

Diximus de pluribus Modis cogitandi Amici de Amato, per quos modos dedimus doctrinam, quomodo Amicus per plures & diverſos alios modos poſſit multiplicare ſuum Amorem & Amare, inveſtigando illos modos per Radices Arboris Amoris. Nunc dicemus de Trunco Arboris Amoris.

PARS II.

De Trunco Arboris Amoris.

1. TRuncus Arboris Amoris eſt diviſus in *tres Partes: prima* Pars eſt de *Forma Amoris; ſecunda* de *Materia Amoris; tertia* de *Conjunctione utriusque.*

2. Ratio, propter quam in prædicta Arbore Amoris eſt Truncus Amoris, eſt, quia Truncus Amoris eſt quiddam aliud, quod reſultat de Radicibus Amoris; & cùm Amicus amat ſuum Amatum, aliquoties plùs amat ipſum cum una Radice, quàm cum alia: ſicut Amicus, qui aliquoties plùs amat Amatum per Bonitatem Amoris, quàm per Magnitudinem Amoris, aut per Magnitudinem Amoris, quàm per Durationem Amoris, & ſic de aliis; & ideo poteſt Amicus ratione doctrinæ, quam damus in Trunco Amoris, cognoſcere artem & modum, per quam Radicem habeat plus occaſionis ad amandum ſuum Amatum; & hoc modo poteſt Amicus multiplicare & æquare Radices Amoris, ut ſuus Amor ſit major durabilior fortior & virtuoſior.

PRIMA PARS SECUNDÆ PARTIS.

De Forma Amoris.

1. FOrma Amoris eſt duplex; nam *una* eſt Forma Amoris, quæ eſt eſſentia Amoris; *alia*, quæ eſt effectus, nutrimentum & operatio primæ Formæ, quæ cum ipſa informat Radices Amoris, in quantum ipſas ordinat & diſponit, quòd ſint cauſæ Amoris, & in quantum Amicum ordinat ad amandum; & has duas Formas ducemus invicem in hac Arbore Amoris.

2. Prima Forma, quæ eſt eſſentia Amoris, colligit ſuam Formam ex omnibus Formis Radicum, ſicut de bonificativitate, magnificativitate, durificativitate, poſſificativitate & ſapientificativitate & ſic de reliquis; & ex his omnibus facit ſecundam Formam Amoris, de qua hæc vivit, & per quam ſuſtentatur, & ſinè qua deſinit durare & vivere; nam non haberet, de quo poſſet vivere nec ſuſtentari.

3. Amatus repræſentavit Amico cum ſuis Conditionibus Formas Radicum Amoris, ut Amicus per ipſas colligeret eſſentialem Formam Amoris, & ut per ipſas faceret Formam Amoris nutritivam, de qua viveret Amare; & hæc fecit Amatus, ut Amicus haberet, cum quo multùm poſſet amare.

4. Quantò magìs Amicus ex Radicibus Amoris colligit earum Formas, tantò magìs amat: & quantò plures colligit, tantò plùs amat; &, quando paucas colligit, parum amat; & aliquoties colligit tot, quòd ſuum corpus ipſas non poteſt ſuſtinere, & corpus moritur propter Amorem, & Amatus lætatur, quia multùm amatur ab Amico.

5. Amicus erat infirmus propter nimium Amare: & ideo voluit oblivioni dare magnam Bonitatem ſui Amati, ſed Amatus dixit Amori, quòd Amicus proponeret fugere ab ipſo; Amor autem fortiùs ſtrinxit Amicum, ne per oblivionem fugeret ab Amato, & duplicavit ei ſuum recolere, cum quo impoſterum fortiùs recoleret ſuum Amatum.

6. Amicus dixit ad Amorem, quòd non poſſet ſuſtinere majorem Magnitudinem Amoris, cui Amor reſpondit: Amice, tuus Amatus, qui eſt major, quàm quodcunque aliud, vult amari cum majori Amore.

7. Amicus recoluit minorem Amorem, quem rogavit, ut ipſum adjuvaret contra majorem Amorem, qui ipſum cogeret lan-

guere & mori, cui minor Amor reſpondit, quòd ipſum non poſſet juvare, quia non poſſet reſiſtere majori Amori.

8. Amicus quæſivit à contrario Amore, an ipſum poſſet adjuvare contra majorem Amorem; ſed Concordantia Amoris audivit verba, quæ Amicus dixerat ad contrarium Amorem, quæ hoc narravit majori Magnitudini Bonitatis, Durationis & Poteſtatis Amoris, quæ omnes inſimul acceperunt Amicum, & ligaverunt & torſerunt eum cum majori Amore.

9. Amicus ſuſpiravit & ploravit & conquerebatur de Amore, quia ipſum vellet interficere, cujus ſuſpiria & ploratus auſcultabant Contrarietas & Minoritas Amoris; ſed aliæ Radices Amoris noluerunt audire Amicum, ſed quantò magis potuerunt, tormentaverunt ipſum propter Amorem.

10. Amicus quæſivit à Principio Amoris, an in ipſo poſſet principiare pœnitentiam amandi, quia libenter vellet fugere à nimio Amore? Principium Amoris verò reſpondit Amico: feci promiſſionem fidelitatis majori Amori & majori Magnitudini Virtutis, quam nullo modo eis volo frangere.

11. Major Amor, dixit Amicus: poſtquàm in me habes tantum Poteſtatis, quòd non poſſim à te recedere, potesnè me ſervare vivum, ſi propter te non deſidero mori? cui major Amor reſpondit dicens: qui non vult mori propter majorem Amorem, non eſt dignus, quòd vivat in majori Magnitudine Bonitatis, Durationis, Finîs & Virtutis, in qua tu Amice, dixit major Amor, velles vivere.

12. Amicus deſideravit mori, quia non poterat fugere ab Amore, qui ipſum vehementer affligebat; veruntamen Amor & Amatus in tantum ſuſtinuerunt Amicum, quòd ipſum non permiſerunt mori, ut Amor non eſſet otioſus, & ut Amatus multùm eſſet deſideratus & amatus.

SECUNDA PARS.
SECUNDÆ PARTIS.

De Materia Amoris.

1. MAteria Amoris eſt *duplex; una* eſt, quæ eſt *de eſſentia Amoris; alia* eſt, quæ eſt *de Amabilitatibus Amati*, quas Amicus facit, ut amentur in amabilitate, quæ eſt de eſſentia Amoris: & has duas Materias volumus inſimul ducere ſive tractare ad dandum doctrinam, quomodo Amicus in eſſentiali Materia Amoris ſciat applicare accidentalem, ut forma Amoris habeat ſubjectum, in quo poſſit multiplicare magnum Amare.

2. Materiæ Amoris ſunt amabilitates Radicum Amoris: ſicut Bonitas, quæ eſt amabilis, & Magnitudo & aliæ Radices; & quando Amicus conjungit earum amabilitates in ſua amabilitate, tunc facit forma Amoris creſcere amabilitatem Amoris; & ex forma & Materia creſcit magnum Amare.

3. Amicus voluit amare Bonitatem ſui Amati, ut amaret Amatum cum bono Amore; & Bonitas Amati intravit cum Magnitudine in Amorem Amici, qui habuit bonum & magnum Amare.

4. Cùm Amicus habuit bonum & magnum Amare, voluit habere potens & durabile Amare: & tunc, ut Amatus amaretur ab Amico, intraverunt in ejus Amorem Bonitas, Magnitudo, Duratio & Poteſtas Amati cum Sapientia, Voluntate, Virtute, Veritate & Gloria Amati; & Amicus habuit ita plenum ſuum Amare de ſimilitudinibus ſui Amati, quòd difficulter poterat ſuſtinere deſideria Amoris & Amores, quæ ipſi venerant per ſuum Amatum.

5. In Amare Amici voluerunt intrare Differentia, Concordantia, Principium, Medium, Finis & Æqualitas cum Majoritate, ut Amare Amici eſſet majus: ſed Amicus excuſando ſe dixit, quòd major Amor non poſſet intrare in ſuam amabilitatem; veruntamen Amor & Amatus aperuerunt portam, per quam ſimilitudines Amati cum majori Amare intraverunt in Amorem Amici; & tunc perdidit Amicus ſuum imaginari & ſentire, quia fuit raptus præ nimio Amore & Amare.

6. Amicus clamabat ad Amorem, ut ipſum juvaret, quia nimiùm amabat; cui Amor reſpondit dicens: ego volo te juvare ad multùm amandum, ut poſſis habere Concordantiam cum Amato, & ut non deſtruatur Materia amandi.

7. Amicus ſentiebat magnam Materiam amandi, famem, ſitim, calorem & plures tribulationes ad honorandum & laudandum ſuum Amatum & ad ſerviendum ipſi: & Amor lætabatur, quia habebat magnam Materiam & occaſionem amandi ſuum Amatum.

8. Dor-

8. Dormiebat Amicus, & Amor plorabat, quia, dum Amicus dormiebat, non habebat Materiam, cum qua poſſet multiplicare ſuum Amare.

9. Amicus plorabat, quia videbat, quòd homines inhonorabant ſuum Amatum, in quantum plùs amabant ſuos honores, quàm Honores ſui Amati: & Amor Amici ridebat, quia Amicus habuit Materiam plorandi ad amandum Honorem ſui Amati.

10. Amicus perdidit unum denarium, quem habebat, pro quo potuit habere cibos & veſtes; & ejus Amor ridebat, quia Amicus habuit Materiam confidendi in theſauro ſui Amati, qui omnibus ſufficit, qui in ipſo ſperant & confidunt.

11. Amicus ploravit, quia patiebatur tentationes, quæ ipſum movebant ad peccandum: ad quem Amor dicebat, quòd tentationes, per quas Amicus movetur ad peccandum, ſint Materia ad recolendum ſuum parvum Amorem & magnum juvamen ſui Amati.

12. Amicus perdidit filium, quem multùm amavit: & Amor dixit ad Amicum, quòd propter mortem ſui filii poſſet plùs amare ſuum Amatum.

13. Amicus erat triſtis, quia habebat malum Abbatem: & Amor dixit ad Amicum, quòd deberet lætari, quia Amatus amat ſuum Amicum, quando ipſi ſervit in patientia, humilitate & ſpe.

14. Amicus infirmabatur, qui valde timebat mortem; cui Amor dixit: Amice, ſi moriaris per hanc infirmitatem, citiùs videbis tuum Amatum.

15. Quia Amicus deſideravit propter Amorem ſuſtinere multos labores, dixerunt Amatus & Amor plura bona verba de Amico.

16. Amicus reliquit multas divitias & honores, ut ipſum non impedirent in amando ſuum Amatum: & Amor & Amatus dederunt ſe Amico, ut haberet bonum & magnum Amare.

17. Amicus voluit mori ad honorandum ſuum Amatum, ſed Amatus voluit, quòd Amicus viveret honoratus in ſuo Amore.

TERTIA PARS
SECUNDÆ PARTIS.

De Conjunctione Formæ & Materiæ Amoris.

1. HÆc Conjunctio Amoris dividitur in *duas partes:* nam *una* eſt Conjunctio, quæ eſt *de Eſſentia Amoris*, quæ conjungit eſſentialem Materiam Amoris; *alia* eſt Conjunctio *Materiæ Amoris & Amabilitatis Amati*, quas forma Amoris conjungit in ſua generali Amabilitate, in qua ipſas facit amari.

2. Actus Radicum Amoris, ſcilicet bonificare, magnificare &c. ſunt operationes Amoris tunc, cùm Amicus ſe conjungit ſuo Amato per bonum & magnum Amare; & ideo quando Amicus conjungit & aggregat in ſuo Amare magnum bonificare, durare, poſſe & alios actus, conjungit bonam magnam durabilem & potentem Formam & Materiam Amoris.

3. Amicus emit bonificare & magnificare, cum quibus ditavit ſuum Amare, quod infirmabatur per malificare & parvificare.

4. Amicus ejecit malum cogitare, & tunc intravit in durare bonum cogitare; & ideo roboravit Amicus ſuum Amare & durare cum Poteſtate.

5. Intelligere, velle & Virtus induebant ſe de Amare, quæ cum Amico ibant ad ſalutandum Amatum.

6. Verificare & gloriare non faciebant Differentiam in Amare Amici inter laborem & quietem, quæ Amicus patiebatur propter Amorem.

7. Concordare & contrariare habuerunt ad invicem prælium in Amare Amici, Concordantia fuiſſet victa, ſi Amicus habuiſſet modicum Amare erga ſuum Amatum.

8. Malum Amare voluit in Voluntate Amici principiare iram, ſuperbiam & deſperationem, ſed bonum Amare jam principiaverat in ipſa patientiam, humilitatem & ſpem.

9. Contrariare & minorificare voluerunt de Amore ejicere Amare, quod eſt Medium inter Amatum & Amicum, quæ voluerunt ponere odire inter Amicum & Amatum, quod non potuerunt, quia Amare diu fuit in Amore Amici & Amati.

10. Amicus transmiſit Finem amandi ad ſuum Amatum per bonificare, magnificare & durare, per quæ Amatus transmiſit ad Amicum gratiam, miſericordiam, pietatem & ſpem.

11. Amicus multùm laboravit in acquirendo majus Amare, ſed cùm ipſum acquiſivit, transmiſit illud per ſpem ad Amatum.

12. Amicus voluit æqualiter in ſuo Amato amare ipſa bonificare, magnificare, durare, poſſe, intelligere & amare; & ideo amavit æqualiter judicare & miſereri Amati.

13. Amicus voluit ejicere Minoritatem de ſuo Amare, quod non potuit facere ſinè majori Amore & ſpe.

Diximus de Trunco Arboris Amoris, & dedimus doctrinam, quomodo poſſunt cognoſci operationes, quæ percipiuntur per Radices in Trunco Amoris; per quam perceptionem Amicus poteſt cognoſcere, in quo ſtatu ſit ſuum Amare, & cum qua Radice Amoris habeat majorem participationem & Concordantiam.

PARS III.

De Branchis Arboris Amoris.

1. BRanchæ Arboris Amoris ſunt plures, ſed nos volumus ipſas reducere ad *tres Branchas* tantùm, quæ ſunt: *Conditiones*, *Quæſtiones* & *Preces* Amoris. Et ratio, quare in hac Arbore ponimus Conditiones, Quæſtiones & Preces Amoris, eſt hæc: quia per *Conditiones* ſciet Amicus conditionare ſuum Amorem ad deſiderandum & amandum Amatum; per *Conditiones* poterit etiam ſolvere Quæſtiones, quæ fiunt de Amore. Per *Quæſtiones* Amoris verò erit ſolatium inter Amicum & Amatum, cum quo unus faciet alteri Quæſtiones per Amorem. Per *Preces* autem poterit Amicus ſcire rogare ſuum Amatum.
2. Quæſtiones, Conditiones & Preces in hac Arbore fient per Radices Amoris, ut per definitiones ipſarum ſint ordinatæ & cognitæ. Et Conditiones dividimus in *ſeptendecim* Rubricas miſcendo Amorem cum qualibet Radice Amoris; & hoc idem facimus de Quæſtionibus & Precibus Amoris; *& quamlibet Quæſtionem mittemus ad ſuam Conditionem, quæ taliter poterit ſolvi, quòd Quæſtio & Conditio ad invicem concordabunt per numerum & Rubricam: & idem fiet de Precibus.* Et primò miſcemus Amorem cum Bonitate & Magnitudine, poſtea cum Bonitate & Duratione, & ſic ſucceſſivè de Rubrica in Rubricam usque ad Rubricam de Amore & Æqualitate.

BRANCHA I.

De Conditionibus Amoris.

De Bonitate & Amore.

1. QUilibet Amatus, qui habet bonum & magnum Amorem, debet amari per bonum & magnum Amorem.
2. Quantò plùs bonus Amor durat, tantò plùs multiplicat ſuum Amare.
3. Nulla Poteſtas boni Amoris poteſt eſſe mala.
4. Quantò plùs bonus Amor ſcitur, tantò plùs eſt diſpoſitus, quòd ametur.
5. Nulla Voluntas eſt mala cum bono Amore.
6. Amor non poteſt eſſe bonus ſinè Virtute.
7. Veritas Bonitatis facit bonum & verum Amare.
8. Nullus Amor habet quietem in Gloria ſinè Bonitate.
9. In nullo Amore poteſt eſſe magna Bonitas ſinè Differentia Amici & Amati.
10. Nullus Amor poteſt eſſe bonus ſinè Concordantia Amici & Amati.
11. Nullus Amicus habet per malum Amorem bonum Amatum.
12. Omnis bonus Amor principiat bonum Amare.
13. Nullum Medium eſt ita bonum inter Amicum & Amatum, ſicut eſt bonum Amare.
14. Bonus Amor eſt Finis & quies boni Amatoris.
15. Nullus Amor poterit eſſe major ſinè Bonitate.
16. Nulla Æqualitas Bonitatis & Amoris poteſt eſſe mala.
17. Nulla minor Bonitas Amoris poteſt facere magnum Amatorem.

De Magnitudine & Amore.

1. NUllus Amor, qui parum durat, eſt magnus.
2. Poteſtas, quæ de Amore nihil poteſt, non eſt magna.
3. Quantò plùs Amor eſt magnus & ſcitus, tantò plùs nutrit & multiplicat magnum Amare.
4. Amare, quod non deſideratur, non poteſt eſſe magnum.
5. Nullus Amicus poteſt propter Amorem ſuſtinere magnos labores ſinè magna Virtute Amoris.
6. In nullo falſo Amore eſt magnum Amare.

7. Nul-

7. Nullus Amicus acquirit magnam Gloriam ſinè magno Amore.
8. Amicus, qui habet magnum Amorem, facit nullam Differentiam inter placita & labores, quæ habet propter ſuum Amatum.
9. Nullus Amor poteſt eſſe magnus ſinè Concordantia Amici & Amati.
10. Quantò plùs Amicus reſiſtit contrariis Amoris, tantò plùs habet magnum Amorẽ.
11. Omnis Amor, qui principiat & conſervat magnum Amare, eſt magnus.
12. Nullus Amor eſt magnus, niſi æqualiter procedat inter Amicum & Amatum.
13. Omnis magnus Amor requirit magnum Finem amandi.
14. Nullus magnus Amor eſt contra majus Amare.
15. Nulla Æqualitas magni Amoris & Amationis eſt parva.
16. Nullus Amor eſt magnus per minus Amare.

De Duratione & Amore.

1. AMor non poteſt habere Poteſtatem amandi ſinè durare.
2. Amor, qui non durat nec ſcitur, non habet Poteſtatem amandi.
3. Nullum Amare poteſt durare in ejus Voluntate, qui fatigatur de Amore.
4. Illa Virtus, quæ Amorem facit durare, eſt amabilis.
5. Nullus falſus Amor poteſt durare.
6. Gloria, quæ multùm durat, eſt multùm amabilis.
7. Amicus, qui facit Differentiam inter ſua bona & bona ſui Amati, non habet durabilem Amorem.
8. Concordantia Amici & Amati non poteſt durare ſinè magno Amore.
9. Amor non poteſt durare in Contrarietate Amici & Amati.
10. Nullus homo eſt diſcretus, qui principiat Amare in Amore, qui non durat.
11. Amor, qui eſt in Medio Amici & Amati, ſemper durat.
12. Qui ſuum Amorem facit durare, conſequitur Finem ipſius Amare.
13. Nullus Amor poteſt eſſe major cum modica Duratione.
14. Qui in Amore voluerit æquare riſum, ſuſpiria & fletus, faciat durare ſuum Amare.
15. Nullum placitum poteſt durare cum Minoritate ipſius Amare.

De Poteſtate & Amore.

1. QUi Amorem non cognoſcit, non poteſt aliquid facere de Amore & propter Amorem.
2. Voluntas, quæ ſe dat Poteſtati Amoris, eſt plena Amatione.
3. Poteſtas, quæ de Amore non poteſt facere Amatorem, non habet Virtutem.
4. Poteſtas, quæ per Amorem non poteſt ſuſtinere Veritatem, & deſtruere falſitatem, non habet poteſtatem amandi.
5. Qui de Gloria poteſt facere glorioſum, poteſt de Amore facere amoroſum.
6. Nulla Poteſtas poteſt habere aliquam operationem ſinè Differentia Amici & Amati.
7. Nulla Poteſtas poteſt concordare Amicum & Amatum ſinè Amore.
8. Nihil poteſt reſiſtere Poteſtati, quæ de Amore facit, quod vult.
9. Poteſtas, quæ de Amore non poteſt principiare Amare, non eſt amabilis nec laudabilis.
10. Poteſtas, quæ non poteſt pacificare Amicum & Amatum, non eſt in Medio Amoris.
11. Poteſtas, quæ ſe non habet ad Finem Amoris, non eſt amabilis.
12. Major Poteſtas Amoris facit majorem Amatorem.
13. Æqualis Poteſtas Amici & Amati non habet indigentiam Amoris.
14. Nulla Poteſtas parvi Amoris vincit Poteſtatem magni Amoris.

De Sapientia & Amore.

1. NUllus Amicus eſt ſapiens, qui ſinè virtuoſa Voluntate vult amare.
2. Nullus Amatus deſiderat amari nec ſerviri per fatuum & vitioſum Amicum.
3. Sapientia & falſus Amor non poſſunt miſceri.
4. Ille non ſcit amare, qui non vult ſcire glorioſum Amorem.
5. Si Sapientia non declarat in Gloria Differentiam Gloriantis & Gloriati, non movet Amicum ad amandum magnam Gloriam.
6. Concordantia Gloriantis & Gloriati eſt ita amabilis in eſſentia & natura Gloriæ, ſicut Concordantia Intelligentis & Intellecti eſt amabilis in eſſentia & natura Sapientiæ.
7. Omnis ſapiens Amicus eſt contrarius inimicis Amoris.

8. Ita convenit, quòd de Amore principietur Amare, sicut de intellectu intelligere.
9. Amare est sic in Medio Amoris, sicut intelligere in Medio intellectûs.
10. Sapiens Amator frequenter considerat Finem Amoris.
11. Quilibet sapiens Amator facit se frequenter servum majoris Amoris.
12. Ille non est sapiens Amator, qui nescit æquare Amorem & Amare.
13. Nullus sapiens Amator daret majorem Amorem pro minori Amore.

De Voluntate & Amore.

1. NUlla Voluntas est virtuosa sinè Amore.
2. Nullum velle est verum sinè vero Amare.
3. Omnis glorioſa Voluntas est amabilis.
4. Amor non potest esse in Voluntate sinè Differentia Amici & Amati.
5. In nulla mala Voluntate possunt Amor & Amare habere Concordantiam.
6. In Voluntate, quæ resistit magno Amori, non est Concordantia Amici & Amati.
7. Amare non potest principiari in Voluntate sinè Fine Amoris.
8. Media Voluntatis & Amoris sunt velle & Amare.
9. Nulla Voluntas habet quietem sinè Fine Amoris.
10. Omnis Voluntas est minor, in quam non introducitur major Amor.
11. Voluntas, quæ se coæquat cum Amore, habet nullius rei indigentiam.
12. Nullus Amicus habet magnam Voluntatem amandi, qui per minorem Amorem credit habere majorem Amatum.

De Virtute & Amore.

1. VIrtus, Veritas & Amor sunt divitiæ & thesaurus Amici & Amati.
2. Nulla Gloria est amabilis sinè Virtute Amoris.
3. Amicus non potest amare sinè Differentia Virtutum.
4. Concordantia Virtutum fortificat Concordantiam Amici & Amati.
5. De nulla Virtute nascitur Contrarietas inter Amicum & Amatum.
6. Ex virtuoso Amore nascitur & principiatur virtuosum Amare.
7. Amicus, qui non habet in Medio Amoris virtuosum Amare, non scit amare, nec sustinere labores propter Amorem.
8. Nemo potest attingere Finem Amoris sinè virtuoso Amare.
9. Per nullam Virtutem habet Amicus timorem de majori Amare.
10. Nulli æquales Amatores sunt mali per Æqualitatem Virtutum.
11. Nulla minor Virtus habet naturam majoris Amoris.

De Veritate & Amore.

1. NEmo est verus Amicus, qui falsè amat veram Gloriam.
2. Amicus & Amatus non possunt numerari in essentia Amoris sinè Differentia utriusque.
3. Quia falsus Amator non potest habere Concordantiam cum vero Amato, non possunt Veritas & Amor participare cum falso Amatore.
4. Veraci Amori non potest aliquid contrariare.
5. Amicus non potest principiare vera suspiria in Amare sinè Veritate ipsius Amare.
6. Quando inter Amicum & Amatum est verus Amor, non habet Amicus timorem de falso Amatore.
7. Verus Finis Amoris est signum & vexillum verorum & legalium Amatorum.
8. Amicus potest verè destruere omnem falsum Amorem per majorem Veritatem Amoris.
9. Æqualitas Veritatis & Amoris non habet supra se majorem, & facit audacem Amatorem.
10. Minoritas veri Amoris habet timorem de falso homine.

De Gloria & Amore.

1. NEmo potest habere Gloriam per Amorem sinè Differentia Amici & Amati.
2. Nemo potest habere Gloriam de Amore sinè Concordantia Amici & Amati.
3. Qui timet sustinere pœnam propter Amorem, est fatuus, si sperat acquirere Gloriam per Amorem.
4. Solatium Amici & Amati incipit per Gloriam Amoris.
5. Amicus & Amatus sunt in solatio in camera glorioſi Amoris.
6. Amicus colligit Finem sui Amoris in camera glorioſi Amoris.
7. Major Amatus dat majoribus Amatoribus majorem Gloriam Amoris.
8. Nulla perfectio habet indigentiam alicujus rei in Gloria, in qua est Æqualitas Amici & Amati.
9. Nemo habet majorem Amorem, qui

qui dimittit majorem Gloriam propter minorem.

De Differentia & Amore.

1. IN nullo Amore potest esse Concordantia sinè Differentia.
2. Differentia Amici & Amati non vivit de contrariis.
3. Sentire, imaginari & Amare sunt Principia, cum quibus Amicus vadit ad videndum suum Amatum.
4. Amare non posset esse inter Amicum & Amatum, si in Amore non esset Differentia Amici & Amati.
5. Amare Amici est Finis & complementum differentium actuum Radicum Amoris, de quibus indutum & ornatum est.
6. Nulla Differentia Amoris est major, quàm illa, quæ est de velle & Amare.
7. Amores non essent æquales sinè Differentia æqualium Amatorum.
8. Minor Amor non potest esse in Amico, qui non facit Differentiam inter bonum & malum, quæ ipsi contingunt propter Amorem.

De Concordantia & Amore.

1. AMicus & Amatus conjunguntur per Concordantiam Amoris, & separantur ab invicem per Contrarietatem.
2. Cor & oculi Amici concordant ad principiandum suspiria & fletus propter Amorem.
3. Amor ponit se in Medio Amici & Amati, ut ipsos possit ad invicem concordare.
4. Amicus & Amatus non possunt concordare sinè Fine Amoris.
5. Major Concordantia Amici & Amati est per majus concordare.
6. Nulla Æqualitas Amici & Amati potest esse sinè Concordantia.
7. Minor Concordantia Amici & Amati est de minori Amore.

De Contrarietate & Amore.

1. NUllus Amor incipit per contrarium.
2. Inter Amicum & Amatum non potest esse contrarius Amor.
3. Nullus Amicus attingit Finem illius, quod amat cum Contrarietate Amoris.
4. Major Contrarietas Amici & Amati est peccatum.
5. Nulla Æqualitas Amoris est per contrarium.
6. Nullus Amicus potest contra falsum Amorem per minorem Amorem.

De Principio & Amore.

1. QUilibet bonus & magnus Amator principiat Amare in Medio Amoris.
2. Omnis Amor incipit propter Finem amandi.
3. Majus Principium Amoris non potest esse sinè majori Amico & Amato.
4. Æqualis Amor incipit per Æqualitatem Amici & Amati.
5. Minus Principium Amoris non est de magno Amatore.

De Medio & Amore.

1. IN Medio Amoris consistit Amare, quod est Finis & solatium Amici & Amati.
2. Majus Medium Amoris non potest esse sinè majori Amore.
3. Amare Amici non est in majori Amato per minus Amare.
4. Amor manens in Medio dexterâ amplectitur Amantem & dexterâ Amplectitur Amatum, nam verus Amor nihil habet sinistrum.

De Fine & Amore.

1. MAjor Finis Amoris facit majores Amatores.
2. Suspiria & fletus, languores & placita coæquantur in Amico per Finem Amoris.
3. Nullus minor Finis facit citò ire Amicum ad suum Amatum.

De Majoritate & Amore.

1. NUllus major Amor potest esse sinè majori Æqualitate Amici & Amati.
2. Non est quies inter majorem & minorem Amorem.

De Æqualitate & Amore.

1. NUllus Amicus potest habere quietem per minorem Æqualitatem Amoris.

BRANCHA II.

De Quæstionibus Amoris.

1. QUæstiones de Amore possunt fieri *decem Modis*, videlicet: *Utrùm* Amor sit? *Quid* sit Amor? *De quo* sit Amor? *Quare* sit Amor? *Quantus* sit Amor? *Qualis* sit Amor? *Quando* sit Amor? *Ubi* sit Amor; *Quomodo* sit Amor? & *Cum quo* sit Amor. *Per istos decem modos Quæstionum volumus fecere Quæstiones de Amore: & quandoque per unum*

unum modum, quandoque per alium, transmittendo quamlibet Quæſtionem ad ſuam Conditionem, quæ eſt ejus ſolutio, & quæ ipſi ſimilis eſt per Rubricam & per numerum. Et primò dicemus de Quæſtionibus de Bonitate & Amore.

De Bonitate & Amore.

1. AMicus quæſivit ab Amore, quare ejus Amatus ametur à tam paucis Amatoribus, cùm dignus ſit amari à plurimis?

Solutio: Amice, dixit Amor, ſolutio hujus quæſtionis eſt in prima Conditione de Bonitate & Amore: & ſic de cæteris per ordinem Rubricarum & numeri.

2. Amicus quæſivit ab Amatore, cum quo multiplicaret ſuum Amare?
3. Amor dixit Amicus, poteſtnè per te mihi aliquid mali accidere?
4. Amicus quæſivit ab Amore, per quam naturam ſentiret ſe ita potentem ad amandum ſuum Amatum.
5. Amicus quæſivit à ſua Voluntate, quare eſſet infirma?
6. Amatores quæſiverunt ab Amico, quare odiret peccatum, & amaret Virtutem?
7. Amatores quæſiverunt ab Amore, cum quo nutriret & faceret bonum Amatorem?
8. Dominæ quæſiverunt ab Amico, cum quo haberet quietem, quando ſuſtineret mala Amoris?
9. Quædam avicula Amoris cantabat, à qua Bonitas quæſivit, per quid cognoſceret Amorem Amici & Amati.
10. Amor, dixit Amicus, quare es ita bonus?
11. Amicus quæſivit à quodam flore Amoris, cum quo poſſet habere bonum Amatum?
12. Amicus quæſivit ab Amore, cum quo principiaſſet ſuum Amare?
13. Amicus quæſivit ab Amore, ubi poſſet invenire ſuum Amatum?
14. Quidam Domicellus quæſivit ab Amico, in quo fonte potaſſet Amorem?
15. Domicellus Amoris quæſivit ab Amico, per quid amaret majorem Amorem?
16. Amice, dixit Amatus, quare habes malum Amorem?
17. Flamma ignîs quæſivit ab Amore Amici, quare haberet tam parvum Amatorem?

De Magnitudine & Amore.

1. AMicus quæſivit ab Æternitate ſupremi Amati, quæ eſſet cauſa ſui magni Amoris?
2. Laus Amoris quæſivit ab Amico, utrùm ſciret, per quid Poteſtas Amoris ſit magna?
3. Amicus quæſivit ab Amore Amati, quare non eſſet magnus in pluribus Amatoribus.
4. Amicus quæſivit à ſuo Amore, per quid eſſet magnus?
5. Charitas quæſivit ab Amico, qui timebat ſuſtinere labores, quare fatigaretur Amore?
6. Verus Amor quærebat à falſo Amore, quare haberet timorem & fugeret?
7. Aviculæ, quæ cantabant de Amore, quæſiverunt ab Amico, quid ſit magna Gloria Amoris?
8. Conſolatio & patientia quæſiverunt ab Amico, de quo Amor ipſum remuneraret in amando ſuum Amatum?
9. Memoria & ſpes Amoris quæſiverunt ab Amico, per quid exiſteret magnus Amor?
10. Victoria & laus quæſiverunt ab Amico, utrùm per ipſas haberet magnum Amorem?
11. Magnæ Dominæ valoris quæſiverunt ab Amico, quare ſit magnus Amor?
12. Minoritas & Contrarietas quæſiverunt ab Amare Amici, quare eſſet in Medio Amoris?
13. Quidam magnus Dominus quæſivit à magno Amatore, quare haberet ita magnum Amorem?
14. Libertas quæſivit ab Amico, utrùm cum ipſa amaret majorem Amatum?
15. Juſtitia quæſivit ab Amico, quare amaret Æqualitatem Amoris & Amare?
16. Amicus non potuit ſuſtinere majora tormenta, quæ acquiſivit per majus Amare: & quæſivit ab Amato, utrùm per minus Amare poſſet invenire magna ſecreta Amoris?

De Duratione & Amore.

1. ANgelus Amoris quæſivit ab Amico, in quo haberet Poteſtatem amandi?
2. Amicus voluit amare, ſed non poterat amare, unde quæſivit ab Amore, quid ipſi impediret ſuum Amare?
3. Amicus ſtetit quâdam die ſinè Amore, qui quæſivit ab Amore, quare non duraret?
4. Amicus quæſivit ab Amato, quam Virtutem deberet multùm amare?
5. Verus Amor quæſivit à Sapientia & memoria Amici, quare falſus Amor tam diu duraverit?

6. Avicula Amoris quæſivit ab Amico, quis ſit prudens & conſtans Amator?
7. Amicus quæſivit ab Amore, quare ſuus Amatus ab ipſo fugeret?
8. Per quid durat Concordantia Amici & Amati, cùm Amicus habet magnos labores propter ſuum Amatum?
9. Amor quæſivit ab Amato, quare repudiaret Amicum, poſtquàm ipſum dulcoraverat cum Amore?
10. Sapientia & Duratio quæſiverunt ab Amico, utrùm ſciret, quid ſit ſtultitia Amoris?
11. Servitores Amoris quæſiverunt ab Amico, utrùm ſciret, quænam ſint majora fundamenta Amoris?
12. Amicus transmiſit ad Amatum epiſtolam Amoris, in qua ab ipſo quærebat, per quid poſſet conſequi & habere ſuum Amorem?
13. Amor, dixit Amicus: per quid potes eſſe major?
14. Amicus quæſivit à ſuis delectationibus & paſſionibus, per quid eſſent æquales in ſuo Amore?
15. Quare non durant Delectatio, ſolatium & quies Amoris?

De Poteſtate & Amore.

1. SApientia quæſivit ab Amico, quare ipſam non mitteret ad Amorem, poſtquàm deſideraret multùm amare ſuum Amatum?
2. Voluntas quæſivit ab Amico, quare ipſam totam daret Poteſtati Amoris?
3. Amor, dixit Amicus: habetnè tua Poteſtas Virtutem ſinè paſſione & actione?
4. Viæ Amoris quæſiverunt ab Amico, quando iret per ipſas ad videndum ſuum Amatum?
5. Gloria quæſivit ab Amico, quare ſuum Amare non indueret de ipſa?
6. Poteſtas & libertas Amoris quæſiverunt ab Amico, utrùm ſciret ſubjectum Amoris?
7. Fuit diſcordia inter Amicum & Amatum, ſed Amicus quæſivit à patientia & pietate, utrùm ſcirent, per quid poſſet recuperare ſuum Amatum?
8. Honores & laudes quæſiverunt ab Amico, utrùm otioſitas amandi eſſet hæreſis Amoris?
9. Dominæ indutæ de Amore quæſiverunt ab Amico, utrùm audiviſſet blasphemari Poteſtatem Amoris?
10. Oratio & devotio Quæſiverunt ab Amico, utrùm ſciret, ubi eſſet poteſtas Amoris?
11. Libertas & virtus quæſiverunt ab Amore, utrùm aliqua ſuarum Poteſtatum eſſet odibilis?
12. Quidam parvus Amicus quæſivit ab Amore, cum quo faceret ſuos majores Amatores?
13. Amicus quæſivit ab Amore, utrùm valores & honores eſſent divitiæ æqualis Poteſtatis Amici & Amati?
14. Plures homines quæſiverunt ab Amico, quare magna Poteſtas Amoris naturaliter ſit amabilis?

De Sapientia & Amore.

1. AMice, ſcisnè tu, quid ſit Sapientia Amoris?
2. Amicus quæſivit ab Amore, quare ſuus Amatus tam parùm ametur, & quare illi impendatur tam modicum ſervitium?
3. Amatores quæſiverunt ab Amico, utrùm in ſuo Amore poſſet eſſe Sapientia & ſtultitia?
4. Plures Amatores quæſiverunt ab Amico, quomodo ſciret amare?
5. Amicus quæſivit à Sapientia, quomodo poſſet multùm amare magnam Gloriam?
6. Gloria Amati quæſivit ab Amore, an per ipſum tantum ametur, quantum Sapientia?
7. Amice, ſcisnè, quid ſit Sapientia amandi?
8. Amicus quæſivit ab Amato, utrùm ipſi placeret, quòd tantum amaret Philoſophiam Amoris, quantum Philoſophiam Sapientiæ?
9. Duæ Dominæ valoris quæſiverunt ab Amico, utrùm in ipſo æqualiter poſſent eſſe intelligere & Amare?
10. Amatores quæſiverunt ab Amico, in quo lecto ſuæ cogitationes dormirent?
11. Amicus quæſivit ab Amore, quomodo poſſet eſſe magnus ſapiens Amator?
12. Sapientes Dominæ quæſiverunt ab Amico, utrùm ſciret, quid eſſet ſtultitia amandi?
13. Valor & honor quæſiverunt ab Amico, utrùm vidiſſet fatuum mercatorem Amoris?

De Voluntate & Amore.

1. AMatus quæſivit ab Amico, utrùm ſua Voluntas haberet Virtutem?
2. Amice, dixit Amatus: ſcisnè tu, quid ſit vera Voluntas?

3. Amicus quæſivit à ſuo Amato, utrùm tantum amaret gloriare, quantum Amare?
4. Veritas & claritas Amoris quæſiverunt ab Amico, utrùm in ſua Voluntate poſſent eſſe & habitare.
5. Bonitas & malitia quæſiverunt à Voluntate Amici, utrùm ipſæ poſſent ſimul cum ipſa hoſpitari?
6. Domicelli Amoris quæſiverunt ab Amico & Amato, cum quo poſſent habere magnam Concordantiam?
7. Dominæ Amoris quæſiverunt ab Amico, quid faceret in ſua Voluntate principiari Amare?
8. Honores & laudes quæſiverunt ab Amato & Amico, per quos nuncios ſibi ad invicem transmitterent Amores?
9. Amores quæſiverunt ab otioſa Voluntate Amici, quare eſſet ita feſſa triſtis & vexata?
10. Amicus quæſivit à ſua Voluntate, quare eſſet minor, & non major?
11. Virtutes quæſiverunt à Voluntate Amici, de quo eſſet plena?
12. Amicus quæſivit à Magnatibus, quare cum minori Amore præſumant ire ad majorem Amatum?

De Virtute & Amore.

1. AMatores quæſiverunt ab Amico & Amato, de quo viveret eorum Amicitia?
2. Amicus quæſivit à Gloria Amati, utrùm multùm amaretur?
3. Virtus Solis quæſivit ab Amico, cum quo poſſet amare?
4. Dominæ quæſiverunt ab Amicitia Amici & Amati, de quo indigeret?
5. Quædam avicula volabat juxta Amorem, quæ ab Amore quæſivit, de quo naſceretur Contrarietas inter Amicum & Amatum?
6. Dominæ Virtutes quæſiverunt ab Amico, cum quo principiaret virtuoſum Amare?
7. Oratio & devotio quæſiverunt ab Amico, cum quo poſſet ſuſtinere labores?
8. Amicus fuit feſſus in amando, qui quæſivit ab igne, quomodo ſic poſſit deviare ab Amare?
9. Ab Amico fuit quæſitum, utrùm per aliquam Virtutem habuiſſet timorem de Amatione?
10. Amicus quæſivit à ſuo Amato, utrùm cum Amore poſſet coæquare alias Virtutes?
11. Amicus dixit Amato: habesnè tam magnam Virtutem per bonificare, ſicut per Amare?

De Veritate & Amore.

1. AMicus quæſivit à ſuo Amato, quare tam pauci homines intrent in Gloriam, & tot vadant in infernum?
2. Amate, dixit Amicus: eſtnè in te verus numerus & per Amorem & de Amore?
3. Amicus quæſivit ab Amato, utrùm poſſet habere miſericordiam de falſo Amatore, dum odit verum Amorem?
4. Dominæ Veritatis & Poteſtatis quæſiverunt ab Amico, utrùm, quando amaret ſuum Amatum, inveniret aliquod contrarium?
5. Quidam judices Amoris quæſiverunt à ſuſpiriis & fletibus Amici, de quo fonte exirent?
6. Amicus habuit timorem, & voluit fugere à ſuo Amato: & Amatus quæſivit ab Amico, quare ipſe haberet timorem, poſtquàm ipſum amaret?
7. Amicus quæſivit ab Amore, per quid poſſet cognoſcere falſum Amatorem?
8. Amate, dixit Amicus: per quid poteſt deſtrui falſus Amor?
9. Milites Amoris, dixit Amicus: quare eſtis ita audaces & bellicoſi?
10. Amicus quæſivit ab Amore, utrùm aliquando habuiſſet timorem de aliquo?

De Gloria & Amore.

1. AMor, dixit Amicus: de qua re es plenus?
2. AScutiferi Amati quæſiverunt ab Amico, de quo eſt Gloria Amici & Amati?
3. Amicus fuit timidus ad ſuſtinendos magnos labores propter Amorem: à quo quæſiverunt juſtitia & charitas, quare ſperaret Gloriam à ſuo Amato?
4. Patientia & humilitas quæſiverunt ab Amico, utrùm per pœnam Amoris poſſet principiare glorioſum Amare?
5. Amare Amici abſentavit ſe ab imaginatione & ſenſu, quæ quæſiverunt ab Amico, in quo loco ipſum poſſent invenire, quia non voluerunt eſſe vel vivere ſinè illo?
6. Amicus comedebat valde pulchrum pomum Amoris, ſuper quo audire & videre quæſiverunt, ubi illud accepiſſet; quia volebant deſtruere Arborem, quæ produxit illud pomum.
7. Amatores quæſiverunt ab Aquila Amoris, per quam Amatus accipit majores Amatores, utrùm volaret per aërem Amoris?
8. Quidam leporarius, cum quo Amicus capiebat lepores Amoris, quæſivit à ſuo Domino, utrùm haberet indigentiam alicujus?
9. Amicus quæſivit à quodam mercatore Amoris, qui emebat jocalia à ſuo Amato, an haberet multam notitiam mercaturæ?

De Differentia & Amore.

1. AMicus quæſivit ab Amore, utrùm in ipſo eſſet natura Amici & Amati?
2. Amatores quærebant à Differentia Amici & Amati, de quo viveret?
3. Scutifer Amoris quæſivit ab Amico, qui volebat ire ad videndum Amatum, quem equum Amoris vellet equitare?
4. Memoria Amoris quæſivit ab intellectu Amoris, cum quo eſſet Amare inter Amicum & Amatum?
5. Radices Amoris quæſiverunt ab Amico, de quo eſſet ſua corona?
6. Amicus quæſivit ab Amore, de quo eſſet ſua major Concordantia?
7. Amatores quæſiverunt ab Amico, an poſſent eſſe æquales in Amore?
8. Minor Differentia Amoris quæſivit ab Amico, an per ipſam vellet eſſe in ſuo Amato?

De Concordantia & Amore.

1. QUæſitum fuit ab Amico, utrùm ſciret, quid eſſet theriaca Amoris & venenum Amoris?
2. Amice, dixerunt Secreta Amoris: cum quo principias ſuſpirare & plorare?
3. Virtutes quæſiverunt ab Amore, in qua civitate pacificaſſet Amicum & Amatum?
4. Quidam homo volebat amare Virtutes, & non poterat; unde quæſivit ab Amore, quænam eſſet occaſio, quòd non poſſet amare Virtutes?
5. Amicus quæſivit à lilio & roſa, cum quo poſſet habere majus Amare?
6. Duæ Amationes quæſiverunt ab Amore, cum quo poſſent coæquari?
7. Amicus quæſivit, an in ſe haberet aliquam naturam, per quam ſe poſſet elongare à ſua Amatione?

De Contrarietate & Amore.

1. DOminæ Amoris quæſiverunt ab Amico, ubi eſſent pericula Amoris?
2. Contrarietas Amoris plorabat & plangebat, à qua Concordantiæ Amoris quærebant, cur ploraret & plangeret?
3. Amicus non potuit capere Amorem per falconem Amoris, à quo Amicus quæſivit, quare non caperet Amorem?
4. Paſtores Amoris quæſiverunt à quodam Eremita Amoris, utrùm ſciret, quænam eſſet major Contrarietas Amici & Amati?
5. Oves Amoris quæſiverunt à paſtore, utrùm ſciret, quis homo eſſet maximè contrarius dominio Amoris?
6. Bonus Amor quæſivit à malo Amore, quare viveret?

De Principio & Amore.

1. DUm Aves Amoris canebant, quæſiverunt ab Amatore, utrùm ſciret, ubi Amor principiaret ſuum Amare?
2. Roſæ & violæ quæſiverunt ab Amico, utrùm ſciret, quodnam ſit majus Principium Amoris?
3. Quidam præſtigiator Amoris quæſivit ab Amico, quæ eſſent majores neceſſitates Amoris?
4. Regina Amoris quæſivit à quodam Rege Amoris, utrùm ſciret, cum quo principiaret majorem Amorem?
5. Minor Amor comparuit in nuptiis majoris Amoris, à quo quæſivit, utrùm & ubi eſſet locus pro ipſo?

De Medio & Amore.

1. FOntes Amoris interrogaverunt Amatores ex illis bibentes, ubi Domina Amoris dormiret?
2. Stellæ quæſiverunt ab Amico, utrùm ſciret, de quo ſit majus Amare?
3. Languores Amoris quæſiverunt ab Amico, qui ſatagebat amare, quare non eſſet cum majori Amato?
4. Puellæ Amoris quæſiverunt ab Amico, an ſciret, ubi cubat Amor?

De Fine & Amore.

1. POma Amoris quæſiverunt ab Amore, cum quo faceret majores Amatores?
2. Lilium & rubinus Amoris quæſiverunt ab Amico, quinam eſſent nuncii, qui literas portant ad Amatum?
3. Chorda Amoris quæſivit à ſagitta, quare non volaret citò, cùm iret ad percutiendum Amicum per Amorem?

De Majoritate & Amore.

1. ÆQuales honores Amoris quæſiverunt ab Amico, de quo ſit major Amor?

2. Suſpiria & fletus quæſiverunt ab Amico, utrùm inveniret quietem in amando?

De Æqualitate & Amore.

1. MInores Amores quæſiverunt ab æqualibus Amatoribus, utrùm per Amorem haberent quietem?

BRANCHA III.

De Precibus Amoris.

1. AD dandum Doctrinam, cum qua homo diſcat rogare per Amorem, volumus extrahere *Preces Amoris ex Conditionibus & Quæſtionibus Amoris*, ſicut extraximus *Quæſtiones Amoris ex ejus Conditionibus.*

2. „ Qui vult rogare per Bonitatem & „ Magnitudinem Amoris, accipiat ſimili„ tudinem de Conditione & Quæſtione in „ prima Rubrica de Bonitate & Amore; „ & qui vult rogare per Bonitatem & Du„ rationem Amoris, vadat ad ſecundam „ Conditionem & Quæſtionem Rubricæ „ de Bonitate & Duratione, & faciat ſuas „ Preces de earum ſimilitudinibus, & ita „ in cæteris; *& ſic poterit haberi Ars & modus inveniendi plures & diverſas Orationes & Preces Amoris; & de hoc dabimus Doctrinam in ſequentibus Precibus.*

De Bonitate & Amore.

1. AMicus erat in dolore & triſtitia, quia Amatus haberet tam paucos Amatores, cùm Amatus ſit in tam magna Bonitate Amoris, quòd à multis bonis & magnis Amatoribus deberet honorari, amari & coli; & ideo rogavit Amicus Amorem cum valde bono & magno Amare, ut amorificaret plures bonos & magnos Amatores ad amandum ſuum bonum & magnum Amatum.

2. Amicus rogavit Amorem, ut duraret in ſuo Amare, cum quo poſſet multiplicare ſuum Amorem in Bonitate; quia Bonitas Amoris non poteſt creſcere ſinè durare.

3. Amate, dixit Amicus: ſinè tua Bonitate & Poteſtate non poſſum habere Amorem, cum quo te deſidero amare; & ideo rogo Poteſtatem tui boni Amoris, ut mihi det Poteſtatem boni Amoris, cum qua te poſſim amare, & in ipſa poſſim amare bonum, & odire malum.

4. Amicus rogavit Amatum, ut faceret cognoſci Bonitatem ſui boni Amoris: quia, cùm Bonitas boni Amoris cognoſcitur, fortificat Amatores ad ſuſtinendum labores propter Amorem.

5. Amicus rogavit ſuum Amatum, ut ipſi ſanaret ſuam Voluntatem cum Bonitate Amoris, quæ medicina ejicit de Voluntate malas cogitationes, imaginationes & Amores infirmantes Voluntatem.

6. Amate, dixit Amicus: poſtquàm à me vis amari, & tu non potes amari ſinè Bonitate Amoris, nec Amor poteſt eſſe bonus ſinè Virtutibus, da mihi Virtutes, cum quibus te poſſim amare.

7. Amicus rogavit Bonitatem & Veritatem Amati, ut bonificarent & verificarent ſuum Amare, quia ſinè ipſis non vellet amare ſuum Amatum.

8. Amicus rogavit Gloriam & Bonitatem ſui Amati, ut bonificarent & glorificarent ſuum Amorem, cum quo amaret ſuum Amatum, ut ſuus Amor haberet quietem in Amato.

9. Amicus rogavit bonum Amorem, ut ipſi revelaret Naturam, quam eſſentialiter habet in ſe Differentia Amici & Amati, quia hujus revelatio eſſet bona ad multùm amandum.

10. Bone Amor, dixit valor Amoris: Naturam, quam habes per Concordantiam Amici & Amati, oſtendas Amatoribus, ut per ipſam ſciant concordare ſuos bonos Amores.

11. Flos Amoris rogavit bonum Amorem, ut faceret bonos Amatores, qui amarent bonum Amatum.

12. Amicus rogavit majorem Dominum Amoris & Bonitatis, ut mundum impleret bono Amore, & de ipſo ejiceret malum Amorem; nam omnis bonus Amor principiat bonum Amare, & omnis malus Amor principiat malum Amare.

13. Amicus rogavit ſuum Amare, ut ſtaret in Medio boni Amoris, ne poſſet principiare cum malo Amare.

14. Amicus rogavit Bonitatem & Finem Amoris, ut induerent ſuum Amare, cum quo vellet ire ad videndum ſuum Amatum, & in illo habere quietem.

15. Domicella Amoris rogavit Amicum, ut amaret ſuum Amatum cum majori Bonitate & Amore, & ut per ipſam transmitteret ſuum Amare ad ſuum ſummum Amatum, quem deſiderabat multùm honorare & illi ſervire.

16. Amicus rogavit Bonitatem & Amorem, ut

ut ſe facerent æquales in ſuis operationibus, quia per ipſas poſſent eorum Amatores deſtruere malum & peccatum.

17. Amicus voluit eſſe bonus & magnus Amator, qui rogavit minorem Bonitatem, ne ipſi eſſet familiaris, quia ejus familiaritas impedit majorem Amicitiam Amici cum Amato.

De Magnitudine & Amore.

1. AMicus transmiſit ſuſpiria & fletus ad Magnitudinem & Æternitatem ſui Amati, ut placeret ipſis multiplicare ſuum Amorem in magnificatione & duratione, quia deſiderabat amare magnum & æternumAmatum.

2. Poteſtas Amoris, dixit Amicus: poſtquàm in meo Amato es magna, placeat tibi, quòd ſis magna in meo Amore, qui deſiderat magnam Poteſtatem in ſuo Amare.

3. Amicus rogabat magnum Amorem ſui Amati, ut ſe faceret cognoſci à pluribus Amatoribus, ut haberent ad ipſum magnum Amorem; quia per ignorantiam magni Amoris non poteſt eſſe magnus Amator.

4. Amicus rogavit ſuam voluntatem, ut ſe ornaret & indueret de magno Amore & magnificentiis, poſtquàm deſiderabat amare & colere magnum Amatum.

5. Amicus rogavit ſuum Amatum, ut ipſi daret magnam juſtitiam, cum qua ſentiret ſe ſuſtinere magnos labores propter Amorem: & ut ipſi daret magnam prudentiam, cum qua ſciret eligere majorem Amorem: & ut ipſi daret magnam fortitudinem, ut vinceret magnas tentationes: & magnam temperantiam, ut haberet magnam abſtinentiam; quia omnes Magnitudines prædictarum Virtutum ſunt neceſſariæ ad magnum Amorem.

6. Amicus rogavit Amatum, ut ipſum faceret amare magnam Veritatem, quia non poſſet cum parva Veritate reſiſtere magnæ falſitati, quæ quaſi totum mundum tenet in errore, & multiplicat falſum Amorem.

7. Amicus rogavit ſuum Amatum, ut ipſi daret magnas alas Amoris, cum quibus poſſet aſcendere ad amandum ipſum, & conſtitui in ejus Gloria.

8. Amate, dixit Amicus: da mihi ita magnum Amorem, ut in te amando & honorando & tibi ſerviendo nullam faciam Differentiam inter riſum & fletum, quietem & laborem; nam alio modo non poſſem te multùm amare.

9. Amicus rogavit Amorem, ut in amando & colendo ſuum Amatum ipſi daret magnam Concordantiam risûs & fletûs, laboris & quietis, ſanitatis & infirmitatis: quia hujusmodi Concordantia eſt neceſſaria ad magnum Amorem.

10. Amate, dixit, Amicus: da mihi labores & magnas adverſitates propter te ſuſtinendas ad honorandum te & ad ſerviendum tibi: & ut ſciam, quæ ſint quietes & delectationes magni Amoris.

11. Amate, dixit Amicus: poſtquàm me principiaſti ad amandum te, da mihi magnum Amorem, in quo poſſim principiare magnum Amare, quod me faciat principiare magnas operationes ad multùm laudandum te, & ad inducendos homines ad tuum cultum.

12. Amate, dixit Amicus: facias meum Amare eſſe in Medio magnæ intelligentiæ & recolentiæ, ut meus Amor ſit magnus ad te laudandum, amandum & benedicendum.

13. Amate, dixit Amicus: qui habet magnum Amorem, habet magnos labores propter Amorem; & non poteſt ſuſtinere labores, ſi non amat magnum Finem Amoris, quem me facias, rogo te, ſemper amare, ut propter Amorem poſſim ſuſtinere labores.

14. Amicus rogavit Amatum, ut ipſi daret magnum Amorem, per quem poſſet ſuſtinere & portare majores delectationes & labores, qui accidunt per magnum Amorem.

15. Amate, dixit Amicus: tu, qui das magnum Amorem, da mihi magnam Æqualitatem Amoris & Amare, ut meus Amor in nullo ſit parvus & otioſus.

16. Amicus rogavit ſuum Amatum, ut ſe elongaret à parvo & minore Amore, ut per magnum & majorem Amorem poſſet procurare & perficere magna negotia in tractando ſuum Amorem.

De Duratione & Amore.

1. AMicus rogavit Durationem ſui Amati, ut ipſi in magna Duratione daret Poteſtatem amandi ſuos Honores & Valores.

2. Amicus rogavit ſuum intellectum & memoriam, ut ipſum cuſtodirent de ſenſu & imaginatione, qui non volebat, quòd ſuus Amor duraret in amando bona, quæ parùm durant.

3. Amice, dixit Amor: non fatigeris in amando, ut poſſim durare inter te & tuum Amatum.

4. Amor dixit ad Amicum, quòd face-

ret durare Virtutem in ſua cogitatione, ut in ipſa faceret durare virtuoſum Amare.

5. Amate, dixit Amicus: facias durare Veritatem in meo Amore, ut in ipſo non poſſit durare falſum Amare.

6. Amate, dixit Amor: non facias me deſiderare delectationem ſenſûs & imaginationis, nam modicum durant; ſed facias me deſiderare delectationes, quæ multùm durant in intelligendo & recolendo tuam Gloriam.

7. Amor dixit ad Amicum, ut ipſum non faceret durare in amando ſpecialia bona, quæ parùm durant, ſed potiùs in amando generalia bona, quæ multùm durant.

8. Amor, dixit Amicus: concorda tuum Amare cum intellectu, qui intelligit, & cum memoria, quæ recolit Valores mei Amati, ut multùm poſſim in te durare.

9. Amice, dixit Amor: cùm vana cogitas in cogitatione tui intelligere, non permittas durare tuum recolere; quod, ſi permittas, non poteris abſtinere, quin ipſa ames.

10. Amor dixit ad Amicum, ut, cùm inciperet aliquid amare, inciperet recolere & intelligere; utrùm illud, quod vult amare, ſit durabile.

11. Amice, dixit Amor: ſi tuum Amare volueris facere durare, facias ipſum ſtare in Medio memoriæ recolentis & intellectûs intelligentis tuum Amatum & ejus Operationes.

12. Amicus rogabat ſuum Amatum, ut in ipſo faceret durare ſanitatem, diſpoſitionem & opportunitatem, ut poſſet durare in amando finem Amoris.

13. Amate, dixit Amicus: facias durare meum Amare in majori cogitatione, ut poſſit ſtare in majori Amore.

14. Amicus rogavit Amorem & Amare, ut in ipſo ſe coæquarent, ut poſſet durare ad ſerviendum ſuo Amato.

15. Amice, dixit Amor: non permittas durare tentationem in tua cogitatione; nam quantò plùs in ipſa permittis durare tentationem, tantò minus Amare facis me habere ad tuum Amatum.

De Poteſtate & Amore.

1. AMicus rogabat ſuum Amatum, ut ipſum faceret cognoſcere Amorem, quatenus ſe ipſum & alios indulcoraret Amore.

2. Amate, dixit Amicus: da mihi omnem Poteſtatem Amoris, ut te poſſim amare cum toto Amore.

3. Amicus rogabat Virtutes, ut à ſuo Amato impetrarent, ut ipſum faceret dominum & ſubditum Poteſtatis Amoris: dominum, ut totus eſſet agens in Amore: & ſubditum, ut totus eſſet patiens in Amore.

4. Amicus petivit ab Amato Poteſtatem Veritatis & Amoris, ut poſſet deſtruere & occidere falſum Amorem.

5. Amate, dixit Amicus: da mihi Poteſtatem Gloriæ, ut, cùm fuero in triſtitia propter Amorem, me poſſim facere hilarem.

6. Amicus rogavit ſuum Amatum, ut ipſi daret Poteſtatem Amoris, quem poſſet dare & dividere inter plures Amatores.

7. Amate, dixit Amicus: da mihi Poteſtatem Amoris, ut in ipſa poſſim concordare plures Amatores ad te amandum, honorandum & colendum.

8. Amicus rogavit bonum Amorem, ut ipſi daret Poteſtatem, cum qua poſſet reſiſtere malo Amori.

9. Amor, dixit Amicus: tu, qui es liberalis, virtuoſus & magnus, da mihi tuam Poteſtatem, ut de te & per te poſſim principiare magnum & virtuoſum Amare.

10. Amicus rogabat ſuum Amatum, ut ipſi de Medio Amoris daret Poteſtatem amandi, cum qua eſſet totus indutus de Amore & comprehenſus.

11. Amate, dixit Amicus: da mihi Poteſtatem & Finem Amoris, ut non poſſim amare ſinè Fine Amoris.

12. Amicus rogavit ſuum Amatum, ut ipſi daret majorem Poteſtatem Amoris, cum qua poſſet ſuſtinere majores labores & languores, quos homo poſſit ſuſtinere propter Amorem.

13. Amicus rogavit æqualem Amorem Amici & Amati, ut ipſi daret in Gloria Æqualitatem Amoris & Amare, ut de toto ſuo Amore poſſet amare ſummum Amicum & Amatum.

14. Amicus rogabat majorem Poteſtatem Amoris, ut ipſum defenderet de minori Poteſtate Amoris, quæ ipſum ſemper tentavit, ut amaret minorem Bonitatem & Virtutem Amoris.

De Sapientia & Amore.

1. AMor rogabat Sapientiam & Voluntatem, ut ipſum frequenter portarent de Amato ad Amicum, & de Amico ad Amatum.

2. Amicus rogavit Sapientiam & Virtutem, ut ipſum induerent de ſuo Amare, quod

quod vellet transmittere ad ſuum Amatum.

3. Amicus rogavit ſapientem & verum Amorem ſui Amati, ut caperent & ligarent fatuum & falſum Amorem, qui mundum tenet turbatum per fatuos & falſos Amatores peccati.

4. Amicus orabat & rogabat Sapientiam, ut ipſi daret Gloriam ſui Amati, cum qua poſſet ipſam fortiùs amare.

5. Sapientia Amoris, dixit Amicus: oſtende mihi hoc, de quo eſt gloriare mei Amati, ut de ejus Gloria poſſim ſcire claritatem.

6. Amicus rogavit Concordantiam Amoris, ut ipſum in amando concordaret cum ſuo Amato.

7. Amicus orabat & humiliter rogabat ſuum Amatum, ut ipſum faceret cognoſcere inimicos ſui Amoris, ut ipſos poſſet odire.

8. Sapientia, dixit Amicus: tu, quæ mihi oſtendiſti bonum & magnum Amatum, oſtendas mihi modum ad principiandum magna ſervitia & honores propter Amorem mei Amati.

9. Amicus rogavit Sapientiam, ut ſe poneret inter ipſum & ſuum Amatum, poſtquàm Amor erat poſitus inter ipſos.

10. Amicus rogabat Sapientiam, ut ſemper, cùm amaret, ipſi oſtenderet Finem Amoris.

11. Sapientia, dixit Amicus: oſtende mihi majorem Amorem, ut poſſim eſſe major Amator.

12. Amicus rogavit Sapientiam Amoris, ut ipſum doceret coæquare Amorem & Amare, ut de toto ſuo Amore poſſet deſiderare ſuum Amatum, & illi ſervire, & ut poſſet ſuſtinere omnes labores Amoris.

13. Sapientia, dixit Amicus: cùm fuero tentatus ad magis amandum minorem Amorem, quàm majorem, oſtende mihi Nobilitates, Altitudines & Divitias mei Amati, & vilitatem, vanitatem & errorem hujus mundi.

De Voluntate & Amore.

1. VOluntas, dixit Amicus: roga Virtutes, ut ornent tuum velle, ut cum ipſo poſſis amare meum Amatum.

2. Voluntas, dixit Amicus: non permittas me velle falſitatem, quia Amatus non vult honorari ſinè vero Amare.

3. Amice, dixit Voluntas: rogo te, ut in hoc mundo ames plures labores propter tuum Amatum, ut in alio ſæculo poſſis habere magnam Gloriam in volendo tuum Amatum.

4. Voluntas, dixit Amicus: ama Differentiam Amoris, cum qua Amatus eſt differens ab omnibus aliis eſſentiis.

5. Amice, dixit Volnntas: ama magnam Concordantiam Virtutum Amici & Amati.

6. Voluntas, dixit Amicus: odias Contrarietatem Amici & Amati, quia ipſa eſt principium bellorum & omnium malorum.

7. Amice, dixit Voluntas: cùm incipies velle, non principies illud, niſi ames tuum Amatum.

8. Voluntas, dixit Amicus: tu, qui habes in Medio tuæ eſſentiæ tuum velle & tuam libertatem, habeas ipſa in illo loco per bonum Amare.

9. Amice, dixit Voluntas: cùm me volueris uti, noli me uti ſinè Fine bonæ & magnæ Amationis.

10. Voluntas, dixit Amicus: noli habere majus velle ſinè majori Virtute & Bonitate ipſius Amare.

11. Amice, dixit Voluntas: liga tuum velle cum tuo Amare & cum tuo intelligere & cum tuo recolere, ut me non facias eſſe otioſam.

12. Voluntas, dixit Amicus: noli uti minori velle, ut in te faciam habitare & quieſcere majus Amare.

De Virtute & Amore.

1. VIrtus, dixit Amicus: roga tuum Amatum, ut de lumine Veritatis, quæ eſt fixa in pariete, accendat tuam lucernam, quæ eſt extincta.

2. Amicus rogavit juſtitiam, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, fidem, ſpem, charitatem & alias Virtutes, ut aſſociarent ſuum Amare, quod volebat mittere ad ſuum Amatum, ut eſſet in ſua Gloria.

3. Differentia Virtutum, dixit Amicus: intra in meum Amorem, ut meus Amor ſit plenus de te.

4. Concordantia Virtutum, dixit Amicus: veni eſſe in meo Amore, ut habeam pacem cum meo Amato.

5. Amicus rogavit patientiam, abſtinentiam, humilitatem, caſtitatem & pietatem, ut vincerent tentationes, quæ impediebant & vexabant ſuum Amare.

6. Virtuoſe Amor, dixit Amicus: non permittas, quòd in me principietur vitioſum Amare.

7. Amicus natavit per aquas Amoris, qui rogavit Amorem, ut ipſum permitteret ſtare in ſuo portu cum ſuo Amato.

8. Ami-

8. Amicus faciebat venationem cum falconibus & leporibus Virtutis, & rogavit ſuum Amatum, ut ſe permitteret capi per Amorem.
9. Amicus rogavit majores Virtutes Amoris, ut ipſum juvarent contra majora vitia, quia non poſſet ipſa vincere cum minori Amare.
10. Amicus rogabat Virtutes, ut ſe facerent æquales in ſuo Amare, ut ſuus Amor fieret plenus de ipſis.
11. Minor Virtus Amoris, dixit Amicus: non impedias meum Amare, quod deſiderat aſcendere ad majorem Virtutem Amoris.

De Veritate & Amore.

1. VEre Amor, dixit Amicus: non permittas vivere falſum Amorem, qui ſuos Amatores facit eſſe in ira mei Amati.
2. Amicus ibat cum accenſis & illuminatis cereis Amoris ad rogandum ſuum Amatum, ut ſuis Amatoribus oſtenderet Veritatem ſui Amoris.
3. Servitores Amoris rogaverunt Veritatem & Concordantiam, ut properarent eſſe in Amore Amici & Amati.
4. Amicus rogavit ſuum Amatum, ut ſuum cor impleret veris ſuſpiriis Amoris, ut eſſet dominus ſuorum contrariorum.
5. Vere Amor, dixit Amicus: pone meas manus in tuis operibus, & meos pedes in tuis viis, ut non ſim ſimilis hypocritis, qui falsè ſuſpirant & plorant per falſum Amorem.
6. Amicus rogavit Veritatem & Amorem, ut ornarent, induerent, ſanarent & pulchrum facerent ſuum Amorem, ut poſſet ſtare inter ipſos.
7. Vera ſigna Amoris rogabant Amatum, ut ipſa transmitteret ad ſuum Amicum, quia falſa ſigna Amoris voluerunt ipſum decipere, & ſuum verum Amare induere de falſo Amore, ut ſemper eſſet ſinè quiete.
8. Amicus rogabat ſuum Amorem, ut ſe indueret de majori Veritate, & nudum faceret dominum falſi Amoris, cujus Amatores poſſet deſtruere.
9. Amicus rogabat Veritatem & Amorem, ut ſe facerent æquales in ſuo Amare, ut eſſet audax pugnator contra peccata & contra falſum Amorem.
10. Amate, dixit Amicus: da mihi majorem Veritatem Amoris, quia minor Veritas Amoris facit me timere de falſo homine.

De Gloria & Amore.

1. AMicus rogavit Gloriam & Differentiam Amoris, ut ſe oſtenderent ſuis Amatoribus, ut ipſas poſſent amare.
2. Amicus rogabat & faciebat rogari ſuum Amatum, ut ſuis Amatoribus & ſervitoribus oſtenderet id, per quod Gloria eſſet plena.
3. Amate, dixit Amicus: per Concordantiam tuæ Gloriæ & tui gloriare in me deſidero Concordantiam Amoris & Amare, per quam poſſim reſiſtere triſtitiæ.
4. Patientia & humilitas rogaverunt Amorem Amici, ut ad ipſas veniret, ne in ipſo poſſit principiari malum aut vitioſum Amare.
5. Patientia & humilitas rogaverunt Amorem Amici, ut permitteret ipſas habitare in Medio ſuî, ut Amicus eſſet benè præmunitus contra peccatum.
6. Amicus rogabat ſuum Amorem, ut ipſum non alliceret ad carnales delectationes, quia ſuum Amare non poſſet quieſcere in illis.
7. Amicus rogavit ſuum Amatum, ut ipſum faceret amare majorem Gloriam, quia eſſet feſſus in amando minorem Gloriam.
8. Amicus rogavit Æqualitatem Gloriæ & Amoris, ut ipſos faceret æquales in ſuo Amare, ne haberet indigentiam alicujus.
9. Amicus rogavit ſuum Amorem, ut de ſe projiceret & faceret exulare minus Amare, quia ſinè illo poſſet eſſe ſinè labore, timore & dolore.

De Differentia & Amore.

1. AMice, dixit Amor: cùm oras tuum Amatum, ut tibi remittat tua peccata, roga ipſum, ut te puniat, quia erraſti contra ipſum; & quantò minorem Differentiam facis inter Juſtitiam & Miſericordiam tui Amati, tantò majorem Concordantiam habes cum ipſo.
2. Amor rogavit Differentiam Amici & Amati, ut ipſum cuſtodiret ab eorum Contrariis.
3. Ut Amicus poſſet principiare magnum Amare, deſideravit magnas & plures operationes Amoris, cum quibus multùm poſſet rogare ſuum Amatum.
4. Amicus rogavit ſuum Amatum, ut ſuum cor & ſuum corpus impleret Amore, ut haberet plures & pulchras veſtes.
5. Amate, dixit Amicus: da mihi actiones & paſſiones Amoris, ut in te habeam magnam Gloriam, ut ſim magnus & fortis Amator.
6. Amicus rogabat ſuum Amorem, ut, quia eſſet major peccator, ipſum faceret majorem Amatorem.
7. Amicus rogavit ſuum Amatum, ut ipſi oſtenderet majorem Differentiam & Æqualitatem Amoris.
8. Dominæ Amoris rogaverunt Differentiam Amici & Amati, ut non faceret minores Amatores.

De Concordantia & Amore.

1. AMicus rogavit Concordantiam Amoris, ut ipſum elongaret à peccato, & ut ipſum ligaret ad ſuum Amatum.
2. Concordantia Amoris, dixit Amicus: cùm ego ſim tam magnus peccator, poſſetnè in meo corde principiari ſuſpirare, & in meis oculis plorare, & in meo ore clamare miſericordiam?
3. Amate, dixit Amicus: in Medio peccati eſt meum velle incarceratum, quod rogat Amorem, ut ipſi det pœnitentiam, cum qua te poſſit amare?
4. Amicus erat infirmus per peccatum, qui ſe reclinavit in lecto facto & ſtrato de miſericordia & juſtitia, quas Concordantia rogavit, ut ipſum collocarent ante veniam & judicium ſui Amati.
5. Amicus ibat ad ſuum Amatum cum majori Concordantia contritionis, ſuſpiriorum & fletuum ad petendum veniam ab ipſo pro offenſa, quam commiſerat contra ipſum.
6. Dixit Amicus: pœnitentia, devotio, ſuſpiria & fletus æquate vos in meo Amore, ut poſſim concordare cum meo Amato.
7. Quidam paſtor Amoris dixit ad Concordantiam Amici & Amati, quòd ipſi placeret non eſſe minor, ſed major Amator, ut poſſet eſſe paſtor plurium Amatorum.

De Contrarietate & Amore.

1. AMicus intentavit minas Contrarietati & peccato cum Virtute & Concordantia ſui Amati, quæ in ipſo principiarunt Amare.
2. Amate, dixit Amicus: in Medio meæ Voluntatis fui tibi contrarius per falſum Amorem, quem tibi nunc repræſento, ut tibi placeat ei parcere.
3. Ah maledicte Amor mundi, dixit Amicus: qui es contrarius Virtuti, & amicus peccati, poſtquàm in te non poſſum habere quietem, ne ſis mihi impedimento ad habendam quietem boni Amoris.
4. Amicus rogavit majorem Amorem, ut ipſum juvaret contra contrarium Amorem ſui Amati; & major Amor rogavit Amicum, ut ipsèmet juvet ſe ipſum.
5. Ah male Amor, dixit Amicus: qui es contra Æqualitatem Amoris & ipſius Amare, noli me tam frequenter impedire à ſervitio mei Amati.
6. Amicus ploravit & recoluit majorem Concordantiam ſui Amati; nam, quantò plùs Contrarietas mali Amoris tangitur, tantò plùs multiplicantur vitium & peccatum.

De Principio & Amore.

1. AMicus rogavit ſuum Amorem, ut de ſuis Principiis & in Medio eorum principiaret ſuum Amare.
2. Amicus rogavit ſuum Amorem, ut non principiaret ſuum Amare, donec recoleret ſuum Amatum.
3. Amor, dixit Amicus: principia in me majorem contritionem, confeſſionem, pœnitentiam & ſatisfactionem, ut meus Amatus mihi transmittat majorem veniam & remiſſionem.
4. Minor Amicus rogavit majorem Æqualitatem Amici & Amati, ut in ſuo Amore principiarent Æqualitatem ipſorum bonificare, magnificare, durare, intelligere, verificare & reliquarum Dignitatum.
5. Amicus fugiebat à minori Principio Amoris, ut ſuum Amare indueret de majori Amore.

De Medio & Amore.

1. AMicus rogavit Medium & Finem Amoris, ut dicerent ſuo Amato, quòd ipſum vehementer pœniteret peccati.
2. Majus Medium Amoris, dixit Amicus: dicas meo Amato, quòd ab ipſo ſolo ſperem majorem ſpem, veniam & pietatem.
3. Amicus rogavit Amorem, ut ex proſperis & adverſis faceret æquale Medium ad amandum ſuum Amatum.
4. Minor Amor, dixit Amicus: noli eſſe inter me & meum Amatum, quia ſum inamoratus cum majori Amore.

De Fine & Amore.

1. FInis majoris Amoris, dixit Amicus: poſtquàm me facis amare majorem Amatum,

tum, facias me etiam vivere & mori propter ejus Amorem.

2. Æqualis Finis Amoris, dixit Amicus: coæqua in me recolere, intelligere & amare, cum quibus ſerviam meo Amato.

3. Amicus reprehendit minorem intentionem Amoris, quæ volebat dormire in Fine Amoris, in quo major intentio Amoris habuit delectationem & quietem.

De Majoritate & Amore.

1. MAjor Æqualitas Amici, Amare & Amati, dixit Amicus: transfer mea æqualia deſideria, fletus & ſuſpiria ad meum Amatum, ut ab ipſo petam, quòd mea peccata remittantur.

2. Amicus rogabat majorem Amorem, ut ipſum defenderet à minori Amore, qui illum fecerat plùs amare ſe ipſum, quàm ſuum Amatum.

De Æqualitate & Amore.

1. AMicus ſperavit in Gloria & in præſentia ſui Amati habere Æqualitatem Amoris & Amare, ſinè qua omnis Amor eſt minor.

PARS IV.

De Ramis Arboris Amoris.

1. RAmi hujus Arboris ſunt *tres*, ſcilicet *Liberalitas, Pulchritudo* & *Solatium* Amoris.

2. Ratio quare *Liberalitas* ponitur eſſe Ramus, eſt, quia habet naturam dandi Amare, & dat ipſum cum Bonitate, Magnitudine & aliis Radicibus ſuæ Arboris, exceptâ Contrarietate & ſimiliter Minoritate; & de hoc Ramo loquimur cum naturis & proprietatibus Radicum ſuæ Arboris.

3. Ratio, quare *Pulchritudo* eſt Ramus, eſt, quia Amor requirit Pulchritudinem Amici & Amati & ſuarum Operationum, & Amor non poteſt florere nec fructificare in ſua Arbore ſinè Pulchritudine; & de hoc Ramo loquimur cum pulchritudinibus Radicum ſuæ Arboris.

4. Ratio, quare *Solatium* Amoris eſt Ramus Amoris, eſt, quia Amicus & Amatus non poſſunt ſe invicem conjungere nec aſſociare, nec unus poteſt participare cum alio ſinè Solatio Amoris; & de hoc Ramo loquimur cum Radicibus ſuæ Arboris, & *narrabimus Caſus, qui Amico accidunt propter Amorem*, de quibus loquentur Amatus & Amicus & Amor.

RAMUS I.

De Liberalitate Amoris.

1. AMor & Amicus loquebantur de Liberalitate & Largitate Amati, dicente Amore ad Amicum: quantò tibi eſt majus bonum ſinè comparatione, te eſſe, quàm non eſſe, & eſſe hominem, quàm lapidem, ſerpentem vel aſinum, tantò magìs eſt tuus Amatus liberalis de ſua magna Bonitate, quia te voluit creare & tibi dare humanum eſſe; & ideo Amice, dixit Amor: es multùm obligatus ad honorandum & amandum tuum Amatum & ad ſerviendum illi. Es etiam obligatus, quòd de temporalibus bonis ſis liberalis tuo proximo ſecundùm magnam naturalem Bonitatem, quam DEUS, qui eſt tuus Amatus, tibi dedit. Et Amicus è converſo dixit ad Amorem, quòd verum dicebat, qui etiam dixit, quòd multò magìs ſe ſentiebat obligatum ad honorandum & amandum ſuum Amatum & ſerviendum ipſi, ideo, quia ſuus Amatus ipſum faciebat amare cum morali Bonitate, quàm propter naturalem Bonitatem, quam DEUS ipſi dederat, quia ſuum bonum & magnum Amare plus valebat, quàm ſua humanitas vel omnia temporalia, quæ DEUS ipſi largitus erat, quia per ſuum Amare participabat cum ſuo Amato, & per ſuum bonum & magnum Amare admittebatur ad videndum ſuum Amatum.

2. Adhuc Amice, dixit Amor: eſt & alius major gradus, propter quem tu es obligatus ad honorandum & amandum tuum Amatum & ſerviendum ipſi, quàm propter aliquam aliam rationem: videlicet, quòd ipſum diligas & honores & ipſi ſervias præcipuè & ſimpliciter propter ſuam propriam Bonitatem; nam ſua Bonitas eſt in immenſum in majori Amabilitate, quàm omnes creatæ Bonitates, quotquot ſunt, & quàm omnes aliæ res, quia ſua Bonitas eſt infinita & æterna & perfecta omni perfectione, & omnes creaturæ ſunt terminatæ, principiatæ & finitæ.

3. Amor, dixit Amicus: valde placet mihi, quòd ſim liberalis de meo Amare, & quòd meum Amare poſſim dare DEO & meo proximo, quia DEUS, meus Amatus, dat mihi ſuum Amare, quando me vult amare,

amare, & dedit mihi humanum eſſe, quod poſt reſurrectionem, de qua meus Amatus mihi dat ſpem, in Gloria erit perpetuatum. Meus Amatus dedit mihi etiam Poteſtatem ſentiendi, imaginandi, intelligendi, amandi & recolendi, quæ ſunt ita magna dona, quòd ipſa non venderem pro omni auro, argento & honore totius mundi.

4. Amice, dixit Amor: tuus Amatus eſt tibi liberalior propter morale virtuoſum & verum recolere, intelligere & amare, imaginare & ſentire, quæ tibi dedit, quàm propter naturalem Poteſtatem ipſorum recolere, intelligere & amare, imaginare & ſentire, quæ tibi etiam dedit; quia propter morales Virtutes & Veritates es magìs amatus per tuum Amatum, quàm propter omnia naturalia bona, quæ tibi dedit.

5. Amor, dixit Amicus: adhuc ſentio me magìs obligatum ad honorandum & amandum meum Amatum & ad ſerviendum ipſi propter ſuam Æternitatem, Poteſtatem, Sapientiam, Voluntatem, Virtutem, Veritatem, Gloriam & Amorem, quàm propter omne id, quod mihi dedit, vel quod poſſet dare.

6. Multùm placuit Amori id, quod Amicus ipſi dixerat de ſuo Amato, qui dixit Amico, quòd eſſet magìs obligatus ad honorandum, recolendum, intelligendum & amandum ſuum Amatum & ad ſerviendum ipſi propter Operationem, quam ſuus Amatus habet in ſe per ſuam Bonitatem, Magnitudinem, Æternitatem, Poteſtatem, Sapientiam, Voluntatem, Virtutem, Veritatem, Gloriam & Amorem, quàm propter omne id, quod ipſi dedit; quia plùs valet ſinè omni comparatione ſolum bonificare, quod DEUS habet in ſe per ſuam Bonitatem, & ſic de ſuo magnificare, quod habet per ſuam Magnitudinem, & ſic de aliis Operationibus aliarum Dignitatum, quàm omne id, quod ab eo creatum eſt.

7. Amicus multùm conſideravit in iis, quæ Amor ipſi dixerat, qui dixit, quòd non poſſet cogitare nec æſtimare, quantum ſe ſentiret obligatum ad recolendum, intelligendum & amandum, honorandum & laudandum ſuum Amatum, & ad ſerviendum ipſi de toto ſuo poſſe & ſuo velle; & dixit Amori hæc verba: eſtnè in Amato alia Liberalitas, propter quam debeam multùm amare, recolere & intelligere meum Amatum & illi ſervire, præter illam, quam diximus?

8. Amice, dixit Amor: conſidera, quomodo DEUS ſit liberalis erga hominem de omnibus ſuis creaturis, quia ſol, luna & omnes ſtellæ & metalla & herbæ, arbores, piſces, aves & beſtiæ ſunt creatæ ab ipſo, & datæ ad ſervitium homini, quarum naturas etiam facit concordare ad hoc ipſum: & conſidera, quòd ſint plures homines peccatores, qui DEO inobedientes & contrarii continuò ipſum inhonorant, DEUS autem dat eis ſua bona, & dat ipſis honorem in hoc mundo de ſuis creaturis.

9. Videas Amice, dixit Amor: quomodo DEUS principiaverit plures res ad ſervitium hominis: & conſidera, quomodo DEUS ſit liberalis de ſua Pietate & Miſericordia, quæ ſunt Media, cum quibus DEUS parcit peccatoribus, quos invitat, ut exeuntes è peccatis veniant ad Finem, ad quem ipſos creavit. Item conſidera, quomodo DEUS homines, qui per peccatum ſunt inferiores, quàm beſtiæ per naturam, revocet per liberalem dationem & veniam, ut ſint ſuperiores, quàm mare, omnia elementa & totum Cœlum. Præterea conſidera, quomodo DEUS ſit ita æqualis ad parcendum peccatoribus per Liberalitatem Miſericordiæ & Pietatis, ſicut eſt juſtus per Juſtitiam ad dandum Juſtis Gloriam.

10. Adhuc Amice, dixit Amor: ſunt alii duo modi Largitatis tui Amati, quos tibi volo dicere in *hoc Libro, qui eſt communis omnibus, Chriſtianis, Judæis, Saracenis & Paganis*, quia iſte Liber eſt de Philoſophia Amoris; & illi duo modi ſunt majores, quàm omnes alii modi Largitatis, quos DEUS poſſit habere, & quàm omnes creati homines poſſint dicere: ſcilicet Modus æternæ Productionis & Modus Incarnationis, in quo DEUS voluit fieri Homo, & dedit ſe in mortem pro homine. Amicus intellexit illos duos modos Largitatis, quos Amor illi dixit de ſuo Amato, & diu conſideravit in illis, & flevit, quia illi modi non intelligerentur nec amarentur ab omnibus hominibus, cùm homo magìs ſit creatus ad cognoſcendum, recolendum, laudandum & honorandum illos modos, & ad ſerviendum illis duobus modis Liberalitatis ſui Amati, quàm omnibus aliis modis liberalitatis & largitatis.

11. Amor, dixit Amicus: eſt etiam alius modus dandi in meo Amato, de quo modo adhuc non ſumus locuti. Meus Amatus dat piſcibus, herbis, avibus & beſtiis cœ-

lum & elementa, per quæ vivunt, & inſuper dat avibus & beſtiis naturalia indumenta, & herbas & ſemina pro victu, & uni beſtiæ dat aliam beſtiam, & uni piſci dat alium piſcem, & uni avi dat aliam avem, & uni homini dat alium hominem ad ſerviendum, & cuilibet rei dat id, de quo indiget ad vivendum.

12. Amice, dixit Amor: cùm tuus Amatus ſit tam liberalis Dator, & hoc omnibus modis, quibus donum poteſt dari, & cum omnibus Bonitatibus, Magnitudinibus, & Virtutibus, etiam cum pluribus, quàm homo poſſit dicere, quid dabis tuo Amato? Amicus reſpondit Amori dicens: volo meo Amato dare omne id, quod ipſe mihi dedit, ſcilicet totum meum eſſe, meam totam Poteſtatem, omnia mea temporalia & ſpiritualia bona, & meum totum ſentire, imaginare, recolere, intelligere & amare, ut ſint ſua; veruntamen iſta non poſſum dare, niſi ipſe me faciat dare: & tu facias me magìs amare ipſum, quàm me ipſum & omnes alias res.

13. Multùm placuerunt Amato verba, quæ Amor & Amicus inter ſe habuerunt de ſua Liberalitate, quia benè fuerant locuti de ipſa ſecundùm Radices Amoris: & transmiſit Amico ſpem, quæ ipſi dixit, quòd ipſa fidejuberet pro ſuo Amato, quòd illi daturus eſſet perpetuam beatitudinem, tamen ſi non viveret ſinè Amare, nec moreretur in mortali peccato.

RAMUS II.

De Pulchritudine Amoris.

1. COncordatum fuit inter Amorem & Amicum, quòd loquerentur de Pulchritudine ſummi Amati ſecundùm Radices Amoris; & Amor dixit ad Amicum, quòd inquirerent Pulchritudines creaturarum, ut per illas meliùs ſcirent loqui de Pulchritudine Amoris Amati.

2. Et Amor dixit, quòd Pulchritudines creaturarum ſint in *duobus modis:* ſcilicet *naturalis Pulchritudo*, & *moralis Pulchritudo; naturalis Pulchritudo* eſt, ſicut Pulchritudo fœminæ, quæ habet pulchram faciem, pulchros capillos, & pulchrum corpus; *moralis Pulchritudo* eſt, ſicut Pulchritudo Amoris per Bonitatem, Juſtitiam, Sapientiam, caſtitatem, & ſic de aliis Pulchritudinibus. Primò volebat Amor loqui cum Amico, ut haberet pulchrum Amorem & pulchrum Amare, cum quo amaret ſuum Amatum, qui non permittit, quòd aliquis homo ipſum amet, qui habet turpem Amorem per peccatum.

3. Amice, dixit Amor: Sol eſt pulcher per colorem, ſcilicet per ſuam luciditatem, & eſt pulcher per ſuam Bonitatem, & per ſuam Magnitudinem, Durationem, Poteſtatem & Virtutem, quia facit quamplurimum boni inferioribus corporibus, quæ ſinè ipſo non haberent Virtutem, nec poſſent dare; & una radix Solis facit aliam pulchram, hoc eſt, Magnitudo Virtutis ejus facit pulchram Bonitatem ejus, & è converſo, & ſic de aliis.

4. Amor, dixit Amicus: Mare eſt pulchrum, quia eſt magnum, & quia in ſe continet plures piſces, qui ſunt pulchri & magni; & terra eſt pulchra, quia eſt magna & ornata arboribus, herbis, aquis, planitiebus, montibus, avibus, beſtiis, hominibus, caſtris, urbibus & civitatibus, & omnes iſtæ res ſunt pulchræ per Durationem, Poteſtatem & Virtutem.

5. Amice, dixit Amor: videas arborem, quæ eſt magna & onerata foliis, floribus & fructu, & conſidera, quomodo ejus Pulchritudo ſit magna per colorem, & quomodo ſit bona oculis ad videndum, & quomodo odor, qui exit de floribus, ſit pulcher & magnus ad odorandum, & quomodo dulcedo fructûs ſit pulchra & magna ad guſtandum, & ſic de aliis; ſed, ſi arbor eſſet pulchra per colorem, & ejus flores eſſent mali odoris, & ejus fructus haberet malum ſaporem, eſſet arbor pulchra per unum modum, & turpis per alios. Et hoc eſt exemplum hominibus, qui habent plures conditiones, per quas ſunt turpes, & aliquas, per quas ſunt pulchri: ſicut fœmina, quæ eſt pulchra per corporalem pulchritudinem, & ſi non eſt caſta, eſt turpis per turpem amorem, per quem eſt mala contra Bonitatem, & eſt vitioſa contra Virtutem, & falſa contra Veritatem; & eſt magìs turpis in intellectu hominum, qui ſciunt, quòd ſit turpis, quàm ſit pulchra in oculis eorum, qui hoc ignorant; & ſic de Voluntate bonorum hominum, qui ipſam odiunt. Eſt etiam turpis in ore ipſorum, in hoc, quòd ipſam derident, & de ipſa dicunt magnum malum. Eſt adhuc magìs turpis ſecundùm DEUM, qui ipſam ſcit turpem, & non amat ipſam, & præparat illi infernum, in quo ſunt dæmones, qui ſunt magìs turpes creaturæ per peccatum, quàm aliquæ aliæ creaturæ.

6. Amor, dixit Amicus: ego vidi quoddam pulchrum caſtrum, quod erat valde turpe, quia erat cujusdam militis, qui per illud caſtrum faciebat plurima mala. Vidi adhuc pulchrum equum, ſed erat turpis, quia habuit plures malas conſuetudines.

7. Amice, dixit Amor: ego vidi quendam civem, qui erat valde dives, & habuit pulchra veſtimenta, ſed erat valde avarus, propter quod multùm deridebatur & vituperabatur ab hominibus, quia tenuit bona ſui Amati otioſa, & auferebat illa pauperibus, qui propter Amorem DEI petebant eleemoſynas; & quantò plures Divitias ille civis congregabat, tantò turpior fiebat per falſum Amorem.

8. Amor, dixit Amicus: menſa eſt pulchra, quando eſt magna, & habet in ſe pulchra mantilia, manitergia, pulchros ſcyphos ex auro & argento; ſed menſa eſt pulchrior, ſi homines, qui in ipſa ſunt, comedunt & bibunt cum Bonitate, temperantia & eleemoſyna, & ſi DEO agunt gratias pro cibis, quos ipſis dat, & pro ſapore, quem in illis inveniunt; ſed, ſi ſunt homines mali, guloſi & ebrii, tota Pulchritudo, quam menſa habet per naturam, eſt turpis propter moralem turpitudinem illorum, quibus ipſa ſervit.

9. Amice, dixit Amor: ego vidi quendam pulchrum librum, in quo legebat falſus judex, & erat turpis propter vilitatem judicis ſui domini, qui parum in ipſo intelligebat.

10. Amor, dixit Amicus: & ego vidi quendam Clericum, qui de DEO cantabat, & faciebat plures orationes ad DEUM, ſed tenebat ſuum cor ad vanitates, & non ad Pulchritudines ſummi Amati; & ideo propter turpes cogitationes non erant acceptabilia verba, quæ dicebat de DEO.

11. Amor & Amicus inveſtigarunt per plures alios modos naturalem Pulchritudinem creaturarum, & turpitudinem, quam homines in illis poſuerunt per peccatum; & Amor dixit ad Amicum: quando erit illud tempus, in quo mundus ſit ita pulcher per mores & conſuetudines, ſicut eſt pulcher per naturales Pulchritudines creaturarum?

12. Amor, dixit Amicus: quando eris ita pulcher, ita durabilis, ita potens, ita virtuoſus verus & glorioſus per Amare, ſicut per te?

13. Amice, dixit Amor: non eſt mea culpa, ſi non ſim ita pulcher magnus durans potens &c. per Amare, ſicut ſum per meam eſſentiam & naturam; ſed eſt culpa meorum Amatorum, qui non ſciunt me habere nec tractare, ſecundùm quòd me poſſent habere cum majori Bonitate, Magnitudine &c., & tenent me otioſum & meam naturalem Bonitatem, Magnitudinem, & ſic de aliis; & ideo ploro & plango, nec invenio quenquam, qui me velit juvare, ut ſim ita pulcher per meum Amare, ſicut ſum per meam naturam.

14. Dum Amor & Amicus, ſicut dictum eſt, fuerant locuti de Pulchritudine creati Amoris, propoſuerunt loqui de Pulchritudine ſummi Amati, qui eſt ita pulcher per Operationem, quam habet intra ſe, ſicut eſt pulcher eſſentialiter, ſubſtantialiter & naturaliter.

15. Amice, dixit Amor: in DEO eſt ita pulchrum bonificare, ſicut eſt Pulchritudo ejus Bonitatis, cùm ejus bonificare ſit ita magnum, durabile & potens, amoroſum, virtuoſum, verum, & glorioſum, ſicut eſt ejus Bonitas; quod, ſi non eſſet, eſſet ejus Bonitas otioſa, & eſſet minor per otioſitatem, & ita eſſet vitioſa per Minoritatem & Contrarietatem; & ſequeretur, quòd Amatus non haberet ita magnam Pulchritudinem per magnificare, ſicut habet per ſuam Magnitudinem; & per æternare, ſicut per Æternitatem, & ſic de aliis Dignitatibus ejus.

16. Multùm conſideravit Amicus in Pulchritudine ſui Amati per illa, quæ Amor ipſi dixerat, & dixit, quòd maxima Pulchritudo, quam DEUS poſſit habere ad creaturam, ſit maximus Amor, quem DEUS habet ad creaturam; & maxima Pulchritudo, quam creatura poſſit habere, ſit DEUM recolere, intelligere & amare, & ipſum & Operationes ejus de toto ſuo poſſe honorare & laudare & eis ſervire.

17. Multùm placuerunt ſummo Amato pulchra verba & pulchræ Veritates, quæ Amor & Amicus dicebant propter ſuum Amorem, qui ſuo Amico transmiſit ſuum Amorem & Amare, ut Amicus recoleret, intelligeret & amaret ſuum Amorem & Amare cum pulchro, bono, durabili, potente, ſapiente, virtuoſo, vero & glorioſo Amore, intellectu & memoria, ut Amatus daret Amico in ſua æterna Gloria ſuum Amorem.

RAMUS III.
De Solatio Amoris.

1. AMor & Amicus loquebantur de Bonitate Amati, & Amicus dixit, quòd ipſe vellet amare omne bonum propter Amorem Bonitatis ſui Amati; & Amor dixit, quòd ipſe vellet eſſe, ut inamoraret omnes homines de Bonitate Amati.

2. Dum Amicus & Amor erant locuti de Bonitate Amati, venit Magnitudo Amati, quæ ſe poſuit in Amare Amici & Amoris, & Amicus fuit inebriatus de bonis, quæ amabat propter Amorem Bonitatis ſui Amati.

3. Amicus fuit ebrius propter Amorem, ad cujus Amare venit prudentia, ut ipſi oſtenderet vias magni Amoris; & Amicus dixit ad prudentiam, quòd omnes viæ Amoris ſint magnæ, poſtquàm ſunt bonæ; cui prudentia reſpondit, quòd non confideret in omnibus hominibus; qui è contrario dixit ad prudentiam, quòd Amor comprehendat tam bonum & magnum *eſſe*, quòd ipſi videretur, quòd omnes homines eſſent boni, & quòd eſſent Amatores ſui Amati.

4. Amicus & Amor loquebantur ad invicem de infinita & æterna Bonitate & de finita & principiata Bonitate: & prudentia dixit ad Amicum, quòd magìs amaret bona, quæ ſunt majora & plùs durant, quàm quæ ſunt minora & minùs durant; & ad Amare Amici & Amoris venit juſtitia, quæ ſe poſuit in illo, & Amicus fuit curatus de vino Amoris.

5. Quando Amicus convaluit de ebrietate Amoris, & recuperavit diſcretionem & rationem per prudentiam & juſtitiam, dividebat ſe magna Bonitas Amoris, quæ tota erat in Amatione Amici, cùm fuerat ebrius per Amorem, inter recolere, intelligere & Amare; Amor autem fuit minor in Amatione, & Amatio manebat infirma, quæ deſiderabat eſſe ebria per Amorem.

6. Amor narravit Amato, quòd Amare Amici eſſet infirmum, quia ſe ſentiret minorificatum de magna Bonitate Amoris, quæ ſe diviſerat inter ipſum & recolere & intelligere; unde Amatus transmiſit charitatem ad Amare Amici, ut ipſum faceret redire ad potionem vini Amoris ſinè præjudicio ipſorum recolere & intelligere Amici & juſtitiæ & prudentiæ: & magna charitas Bonitatis & Durationis ſufficiebat ad implendum Amare, recolere & intelligere Amici.

7. Amor & Amicus loquebantur ad invicem de Poteſtate, Sapientia & Voluntate Amati, & Amor dixit ad Amicum, quòd Sapientia Amati poſſet ſcire omne bonum & malum, ſed Voluntas Amati non poſſet amare aliquod malum, ſed poſſet amare omne bonum; & ideo habuit Amare Amici timorem, ne Voluntas ſui Amati eſſet minor in ſua Poteſtate, & major in Sapientia; quod Amare fuit conqueſtum de Amore, quia Amico dixerat talia verba de Poteſtate, Sapientia & Voluntate Amati; & Amor narravit Amato id, propter quod ſuum Amare de ipſo conquereretur: & Amatus transmiſit prudentiam & juſtitiam ad Amare Amici, quæ ipſi dixerunt, quòd Amatus habeat ita magnam Poteſtatem & Bonitatem in non amando peccatum, ſicut habet per Sapientiam in ſciendo peccatum; & tunc ſentiebat Amare Amici ſe ſanatum de timore, quem habebat; veruntamen fides fuit conqueſta de Amare Amici coram Amato, proponendo, quòd Amare non habebat perſeverantiam contra tentationem; unde petivit ab Amore, quòd puniret fortitudinem, quæ non tenuerat Amare Amici in perſeverantia, in quantum habuit timorem, quòd Voluntas Amati non eſſet ita magna in Poteſtate amandi, ſicut Sapientia in Poteſtate ſciendi. Fortitudo excuſavit ſe apud Amatum dicens, quòd natura boni & magni Amoris ſit, quòd habeat timorem de inhonoratione ſui Amati.

8. Amicus & Amor loquebantur ad invicem de temperantia & ſpe, quæ ſunt viæ, per quas Amatores vadunt ad ſuum Amatum: & Amicus dixit, quòd per temperantiam, quæ eſt bona & magna Virtus, ſperaret habere Gloriam ſui Amati. Amor accuſavit Amicum coram Amato, dicens, quòd Amicus conſideraret Æqualitatem eſſe inter Gloriam ſui Amati & temperantiam: & tunc transmiſit Amatus juſtitiam ad Amicum, ut ipſum puniret, quia exiſtimabat, quòd poſſet ſalvari per ſua merita; qui ſimiliter dixit ad juſtitiam, quòd puniret Amorem, qui non faceret, quòd Amicus plùs haberet ſpem per gratiam & charitatem, quàm per temperantiam; & juſtitia punivit Amicum per ſpem & miſericordiam, cui dedit contritionem, confeſſionem, pœnitentiam & ſatisfactionem, & punivit Amorem, cui præcepit, quòd multiplicaret Amare Amici.

9. Sapientia Amici dixit ad Amicum, quòd ipſa

ipſa tantum deſideraret de Veritate ſui Amati, quantum Amicus amaret per Amorem; & ideo dixit fides ad Amatum, quòd Sapientia eſſet ſuperba & invideret Amico, quia tantum vellet intelligere de Veritate per ſignificationem & demonſtrationem, quantum Amicus amaret per ſuppoſitionem, devotionem & infuſionem amandi. Sapientia excuſabat ſe, quæ dixit ad Voluntatem, quòd ipſa non poſſet errare multùm deſiderando Veritatem ſui Amati: & Amicus rogavit ſuum Amatum, ut dignaretur pacificare ſuum intelligere & Amare, quia per eorum Contrarietatem cogeretur multùm ægrotare; tunc transmiſit Amatus ſuam Veritatem ad Sapientiam Amici, ut ipſam illuminaret cum tam magna Virtute & Bonitate, quantâ indigeret ad ſuum ſcire: transmiſit etiam Voluntati Amici humilitatem & patientiam.

10. Amicus & Amor loquebantur ad invicem de Gloria Amati, & Amicus dixit, quòd ſuum Amare eſſet infirmum, quia non amaret Amatum ſinè Medio, quia Sapientia faciebat novam ſimilitudinem de DEO, quam poſuerat inter ipſum & Gloriam ſui Amati, quæ ſimilitudo ipſum impedivit ad multùm amandum ſuum Amatum.

11. Amice, dixit Amor: meum & tuum Amare non poteſt in hac præſenti vita eſſe cum Amato ſinè nova ſimilitudine, in quâ Sapientia repræſentet tuum Amatum tuæ Amationi.

12. Amor, dixit Amicus: in mea Voluntate ſentio naturam, per quam deſiderat ſuum Amatum ſinè Medio: ſed talem naturam non ſentio in mea Sapientia; nam, ſi ipſa haberet deſiderium videndi ſuum Amatum, non faceret illam ſimilitudinem, quam ponit inter ſe & ſuum Amatum; & propter hoc credo, quòd mea Sapientia ſit parva & otioſa; unde mea Voluntas & meum Amare voluerunt conqueri coram meo Amato.

13. Amice, dixit Amor: per habitum charitatis, quo me informo in Voluntate, ſentis in te naturale deſiderium, quòd velles amare Amatum ſinè Medio: ſed tua Sapientia non poteſt ita informari ad deſiderandum videre ſuum Amatum, ſicut ego per habitum charitatis ſum informatus; & ideo non conquerantur tua Voluntas & tuum Amare de Sapientia coram Amato, quia ipſa non poteſt tantum intelligere in hoc mundo per prudentiam, quantum ego potero amare per charitatem; & ideo eſt ejus intelligere in hoc mundo magìs infirmum, quàm meum Amare.

14. Intellectus Amici in abyſſis Amoris quæſivit Amatum cum Differentia, & Voluntas Amici in maribus Sapientiæ quæſivit Amatum cum Concordantia; congregaverunt ſe ambo maria in Amico, qui dixit Amori, quòd Amatus fecerit Differentiam in omnibus creaturis, ſed non fecerit Concordantiam in omnibus creaturis, quia ſunt plures creaturæ, quæ ſunt contrariæ; & ideo ſuum Amare, quod cum Concordantia quæſivit ſuum Amatum, non erat ita magnum, ſicut ſuum intelligere, quod cum Differentia quæſivit Amatum: quare Amor, rogo te, dixit Amicus, ut per te habeam ita magnum Amare in quærendo meum Amatum, ſicut per Sapientiam habeo intelligere ad quærendum meum Amatum.

15. Amice, dixit Amor: in meis maribus eſt tota Differentia in Concordantia Amici & Amati ſinè Contrarietate, & in maribus Sapientiæ eſt in Concordantia aut Contrarietate; eſt in Concordantia, ut intellectus cognoſcat Differentiam inter Amicum & Amatum; eſt in Contrarietate, ut intellectus intelligat, quòd inter Amicum & Amatum non ſit Contrarietas, & quòd Amatus non habeat Contrarietatem in ſe; nam, quidquid habet in ſe, eſt in Concordantia Bonitatis, Infinitatis, Æternitatis, Virtutis, Veritatis, Gloriæ & Poteſtatis; & ideo non poſſem mutare naturam meæ Amationis & tuæ intellectionis, poſtquàm ipſam voluit creare talem.

16. Amare fuit conqueſtum de Amore coram Amato ſuper hoc, quòd ipſum principiaſſet ita magnum in Concordantia Amici & Amati, quòd non poſſet portare nec ſuſtinere ipſam Concordantiam, & ideo eſſet in languore, & ſentiret ſe mori: intelligere verò commendabat Sapientiam coram Amato, quia ipſum principiaſſet in tam magna Concordantia Amici & Amati; tandem transmiſit Amatus ad Amare majorem Finem Amoris, ut eſſet in majori languore, & transmiſit ad intelligere majorem Finem Veritatis, ut haberet majorem cognitionem intelligentis & intellecti, per quam cognitionem haberet majorem remunerationem, quia recommendabat Sapientiam; & ideo cantabat intelligere, & plorabat Amare.

17. Amate, dixit Amicus: in quantò majore

jore Amore eſt meum Amare, tantò magìs facis me laborare & languere, ſuſpirare & plorare, deſiderare & tractare tuum honorem & tuos valores & laudes; ſed quantò magìs meum intelligere eſt in majore Sapientia, tantò magìs video ipſum lætari & quieſcere: quare rogo te, Amate, ut tu, qui habes Æqualitatem ipſorum intelligere & Amare in Gloria ſinè labore, velis facere æquale meum Amare cum meo intelligere in cantando & quieſcendo; Amatus verò per Amorem transmiſit adverſitates, labores, ſuſpiria & fletus Amici ad Amare.

18. Amare majoris Amoris deſiderabat eſſe in minore Amore, ut poſſet quieſcere & dormire, quia ſentiebat ſe valde vexatum propter magnas adverſitates, quæ evenerunt propter majorem Amorem; & major Amor fuit conqueſtus de ſuo Amare coram Amato, ad quem dicebat, quòd illa, quæ eſſent proſperitates, eſſent adverſitates; & Amatus transmiſit Medio Amoris Gloriam, Æqualitatem, Concordantiam & patientiam, ut æquarent delectabiles proſperitates & adverſitates, & ut de ſe ipſis æqualiter induerent & ornarent Amare majoris Amoris, ut Amicus amaret & laudaret ſuum Amatum per delectabiles proſperitates & adverſitates.

PARS V.

De Foliis Arboris Amoris.

1. FOlia Arboris Amoris ſunt *tria: Suſpiria, Fletus* & *Timores.*

2. *Suſpiria* ſunt, quæ exeunt de corde Amici, quod eſt plenum Amore, qui ipſum facit ſuſpirare propter magnum deſiderium, quod habet erga Amatum, & propter labores, quos ſuſtinet propter Amorem, per quem è corde educit Suſpiria cum ſuis Radicibus, de quibus loquemur cum Suſpiriis majoris Amoris, *ut demus Doctrinam ad cognoſcendum fontes, de quibus Suſpiria exeunt & oriuntur.*

3. *Fletus Amoris* ſunt aquæ, quæ rigant & madefaciunt oculos præ Amore, qui Amicum facit experiri labores & languores, & fortunas & pericula, quæ ſuſtinet ad honorandum ſuum Amatum & ad ſerviendum ipſi.

4. *Timores Amoris* ſunt teſtes, qui narrant delicta, quæ Amicus fecit contra ſuum Amatum. Timores ſunt etiam flagella, cum quibus Amor & Amatus minantur Amico, quando habet parvum Amare, & quando Radices Amoris tenet otioſas, cum quibus loquemur de Fletibus & Timoribus Amoris.

FOLIUM I.

De Suſpiriis Amoris.

1. BOnitas, Magnitudo & Duratio iverunt ad Amicum, quem rogaverunt, ut ipſas locaret in ſuo Amore, ut haberet bonum, magnum & durabile Amare, & ut poſſet facere bona magna & durabilia Suſpiria propter Amorem; quarum precibus Amicus annuit: & Bonitas, Magnitudo & Duratio intraverunt in Amorem Amici, & produxerunt ita bonum magnum & durabile Amare, quòd Amicus die & nocte non poterat eſſe ſinè Suſpiriis propter Amorem, nec dormire nec comedere nec eſſe in pace.

2. Poteſtas, Sapientia & Voluntas concupiverunt Bonitatem, Magnitudinem & Durationem, quæ in Amore Amici fuerant in quiete, quem rogaverunt, ut ipſas permitteret intrare in ejus Amorem. Amicus timuit, ſi intrarent, ne multiplicarent ſuum Amare, & reſpondit illis dicens: quòd ſuum cor eſſet in tam gravibus laboribus propter Suſpiria & languores, quòd cum ipſis non poſſet ſuſtinere illa: & ſic Poteſtas, Sapientia & Voluntas non poterant intrare in Amorem Amici, nam Amicus non permiſit ipſas intrare; unde dixit Poteſtas ad Voluntatem, quòd haberet magnum velle ad intrandum in Amorem Amici: & dixit ad Sapientiam, quòd magìs declararet Amico Veritatem ſui Amati; quòd, ſi hoc facerent, aperirent portas Amoris magno poſſificare; igitur Voluntas & Sapientia fecerunt, quod Poteſtas eis conſuluit, & omnes tres irruerunt in Amorem, & cor multiplicavit anguſtias & Suſpiria, cum quibus Amicum faciebat languere.

3. Virtus, Veritas & Gloria voluerunt intrare in Amorem Amici, ut ſua Suſpiria eſſent virtuoſa & vera, & ut haberent quietem in Gloria. Amicus timuit de earum introitu, quia ſe ſentiebat nimìs gravatum propter introitum Poteſtatis, Sapientiæ & Voluntatis; veruntamen conſiderabat, quòd ſua Suſpiria nihil valerent ſinè Virtute & Veritate, qui habuit ſpem, quòd per Gloriam

riam poſſet obtinere quietem, & quòd poſſet comedere & dormire; unde Amicus permiſit in ſuum cor intrare Virtutem, Veritatem & Gloriam; Virtus verò & Gloria Amati oſtenderunt ſe Veritati, & in Amore fuit multiplicatum Amare, & in corde ſuſpirare, & corpus Amici languebat, nec poterat ſuſtinere labores, & tunc putavit Amicus ſe deceptum.

4. Differentia & Concordantia bonarum Operationum Amati voluerunt introire in cor Amici cum memoria, ut Amicus recoleret nobiles Operationes ſui Amati, quas habet in ſe & in creaturis. Dum Amicus conſiderabat, an deberet permittere intrare in ſuum cor Differentiam & Concordantiam, dixit Contrarietas ad Amicum, quòd non deberet ipſas permittere intrare; quia ſi ipſas permitteret intrare, memoria moveret ipſum tam intensè ad recolendum nobiles Operationes ſui Amati, quòd ſuum cor emitteret tot & tanta Suſpiria, quòd propter illa ipſum oporteret languere & mori. Amicus acquievit conſilio, quod Contrarietas ipſi dederat, & tradidit oblivioni ſuum Amatum & Operationes ejus; tunc Bonitas, Magnitudo & aliæ aquæ Amoris, quæ intraverant in Amorem Amici, noluerunt ſtare in corde illius, de quo etiam exiverunt, quod tunc non habuit, cum quo nec de quo multiplicaret Suſpiria Amoris, & Amicus perdidit ſuum Amatum & ſuum Amorem.

5. Quando Amicus ſe ſenſit ſinè Amore, Amatione & Amato, intraverunt in cor Amici conſcientia, contritio & pœnitentia cum juſtitia, cui dabant tot languores & tantos labores & timores, quòd Amicus fuerit in puncto mortis, qui valde deſolabiliter clamavit ad Amorem & Amationem, ut cum Amato rediret ad ſuum cor, & in ipſo manerent, & maledixit Contrarietatem propter malum conſilium, quod ipſi dederat; Amor verò & Amatio reſponderunt Amico dicentes, quòd non vellent redire ad ſuum cor nec in ipſo ſtare ſinè majori Principio, Medio, Fine & Æqualitate Suſpiriorum & Bonitatis, Magnitudinis, & aliarum Radicum Amoris, quæ ejecerat è ſuo corde propter conſilium Contrarietatis, quæ amica eſt Minoritatis Amoris.

6. Amicus autem dicebat ad Amorem & Amationem, quòd deberent redire ad ſuum cor cum tot & tantis conditionibus, cum quot & quantis vellent, quia potiùs amaret mori per Suſpirare & Amare, quàm vivere ſinè Suſpirare, & eſſe ſinè Amore, Amare & Amato. Tunc intraverunt in cor Amici Amor & Amatio cum memoria, quæ recoluit Amatum & ſuas Operationes: intraverunt etiam in ipſum Bonitas & Magnitudo & aliæ Radices Amoris cum Majoritate; & Amicus habuit ſuum cor tam plenum Suſpiriis, quòd non poterat ſuſtinere Suſpiria, qui rogavit Minoritatem Amoris, ut ipſum juvaret; Majoritas Amoris autem non intromiſit Minoritatem in cor Amici, & multiplicavit Amico labores & Suſpiria, quia habuit ſpem in Minoritate Amoris, quæ ipſi eſt contraria, quòd ipſum poſſet juvare.

FOLIUM II.

De Fletibus Amoris.

1. AMicus ploravit cum Radicibus Amoris, quæ ſunt fontes, de quibus in oculis Amici naſcuntur Lachrymæ & Fletus, quia Amor inamorat cor, & cor facit aquam aſcendere ad oculos, qui emittunt aquam propter inamorationem cordis, quod ſuſpirat propter Amorem; & ideo languet Amicus per Amare, Suſpirare & Flere.

2. Amor facit Amicum tractare, ut magna Bonitas Amati cognoſcatur & ametur ab omnibus hominibus; & propter hoc vadit Amicus per longas terras dicens multis hominibus, quòd intelligant & ament magnam Bonitatem ſui Amati ſuper omnes alias Bonitates; ſed non volunt audire Amicum, imò derident & reprehendunt ipſum de iis, quæ propter Amorem facit: & quia Amicus non poteſt impetrare hoc, quod Amor vult, ſuſpirat cor ipſius, & ejus oculi rigantur & madefiunt Lachrymis.

3. Bonus & magnus Amor dixit ad Amicum, quòd plangat & ploret propter magnum & malum Amorem, qui tantum durat in hoc mundo, cùm mundus ſit Amati, qui ipſum creavit ad ſuum honorem.

4. Amicus planxit & ploravit & fecit ſuos Fletus durare contra malum & magnum amorem, & dixit ad bonum & magnum Amorem, quòd ſui Fletus non poſſent deſtruere malum & magnum amorem. Bonus & magnus Amor dixit ad Amicum, quòd, quamvìs ſui Fletus non valerent quoad alios homines ad deſtruendum malum

& magnum amorem, tamen valerent, quòd ipſe & ſuus Amatus in ipſo haberent honorem.

5. Amicus recoluit ſua peccata, & habuit timorem de pœnis inferni, quæ ſemper durant: voluit flere, ſed non potuit flere; tunc petivit Amicus ab Amore Poteſtatem flendi, cum qua fleret propter Amorem ſui Amati, & propter dedecus, quod ipſi fit à pluribus hominibus.

6. Sapientia dixit ad Amicum, quòd ſæpiùs & cum majoribus Lachrymis deberet flere propter Amorem ſui Amati, quàm propter timorem; quia Fletus, qui ſunt propter Amorem, magìs placent Amato, quàm Fletus, qui ſunt propter timorem, cùm Fletus propter Amorem dent Amatoribus quietem, & Fletus propter timorem dent Amatoribus laborem. Amicus ploravit cum uno oculo, & fecit majores Lachrymas propter Amorem, & cum altero minores, ut ſuo Amato faceret majorem honorem propter Amorem, quàm propter timorem.

7. Voluntas induta charitate venit ad memoriam Amici, ut amaret ſuum proximum, qui eſt creatura ſui Amati, & dixit, quòd fleret, quia tot homines ſunt in errore & in ira ſui Amati, qui tendunt ad pœnas infernales, quæ ſemper durabunt.

8. Amicus ploravit cum charitate propter ſuum proximum, qui dixit ad ſuos Fletus, quòd ipſi deberent reportare veniam & miſericordiam à ſuo Amato, ut per ipſas poſſet juvare ſuum proximum.

9. Virtus cum Juſtitia & aliis Virtutibus fuit profecta ad Amicum, ut virtuosè poſſet flere & ſinè vitio & peccato, ad quem Juſtitia dixit: (quod & ratio jubet) Amicus, qui offendit ſuum Amatum, debet flerè per contritionem, ſatisfactionem & pœnitentiam. Prudentia dixit ad Amicum, quòd, ſi ipſe in hoc mundo non fleret ſua peccata, non ridebit in alio. Fortitudo etiam dixit Amico: Fletus boni & veri Amoris eſt fortior, quàm Fletus mali & falſi amoris. Temperantia dixit ad ipſum: qui nimium comédit, & non plorat in hoc mundo propter nimiam comeſtionem, plorabit in alio propter nimiam famem. Fides dixit, quòd deberet flere, quia ſervitores fidei non ſunt tot, quot ſunt ſervitores incredulitatis. Spes dixit, quòd deberet flere, quia homines exiſtentes in peccato crederent per illam habere veniam & miſericordiam à ſuo Amato. Charitas demum juſſit, quòd ploraret, quia ipſa eſt in tam paucis hominibus. Plures aliæ Virtutes rogaverunt Amicum, ut ploraret, quia ſunt plures ſuperbi. Patientia rogavit ipſum, quòd fleret, quia per ipſam non vincuntur ſuperbi & iracundi homines. Igitur Amicus flevit ad preces Virtutum, cujus Lachrymæ erant indutæ de Virtutibus.

10. Veritas dixit ad Amicum, quòd ipſam deberet ponere in ſuis oculis, ut de ipſa exirent veræ Lachrymæ & Fletus, & ut per ipſam eſſet verus Amator, & inimicus falſi amoris & hypocriſîs. Tunc flevit Amicus, & in Veritate fecit plures veras Lachrymas; Amatus autem miſertus eſt Amici, cui pro donis & jocalibus transmiſit multiplicationem Amoris, Amationem, Languores, Suſpiria, Lachrymas & Fletus propter Amorem.

11. Gloria voluit eſſe apud Fletus Amici, ut Amicus in ipſa poſſet quieſcere cum Fletibus. Amicus permiſit, quòd Gloria eſſet apud ſuos Fletus, qui habuit cantum quietis in Gloria, ut haberet multò majorem delectationem flendo propter Amorem, quàm ſentiendo, comedendo vel dormiendo, qui etiam dixit ad Amatores boni Amoris, quòd Fletus propter bonum Amorem ſit quies Amoris & Solatium Amici & Amati.

12. Differentia rogavit Amicum, ut ipſam poneret in ſuis Fletibus, ut unus Fletus eſſet propter Amorem, & alius propter timorem, & ut Fletui propter Amorem daret plures Lachrymas, quàm Fletui propter timorem; cui Amicus reſpondit dicens: quòd ſuus Amatus ita diſtribuat ad ſuam Voluntatem Lachymas ejus in ſuis Fletibus, ſicut dat veniam in peregrinationibus.

13. Plorare Amici rogavit Concordantiam Amici & Amati, ut concordaret recolere, intelligere & Amare, quia non poſſet eſſe in Contrarietate ipſorum, nec plorare poſſet eſſe magnum bonum virtuoſum potens & durabile ſinè ipſa. Plorare concordabat in ſe recolere, intelligere & Amare, ut per ipſum poſſent exire plures Lachrymæ, & ut per ipſum poſſent delere plura peccata & culpas. Intravit concordantia ipſorum intelligere & Amare in Amicum, quem ita fecit plorare, quòd non poterat comedere nec dormire.

14. Contrarietas Amoris dixit ad oculos Amici, quòd non deberent plorare, quia propter

propter ploratus deſtrueretur viſus, & quòd homines derideren Amicum, quia fleret, qui dicerent, quòd ipſe ploraret propter falſitatem & hypocriſim, & ut poſſet decipere aliquos homines. Amicus autem quæſivit à Concordantia Amoris, utrùm deberet conſentire conſilio, quod Contrarietas Amoris ipſi dederat; quæ cognoſcens, quòd Amicus non eſſet fortis in Amore, rogavit Amatum, ut ipſum puniret, qui timeret flere propter ſuum Amorem; & Amatus punivit Amicum, multiplicando in ipſo Suſpiria & Ploratus, & fecit ipſum magìs derideri ab hominibus.

15. Principium Amoris voluit in oculis Amici principiare novas Lachrymas, ut poſſet multiplicare Ploratus; ſed Amicus noluit, quia ipſi videbatur, quòd ejus oculi non poſſent ſuſtinere majores Ploratus, quàm ſuſtinuit: & tunc noluit Principium Amoris in corde Amici principiare nova Suſpiria; propter quod Amicus perdidit ſuos Ploratus, nec de ſuis oculis poterant exire Lachrymæ; etiam perdidit delectationem, quam conſueverat ſentire propter Ploratus: & quia ſe videbat elongatum ab Amore & à ſuo Amato, & invénit ſe in labore & dolore, & habuit ita magnum timorem de Amato, quòd non poterat comedere nec dormire, rogavit Principium Amoris, ut ad ſuum placitum in ſuo corde principiaret nova Suſpiria, & in ſuis oculis novas Lachrymas, & ipſi redderet antiqua Suſpiria & antiquas Lachrymas, quas perdiderat.

16. Amare erat in Medio Amoris, quod de Medio cordis Amici emiſit Suſpiria, & de Medio Fletuum Lachrymas propter Amorem Amati, ad quem Amicus dixit, quòd ipſe faceret perſeverare ipſum Amare in Medio ſui Amoris, & ſuſpirare in Medio ſui cordis, & plorare in Medio ſuorum oculorum, ut non poſſit ipſum obliviſci, odire nec ignorare.

17. Amicus noluit quieſcere in Fine Amoris, ut ſui oculi abundarent in Lachrymis & Fletibus; nam Amicus, qui conſiderat Finem Amoris, conſiderat honorem, qui debetur Amato: & quando videt, quòd ſuo Amato fiat honor, plorat propter Amorem: & quando videt, quòd homines inhonorent ſuum Amatum, plorat propter dolorem; & ideo Finis Amoris eſt fons Fletuum & Lachrymarum.

18. Majoritas & Minoritas Fletuum voluerunt intrare in animum Amici: Majoritas voluit in ipſum intrare, ut emitteret plures Lachrymas propter Amorem, & Minoritas voluit in ipſum intrare, ut emitteret paucas Lachrymas propter Amorem; Amicus permiſit Majoritatem Amoris intrare in ſuos Fletus, Minoritatem Amoris autem non permiſit intrare, ut Amatus & Amor haberent plures ſervitores per Fletus ad Æqualitatem Amoris, & ut Amatus in ipſo poneret majorem Æqualitatem ipſorum Amare, ſuſpirare & plorare, quam majorem Æqualitatem tamen vellet minoris facere, quàm ſuum honorabilem Amatum.

FOLIUM III.

De Timore Amoris.

1. AMicus voluit ſcire, utrùm ipſe habuerit Timorem in Amare, quia nullus Amicus poteſt multùm amare ſuum Dominum & Amatum ſinè Timore Amoris; & ideo voluit Amicus inquirere cum Radicibus Amoris, utrùm in ſe habuerit Timorem Amoris.

2. Amicus habuit Timorem, ne amaret ſuum Amatum cum parvitate Amoris, nam Amicus facit ſuo Amato magnum dedecus, quando ipſum amat cum parvo Amore, qui non eſt per magnam Bonitatem; & Amor dixit ad Amicum, quòd ipſe haberet Timorem reprehendendi regem & populum, quando faciunt peccatum & dedecus DEO, qui eſt DEUS honoris, Amoris & omnium aliarum creaturarum.

3. Amicus recoluit, quòd ipſe multoties habuerit Timorem reprehendendi regem de peccato, & alios homines peccatores; & ideo dixit, quòd in illo tempore, in quo habuit Timorem reprehendendi homines peccatores, erat ſuum Amare de modicâ Bonitate Amoris, & quòd non habuerit Timorem de ſuo Amato & Amare; & ideo rogabat Amicus Amatum & Amorem, ut ſumerent vindictam cum valde magno Amare, ſuſpirare & plorare.

4. Amicus quæſivit in ſua conſcientia & Amore, utrùm ſuum Amare duraret propter Timorem pœnæ? utrùm propter Timorem Amoris? qui cum intentione invénit Veritatem, quòd ipſe frequenter amaret ſuum Amatum, ut ipſi remitteret ſua peccata, & ipſum non detruderet in infernum, & quòd rarò ipſum amaret propter Magnitudinem & Æternitatem ſuæ Bonitatis; & ideo cognovit, quòd ſuum Amare

parùm duraverat in Timore Amoris, & multùm in Timore pœnæ inferni: tunc dixit Amicus ad ſuum Amorem, quòd acciperet ſuum Amare, & ipſum diu teneret in carcere Amoris, ne ſuo Amato faceret dedecus.

5. Amicus quæſivit à Poteſtate ſui Amoris, utrùm habuiſſet Timorem de ſuo Amato? Poteſtas Amoris reſpondit dicens, quòd habuerit Timorem de ſuo Amato; habui Timorem, quia tu Amice, dixit Poteſtas Amoris, habes Timorem multùm amandi honorem & ſervitium, quod ſpectat ad tuum Amatum, quem Timorem habes propter labores & languores, qui accidunt propter Amorem; & quando vis ire de una terra ad aliam, habes Timorem de fame, ſiti, frigore, calore, infirmitate & malis hominibus; & quia tu Amice, dixit Poteſtas Amoris, me non uteris, quantum convenit ad honorandum tuum Amatum & ſuum honorem, & quantum me poſſes uti, habeo Timorem, ne in amando me teneas otioſam.

6. Amicus voluit ſcire, utrùm conveniret, quòd haberet Timorem propter indiſcretionem tunc, cùm tractaret honorem ſui Amati & ſuam utilitatem & ſui proximi, & petiit à Sapientia Amoris, ut ipſi diceret Veritatem. Amice, dixit Sapientia Amoris: cùm dormiebas, & debebas vigilare & cogitare ad procurandum honorem tui Amati, qui te fecit *Procuratorem ad tractandum ſuum Honorem*, tenuiſti me otioſam; & cùm in menſa nimium comediſti & bibiſti, & quærebantur aliqua nova de tuo Amato, loquebaris indiſcretè, & mea Virtus erat otioſa in te. Item multoties tenuiſti me otioſam propter nimiam locutionem aut taciturnitatem aut propter modicam doctrinam; & ſic de pluribus aliis defectibus, quos commiſiſti contra Amorem & tuum Amatum; & ideo ploro & plango, & tu debes habere verecundiam & Timorem de tuo Amato, quia negotium, quod tractaſti ad honorandum tuum Amatum, perduxiſſes ad Finem, ſi me non tenuiſſes otioſam.

7. Voluntas Amoris audiens verba, quæ Sapientia dixit ad Amicum, dixit, quòd ſæpiùs ipſam tenuit otioſam, in quantum potuiſſet velle bonum, & odire malum, & non voluit bonum, & non odivit malum; & ideo dixit Voluntas Amoris ad Amicum, quòd multùm deberet timere ſuum Amatum, quia per ſuam negligentiam perdidiſſet valde bonum magnum & virtuoſum velle, quod potuiſſet habere ad honorandum Amorem & ſuum Amatum. Amicus habuit verecundiam, quando audivit verba, quæ Voluntas dixerat, quæ flevit & clamavit ad miſericordiam & pietatem, ut ipſi impetrarent veniam à ſuo Amato.

8. Juſtitia & prudentia & cæteræ Virtutes audientes verba, quæ Sapientia & Voluntas dixerant, adduxerunt memoriam ad Amicum, ut daret teſtimonium, quoties rogaviſſent Amicum, ut ipſas poneret in ſuo intelligere & in ſuo Amare, in quibus ipſas noluit ponere, & poſuit in ipſis injuriam, ſtultitiam & plura alia peccata, & tenuit ipſas otioſas & inhonoratas; & ideo deberet multùm timere ſuum Amatum. Item deberet habere Timorem, quia non habebat Timorem, cùm peccavit: nam Amatus magìs offenditur ab Amico, qui non habuit Timorem, quando peccavit, quàm propter peccatum, quod fecit; cognovit igitur Amicus, quòd juſtitia, prudentia & aliæ Virtutes dicerent Veritatem, & increpavit Amorem, quòd ipſi non dediſſet bonum & magnum Amare: Amor autem excuſans ſe adduxit Voluntatem, ut pro ipſo daret teſtimonium, quæ dixit: quòd Amicus habuerit libertatem multiplicandi de ipſa bonum & magnum Amare; & ideo habuerit culpam, in quantum non voluit uti libertate ſuæ Voluntatis, quantum ipsâ potuerat uti in volendo & amando Virtutes, & in odiendo vitia.

9. Veritas voluit eſſe apud ſermones, quos Amicus & Amor ad invicem habuerunt, quæ dixit, quòd DEUM & Angelos haberet teſtes, quòd Amicus ipſam ſæpiùs offendiſſet, propter quod debebat timere ſuum Amatum, & hoc ſciebat Sapientia, & recolebat memoria, quia ipſe ſciebat, quòd, ſi ſit unus fidelis homo, ſint centum infideles in errore, qui credunt falſitatem pro Veritate: & tu Amice, dixit Veritas, quieſcis & dormis & es ſinè Timore, & non habes charitatem nec erga DEUM nec erga tuum proximum; & de his non potes te excuſare, quia deberes laborare & deſiderare de toto tuo poſſe, ut omnes homines hujus mundi eſſent in vera fide & Amore, & ut falſitas, quæ me in mundo tenet inhonoratam & vituperatam, ejiceretur è mundo, & ut ego & Amor haberemus plures & bonos

bonos Amatores, & ut tuus Amatus haberet honorem à ſuo populo, quem creavit ad ipſum honorandum, amandum, cognoſcendum & ipſi ſerviendum. Amicus cognovit, quòd deberet habere valde magnum Timorem de ſuo Amato, quia non fecit ſuum poſſe ad multiplicandum fidem per mundum, & confeſſus eſt Amori, qui ipſi dedit pro pœnitentia, quòd ex tunc deberet facere ſuum poſſe ad multiplicandum Veritatem, & ad deſtruendum falſitatem, errores & peccata.

10. Gloria Amoris, dixit Amicus: an erravi contra te & peccavi, propter quod debeam timere meum Amatum? Gloria verò reprehendit Amicum, qui ab ipſa quæſivit hoc, quod ſciebat, dicens, quòd ipſam ſæpiùs vellet habere in corporalibus delectationibus, quàm in ſpiritualibus; &, quia ipſam vellet habere in minori Bonitate & Virtute, ideo eſſet in majori offenſa contra ipſam & ſuum Amatum.

11. Differentia Amoris, dixit Amicus: ſcisnè, utrùm contra te fecerim peccatum, propter quod debeam timere de meo Amato? Cui Differentia Amoris reſpondit dicens: ego ſum vinculum Amoris, cum quo Amicus & Amatus adinvicem ligantur, ſicut dictum eſt in *compoſitis Definitionibus Radicum Amoris;* & tu Amice erraſti & peccaſti contra me, quia me cognoviſti, & non facis, quòd amer ab illis, qui me non amant nec intelligunt, quia ſinè me non poteſt eſſe Amor inter Amicum & Amatum, cùm unus ſit Amicus, & alius ſit Amatus; & idem eſt de eorum Bonitate, Magnitudine & Duratione &c., quæ ſinè me non poſſunt eſſe in Concordantia Amici & Amati. Tu ſcis etiam, quòd ego ſim lumen tui intellectùs, per quod poteris habere cognitionem de pluribus rebus: & quia tu mihi non facis honorem, poſtquàm tantum valeo, debes vehementer habere Timorem de tuo Amato.

12. Concordantia Amoris reprehendit Amicum, quia homines ſchismaticos & eos, qui erant in vera fide & credulitate, non concordabat ad honorandum ſuum Amatum, neque volebat concordare unam Virtutem cum alia contra vitium & peccatum, nec concordabat ſuum recolere, intelligere & Amare in Magnitudine Bonitatis, Durationis & Poteſtatis, nec in Æqualitate omnium trium; & pluribus aliis modis, Amice, dixit Concordantia Amoris, feciſti injuriam mihi & Amato.

13. Amicus mirabatur, quòd tot modis, ſicut dictum eſt, deberet habere Timorem de ſuo Amato, qui quæſivit à Contrarietate Amoris, utrùm propter ipſam deberet habere Timorem de ſuo Amato? Cui Contrarietas Amoris reſpondit dicens, quòd ipſa ſit vinculum Amoris, ſecundùm quòd continetur in ſua *Definitione in Radicibus Arboris Amoris*, & dixit Amico, quòd ipſe eſſet malus & parvus ſervitor, quia rarò reſiſteret peccatis.

14. Principium Amoris, dixit Amicus: quare permiſiſti me principiare vitium & peccatum & falſum & malum Amare? Amice, dixit Principium Amoris: ego permiſi te principiare vitium & peccatum & falſum & malum Amare, quia tu non voluiſti me habere in tuo Amore cum bono magno potente & virtuoſo Amare: quia, ſi voluiſſes, ego non permiſiſſem te principiare vitium nec peccatum nec falſum Amare; & ideo volo de te conqueri coram Amato, & tu non poteris conqueri de me, quia tu habes & habuiſti in me libertatem pro tua Voluntate.

15. Medium Amoris, dixit Amicus: cùm tu ſis vinculum Amoris, quare non ligaſti me ad Amatum, ut nullo modo poſſem errare contra ipſum? Amice, dixit Medium Amoris: meum vinculum non poteſt ligare parvum Amicum ad magnum Amatum; nam, qui habet parvum amare, non debet ſtare in palatio magni Amoris, quia illud palatium Amoris eſt tali modo conditionatum, quòd Amatus non poteſt amare Amicum, qui habet parvum Amare.

16. Finis Amoris plorando fuit conqueſtus coram Amato de Amico, dicens: quòd Amicus ipſum ſæpiùs quæſiviſſet in minoribus Bonitatibus & Virtutibus, & non in majoribus; Amicus audivit quærelas, quas Finis Amoris de ipſo faciebat, & timuit Amatum, ne ipſi duplicaret ſuum Amare ſuſpirare & plorare, ut ſatisfaceret Fini Amoris; nam, ſi illa duplicaret, non poſſet diu vivere, nec poſſet ſuſtinere majus Amare, ſuſpirare & plorare, quàm illa, quæ ſolebat ſuſtinere.

17. Quando Amicus conſideravit, quòd ipſe timuerit mori propter Amorem, ivit Majoritas Amoris ad Amatum, quæ ſecum adduxit Bonitatem & Magnitudinem in teſtes, dicens ad Amatum, quòd Amicus ipſas multoties ejeciſſet de ſuo Amore, qui in ſuo Amore poſuiſſet parvitatem Amoris, quæ minorificavit ſuſpirare & plorare; &

tunc timuit Amicus Juſtitiam ſui Amati, & dixit ad Majoritatem Amoris & ad Magnitudinem & Bonitatem, quòd ipſe illis daret ſuum Amare, & vellet, quòd de ipſo facerent ſuam Voluntatem.

18. Æqualitas Amoris dixit ad Amicum: tu multoties feciſti mihi injuriam, propter quod debes timere tuum Amatum; nam, quando tu eras otioſus, & non æqualificaſti bonificare, magnificare, virtuificare & exercitia Virtutis cum tuo recolere, intelligere & Amare, ego non poteram reſiſtere tentationibus, quas habuiſti, quia vinculum Amoris, quod eſt de concordare & æqualificare, deficiebat: unde rogo Amatum, ut mihi faciat vindictam de te, donec multiplicem tibi Amare, ſuſpirare & plorare in tam magna quantitate Amoris, ut te vix permittat comedere aut dormire.

19. Quando Amicus ſtabat ligatus ad ſuum Amatum cum minori vinculo Amoris, timuit omnia, quia in nulla re poterat invenire ſecuritatem; tunc conſiderabat, quòd cum majori vinculo Amoris ligaretur ad ſuum Amatum, ne quidquam ampliùs timeret, ſed poſſet dormire & quieſcere in divitiis Amoris.

Diximus de Foliis Amoris: modò dicemus de aliquibus Accidentibus, quæ de Timore & per Amorem oriuntur in Amico, qui amat ſuum Amatum.

De Infirmitate, quam Amicus habuit propter Amorem.

1. AMicus infirmabatur propter Amorem, qui ipſum fecerat minus ſuſpirare, plorare & timere, & dixit ad Amorem, qui eſt fons, de quo procedit Amare, quòd deberet transmittere quoddam deſiderium ad Medicum Amoris, & illi dicere, quòd deberet venire ad ſanandum & curandum Amicum de ſua Infirmitate.

2. Amor transmiſit deſiderium ad Medicum Amoris, qui venit ad ſanandum & curandum Amicum de minori Amore per majorem Amorem; ille Medicus conſuevit ſanare per Concordantiam Amoris ſinè Contrarietate majoris Amoris, & medicinæ, quas dabat, multiplicabant Amorem cum Magnitudine Bonitatis, Durationis &c.

3. Medicus Amoris fecit Amicum jacere in quadam camera Amoris picta pulchris figuris, quæ Amicum faciebant recolere ſuum Amatum & ejus nobilitates & valores: ſicut figuræ pulchrarum & magnarum arborum, quæ ſunt onuſtæ foliis, floribus & fructibus, de quibus exit magnus odor; & figuræ pulchrarum avium, beſtiarum, virorum & fœminarum faciunt Amicum recolere, quòd ſuus Amatus ſit pulcher & magnus in Bonitate, qui creavit tot & tantas tam magnas & tam pulchras creaturas.

4. Lectus, in quo Amicus recubuit ad quieſcendum & dormiendum, erat de Amore, qui habuit proprietatem & virtutem, quòd nemo, qui in ipſo jacuerat, poterat dormire, nec oblivioni dare Pulchritudines & Nobilitates Amati.

5. Cùm Amicus fuit poſitus in camera Amoris, & ſperabat in lecto Amoris dormire & quieſcere, habuit propter viſionem, quam habuit de figuris pictis in illa camera, & propter naturam lecti Amoris, majorem laborem propter Amorem, quàm priùs, qui dixit ad ſervos, quòd ipſum deberent tollere de illo lecto, & portare extra illam cameram; nam quantò diutius remaneret in ipſa, tantò magis multiplicaret ſuum Amorem, & creſceret ſua Infirmitas.

6. Medicus Amoris tetigit pulſum Amici, & reſpexit urinam, & cognovit quòd Amicus indigeret quâdam medicinâ, quæ ipſum faceret phræneticum, ut loqueretur tanquam fatuus propter Amorem; nam illi Amici habent majorem ſanitatem, qui loquuntur ſinè modo Amoris; & tunc compoſuit Medicus medicinam de Radicibus Amoris exceptâ Contrarietate & Minoritate Amoris, ut eſſet magis fortis, quam dedit Amico, ut ipſam ſumeret propter Amorem ſui Amati.

7. Amicus ſumpſit medicinam Amoris, qui multò magis laborabat propter Amorem, quàm antè, & dixit ad ſuos Domicellos, quòd Medicus Amoris poſuiſſet toxicum Amoris in medicina, quam ſumpſit, ut ipſum occideret per Amorem: & tunc dicebat ad illos, quòd ipſi deberent providere de alio Medico & de alio lecto & de alia camera, & quòd ipſi deberent afferre theriacam, quæ ipſum curaret de veneno Amoris. Domicelli iverunt ad quendam aromatarium, qui vendebat theriacam, quæ erat compoſita de Amore, Bonitate, Magnitudine & Virtute, & faciebat amare illos, qui non amabant, & vigilare illos, qui conſueverant nimis dormire, quam Domicelli ſeu famuli Amico attulerunt & dederunt; & illa theriaca Amoris multiplicabat & faciebat in ipſo creſcere phræneſin & infirmitatem Amoris.

8. Tunc vituperavit Amicus Medicum & ſuos Domicellos, & propoſuit fugere à malo Medico & malis miniſtris, volens ire, ut curaretur, ad quandam ſylvam, ubi non audiret loqui de ſuo Amato, nec videret aliquas figuras, quæ ipſum facerent recolere & amare ſuum Amatum, quia non poterat ſuſtinere Infirmitatem, quam habuit propter ejus Amorem.

9. Amicus fuit totâ illâ die in magno labore & in magna Infirmitate propter Amorem usque ad noctem, qui tunc arripuit fugam, cùm Medicus Amoris & ſui Domicelli dormirent: & Contrarietas & Minoritas Amoris concomitabantur fugientem Amicum.

De Carcere Amici, qui fugit à ſuo Amato.

1. DOmina Amoris manè intravit in cameram, ut videret Amicum, quem non potuit invenire; quæ excitavit Medicum Amoris & ſuos Domicellos & miniſtros, à quibus quæſivit, quò iviſſet ſuus filius, qui propter ipſam fuerat infirmatus. Valde fuerunt mirati Medicus & Domicelli Amoris, quando non viderunt Amicum. Medicus dixit, quòd Amicus fugerit cum minorificare, quod eſt Domicellus ſive ſervus minoris Amoris, & cum contrariari, quod eſt Domicellus contrarii Amoris, ut curaretur de Infirmitate Amoris.

2. Tunc miſerunt Domina Amoris & Medicus duos Domicellos Amoris, videlicet concordare Amoris & majorificare ad quærendum Amicum, ut, ſi ipſum invenirent, cum ipſo etiam caperent contrariari & minorificare Amoris. Igitur concordare & majorificare Amoris quæſiverunt Amicum, quem invenerunt in quadam pulchra planitie juxta magnum nemus, & rogaverunt ipſum, ut rediret ad Dominam Amoris, & ſtaret in cura Medici Amoris.

3. Amicus nolens redire ad Dominam Amoris nec ad Medicum, dixit, quòd Domina Amoris haberet malam conſuetudinem, quia torqueret & occideret ſuos ſervos, & quòd ſuus Medicus eſſet valde falſus homo, quia poneret venenum Amoris in ſuis medicinis, cum quibus multiplicaret labores Amoris, & ideo non vellet eſſe in tribulatione tam malæ Dominæ & tam falſi Medici.

4. Concordare & majorificare Amoris volebant capere Amicum, quibus minorificare & contrariari Amoris fortiter reſiſtebant, ita, quòd fuerit factum magnum bellum inter concordare & contrariari Amoris, & inter majorificare & minorificare Amoris: victa fuiſſent contrariari & minorificare Amoris, ſi Amicus ipſa non juviſſet; ſuccubuerunt igitur concordare & majorificare & fuerunt victa, quousque duo Angeli Amoris venerunt, qui juverunt concordare & majorificare, quos Amatus transmiſit ad capiendum & ligandum Amicum, contrariari & minorificare, qui omnes fuerunt capti & poſiti in Carcere Amoris.

5. Amicus erat captus & incarceratus cum vinculis Amoris & cum pluribus chordis ejus ligatus ad ſuum Amatum, ne impoſterum fugeret ab Amato & à laboribus Amoris, & ipſi ſerviebat bonificare, magnificare & alii Domicelli Amoris: bonificare dabat ipſi bonum cibum Amoris, & magnificare dabat ipſi magnum cibum Amoris, & durare & poſſe dabant ipſi continuò bibere forte vinum Amoris; & quantò Amicus comédit & bibit plura cibaria & pocula Amoris, tantò magis creſcebat ejus Infirmitas, & ſentiebat majorem famem & ſitim Amoris.

6. Amicus transmiſit ad Amatum humilitatem, patientiam & pietatem, quæ, ſi ipſi placeret, alleviarent illi pœnas Amoris, quas ſuſtineret, quia ipſum occiderent per Amorem: &, ſi Amatus ipſi non vellet alleviare pœnas & labores, quòd deberent dicere ad ipſum, quòd ipſum deberet occidere per Amorem; quia magis amaret mori, quàm ſuſtinere tot mala propter Amorem.

Quomodo Amicus fuerit judicatus ad Mortem propter Amorem.

1. AMatus voluit Amicum judicare ad moriendum propter Amorem: ſed Domina Amoris, quæ timuit, ne, ſi ſuus filius & Amicus moreretur, non inveniret tam bonum Amatorem, rogavit Amatum, ut Amico daret Vitam Amoris pro Advocato, ut allegaret jura, propter quæ non deberet mori. Tunc dedit Amatus Amico Vitam Amoris pro Advocato, qui etiam fecit Mortem Amoris Advocatum pro ſe, qui deberet narrare jura, propter quæ deberet occidere Amicum.

2. Jura Amoris ſunt Radices Amoris: & libri, in quo ſcripta ſunt, eſt Liber Amoris.

ris. In illo libro legit Vita Amoris, quæ pro Amico allegavit dicens: ille Amor eſt bonus & magnus, qui multùm durat, quia per talem Amorem habet Amatus bonum magnum & durabilem Amatorem; & propter hoc non debet Amatus per ſuum Amorem occidere Amicum in ſua juventute, ſed in ſenectute. Mors Amoris autem allegavit dicens: ille Amor eſt bonus & magnus, qui Amicum facit mori per majorem Amorem propter ſuum Amatum; ideo ſi Amicus non moriatur ſtatim per Amorem, cùm amat ſuum Amatum, non eſt Amor magnæ Bonitatis, ſed eſt aſſociatus Minoritati & Contrarietati Amoris, quæ Amicum ſuſtinent, ne moriatur propter Amorem, & docent ipſum exercere fraudes & proditiones in Amorem & ſuum Amatum: ſicut fecit Amicus, qui fugit à Medico Amoris, & ivit ad degendum in quodam nemore, ut non amaret nec recoleret Amorem nec ſuum Amatum; & cùm fugerat à ſuo Amato, juvabat in bello contrariari & minorificare contra concordare & majorificare Amoris; & ideo Amate, dixit Mors Amoris, inſpectis omnibus prædictis rationibus & pluribus aliis eſt juſtum, quòd Amicus moriatur.

3. Amate, dixit Vita Amoris: in *Capite de Bonitate & Amore in decima Conditione* legitur ſic: Nullus Amor poteſt eſſe bonus ſinè Concordantia Amici & Amati: &, ſi tuum Amare interficit Amicum per tuum Amorem, non erit Concordantia inter te & illum; nam inter illum, qui interficit, & illum, qui interficitur, non poteſt eſſe concordare; & quia Amor non poteſt eſſe bonus ſinè Concordantia Amici & Amati, non debes eſſe contra bonum Amorem, poſtquàm es bonus Amatus. Allegavit autem Mors Amoris pro ſe ex prædicto *Capite*, quod eſt *de Bonitate & Amore, decimam quartam Conditionem*, ubi dicitur, quòd bonus Amor ſit Finis & quies boni Amatoris: & tu Amate, dixit Mors Amoris, ſcis, quòd Amicus ad te transmiſerit humilitatem, patientiam & ſpem per nuncios, qui tibi dixerunt, quòd ipſe non vellet vivere, ut non ſuſtineret labores Amoris; propter quod potes cognoſcere, quòd ipſe non habeat bonum Amorem; nam, ſi haberet bonum Amorem, haberet quietem & delectationem in ſuſtinendo labores propter Amorem; & poſtquàm non habet bonum Amorem, non eſt dignus, quòd vivat, ſed moriatur.

4. Amate, dixit Vita Amoris: in *Capite de Magnitudine & Amore in ſecunda Conditione* dicitur, quòd Poteſtas, quæ nihil poteſt facere de Amore, non ſit magna: unde, ſi interficit Amicum, non erit Poteſtas, quæ poſſit de Amore, & Poteſtas Amoris remanebit parva, & non magna; & ideo, ſi interficis Amicum, facis injuriam & peccatum Poteſtati Amoris, quæ per vitam Amici eſt magna; nam, dum Amicus vivit, facit Poteſtas Amoris magna deſideria, ſuſpiria & fletus, quos ſuſtinet propter Amorem.

5. Amate, dixit Mors Amoris: per prædictam *ſecundam Conditionem Capitis de Magnitudine & Amore* volo, quòd Amicus condemnetur; quia, ſi per Amorem moriatur, multò plus poterit Poteſtas Amoris, ſi faciat, quòd Amor interficiat Amicum, quàm ſi non poterit facere, quòd Amor interficiat Amicum; & ideo requirit jus & ratio, quòd Amicus moriatur per Amorem, ut Poteſtas Amoris plus poſſit per Amorem, quod tunc contingit, quando facit, quòd Amor interficiat ſuos ſervos.

6. Amate, dixit Vita Amoris: in *Capite de Duratione & Amore in prima Conditione* dicitur, quòd Amor ſinè durare non habeat Poteſtatem amandi; &, ſi Amicus moritur, moritur Amor, & poſtea Amor nunquam poteſt amare, nec per conſequens poterit vivere, nec Amor poterit amare ſinè Amico; & propterea, ſi interficis Amicum, interficies Amorem, cui faceres injuriam, nam per ipſum habuiſti plures ſervos.

7. Amate, dixit Mors Amoris: in *prædicto Capite* legitur ſic: Nullum Amare poteſt durare in Voluntate illius, qui fatigatur de Amare; & quia Amicus fatigabatur de Amare, ſicut benè apparuit, quando fugit à Medico Amoris, qui facit medicinas, cum quibus multiplicat Amores, non poteſt ſuus Amor durare, & eſt multò melius, quòd moriatur, quamdiu Amor in ipſo durat, quàm ſi moreretur ſinè Amore.

8. Amate, dixit Vita Amoris: in *Capite de Poteſtate & Amore in duodecima Conditione* legitur ſic: Major Poteſtas Amoris facit majorem Amatorem; & ideo, cùm Amicus tantum ſit vexatus per Amorem, quòd ſecundùm curſum naturæ non poſſit vivere nec ſuſtinere labores, tunc habet Amor magnam Poteſtatem, ſi ipſum facit vivere ſupra naturam; & ideo eſt jus & ratio, quòd tu Amate facias, quòd Amicus vivat, ut Amor per te habeat magnam Poteſtatem in Amico, & ut ipſum faciat valde magnum & fortem Amatorem ad te amandum & honorandum & tibi ſerviendum.

9. Amate, dixit Mors Amoris: Vita Amoris credit allegare jura Amoris pro Amico, & allegat illa contra Amicum; nam Amor habet multò majorem & fortiorem Poteſtatem, ſi Amicum interficit, ita, quòd nec natura nec aliquid ſupra naturam ipſum poſſit defendere, quin moriatur, quàm ſi Amicus habeat defenſionem contra mortem per aliquid, quod reſiſtat Amori, ne ipſum poſſit interficere.

10. Amate, dixit Vita Amoris: in *Capite de Sapientia & Amore in ſeptima Conditione* dicitur: Omnis ſapiens Amicus eſt contrarius inimicis Amoris; & quia tuus Amicus eſt ſapiens, in quantum ſemper fuit contrarius gulæ, luxuriæ, avaritiæ, ſuperbiæ & aliis inimicis Amoris, debes velle, quòd tuus Amicus vivat, ut Amorem adjuvet contra ſuos inimicos.

11. Amate, dixit Mors Amoris: Vita Amoris non dixit verum; quia, cùm Amicus fugiebat, erat contra concordare & majorificare Amoris, qui ſunt Domicelli & ſervitores Amoris, & juvabat contrariare & minorificare Amoris, qui ſunt ſervitores falſi Amoris; & ideo eſt juſtum, quòd Amicus citò & in continenti moriatur propter Amorem.

12. Vita Amoris allegavit plures alias Conditiones, & ſimiliter Mors Amoris, quas longùm eſſet enarrare; ſed Amatus habuit conſilium ſuper allegationibus Amoris, quas audiverat; quia non volebat dare judicium ſinè conſilio.

13. Amatus conſuluit Radices Amoris, à quibus quæſivit: quænam ipſarum illi conſuleret, quòd Amicum deberet judicare ad vivendum, & quænam ipſarum illi conſuleret, quòd ipſum deberet judicare ad moriendum? Reſponderunt Contrarietas & Minoritas Amoris dicentes ad Amatum: quòd Amicus non deberet mori, & quòd Vita Amoris hoc valde benè probaviſſet per plures Authoritates ſive Conditiones Amoris; ſed omnes aliæ Radices Amoris dixerunt ad Amatum: quòd Amicus deberet mori propter Amorem; quia Mors Amoris hæc valde benè probaverat per Conditiones Amoris; & Amatus cognovit, quòd Amicus habuerit amicitiam cum Minoritate & Contrarietate Amoris contra ipſum & contra Radices Amoris; & propter hoc judicavit Amatus Amicum ad moriendum propter Amorem.

Quomodo Amicus moriebatur propter Amorem.

1. AMicus intellexit, quòd ſuus Amatus ipſum judicaverit ad mortem, qui maledixit Contrarietatem & Minoritatem, quæ ſe interpoſuerant ad rogandum Amatum pro ipſo, quia ipſas non imploraverat, & propter ipſas habuit Amatus ipſum ſuſpectum.

2. Amicus petivit Confeſſarium, quia volebat generaliter confiteri de omnibus ſuis peccatis. Conſiliarii Amoris adduxerunt Orationem, quæ erat Confeſſarius Amoris Amici, ad quam Amicus ivit confeſſum cum contritione, ſuſpiriis & lachrymis, fletibus, humilitate & timoribus; ſed priusquàm Oratio voluerat audire Confeſſionem, dixit hæc verba ad Amicum.

3. Amice, dixit Confeſſarius Amoris: omnis homo, qui venit ad Confeſſionem, debet indui & ornari Virtutibus, & à ſe abjicere vitia & peccata, & debet habere firmam & fortem voluntatem nullo tempore redeundi ad peccatum, quod commiſit, nec ad aliud. Inſuper debet habere contritionem & dolorem de ſuo peccato, & in Deo bonam & magnam ſpem, quòd ipſi dimittat ſua peccata. Præterea debet adimplere omnia ea, quæ ſuus bonus Confeſſarius ipſi dabit in pœnitentiam; &, ſi hæc non faciat, parum valet illa ſua Confeſſio.

4. Adhuc Amicus, qui venit ad Confeſſionem, debet inquirere cum ſuo intellectu, voluntate, memoria & imaginatione peccata, quæ fecit videndo, audiendo, odorando, guſtando, palpando, loquendo, imaginando, recolendo, intelligendo & odiendo; & pro quolibet peccato, quod fecit, debet habere magnam contritionem, dolorem & pœnitentiam, & debet pro ſuo poſſe facere omnia, quæ illi fuerint injuncta; & qui facit talem Confeſſionem, facit Confeſſionem, quæ per miſericordiam & pietatem præſentatur Amato.

5. Amicus diſpoſuit ſe ad faciendum Confeſſionem ſecundùm modum, quem Confeſſarius Amoris præſcripſit, & dixit: quòd

multoties peccaverit cum oculis videndo pulchras creaturas, in quibus plùs lætabatur propter ipſarum pulchritudinem, quàm propter pulchritudinem Amati, qui ipſas creavit ad ſignificandum ſuas pulchritudines, ut Amatores lætarentur in ſuis pulchritudinibus. Item dixit Amicus: quòd ipſe multoties peccaverit cum auribus contra ſuum Amatum, audiendo dici malum de ipſo aut de aliqua bona & ſancta perſona, & non reprehendendo illos, qui de ipſis dicebant malum, nec excuſando Amatum vel aliquam perſonam, de quibus audiverat loqui; & quòd multoties iverit ad ſermones magìs ad audiendum pulchra verba rethorica & ornata modicæ utilitatis, quàm ad audiendum verba magnæ utilitatis & veritatis; & quando dicebantur bona verba, dormiebat, & quando dicebantur mala verba, vigilabat.

6. Domine Confeſſari Amoris, dixit Amicus: odores florum & pomorum fecerunt me recolere & imaginari luxuriam, & dulcia cibaria delectabilia ad comedendum, & multoties fecerunt me nimiùm comedere & bibere; & molles lecti & carnes fecerunt me peccare contra Amatum per tactum: & non refrænabam meam imaginationem, imò multiplicabam ipſam in imaginando temporales & corporales delectationes.

7. Item Domine Confeſſari Amoris, dixit Amicus: peccavi contra meum Amatum cum memoria, intellectu & voluntate, quia ſcienter ipſum tradidi oblivioni & ignorantiæ, ut recolendo & intelligendo ipſum non eſſem impeditus ad ſciendum vanitates hujus mundi, quas multùm amavi; & recolui, intellexi & amavi vitia & peccata, & non veritates nec bonas operationes; & propterea faciebam malum cum manibus, & ibam cum pedibus per plures malas vias, & cum ore proferebam mala verba, quæ erant valde turpia ad dicendum & audiendum.

8. Pluribus aliis modis, dixit Amicus, offendi meum Amatum: & cum omnibus meis corporalibus & ſpiritualibus partibus, & cum totalitate mei *eſſe* peccavi & deliqui contra meum Amatum; propter quod habeo contritionem & dolorem & triſtitiam, & plango, ſuſpiro & ploro, & ſubmitto me ſatisfactioni & pœnitentiæ juxta meum corporale & ſpirituale poſſe ſecundùm tuum judicium. Et quia mei oculi & mei cæteri ſenſus offenderunt meum verum Amatum, eſt bonum, quòd puniantur, & ſuſtineant magnam & gravem pœnitentiam; nam de omni eo, quod meus Amatus faciet, ero contentus & hilaris.

9. Quando Amicus fuit confeſſus, habuit Confeſſarius Amoris magnam compaſſionem cum Amico, qui rogavit Amatum, ut ipſi remitteret ſua peccata: & dixit ad Amicum: quòd deberet habere bonam & magnam ſpem in ſuo Amato impetrandi ab ipſo miſericordiam & pietatem; & Amicus transmiſit ad Amatum juſtitiam & pietatem, ut dicerent Amato, quòd eſſet contentus de omni eo, quod Amatus ipſi faceret, ſive puniendo ipſum, ſive parcendo ipſi, & quòd æqualiter ſperaret ſuam Juſtitiam & Miſericordiam, quæ in ipſo ſunt æquales.

De Teſtamento Amici, qui moriebatur propter Amorem.

1. AMicus miſit ad quendam verum Scriptorem Amoris, quia volebat facere Teſtamentum de iis rebus, quas habebat in cuſtodia per ſuum Amatum. Primò dimiſit ſuum corpus vermibus in cibum, & pulverem ſui corporis terræ, ut ipſum per plures partes diſpergeret in ventos, ut de ipſo impoſterum nulla memoria fieret; quia ipſum frequenter induiſſet & ornaſſet cum pulchris veſtibus, ut homines de hoc ipſum laudantes loquerentur de illo, & ut ipſe propter hoc haberet magnam Gloriam.

2. Item Amicus legavit ſuum cor cum deſideriis & ſuſpiriis, & ſuos oculos cum lacrymis & fletibus Amatoribus Amati, & iis, qui faciunt pœnitentiam propter Amorem.

3. Item legavit ſuam imaginationem ad imaginandum pulchritudines Gloriæ ſui Amati, & pœnas inferni, & turpitudines dæmonum.

4. Item legavit ſuam memoriam ſuo Amato ad recolendum ipſum, & ſuum intellectum ad intelligendum ipſum, & ſuam voluntatem ad amandum ipſum. Et legavit hominibus peccatoribus Timores, quos habebat de ſuo Amato, quia contra ipſum peccavit & deliquit. Igitur ſcriptor Amoris ſcripſit Teſtamentum cum Atramento Amoris & in Charta Amoris, & Teſtes erant Radices Amoris: & ſcriptor Amoris oſtendit Teſtamentum Amici Amato, qui mandavit juſtitiæ, legalitati, prudentiæ, fortitudini & charitati, ut eſſent executores bonorum & Teſtamenti Amici ſecundùm voluntatem, quam habuit eo tempore, quo condidit ſuum Teſtamentum.

De Oratione, quam Amicus fecit in Morte.

1. AMicus transmiſit ſpem, miſericordiam & pietatem ad ſuum Amatum, ut ipſum rogarent, quòd placaret Radices Amoris, ne occiderent ipſum usque dum feciſſet ſuam Orationem; quia Oratio eſt nuncia, quæ ab Amato affert gratiam & indulgentiam ad Amicum. Amatus conſenſit, quòd Amicus non deberet mori, usque dum feciſſet ſuam Orationem pro ſua voluntate, tamen ſub tali conditione, quòd ipſam faceret cum ſanctitate.

2. Amicus ornavit ſe, quantum potuit, ad rogandum & orandum ſuum Amatum; quia homo, qui rogat & orat tam nobilem & potentem Amatum, debet eſſe valde ornatus in ſua Oratione: & qui moritur, non debet eſſe negligens ad rogandum Dominum, quia poſt ultimum finem ſive mortem non eſt aliqua confortatio nec remedium ad rogandum Dominum vel aliquem alium, ſi ille, qui moritur, moriatur in mortali peccato.

3. Amicus humiliavit ſuum corpus, & flexis genibus levavit ſuum cor in ſuſpiriis ad amandum ſuum Amatum, & ſuam memoriam ad recolendum Miſericordiam ſui Amati, & ſuum intellectum ad intelligendum illius Juſtitiam: & elevavit ſuas manus ad cœlum ad ſperandum vel exſpectandum Gratiam & Miſericordiam, & levavit ſuos oculos cum Fletibus & Lachrymis ad cœlum, ut ab ipſo deſcenderet aqua miſericordiæ, quæ ipſum mundaret à peccatis, qui dixit ad Amatum hæc verba cum majori veritate & humilitate, cum quibus ipſa poterat dicere.

4. Amate, dixit Amicus: Oratio eſt petitio, quam homo tibi facit, ut ipſi des gloriam & beatitudinem, & ut ipſi remittas ſua peccata: & qui à te petit æternam beatitudinem & gloriam, non poteſt petere majus donum: & qui à te petit miſericordiam de ſuis peccatis, convenit, quòd ipſam petat cum contritione & dolore & pœnitentia de ſuis peccatis; & ideo Amate ego non ſum dignus à te petere hæc duo tam magna dona; nam ſum parvus per peccata, per nativitatem & naturam; propter quod non peto ſecundùm comparationem mei ſtatûs, quia non ſum dignus à te recipere tam magna dona, ſed tu Amate, qui ſecundùm tuum honorem das dignitatem, des mihi æternam gloriam & beatitudinem, & remittas mihi omnia magna peccata ſecundùm tuas conditiones, & non ſecundùm meas. Peto à te gloriam & beatitudinem ſuſpirando & plorando, & te recolendo, intelligendo & amando & petendo miſericordiam.

5. Amate, dixit Amicus: ſecundùm tuam magnam Bonitatem habes proprietatem ad dandum magna & non parva: & ſecundùm tuam magnam Miſericordiam eſt tibi magìs proprium remittere majores injurias, culpas & peccata, quàm minora; & ideo Amate, licèt ſim parvus per merita, & magnus peccator per magna & plura peccata, tamen exaudi meas Orationes ſecundùm tuas conditiones, & non ſecundùm meas.

6. Amate: Ratio, Juſtitia & Veritas cogunt me amare tuum Judicium, ſive me velis damnare propter mea peccata, ſive mihi velis parcere & remittere mea peccata; & ideo ſubmitto me ad amandum quidquid volueris de me ſalvando me vel judicando: &, ſi ego, Amate, à te peto Paradiſum, peto ipſum per tuam Bonitatem, Miſericordiam & Largitatem; & ſic, quia Natura, Juſtitia & Ratio me faciunt deſiderare, ut te in Gloria videam, laudem, amem & honorem, Natura boni facit me deſiderare tuam Gloriam, & odire infernales pœnas, quæ damnatos impediunt, ne te poſſint videre nec laudare vel honorare; & ideo Amate, tu non debes accipere in malum & vituperium, ſi à te peto tuum Amorem & Gloriam, ut te poſſim videre & amare, laudare & benedicere æternaliter ſinè Fine.

7. Glorioſe Amate, & qui plenus es Bonitate, ſi eſſet juſtum & rationabile à te non petere veniam, eſſet tua Miſericordia otioſa in hominibus peccatoribus, & ſpes, quam das hominibus peccatoribus, qui à te petunt Miſericordiam & pietatem, eſſet falſa & vitioſa, & non eſſet vera nec plena Virtute. Et, ſi nullus homo deberet à te petere Gloriam, eſſet in te otioſa tua Largitas & Charitas; &, quia hoc non poteſt eſſe, quid mirum, ſi quidam homo peccator à te petit tuam Gloriam, tuum Amorem, tuam Miſericordiam & veniam?

8. Amate, in *Capite de Oratione*, quod eſt *in Libro Proverbiorum Raymundi*, legitur, quòd, qui petit magnum bonum,

debeat habere magnum Amorem ad Bonitatem Domini, à quo petit magnum bonum. Et *ibidem* legitur, quòd, qui petit Durationem magni boni, faciat durare ſuam Orationem; propter quod modò in puncto meæ mortis tibi do meum Amorem ad amandum tuam Bonitatem; &, ſi me permittas vivere, usque ad mortem te adorabo, laudabo & benedicam; &, poſtquàm facio meum poſſe per Orationem, requirit ratio & jus, quòd tu Amate mihi des tuum donum & veniam meorum peccatorum: quod, ſi non faceres, eſſem ego magis juſtus in te rogando & amando, quàm tu in dando & miſerendo, quod non poteſt eſſe; &, quia hoc non poteſt eſſe, non poſſum deſperare de tuo dono & venia.

9. Amate abundans in omnibus bonis: tu dediſti mihi *eſſe*, & quidem humanum *eſſe*, quod eſt optimum creatum *eſſe*, quod poteſt eſſe, excepto angelico *eſſe*; & humano *eſſe* dediſti omnia corporalia ad ſerviendum ipſi, & hoc tam magnum donum dediſti mihi in hac vita, quod non petivi à te, tu tamen per tuam Largitatem, gratiam & Amorem voluiſti mihi dare hoc donum, quod eſt humanum *eſſe*; ſed, ſi tu, mi Amate, modò in puncto mortis mihi non des veniam peccatorum & Paradiſum, cùm te precor, quærens tuam Miſericordiam, quantum poſſum, eſſes tu major donator ſinè Precibus, quàm cum Precibus, quas tibi facio, petens tuam Miſericordiam: & dares donum in hoc mundo, in quo non tantum valet, quantum in alio, & eſſes mutatus & alteratus de tuis bonis & magnis operationibus, quod nullo modo poſſum credere; unde non eſt mirum, ſi à te peto donum, & exſpecto vel ſpero veniam per tuum Amorem & gratiam.

10. Potens Amate, dixit Amicus: ſi à te peterem donum, quod mihi non poſſes dare, non eſſet mirum, ſi illud mihi non dares, poſtquàm illud non poſſes dare; ſed eſt tibi æquè facile mihi dare gloriam & remittere peccata, imò ſinè comparatione facilius, quàm mihi petere & ſperare à te donum & miſericordiam: & propter hoc, mi Amate, remitte mihi mea peccata, nec reſpicias, cui des vel remittas, ſed reſpicias, quantum te deceat & tibi conveniat dare & remittere.

11. Virtutis plene Amate, dixit Amicus: tu es mihi datus ad te recolendum & intelligendum: & ſi tu mihi non dares te ad amandum, ut in alio ſæculo à me ameris, cùm tu in hoc ſæculo mihi ſis datus, in quantum me facis te recolere, intelligere & amare, eſſes major dator in hac vita per Amorem, quàm in alia, in qua te non poſſem amare, ſi mihi non velles remittere in hac vita; & magis amares in hac vita recoli & intelligi, quàm in alia, in qua non vis amari à me, ſed tantùm recoli & intelligi, ſi ſim damnatus; quod non poteſt eſſe, quia nec tuæ Virtutes nec tuus Amor hoc requirunt; propter quod omnino habeo ſpem in te, quòd mihi des Gloriam, & quòd mihi remittas mea peccata ad meam voluntatem.

12. Amicus voluit dicere plures alias Rationes & Orationes ad ſuum Amatum, ſed timuit, ne ſui inimici ipſum accuſarent coram ſuo Amato, dicentes falſum teſtimonium contra ipſum, quòd ipſe ideo faceret longam Orationem, ut prolongaret ſuam vitam; propter quod ceſſavit à ſua Oratione, & aperuit ſuum os, qui credidit emittere ſpiritum, & mori per Amorem.

Quomodo Amicus non potuit mori.

1. AMor ploravit, quia credidit, quòd ſuus Amicus moreretur, cùm ipſum videret aperire ſuum os, & plurimæ Radices Amoris ploraverunt, quia fuerunt motæ magnâ compaſſione ſuper Amico, qui fuerat judicatus ſinè injuria, quia nullam commiſerat contra Amorem; ſed quando Domina Vita Amoris vidit, quòd Amicus adhuc viveret, rogavit Prudentiam, ut ipſam juvaret, & ipſi conſuleret, utrùm poſſet juvare Amicum, quia ſequeretur magnum damnum ex morte illius; cui Prudentia reſpondit hæc verba, dicens: ſi Amicus tam fortiter amat, ut moriatur præ Amore, & recolit Bonitatem Amati, & malum & labores, quos ſuſtinet propter Amorem, dat oblivioni, facit Bonitas ipſi bonum per Amorem, quia eſt de natura boni Amoris, quòd faciat bonum Amico, dum recolit ſuum bonum Amatum; cùm Bonitas facit bonum Amico, non poteſt Mors Amoris occidere Amicum, quia faceret ei malum; ſed hoc non poteſt facere, poſtquàm Bonitas Amoris ipſi facit bonum.

2. Item dixit Prudentia: Amicus, qui delectatur & habet patientiam in ſuſtinendo labores & languores propter Amorem, non poteſt mori per Amorem, quia ſua delectatio & patientia juvant ipſum contra mala Amoris, cùm delectatio det quietem, & patientia ſit Virtus, quæ omnia vincit.

3. In *Capite de Duratione & Amore* legitur in *quinta Conditione*, quòd falſus Amor non poſſit durare; ergo ſequitur, dixit Prudentia ad Vitam Amoris, quòd verus Amor poſſit dare vitam; & ideo dixit: Amicus, qui habet verum Amorem, & recolit, quòd eſt verus Amator, & habet verum Amatum, non poteſt mori, quia Veritas Amoris habet Virtutem contra mortem per Virtutem veri Amati.

4. In *Capite de Poteſtate & Amore in decima quarta Conditione* legitur, quòd minor Poteſtas Amoris non poſſit reſiſtere majori, cùm major Poteſtas Amoris ſemper vincat minorem; & ideo Amicus, qui habet majorem Poteſtatem Amoris, non poteſt mori, quia major Poteſtas Amoris ſuſtinet ipſum contra minorem.

5. In *Capite de Sapientia & Amore in ſecunda Conditione* legitur ſic: Nullus Amatus deſiderat amari à fatuo & vitioſo Amico: & ideo ſequitur, quòd, ſi Amicus eſt virtuoſus & verus, &, ſi Amatus eſt diſcretus, deſideret, quòd Amicus ipſi ſerviat & ipſum amet, & quòd ſuſtineat Amicum, ut non moriatur per ſuum Amorem.

6. In *Capite de Voluntate & Amore in ſexta Conditione* legitur ſic: In Voluntate, quæ reſiſtit magno Amori, non eſt Concordantia Amici & Amati; & propter hoc, dixit prudentia, Amicus, qui habet magnam Concordantiam cum ſuo Amato, juvatur ab ipsâ ad vivendum.

7. In *Capite de Virtute & Amore in prima Conditione* legitur ſic: Virtus, Veritas & Amor ſunt divitiæ & theſaurus Amici & Amati; & propter hoc, dixit prudentia ad Vitam Amoris, ſi Amicus habet Virtutem, Veritatem & Amorem, juvant ipſum contra mortem, quæ ipſum vult interficere; nam cum Virtute defendit ſe à vitiis, & cum Veritate defendit ſe à falſo Amore, & cum Amore defendit ſe ab ira & odio.

8. Item dixit Prudentia: in *Capite de Veritate & Amore* legitur, quòd Veritas minoris Amoris timeat falſum hominem; & ideo ſignificatur, quòd in Amico, qui habet ſuum Amatum, in quantum ipſi deſiderat diſcretè ſervire & ipſum amare, major Amor non timeat falſum hominem; & ideo ſequitur, quòd, ſicut Amicus habet majorem Amorem ad ſuum Amatum, ſic non conveniat, quòd habeat timorem de aliquo, ſed poterit eſſe audax pugnator, & per ſuam audaciam fortis contra mortem, cùm audacia det magnam vim.

9. Præterea dixit Prudentia ad Vitam Amoris: in *Capite de Gloria & Amore in ſecunda Conditione* legitur ſic: Nemo poteſt habere magnam Gloriam ſinè Concordantia Amici & Amati; igitur ſequitur, quòd, ſi Amicus habeat magnam Concordantiam cum ſuo Amato, per magnam Concordantiam habebit magnam Gloriam; & per magnam Gloriam habebit magnam quietem contra pœnam; & per magnam quietem reſiſtet pœnæ mortis, quæ ipſum poſſet interficere.

10. In *Capite de Differentia & Amore in octava Conditione* dicitur, quòd non poſſit eſſe minor Amor in Amico, qui non facit Differentiam inter bonum & malum, quæ ipſi accidunt propter Amorem; quapropter, ſi Amicus delectatur in ſuſtinendo malum, quod ipſi contingit propter Amorem, ſicut delectatur in habendo bonum propter Amorem, non poſſunt labores Amoris ipſum occidere, cùm mors ſinè pœna neminem poſſit interficere.

11. Item dixit Prudentia ad Vitam Amoris, in *Capite de Concordantia & Amore, in ultima Conditione* legitur ſic: De minori Amore eſt minor Concordantia Amici & Amati; & ideo, ſi Amicus habet magnum Amorem, habebit magnam Concordantiam cum Amato, per quam Amatus ſuſtinebit Amicum contra mortem, ut ipſum non poſſit interficere.

12. Item dixit Prudentia: in *Capite de Contrarietate & Amore in quarta Conditione* legitur ſic: Major Contrarietas Amici & Amati eſt peccatum; & ideo, ſi Amicus eſt virtuoſus & ſinè peccato, non poteſt mors ipſum occidere, quia non habebit, cum quo ipſum occidat; nam Contrarietas eſt inſtrumentum, cum quo mors ipſum interficit.

13. Item dixit Prudentia: in *Capite de Principio & Amore in prima Conditione* legitur ſic: Quilibet bonus & magnus Amator principiat Amare in Medio Amoris; & ideo, ſi Amicus principiat ſuum Amare in Medio Amoris, mors non poteſt capere Amicum, nec ipſum auferre à ſuo Amato, quia mors non poteſt intrare in Medium Amoris ad occidendum Amare Amici, ſed occidit Amare, quod eſt in extremitatibus Amoris; & poſtquàm mors non poteſt

tangere Amare, quod eſt in Medio Amoris, Amicus non poteſt mori; cùm nullus Amicus poſſit mori, dum unit ſuum Amare cum Amare Amati.

14. Præterea dixit Prudentia, in *Capite de Medio & Amore in prima Conditione* datur doctrina, per quam Amicus poteſt reſiſtere morti; nam, ſi ſuum Amare faciat ſtare in Medio Amoris, erit Solatium Amoris inter ipſum & ſuum Amatum.

15. Item dixit Prudentia: in *Capite de Fine & Amore* datur doctrina, per quam Amicus poteſt fugere à morte; nam, ſi Amicus citò mittat ſuum Amare ad ſuum Amatum, & ſuum recolere & intelligere, tunc vadit Amicus citò, ut ſit cum ſuo Amato: &, ſi citò properat, ut ſit cum ſuo Amato, non poteſt mors ipſum capere in via; ſed, ſi pigrè & negligenter vadat, ut ſit cum ſuo Amato, poteſt mors ipſum capere & interficere.

16. Item dixit Prudentia: in *Capite de Majoritate & Amore in ſecunda Conditione* datur doctrina, per quam Amicus poteſt fugere à morte, ſcilicet, ut æqualificet omnes ſuas Virtutes & omnes ſuas Poteſtates ad amandum ſuum Amatum; ſed, ſi Amicus per unam Virtutem habeat majorem Amorem, & per aliam minorem, non poteſt habere quietem in Amare; quia per minorem Amorem haberet laborem & conſcientiam, quæ ipſum tam vehementer angerent, quòd mors ipſum poſſet occidere.

17. Item dixit Prudentia: in *Capite de Æqualitate & Amore in una Conditione* datur doctrina, cum qua Amicus poteſt evadere mortem; nam, ſi Amicus æqualificat in Amare ſuum intelligere & recolere, cum quibus æqualiter conſideret Altitudines & Nobilitates ſui Amati, tunc fortificabitur & ſuſtentabitur contra mortem per ſuum Amatum.

18. Prudentia dedit omnes prædictas doctrinas & plures alias Vitæ Amoris, quòd ipſas deberet oſtendere Amico; quia per ipſas poſſet evadere mortem; igitur Vita Amoris retulit illas Amico, qui fecit omne id, quod Vita Amoris ipſi dixerat & ipſum docuerat, ut diu viveret ad ſerviendum ſuo Amato.

Quomodo Amicus ſpirabat & moriebatur.

1. AMicus vivebat, nec poterat mori per ullam rem, quam Domicelli Amoris ipſi inferrent, quamvis ei dederint venenum Amoris, quod interficit Amatores præ nimio Amore.

2. Domicelli Amoris fuerunt multùm mirati, quòd Amicus non poſſet mori, & Mors Amoris quæſivit à Sapientia, utrùm ipſi poſſet aliquid oſtendere, per quod poſſet interficere Amicum? cui Sapientia ſic reſpondit: mea filia, Prudentia docuit Amicum mediante Vitâ Amoris, per quid non poſſit mori; ſed ego, quæ plus ſcio, quàm ipſa, ſcio modum, per quem poteris interficere Amicum; & tunc Mors Amoris fortiter rogavit Sapientiam, ut ipſi oſtenderet illum modum, per quem poſſet interficere Amicum, ſive per dolorem ſive per delectationem Amoris.

3. Mors Amoris, dixit Sapientia: ſi Domicelli Amoris ducerent Amicum huc & illuc per mundum, & ipſi oſtenderent mala, quæ fiunt per peccata, tunc haberet Amicus dolorem & tam magnam diſplicentiam, quòd oporteret ipſum mori præ dolore & displicentia; quia non poſſet ſuſtinere dedecus, quod videret fieri ſuo Amato, nec curſum hominum, quem continuò faciunt ad infernum: unde, ſicut Sapientia dixit ad Mortem Amoris, ita dixit Mors Amoris ad Domicellos Amoris, qui Amicum duxerunt per mundum; & ivit huc & illuc, ut videret & audiret mala & vituperia, quæ homines peccatores contra Amatum faciunt & committunt.

4. Domicelli Amoris auditis iis, quæ Mors Amoris ipſis dixerat, duxerunt Amicum per mundum, qui vidit plures pauperes, qui quaſi moriebantur præ fame, ſiti, infirmitate & frigiditate petentes eleemoſynam à divitibus & avaris & vanigloriosis hominibus, qui illis oſtendebant ſuos theſauros, hòrrea, cellaria, equos, veſtes, cameras, aulas, curias & ſua caſtella, quos DEUS in hoc mundo multùm permittit honorari & illis ſerviri; quibus viſis & pluribus aliis habuit Amicus valde magnum dolorem & compaſſionem de pauperibus; & maximè, quia ſuus Amatus erat inhonoratus & parùm vel nihil amatus à divitibus avaris & vanigloriosis hominibus: unde propter triſtitiam & dolorem, quem habuit de prædictis, multiplicabatur ejus Infirmitas.

5. Domicelli Amoris duxerunt Amicum ad quandam terram, in qua valde multùm exercebatur luxuria, & hoc pluribus modis, qui videbat fœminas pectere ſua capita & ſe ornare, ſecundùm quod moris eſt talium

um fœminarum, ut viri illas concupiſcerent, & cum illis facerent luxuriam; qui etiam vidit & audivit deceptiones, quas plures malæ fœminæ faciebant ſuis maritis; & hoc idem ſuo modo vidit & audivit de viris, quòd faciebant contra ſuas uxores.

6. Item Domicelli Amoris duxerunt Amicum per palatia, aulas & menſas, ubi divites homines nimium comedebant & bibebant, & qui janitores faciebant tales, qui non permitterent pauperes homines intrare per portam, imò ipſos percuterent cum baculis. Deinde duxerunt Amicum per homines ſuperbos, pigros & otioſos, invidos & iracundos, qui vidit tanta mala & peccata, quòd ſe ſentiebat totum infirmum propter diſplicentiam, quam habuit videndo & intelligendo tot & tanta vitia.

7. Item Domicelli Amoris duxerunt Amicum per curias Regum & Magnatum, in quibus vidit plures injurias, plures falſos judices & advocatos. Et duxerunt ipſum per plura loca, in quibus erant plures hypocritæ. Iterum duxerunt Amicum per multas terras, in quibus habitabant multi idololatræ & infideles, qui non credebant in Chriſtum. Præterea duxerunt ipſum ad quandam civitatem, in qua erant plures literati homines, qui ſciebant veritatem de DEO, & non volebant ipſam oſtendere errantibus, qui moriuntur infideles & hæretici propter defectum ſanctæ doctrinæ & credulitatis; & cùm Amicus vidiſſet tot & tanta peccata inter gentes, quæ non amant ſuum Amatum, ſuſpiravit & flevit amarè, & credebat, quòd moreretur præ dolore Amoris; & Domicelli credebant, quòd eſſet mortuus, usque dum Amicus flendo dixit ad Amatum: ah mi Amate! ah mi Amate! quare dereliquiſti mundum, qui quaſi totus eſt perditus & annihilatus?

8. Domicelli Amoris, qui viderunt, quòd Amicus adhuc non eſſet mortuus, duxerunt ipſum per terras, per loca bellorum, in quibus fiunt prælia & certamina hominum, ut homines ſe mutuò occidentes videret mori in bellis propter ſuperbiam & vanam gloriam; quibus viſis Amicus adhuc non potuit mori. Deinde duxerunt ipſum ad portam Paradiſi & ad portam inferni, qui tunc vidit, quòd in Paradiſum intrarunt decem animæ, & in infernum mille; tunc ſuſpiravit Amicus miro modo, qui dixit ad dæmones: quòd haberent magnam poteſtatem ſupra homines, & poſſiderent magnum populum in inferno, qui blasphemant ſuum Amatum; veruntamen Amicus adhuc non potuit mori, quia doctrina, quam accepit à Prudentia, juvabat & ſuſtinebat ipſum, ita, quòd adhuc non poterat mori.

9. Domicelli & Mors Amoris mirabantur valde, quare Amicus non potuerit mori, poſtquàm tantum amavit ſuum Amatum & publicum bonum: unde dixit Mors Amoris ad Sapientiam: quòd ipſi deberet dare aliud conſilium, per quod poſſet interficere Amicum, quia non poſſet ipſum interficere per doctrinam, quam ipſi dediſſet.

10. Mors Amoris, dixit Sapientia: dicas Domicellis Amoris, quòd Amicum ducant in Jeruſalem per totam illam ſanctam Terram, cui oſtendant Templum Davidis & Templum Salomonis, & tunc morietur. Domicelli Amoris duxerunt Amicum ad ſanctam Civitatem Jeruſalem, qui, cùm vidiſſet ſanctam Civitatem Jeruſalem & Sepulchrum noſtri Domini JESU Chriſti, & vidiſſet Templum Davidis & Salomonis, & recoluiſſet ſanctam vitam ſanctorum hominum, qui perempti & mortui ſunt propter Amorem, tantùm multiplicavit ſuum Amare, ſuſpiravit & ploravit, quòd ſuum Amare non poterat ſuſtinere ſuſpiria & ploratus; nec doctrina, quam prudentia ipſi dederat, poterat ipſum juvare: & tunc præ vi Amoris & recordationis Paſſionis & Mortis noſtri Domini JESU Chriſti clamavit ſic: Ah ſanctitas! ah Amate! ah Amor! parcatis Domicellis Amoris, qui me duxerunt ad hanc terram, ut ſic moriar, & accepit commeatum à Morte Amoris, & tunc aperuit os, & emiſit ſpiritum.

De Sepulchro Amici, qui mortuus eſt propter Amorem.

1. CUm Amicus ſic eſſet mortuus propter Amorem, Domicelli Amoris lavarunt ipſum cum lachrymis, quas emiſerat propter Amorem, & quas memoria Amoris cuſtodiverat; & involverunt ipſum in alba ſindone, ad ſignificandum, quòd Amicus eſſet mundatus à ſuis peccatis. Item involverunt ipſum in rubra ſindone, ad ſignificandum, quòd Amicus eſſet Martyr propter Amorem. Iterum involverunt ipſum in purpureo aureo panno, ad ſignificandum, quòd Amicus erat fidelis ſuo Amato & Amori & probatus ab ipſis. Deinde poſuerunt corpus Amici in lecto patientiæ

tientiæ & humilitatis, & cum cereis illuminatis de Amore ipſum portaverunt ad Templum Amoris.

2. Cùm corpus Amici fuerat in Templo Amoris, Vita Amoris induta de Sanctitate & Virtutibus cantavit & dixit Orationes; quia Anima Amici iverat & tranſiverat ad veram Vitam, ut æternaliter eſſet cum ſuo Amato; & Radices Amoris reſponderunt Vitæ Amoris, & Domicelli Amoris tenuerunt ardentes cereos.

3. Valde magna & ſolemnis Oratio fuit facta ad Sepulturam Amici, & Vita Amoris prædicavit, quæ valde commendavit Amicum, & narravit dolores & labores, quos Amicus ſuſtinuerat propter Amorem tanquam bonus & magnus Amator: & propter magnas laudes, quas narravit & prædicavit de Amico, plorabant Dominæ & Domicelli Amoris, quia habebant magnam compaſſionem & dolorem de morte Amici, quia omnes conſenſerant in ipſius mortem.

4. Domicelli Amoris poſuerunt corpus Amici in quoddam pulchrum feretrum Amoris, Gloriæ & Veritatis, humilitatis & pietatis, qui ejus pallia, cereos & lectum dederunt pauperibus, qui magìs & fortiùs petierunt eleemoſynam propter Amorem, quàm propter aliquam neceſſitatem comedendi vel dormiendi.

5. Domicelli ſcripſerunt hoc Epitaphium ſupra tumbam & lapidem Amoris: „ Hìc „ jacet Amicus mortuus propter ſuum A„ matum & Amorem: talis Amicus, qui „ amavit ſuum Amatum cum bono mag„ no & durabili Amore: Amicus, qui fuit „ fortis pugnator pro Amore, & qui ha„ buit magnam Diſcretionem & Sapien„ tiam in amando & honorando ſuum A„ matum: talis Amicus, qui dedit Amato „ & Amori totam ſuam Voluntatem, Vir„ tutem, & totum tempus ſuæ vitæ. Ami„ cus, qui habuit verum Amorem ſinè hy„ pocriſi & vana gloria: Amicus, qui non „ fecit Differentiam inter delectationes „ & labores propter Amorem, quia omnes „ erant ipſi acceptabiles: Amicus, qui ha„ buit Concordantiam & Solatium cum „ ſuo Amato per Amorem, & qui reſtitit „ falſo Amori & falſis Amatoribus: Ami„ cus, qui principiavit plures bonas opera„ tiones ad honorandum ſuum Amatum „ & bonum Amorem: Amicus, qui in Me„ dio Amoris ſemper habuit ſuum reco„ lere, intelligere & Amare ad ſuum Ama„ tum & Amorem: Amicus, qui omne „ id, quod faciebat & dicebat, faciebat & „ dicebat ratione Finìs Amoris, qui Finis „ eſt Amatus: Amicus, qui ſemper quæ„ ſivit majorem Amorem, & fugit à mi„ nori: Amicus, qui ſemper æquabat ſu„ um recolere, intelligere & Amare in ſer„ viendo, honorando & laudando Amo„ rem & ſuum Amatum: Amicus humilis, „ patiens, legalis, audax, benè morigeratus, „ largus, ſanctus & plenus omni bono, „ & qui informavit & illuminavit plures „ Amatores ad honorandum ſuum Amo„ rem, Amatum & Amare.

6. Quando Domicelli Amoris ſcripſerant Epitaphium Amoris, & deauraverant literas cum Deſideriis, Suſpiriis & Fletibus Amoris, omnes deduxerunt Dominam Amoris cum Radicibus Amoris usque ad domum, in qua Amicus fuit mortuus præ Amore, quæ plorabat & plangebat Amicum, quem multùm amaverat, à quo diu erat honorata.

De Conſolatione Dominæ Amoris.

1. BOnitas & Magnitudo venerunt ad conſolandam Dominam Amoris, quæ amiſit ſuum Amicum, & plorando dixit hæc verba: heu me triſtem & doloroſam! quando erit tempus, in quo potero habere tam bonum & tam magnum Amare in tam bono & magno Amatore, ſicut habui in iſto Amico, quem perdidi, & qui propter me mortuus eſt? quia ego non poſſum eſſe bona nec magna nec Amato acceptabilis ſinè bono & magno Amare; & quando habeo parvum Amare, ſum poſita in otio, quod me vehementer torquet & replet omnibus malis; ſed quando meus Amicus erat vivus, ego habui in ipſo tam bonum & tam magnum Amare, quòd die & nocte eram in bonis cogitationibus, & deſiderabam facere magna bona propter meum Amatum.

2. Domina Amoris, dixerunt Magnitudo & Bonitas: tuus Amatus eſt valde bonus & magnus, propter quod ipſe requirit habere plures bonos & magnos Amatores; quia unus bonus & magnus Amator tantùm non ſufficit ad amandum ipſum: & ideo non debes eſſe triſtis & deſolata propter mortem tui Amici, quia valde bene mortuus eſt, & cum magno honore tuî & tui Amati, qui ejus Animæ facit magnum bonum

bonum in Gloria, & Amatus vult, quòd nutrias quendam alium novum Amatorem, à quo tantum ametur, quantum fuit amatus ab illo, pro quo ſuſpiras & ploras, & quòd ipſe faciat tam bonam vitam & mortem, ſicut fecit iſte Amicus, qui mortuus eſt; & poſtea facias quendam alium Amatorem, & ſic ſucceſſivè de uno bono Amatore ad alium, ut Amatus & tu ſitis in gloria concomitati pluribus bonis & magnis Amatoribus.

3. Duratio & Poteſtas venerunt ad conſolandum Dominam Amoris, ad quam dixerunt hæc verba: in *Capite de Gloria & Amore in prima Quæſtione* fit quæſtio de Amico ad Amorem, quæ quærebat ab Amore, de quo ſit plenus? ad quod reſpondetur in *Capite de Gloria & Amore in prima Conditione*, quòd Amor ſit plenus de Duratione & Poteſtate Amoris; & ideo Domina Amoris, poſtquàm es plena de Duratione & Poteſtate Amoris, poteris per tuam Poteſtatem inamorare quendam novum Amatorem ad amandum tuum Amatum, & quòd ipſi facias durare ſuum Amare, ut multiplicet ſuum Amorem in Magnitudine Bonitatis, Sapientiæ & Veritatis; & propter hoc Domina Amoris, dixerunt Poteſtas & Duratio, propter bona & valores, quæ ſunt in te, debes habere Conſolationem & conſolari nos, qui habemus triſtitiam & dolorem propter tuos fletus & dolores.

4. Domina Amoris tacuit, quæ inclinabat ſuum caput, nec approbavit Conſolationes, quas ipſi fecerunt Bonitas & Magnitudo; & tunc venerunt Sapientia & Voluntas ad Dominam Amoris, quæ ipſam voluerunt conſolari cum his verbis: in *Capite de Sapientia & Amore in octava Quæſtione* legitur, quòd Amicus quæſiverit ab Amato, utrùm ipſi placeret, quòd tantum amaret Philoſophiam Amoris, quantum Philoſophiam Sapientiæ? ad quod reſpondetur in *octava Conditione de Sapientia & Amore*, quòd Amatus ſit ita dignus, quòd ametur per Philoſophiam Amoris, ſicut eſt dignus, quòd cognoſcatur per Philoſophiam Scientiæ. Et in *Capite de Voluntate & Amore in ſeptima Quæſtione* legitur, quòd Dominæ Amoris quæſiverint ab Amico: quid faceret principiari Amare in ſua Voluntate? ad quod reſpondetur in *Capite de Voluntate & Amore in ſeptima Conditione*, quòd dare oblivioni labores Amoris & deſiderare Amatum, ipſum facerent principiare Amare, cum quo amaret ſuum Amatum. Et propter hoc, Domina Amoris, dixerunt Sapientia & Voluntas, convenit, quòd tu habeas Conſolationem, & cum Conſolatione & Solatio facias plures Amatores, in quibus non poſſit principiari Amare cum dolore & triſtitia, ſed cum Solatio Amici & Amati; &, ſi tu nolueris habere Conſolationem, ſed volueris perſiſtere in odiendo mortem tui Amici, quando voles amare vel nutrire alium Amatorem, neſcies ipſum amare vel nutrire, nec ſcies in aliquo Amatore principiare Amare, quia tantum eris aſſueta in Fletu, quòd non poteris habere aliquam Conſolationem, nec exire de triſtitia & dolore.

5. Virtus & Veritas venerunt ad conſolandum Dominam Amoris, quæ plorabat ſuum Amicum, ad quam dixerunt hæc verba: Domina Amoris, dixit Virtus: in *Capite de Virtute & Amore in prima Quæſtione* legitur, quòd Amatores quæſiverint ab Amato & Amico, de quo viveret eorum Amicitia? ad quod reſpondetur in *Capite de Virtute & Amore in prima Conditione*, quòd viverent de ſolatio & delectatione; & propter hoc tu Domina Amoris non debes plorare nec triſtari de hoc, quod tuus Amatus fecit de Amico, quia ipſe erat & eſt ſuus, & fecit & facit ad ſuam voluntatem. Domina Amoris, dixit Veritas: in *Capite de Veritate & Amore in prima Quæſtione* legitur, quòd Amicus quæſiverit à ſuo Amato, quare tam pauci homines intrarent in ſuam Gloriam, & tot homines vaderent ad infernum? ad quod reſpondetur in *Capite de Veritate & Amore in prima Conditione*, ubi oſtenditur, quòd tam pauci homines intrent in Gloriam Amati, & tot homines vadant ad infernum, quia ſunt plures homines in hoc mundo, qui falsè diligunt ipſius Gloriam, quàm qui ipſam verè amant; quia plùs amant ipſam, ut ipſam poſſint habere, & ut non intrent in infernum, quàm ut videant, laudent & honorent Bonitatem Amati & ejus nobilitatem; & ideo tu Domina Amoris, dixit Veritas: præ te fers apparentiam, quòd ſis de falſis Amatricibus, quia non vis recipere Conſolationem in Amato; nam, qui ipſum amat propter ſuam Bonitatem, Veritatem & Virtutem, habet complementum omnium bonorum, nec indiget aliquo; ſed non vide-

tur mihi, quòd tu ſis talis, quia non deſinis plorare nec vis conſolari; & videtur, quòd tu cogites, quòd Amatus & ſua Bonitas tibi non poſſint ſufficere. Multùm pungebant cor Dominæ Amoris verba, quæ Virtus & Veritas ipſi dixerant, quæ timuit, ne ſuus Amatus eſſet discontentus de ſua Deſolatione, veruntamen non potuit abſtinere, quin ploraret & plangeret ſuum Amicum, qui erat mortuus propter ſuum Amorem.

6. Domina Amoris, dixit Gloria: qui non vult conſolari de Voluntate Amati, non poteſt cum ipſo eſſe in Gloria.

7. Domina Amoris, dixit Differentia: non es ſimilis Amico, qui tantum conſolabatur in laboribus, quos ſuſtinebat propter Amorem, quantum conſolabatur in delectationibus & oblectamentis, quæ ſuſtinebat per Amorem.

8. Domina Amoris, dixit Concordantia: poſtquàm anima Amici habet in Paradiſo Concordantiam cum ſuo Amato, quare es in hoc mundo contraria Amato & Amico?

9. Domina Amoris, dixit Contrarietas: qui non habet patientiam ſub Voluntate Amati, ſtat mecum contra Amatum in labore.

10. Domina Amoris, dixit Principium: tu, quæ principias Amare cum delectatione & ſolatio, non permittas ipſum mori in labore & triſtitia.

11. Medium Amici & Amati dixit Dominæ Amoris, quòd non portaret ſuam ſalutationem ad ſuum Amatum, ſi non haberet Conſolationem & patientiam de omni eo, quod facit ſuus Amatus.

12. Finis dixit Dominæ Amoris, quòd ſua quies non eſſet, poſtquàm non eſſet conſolata & hilaris de operationibus Amati.

13. Majoritas dixit Dominæ Amoris, quòd ille poſſit habere majus meritum per Conſolationem, qui recipit majora damna.

14. Domina Amoris, dixit Æqualitas: ille non ſcit æquare bona & mala, quæ ſuſtinet propter Amatum, qui non vult conſolari nec habere patientiam.

15. Minoritas dixit Dominæ Amoris, quòd ipſa vellet eſſe ſua vicina & cognata, poſtquàm habuit impatientiam.

16. Domicelli Amoris dixerunt Dominæ Amoris, quòd ipſi non vellent ſervire Dominæ, quæ ploraret de hoc, de quo deberet ridere.

17. Radices & Domicelli dixerunt Dominæ Amoris plura alia verba, ut acciperet Conſolationem, & Domina Amoris dixit tunc, quòd ipſa plus amiſiſſet per ſuam deſolationem, quàm per mortem Amici, & quòd ideo ex tunc vellet conſolari & gaudere de omni eo, quod ſuus Amatus faceret de ſuo Amico.

PARS VI.

De Floribus Arboris Amoris.

1. *Flores* Amoris ſunt *Tres*, ſcilicet *Altitudines, Laudes* & *Honores* Amati, in quibus Anima Amici habet Gloriam.

2. Ratio, quare ponimus hæc tria pro Floribus in hac Arbore, eſt, ut demus Doctrinam inamorandi Amare ad Amationem Altitudinum, Laudum & Honorum Amati; quia per talem Inamorationem principiatur Amare, & multiplicatur & nutritur bonus Amator.

FLOS I.

De Altitudine Amoris.

1. NUlla Altitudo eſt in magna Bonitate ſinè Altitudine Amoris & Amare.

2. Omnis Duratio boni & magni Amoris eſt alta.

3. Illa Poteſtas eſt alta, quæ oſtendit altum Amorem Amici & Amati.

4. Per altam Voluntatem volat illud velle, quod vult id, quod vult Amatus, & quod non vult id, quod non vult Amatus.

5. Altæ Virtutes ſunt Altitudines, cum quibus altum Amare volat ad ſuum altum Amatum.

6. Qui timet deſtruere falſitates & errores, ejus Veritas non volat ad altum Amorem ſui Amati.

7. Amor, qui facit volare ſuum Amare in infimitatibus hujus mundi, volat per laborem; & Amor, qui facit volare ſuum Amare per Altitudines alterius ſæculi, volat ad Gloriam ſui Amati, in qua quieſcit.

8. Qui facit Differentiam inter proſperitates & adverſitates, quas ſuſtinet propter ſuum Amorem, non facit Amare volare ad cœlum.

9. Ille volat per cœlum, qui facit volare ſuum Amare ad Concordantiam Amici & Amati.

10. Qui volat per Contrarietatem Amici & Amati, volat per planities cum labore, & qui volat per Concordantiam Amici & Amati, volat per montes cum quiete.

11. Qui principiat ſuum Amare cum Fine alti Amoris, incipit volare ad cœlum, ubi eſt ſuus Amatus.

12. Amare, quod eſt in Medio alti Amotis, volat per altum Amorem.

13. Qui cum vi facit volare ſuum recolere, intelligere & Amare, volat ad altiorem Finem Amoris ſupra cœlum.

14. Qui non habet alas majoris Amoris, non poteſt volare ad cœlum.

15. Qui volat per Æqualitatem Amoris & Amare, volat per cœlum.

16. Cum alis minoris Amoris volat peccator ad infernum.

17. Nullum Amare ſedet in alta cathedra ſinè juſtitia.

18. Amicus facit ſuum Amare aſcendere cum alis prudentiæ de minori Amore ad majorem Amorem.

19. Qui ſuum Amare facit aſcendere ad fortitudinem, non habet timorem de aliquo.

20. Qui aſcendit ad temperantiam, aſcendit ad ſanitatem.

21. Qui aſcendit ad fidem, facit ſuum Amare aſcendere ſupra ſuum intelligere.

22. Qui ſuum Amare facit aſcendere ad ſpem, habet nullius rei indigentiam.

23. Qui habet charitatem, aſcendit in Domino ſuper omnia.

24. Cum Altitudinibus humilitatis aſcendit & deſcendit Amor Amici & Amati.

25. Qui aſcendit ad pietatem, facit aſcendere ipſa ſuſpirare & plorare per Amorem.

26. Qui abſtinet à malo, & non ceſſat facere bonum, facit ſuum Amare aſcendere ad quietem.

27. Devotio facit aſcendere ipſa ſuſpirare & plorare ad Amatum, ut habeat commiſerationem de ſuo Amico.

28. Conſcientia facit aſcendere Timorem, & Timor Amorem ad Amatum.

29. Contritio facit aſcendere Amare ad ſatisfactionem, & ſatisfactio facit Amare aſcendere ad veniam.

30. Oratio facit Amicum aſcendere ad accipiendum gratiam miſericordiæ & veniæ à ſuo Amato.

31. Confeſſio facit Amare aſcendere ad conſilium, conſilium ad obedientiam, obedientia ad pœnitentiam, pœnitentia autem ad quietem vel ad Gloriam.

32. Qui ſuum Amare facit aſcendere ad legalitatem, non habet timorem de aliquo, & aſcendit ad ſuum Amatum, ut ſtet ſecurus cum ipſo.

33. Ille aſcendit ad intelligendum ſecreta ſui Amati, qui ipſum amat.

34. In Altitudine ipſorum intelligere & recolere eſt Altitudo ipſius Amare.

35. De alto imaginari oritur altum recolere, intelligere & Amare.

36. Si elevas tuos oculos ad videndum pulchritudines cœli & ſtellarum, erigas tuum Amorem ad amandum Pulchritudines Creatoris.

37. Si erigis tuas aures ad audiendum verba Amati, exalta tuum Amorem ad amandum ipſa.

38. Si aſcendis in arborem ad odorandum flores, facias tuos Amores aſcendere ad tuum Amatum.

39. Si aſcendis in arborem ad comedendum dulcia poma, aſcende ad tuum Amatum ad comedendum ipſum, qui eſt cibus & vita tuæ Animæ.

40. Cùm aſcendis ad lectum ad quieſcendum & dormiendum, conſidera, quòd de lecto deſcendant homines mortui ad tertam, ut putrefiant.

41. Si aſcendis ad honorem, aſcendas ad humilitatem, pietatem & patientiam.

42. Si aſcendis ad divitias, facias aſcendere tuam memoriam ad recolendum pauperes.

43. Si aſcendis ad ſanitatem, extolle tuam memoriam ad recolendum infirmitatem.

44. Si aſcendis ad largitatem, aſcende ad recolendum indigentiam.

45. Si aſcendis in equum, aſcende ad recolendum avenam.

46. Si deſcendis ad luxuriam, aſcende ad recolendum & amandum caſtitatem propter Pulchritudinem tui Amati.

47. Si deſcendis ad peccatum avaritiæ, facias aſcendere tuum Amorem ad amandum liberalitatem in recolendo magna dona tui Amati.

48. Si deſcendis ad gulam, aſcende ad amandum temperantiam recolendo ſanitatem.

49. Si per ſuperbiam deſcendiſti ad peccatum, aſcende ad amandum Altitutidines tui Amati, & ad recolendum Altitudines cœli, de quo ceciderunt mali angeli per ſuperbiam, & recolas Reges, qui de cathedra deſcenderunt ad terram, ut putrefiant.

50. Si deſcendiſti ad pigritiam, aſcende ad amandum diligentiam, recolendo, quòd

poſt mortem non poteris nec pœnitere, nec veniam petere.

51. Si deſcendiſti ad invidiam, aſcende ad amandum Charitatem, quæ plena eſt omnibus divitiis.

52. Si deſcendiſti ad iram, aſcende ad amandum Patientiam & Abſtinentiam, & recole, quòd vituperium & mors tibi faciliter poſſint accidere.

53. Si deſcendiſti ad mendacium, aſcende ad recolendum & amandum Veritatem & Verecundiam.

54. Si deſcendiſti ad Paupertatem, aſcende ad amandum divitias tui Amati, qui ſufficit ad honorandum omnes ſuos Amatores.

55. Si es incarceratus, aſcende ad recolendum & amandum Poteſtatem tui Amati, qui omnes liberat.

56. Si non habes amicos, aſcende ad amandum tuum Amatum, qui amat de die & nocte.

57. Si es iratus, aſcende ad recreandum & confortandum tuum Amorem in tuo Amato.

58. Si es intemperatus, aſcende ad faciendum Orationes ad tuum Amatum.

59. Si es deceptus & proditus, aſcende ad amandum fidelitatem tui Amati, & jam non eris deceptus nec proditus.

60. Si deſcendiſti per Timorem, aſcende per Amorem ad Amatum, & eris ſecurus.

61. Si volueris habere altam Bonitatem, habeas altum bonificare; & ſi volueris habere altam Poteſtatem, habeas altum Amorem & Amare.

62. Conſidera, quomodo Amatus conſiſtat in magna Bonitate per altum bonificare, & in alta Poteſtate per altum poſſificare.

63. Conſidera, quomodo Bonitas ſit alta per Magnitudinem, & quomodo Magnitudo ſit alta per altam Bonitatem.

64. Conſidera, quòd, ſicut tuus Amatus eſt ſummum Bonum per ſummum bonificare, ita ſit ſummum Magnum per ſummum magnificare.

65. Quia tuus Amatus habet altam memorabilitatem, habeas tu altum memorare; & quia habet altam intelligibilitatem, habeas altum intelligere; & quia habet altam Amabilitatem, habeas tu altum Amare.

Plures alios Flores dixit Amicus de ſuo Amato, ut haberet Amatores, qui haberent altum Amorem ad amandum ſuas Altitudines.

FLOS II.
De Laudibus Amoris.

1. DOmina Amoris nutrivit alium Amicum, ad quem dixit, quòd deberet laudare Amatum cum Radicibus hujus Arboris; & tunc laudavit ille Amicus Bonitatem ſui Amati coram Amatoribus Amoris; & fecit unam Laudem de Bonitate Amati per *Eſſe*, quod habet in ſe: aliam Laudem dedit ipſi per ſuam Operationem, quam habet in omnibus creaturis; & dixit, quòd Bonitas Amati ſit bona per ſe ipſam; quia eſt de ſe ipſa, & non de aliqua alia Bonitate.

2. Amatores Amoris, dixit Amicus: Bonitas mei Amati habet per ſe & in ſe ſuam bonificationem, & bonificat cum ſua bonificatione omne, quod creatum eſt; quia omne eſt bonum per ipſam; & ideo Bonitas mei Amati, in quantùm eſt, quod eſt, facit, quòd omne ſit bonum, quod eſt creatum; & per bonificationem, quam habet in ſe, facit, quòd omnes operationes ſint bonæ, quas habent creaturæ; & ideo eſt Bonitas mei Amati laudabilis ſuper omnes creaturas.

3. Amatores magni Amoris, dixit Amicus: Magnitudo mei Amati eſt ita magna, quòd eſt infinita, &, ſicut per Eſſentiam, ita eſt magna per infinitam Operationem, quam habet in ſe; & cum ſua infinita Operatione poſſet infinire omnes creaturas, ſi ipſæ hoc poſſent recipere; ſed nulla Magnitudo, niſi Magnitudo mei Amati poterit per aliquem modum eſſe infinita.

4. Amatores durabilis Amoris, dixit Amicus: Duratio mei Amati eſt æterna per ſuum exiſtere, & eſt æterna per ſuum agere; nam, ſi eſſet æterna per ſuum exiſtere, & non haberet æternam Operationem in ſe, deficeret ejus Operationi infinita Magnitudo, quæ non eſſet ita æterna, ſicut ipſa Æternitas; & Æternitati deficeret Bonitas, in quantum ipſi eſſet magnum malum, ſi æternaliter fuiſſet ſinè æternare, & Bonitati deficeret Æternitas, ſi non haberet in ſe æternum bonificare, & Magnitudini deficeret Æternitas, ſi in ſe non haberet æternum magnificare: & ideo non intelligatis, quòd velim dicere, „ quòd Æternitas mei Amati „ habeat æternare in alia eſſentia & natura, „ ſed in ſe ipſa tantùm; „ nam, ſi haberet, poſſet eſſe major per æternare, quàm Magnitudo

nitudo per infinire, bonificare & magnificare, quæ in alia eſſentia & natura non poteſt aliquid infinire, ſed tantùm in ſe & ſuâ Eſſentiâ.

5. Amatores Amoris, dixit Amicus: ſicut ego coram vobis laudo Nobilitates & Altitudines mei Amati, ita convenit, quòd vos exaltetis veſtrum recolere, intelligere & Amare ad meum Amatum, & intelligatis & videatis magnam Poteſtatem mei Amati; quia eſt tam magna, quòd nemo in ſe poteſt invenire per aliquem modum, quòd velit habere ita magnam Poteſtatem, ſicut habet meus Amatus: conſideretis etiam, quòd omnes aliæ Poteſtates ſint per Poteſtatem mei Amati; & omnis creata poſſificatio creatæ Poteſtatis eſt per poſſificationem, quam meus Amatus habet in ſua Poteſtate.

6. Amatores Sapientiæ, dixit Amicus: conſideretis inæſtimabilem Sapientiam mei Amati; quia ipſe ſcit omne, quod eſt; & ita benè ſcivit omne, quod creatum eſt, antequam fuit creatum, ſicut modò ſcit, cùm eſt creatum, & ſcit plus, quàm omne, quod creatum eſt; quia ipſe ſcit verum infinitarum idearum, quæ non ſunt ideatæ, nec unquam erunt.

7. Voluntas mei Amati habet in ſe volentem, volitum & velle; & in Voluntatem mei Amati poſſent intrare infinitæ volibilitates, ſi ipſæ poſſent habere *eſſe*; & per *velle* mei Amati ſunt omnia bona *velle*; & Voluntas mei Amati ſcit multò meliùs amare ſinè comparatione, quàm omnes aliæ Voluntates; & propter hoc Amatores, multùm eritis & eſtis voliti & amati, ſi eritis & eſtis voliti & amati per Voluntatem mei Amati.

8. Amatores virtutum, dixit Amicus: Angeli, cœlum, elementa, plantæ, beſtiæ, homines & quidquid eſt, fuit, vel erit, habet Virtutem per Virtutem mei Amati, quia ejus Virtus ita comprehendit omnes alias Virtutes, ſicut ejus Bonitas comprehendit omnes alias bonitates, & ejus Magnitudo omnes alias magnitudines, & quilibet homo, qui voluerit habere morales Virtutes propter Amorem Virtutis mei Amati, poteſt habere tot & in tanta Magnitudine & Bonitate, quot & in quanta Magnitudine & Bonitate poterit velle.

9. Amatores Veritatis, dixit Amicus: conſideretis magnam Veritatem mei Amati, quia ipſa eſt tam magna, quòd verificet & comprehendat omnes Veritates, & ſinè ipſa nulla res poteſt eſſe vera: & eſt ita amabilis, quòd, ſi ex omnibus creatis Amoribus fieret unus Amor, adhuc non ſufficeret ad amandum Amabilitatem Veritatis mei Amati; & in Gloria intelligit unus Angelus vel una Anima plùs Veritatem mei Amati, quàm omnes intellectus, qui fuerunt, ſunt vel erunt in hac vita, ſuppoſito, quòd de ipſis poſſet fieri unus intellectus, qui tantum intelligeret, quantum omnes ſingulariter poſſent intelligere: veruntamen Veritas mei Amati eſt inhonorata in hoc mundo, quia parùm cognita & amata.

10. O vos Amatores, qui amatis Gloriam mei Amati, conſideretis & videatis, quomodo ejus Gloria ſit bona, magna & æterna, potens & perfecta omni bono, quia ipſa eſt plena de ſuo eſſentiali gloriativo, gloriabili & gloriari; & ideo in Gloriam mei Amati poſſent intrare infiniti Amatores numero, ſi poſſent creari.

11. O vos Amatores, dixit Amicus: conſideretis & videatis Altitudinem & Nobilitatem mei Amati, & videatis, quomodo quædam creaturæ ſint differentes ab aliis: & ſcitisnè vos, quare quædam creaturæ ſint differentes ab aliis? ideo, quia Sapientia mei Amati ſcit, quòd una non ſit alia; & Voluntas mei Amati vult, quòd una non ſit alia; & ideo poteſt nulla creatura neque per naturalem neque per artificialem operationem facere, quòd duo vel plura ſint ita maximè ſimilia, ut habeant nullam Differentiam.

12. Amatores, dixit Amicus: conſideretis infinitam Concordantiam, quæ eſt in meo Amato per ſuam bonificationem, magnificationem, intellectionem, amationem, virtuificationem, verificationem, principiationem, æqualificationem & infinitationem, in qua nulla Contrarietas poteſt eſſe; quia infinitè & æternaliter eſt remota à Contrarietate per infinitum & æternum concordare.

13. Amatores, dixit Amicus: nihil poteſt reſiſtere meo Amato, cùm ipſe habeat infinitum & æternum concordare, cui nullum contrariari poteſt reſiſtere; nam omnis Contrarietas eſt finita & poſita in tempore.

14. O vos Amatores conſideretis, quomodo meus Amatus eſt æternum & infinitum Principium, quia in ſuo Intellectu infinitè & æternaliter principiavit, principiat & principiabit æternum & infinitum Intelligere,

gere, Intellectum & Intelligibilem; & idem est de suo Amore, in quo æternaliter & infinitè principiavit, principiat & principiabit æternum & infinitum Amare, Amatum & Amabilem, & Amatus non esset principiabilis sinè principiare, nec æternaliter & infinitè esset principiabilis sinè æterno & infinito principiare: & idem sequitur de bonificare, magnificare & possificare mei Amati; & propter hoc est meus Amatus naturaliter Principium per se ipsum.

15. Consideretis adhuc, quomodo meus Amatus sit Principium omnium creatorum entium sinè mutatione sui ipsius; quia per suam Æternitatem potuit principiare, quod antè non principiavit, sinè mutatione suî ipsius de uno statu in alium; sed hoc non potuit meus Amatus facere sinè Æternitate & æternare, quod habet in sua Essentia & Natura.

16. Amatores, dixit Amicus: consideretis & videatis, quomodo Amare mei Amati est in Medio sui Amoris, & in Medio Amantis & Amabilis per Infinitatem & Æternitatem; & idem de Bonificare Bonitatis mei Amati; & de Magnificare Magnitudinis mei Amati; & sic de aliis Dignitatibus mei Amati.

17. Consideretis etiam, quomodo Misericordia mei Amati se ponat inter ipsum & peccatorem, qui ab ipso petit indulgentiam.

18. Amatores, dixit Amicus: meus Amatus est Finis omnium creatorum entium; quia omne, quod est creatum, est creatum ad cognoscendum & amandum meum Amatum, & ad serviendum ipsi; &, si meus Amatus est Finis omnium creatarum rerum, quantò magìs est Finis suî ipsius, & in se ipso & per se ipsum, ut sua Bonitas habeat proprium bonificare propter suum proprium Finem; & idem de suo magnificare, æternare, possificare & intelligere & amare &c.

19. Consideretis Amatores, dixit Amicus: quomodo meus Amatus est major, quàm omne creatum; quia omne, quod est creatum, est inceptum & finitum, & meus Amatus est æternus & infinitus; & ideo est omnis Majoritas imago & figura, quæ repræsentat & significat infinitam & æternam Magnitudinem & Bonitatem & alias Dignitates mei Amati.

20. O vos Amatores, dixit Amicus: consideretis infinitam & æternam Æqualitatem, quam habet meus Amatus in sua Bonitate, Magnitudine, Æternitate, Potestate, Sapientia, Amore & Virtute; & hoc idem de Æqualitate ipsius bonificationis & Bonitatis, magnificationis & Magnitudinis &c., & bonificationis, magnificationis & æternificationis &c., & Bonitatis, Magnitudinis & Æternitatis &c.

21. Amatores, dixit Amicus: in meo Amato non est aliqua Minoritas ipsi essentialis & naturalis; nam, si haberet in se ipso essentialiter & naturaliter Minoritatem, haberet in se parvitatem contra suam Magnitudinem, & finitatem contra suam Infinitatem, & Majoritatem contra suam Æqualitatem; & meus Amatus non esset per omnes modos æternus & infinitus & perfectus in omnibus.

Cùm Amicus laudaverat suum Amatum per Radices Amoris, voluit laudare suum Amatum per Domicellos Amoris, usque dum Amatores ipsi dixerunt, quòd ipsos ita efficaciter inamorasset cum Laudibus Radicum Amoris ad amandum Nobilitates Amati, quòd non conveniret ipsos plùs inamorare per Domicellos Amoris.

FLOS III.

De Honoribus Amoris & Amati.

1. AMicus consideravit, quòd ipse habuerit honorabilem Amatum; & ideo fuerit conveniens, quòd ipse esset honorabilis Amicus; nam est Honor honorabilis Amati, quòd habeat honorabilem Amicum; & non est conveniens, quòd inhonorabilis Amicus serviat honorabili Amato; & ideo dixit Amicus ad Amorem, quòd ipsi deberet ostendere modum, per quem ipse esset honorabilis Amator, & per quem sciret honorare suum Amatum, qui est dignus valde magno Honore.

2. Amice, dixit Amor: si honoras tuum Amare cum Bonitate, ut sit bonum, & cum Magnitudine, ut sit magnum, & cum Duratione, ut multùm duret, & cum Potestate, ut patiatur multas prosperitates & adversitates propter Amorem, & sic de aliis meis Radicibus, tu eris honorabilis Amicus, & honorabis tuum Amatum.

3. Amicus rogavit Bonitatem, ut bonificaret suum Amare, & Magnitudinem, ut magnificaret suum Amare, & Durationem, ut faceret ipsum durabile; & sic de aliis; quia ipse vellet facere Honorem suo Amato, qui est bonus, magnus, æternus, potens

tens & perfectus omni perfectione: cui Radices Amoris respondèrunt, quòd non oporteret ipsas rogari, quòd honorarent suum Amatum; sed quòd illæ rogarent ipsum, ut ipse illas honoraret in suo Amare, in quod vellent intrare & esse, ut cum ipso possent honorare Amatum; nam quando non essent in Amare Amici, non haberent, cum quo possent honorare Amatum, & essent otiosæ, nec possent quidquam facere ipsi Amato sinè Amare hominum, quod est liberum, ut Amatus liberè honoretur, & ut ipsi liberè serviatur.

4. Amice, dixerunt Dominæ Amoris: quasi major pars hominum ponunt in suo Amare nostras adversarias sive inimicas, scilicet malitiam, parvitatem & privationem &c. boni, magni & durabilis Amoris, & fortificant malum & falsum Amorem contra verum & bonum Amorem; & ideo, dixerunt Dominæ Amoris, est Amatus in mundo inhonoratus per inhonoratos & falsos Amatores; & nos similiter sumus inhonoratæ in mundo, & nostræ adversariæ vel nostræ inimicæ sunt honoratæ.

5. Amice, dixerunt Dominæ Amoris: sunt plures homines, qui magìs amant denarios, fœminas, delicatos cibos, pulchra vestimenta, quietam vitam, dominium & honores, quàm Amatum; & propter hoc est totus mundus quasi perditus, & deviat à Fine, ad quem est creatus.

6. Multùm ploravit Amicus, cùm audiverat hoc, quod Dominæ Amoris ipsi dixerunt de vituperio & inhonoratione, quæ Amatus accipit in hoc mundo, qui suus est, & quem principaliter creavit propter hoc, ut in ipso honoraretur; nam Deus nihil aliud tantum petit à mundo, quantum petit honorem; & hoc, quod ipse vult habere, vult etiam habere quilibet homo; nam rusticus, lanio, sutor & alii similes cujuscunque sint officii, magìs desiderant Honorem, quàm aliquid aliud; & propter hoc vult rusticus esse mercator, quia mercator magìs honoratur; & mercator vult esse eques, eques comes, comes dux, dux Rex, Rex verò Imperator; & nemo potest satiari de Honore; & homines propter hoc laborant plùs, quàm propter Bonitatem, Sapientiam, Virtutes & Amorem.

7. Ah! Dominæ Amoris, dixit Amicus: quomodo est mundus naturaliter pulcher, & ordinatum instrumentum ad honorandum meum Amatum? nam non est vivens homo, qui posset cogitare, dicere vel scribere pulchram ordinationem, quæ naturaliter est in mundo; quod satìs clarè patet intuenti; & omnes creaturæ faciunt hoc, propter quod sunt creatæ.

8. Dominæ Amoris & Domicelli, dixit Amicus: quale consilium posset dari, ut Amatus haberet magnum Honorem in mundo? nam est dedecus & periculum hominibus, qui amant Amatum, si non faciunt omne id, quod possunt facere ad honorandum Amatum; & magnum malum est hominibus peccatoribus, qui inhonorant Amatum, ut vadant ad perpetuum ignem, in quo semper erunt inhonorati & vituperati.

9. Amice, dixerunt Dominæ & Domicelli Amoris: convenit, quòd consilium veniat ab Amato; ita videlicet, quòd ipse transmittat novos homines magnæ vitæ & sanctitatis, qui vadant per mundum ad ostendendum Veritatem de Nobilitatibus Amati; nam, quando sunt ignotæ, non potest homo multùm amare Amatum: convenit etiam, quòd illi sancti homines dent exemplum sanctæ vitæ per bonas operationes, & quòd reprehendant homines, qui in mundo & in suo corde Amatum tenent inhonoratum.

10. Dominæ & Domicelli Amoris, dixit Amicus: manifestum est, quòd Amatus in omni tempore velit habere Honorem in mundo, & velit salvationem hominum, & non damnationem eorum: & ideo nemo potest nec debet dicere nec cogitare, quòd Amatus non velit Honorem nec salvationem hominum: & ideo non debet defectus vel culpa imputari Amato, sed hominibus, qui ipsum non volunt honorare: & vos superiùs dixistis mihi, quòd non conveniat, quòd ego rogem vos, ut sitis in meo Amare, imò vos rogatis me, ut ego vos ponam in meum Amare; & ita est de DEO, dixit Amicus; quia non convenit exspectare, quòd principiet, quia jam principiavit, in quantùm creavit homines, & dedit ipsis mundum, ut ipsum teneant honoratum in suo corde & in mundo: incipiamus igitur honorare Amatum, eamus per mundum huc & illuc ad honorandum ipsum.

11. Multùm placuerunt Dominæ & Domicellis Amoris verba, quæ Amicus dixit, qui cognoverunt, quòd recuperassent bonum Amicum; & quòd benè sequeretur

vias

vias alterius Amici, qui in Jeruſalem fuit mortuus propter Amorem; & dicebant ad Amicum, quòd deberet ire per mundum ad laudandum homines, qui honorant Amatum, & ad reprehendendum homines, qui inhonorant Amatum; & quòd ipſæ vellent illum ſequi, & illum juvare cum toto ſuo poſſe; & quòd Domicelli Amoris ipſi vellent ſervire in omnibus ſuis neceſſitatibus.

12. Fuit concordatum inter Amicum, Dominas Amoris & inter Domicellos Amoris, quòd deberent ire per mundum ad tractandum & procurandum, quòd Amatus cognoſceretur, amaretur & honoraretur; & venerunt ad quandam civitatem, in qua erat quoddam pulchrum templum, in quo multi homines cantabant Honores Amati; & Amicus cum Dominabus & Domicellis Amoris habuerunt magnum gaudium, quando viderunt, quòd in illo templo eſſent tot homines, qui cantabant Honores Amati: ſed Sapientia & Virtus dixerunt ad Amicum; quòd inter illos homines, qui cantabant Honores Amati, eſſent ſeptem homines, qui facerent dedecus Amato; nam, dum cantarent Honores Amati, cogitarent facere peccata; nam unus cogitaret de quadam pulchra fœmina, quam multùm amaret; alter deſideraret habere pinguem cappum à ſuo vicino, & conſideraret, quomodo ipſum poſſet furari; tertius cogitaret, quomodo poſſet obtinere adhuc aliquam dignitatem in alia eccleſia; quartus iraſceretur, quia non eſſet in altiori loco chori templi; quintus eſſet iratus de quodam ſuo ſocio, qui meliùs cantaret, quàm ipſe; ſextus eſſet piger, & vellet dormire; ſeptimus verò cogitaret, quomodo poſſet occidere quendam hominem, qui ipſi dixiſſet vituperium. Tunc dixit Amicus ad illos ſeptem homines, quòd ipſi honorarent Amatum cum ore, & inhonorarent ipſum cum corde; ad alios verò, qui cantabant, & qui boni erant & ſanctæ vitæ, dicebat, quòd ipſi inhonorarentur & vituperarentur, quia haberent ſocietatem malorum hominum, qui in ſuis cordibus inhonorarent & vituperarent ſuum Amatum.

13. In illa civitate erat quoddam gymnaſium, in quo quidam Profeſſor profitebatur, qui habebat multos diſcipulos, qui oſtendit Pulchritudines & Nobilitates & Honores Amati; multùm igitur placuit Amico & Dominabus Amoris illud gymnaſium; ſed Sapientia dixit, quòd inter illos diſcipulos eſſent duo, quorum unus diſceret, ut per ſuam ſcientiam poſſet habere honores, & ut homines ipſum laudarent, & ut tandem fieret Epiſcopus; alter diſcipulus eſſet pauper, & propter hoc diſceret, ut per ſuum ſcire poſſet fieri dives; & ideo, Amice, dixit Sapientia: illi duo diſcipuli habent falſam intentionem, & faciunt dedecus Amato; quia cum ſententiis & verbis, quæ diſcebant à ſuo Profeſſore, magis amarent aliud, quàm Amatum vel ejus Nobilitates & Honores, quos eorum Profeſſor illis oſtendit: multùm diſplicuerunt Amico & Dominabus Amoris illi duo diſcipuli, & dixerunt ad Profeſſorem & alios diſcipulos, quòd ipſi facerent dedecus Amato, quia ipſi recepiſſent in ſuam ſocietatem illos duos, quorum unus eſſet indutus vanâ gloriâ, & alter avaritiâ; nam, ſi ille, qui eſſet indutus vanâ gloriâ, fieret Magiſter, oſtenderet ſuis diſcipulis ſcientias ideo, ut poſſent acquirere honores & apparentiam ſcientiæ, ſed non ſcirent ſcientias nec veritatem rerum; &, ſi ille, qui eſſet indutus avaritiâ, acciperet poteſtatem docendi, oſtenderet modum acquirendi nummos per ſcientiam, & faceret diſcipulos, qui magis amarent denarios & divitias, quàm ſcientiam.

14. Amicus & Dominæ venerunt ad quoddam pulcherrimum monaſterium, in quo erant multi religioſi Viri, qui faciebant orationes ad honorandum Amatum, & qui erant magnæ pœnitentiæ & ſanctæ vitæ, & die ac nocte honorabant Amatum; & Amicus, Dominæ & Domicelli Amoris fuerunt multùm hilares, quando viderunt tam nobile monaſterium, & numerum tot & tantorum hominum in Oratione ad laudandum Amatum; ſed Sapientia vidit unum è Fratribus, qui in illo monaſterio erat indutus reſarcito & repetiato habitu, ille Frater autem erat hypocrita; nam quidquid faciebat jejunando, prædicando, operando & orando, omne id faciebat, ut alii Fratres de ipſo æſtimarent magnum bonum, & ut ipſum tenerent pro ſancto viro: juxta illum Fratrem erat alius, qui plùs jejunabat & orabat, quàm cæteri Fratres, & hoc faciebat ideo, quia habebat opinionem & credulitatem, quòd DEUS ipſum deberet facere tam ſanctum, quòd etiam poſſet facere miracula, & cùm eſſet mortuus, quòd de ipſo ſingulis annis fieret ſolenne feſtum: Sapientia & Veritas oſtenderunt

derunt Amico & Dominabus Amoris illos duos Fratres, & omnis delectatio, quam habuerunt de monaſterio & de Fratribus, fuit converſa in diſplicentiam & tædium: & maledixerunt illos duos Fratres, qui inhonorabant & vituperabant Amatum, quia deturpabant totum illud monaſterium.

15. Amicus & Dominæ venerunt ad curiam Regis, in qua viderunt multos equites & domicellos, qui ſerviebant Regi, & ipſum comitabantur; & Rex erat homo, qui ſuis hominibus faciebat juſtitiam; & Amicus & Dominæ habebant magnum gaudium in videndo Regem & ejus curiam: & Amicus dixit, quòd Rex in terra ſit imago & procurator ſui Amati, ut teneat juſtitiam, & propter hoc valde gauderet videndo ipſum; ſed Sapientia, quæ cognoſcebat omnia, dixit ad Amicum, quòd ille Rex eſſet homo, qui valde requireret honorem, & eſſet vaniglorioſus, & non faceret juſtitiam ſuis hominibus propter ſuum Amatum, ſed ut laudaretur ab hominibus, & qui corrupit intentionem, per quam faceret dedecus ſuo Amato. Ah! dixit Amicus ad Sapientiam & Dominas Amoris: poſſemusnè invenire aliquod magnum bonum in hoc mundo, in quo nihil mali eſſet?

16. Amicus & Dominæ Amoris iverunt per totam illam civitatem ad videndum Honores & inhonores vel vituperia, quos populi faciebant Amato vel contra Amatum, ut propter Honores, qui fierent Amato, gauderent, & propter inhonores & vituperia plurimùm triſtarentur & dolerent: dum ibant per civitatem, invenerunt in platea duos mercatores, quorum unus vendebat & jurabat per DEUM mentiendo, & alter emebat & jurabat per Dominum mentiendo, & Veritas incipiebat clamare, & plangebat fortiter: & Amicus doluit, quia ſuus Amatus inhonorabatur in illis mercimoniis. Tranſiverunt ultrà, & viderunt, quòd quidam ſuperbus homo injuſtè occidebat alium hominem: viderunt etiam quendam hominem intrantem in quandam domum ad luxuriandum cum quadam pulchra muliere; & quantò plus tranſibant per civitatem, tantò plura mala videbant & peccata, quæ homines faciebant contra Amatum: & Amicus dixit, quòd impoſterum non ampliùs vellet morari in illa civitate, quia plùs offenderetur in illa, quàm recrearetur.

17. Amicus, Dominæ & Domicelli Amoris exiverunt ex illa civitate; & cùm veniſſent ad quoddam pulchrum pratum, fecerunt inter ſe conſilium, quid deberent facere, & ad quas regiones ire; & tunc habuerunt Amicus & Dominæ Amoris voluntatem exeundi ex mundo, & quòd non ampliùs eſſent in mundo inter homines, ſed quòd eſſent in nemoribus cum avibus, beſtiis & arboribus, quæ Amato non faciunt dedecus: Amicus autem & Dominæ Amoris iverunt ad nemus, ubi invenerunt quendam peregrinum, qui venit de peregrinatione, qui ab eis quæſivit: quò vellent ire? Amicus & Dominæ Amoris narraverunt peregrino ſuum propoſitum, cum quo propoſuerant aut proficiſci ad nemora & ſolitaria loca, aut derelinquere mundum. Peregrinus fortiter reprehendit Amicum & Dominas Amoris, dicens ad ipſas, quòd deberent redire ad mundum, & remanere cum hominibus, ne eſſent otioſæ, & ut Amatus haberet ſervos, qui gauderent de ſuo Honore, & qui tractarent ſuum honorem, & dolerent de vituperio & inhonore, quæ fiunt ei; & vos, dixit peregrinus, habeatis Conſolationem propter juſtitiam, quam Amatus in altero ſæculo faciet de illis, qui ipſi in hoc ſæculo faciunt dedecus; nam nemo poteſt ſe defendere contra Amatum, nec negare vel celare quidquid fuerit operatus: redeatis ad mundum, & procuretis, ut Amatus habeat Honorem & plures bonos ſervos, & ut totus mundus ſit in Veritate & in bono ſtatu. Amicus & Dominæ redierunt ad mundum, & iverunt per longas terras ad tractandum Honorem Amati, & habuerunt plurimos labores & languores, quos ipſos faciebat pati Amor, quem habebant ad Amatum.

PARS VII.

De Fructu Arboris Amoris.

1. FRuctus Arboris Amoris dividitur in *tres Partes: Prima* Pars eſt DEUS: *Secunda* Pars eſt ejus Operatio: & *Tertia* Pars eſt Beatitudo.

2. Ratio, quare diximus, quòd *DEUS* ſit Fructus hujus Arboris Amoris, eſt, quia DEUS eſt Finis & Perfectio omnium entium: & ratio, quare diximus, quòd *Operatio*, quam DEUS habet in ſe, ſit Fructus hujus Arboris Amoris, eſt, quia eſt Finis & Perfectio omnium creatarum operationum: & ratio, quare diximus, quòd *Beatitu-*

titudo ſit fructus hujus Arboris Amoris, eſt, quia in Beatitudine alterius vitæ habent quietem omnes ſancti beatificati in æterna Gloria.

3. „ Per hoc, quod dicemus de Fructu „ Arboris Amoris per Analogiam & Mo„ ralitatem, poſſunt Amatores habere cog„ nitionem de Fructu; & per cognitionem, „ quam habebunt de Fructu, ſcient ipſum „ meliùs recolere, intelligere & amare, & „ deſiderare ejus dulcedinem. Et ad inveſtigandum & declarandum Fructum Arboris Amoris volumus facere Quæſtiones cum Dominabus Amoris, quas Amicus faciet ſecundùm *decem Modos* Quæſtionum, de quibus dictum eſt in *Branchis* Arboris Amoris.

4. Amicus voluit aſcendere ad Fructum Arboris Amoris, ſed Dominæ Amoris dixerunt ad quendam Domicellum Amoris, quòd deberet Amico facere Quæſtiones de ſuo Amato & de Amore, ut poſſent intelligere, utrùm Amicus haberet cognitionem de ſuo Amato & de Amore, & utrùm ſciret amare; nam, ſi non ſciret reſpondere ad Quæſtiones, quæ ipſi fierent à Domicellis, non permitterent ipſum aſcendere in Arborem, & colligere de ipſius Fructu; quia non convenit, quòd Fructus colligatur per Amicum, qui non cognoſcit ſuum Amatum nec Amorem, & qui non ſcit amare.

De Quæſtionibus, quas quidam Domicellus Amoris faciebat Amico.

1. QUidam Domicellus Amoris quæſivit ab Amico, utrùm cognoſceret ſuum Amatum? cui Amicus reſpondit, ſi non cognoſcerem meum Amatum, non haberem magnum Amare, nec poſſem ſuſtinere magnos labores propter Amorem.

2. Amice, habesnè aliquem theſaurum? Amicus reſpondit, quòd ſuus Amatus & ſuum Amare eſſet ſuus theſaurus.

3. Amice, habesnè Voluntatem? Domicelle, dixit Amicus: non habeo Voluntatem, quia ego dedi ipſam meo Amato.

4. Amice, habesnè aliquam rem, cum qua poſſes emere aliam? Domicelle, dixit Amicus: ſi haberem aliquid, cum quo poſſem emere aliquam rem, eſſet in me aliquid, quod non eſſet mei Amati.

5. Amice, quid eſt tuus Amatus? Domicelle, dixit Amicus: meus Amatus eſt, qui perficit meum Amare, meum intelligere & meum recolere.

6. Amice, quid eſt in tuo Amato? Amicus reſpondit, in meo Amato eſt infinitum & æternum magnificare, æternificare & poſſificare cum recolere, intelligere & amare.

7. Amice, quid eſt tuus Amatus in te? Amicus reſpondit, meus Amatus eſt in me perfectio, quæ perficit meum Amare.

8. Amice, quid habet tuus Amatus in te? Amicus reſpondit, Amatus habet in me totum meum recolere, meum intelligere & meum Amare, & habet me ita totum, quòd nihil habeam in me.

9. Amice, cujus es? Amicus dixit, ſum mei Amati & Amoris, qui me non permittunt quieſcere nec dormire.

10. Amice, cujus eſt Amor? Amicus dixit, Amor eſt Amici & Amati.

11. Amice, cujus ſunt tua Suſpiria & Fletus? Amicus reſpondit, mea Suſpiria & Fletus ſunt mei Amoris.

12. Amice, quare amas? Amicus reſpondit, ego amo, ut meus Amatus habeat Amatorem.

13. Amice, qui ſunt tui inimici? mei inimici, dixit Amicus, ſunt malæ occupationes, quæ me faciunt obliviſci meum Amatum.

14. Amice, ubi es? quò vadis? unde venis? ubi habes tuum theſaurum? & ubi habes tuum cor? Amicus reſpondit, ego ſum in meo Amato, vado ad meum Amatum, venio de meo Amato, & meus theſaurus eſt in recolendo, intelligendo & amando ipſum, in honorando ipſum, & ſerviendo ipſi.

15. Amice, ubi eſt tuus Amor? Amicus dixit, meus Amor eſt in meo Amato & Amare.

16. Amice, ubi eſt tuum Amare? Amicus dixit, meum Amare eſt in Suſpiriis & Fletibus, qui ſunt nuncii Amici & Amati.

17. Amice, ubi eſt tuus lectus? Amicus dixit, meus lectus eſt in delectationibus & laboribus Amoris.

18. Amice, ubi eſt tuus Amatus? Amicus dixit, meus Amatus eſt in meo recolere, intelligere & amare, ire, loqui, videre, audire, comedere, tangere, ſuſpirare & plorare.

19. Amice, ubi ſunt tui Amici? Amicus dixit, mei Amici ſunt in veſtibus illorum, qui loquuntur de meo Amato.

20. Amice, ubi vivit Amor? Amicus dixit, Amor vivit in memoria, quæ recolit meum Amatum, & in intellectu, qui ipſum intelligit.

Amice,

21. Amice, ubi moritur Amor? Amicus reſpondit, Amor moritur in memoria, quæ obliviſcitur meum Amatum, & in intellectu, qui ipſum ignorat.

22. Amice, ubi creſcit Amor? Amicus dixit, Amor creſcit cum incremento Amationis, quæ creſcit cum incremento intellectionis & memorationis, quæ ſunt de meo Amato.

23. Amice, ubi timet tuum Amare? Amicus dixit, meum Amare timet & fatigatur in parvo Amore, & in parvo intelligere & recolere, & in vituperiis, quæ fiunt meo Amato.

24. Amice, ubi eſt natum tuum Amare? Amicus dixit, meum Amare eſt natum in medio Amoris, ut non poſſit fugere à meo Amato.

25. Amice, ubi inveniſti tuum Amatum? Amicus dixit, inveni meum Amatum in meo recolere, intelligere & Amare.

26. Amice, ubi perdidiſti tuum Amatum? Amicus dixit, perdidi meum Amatum in oblivione, ignorantia, odio, deſperatione & aliis peccatis.

27. Amice, ubi inhonoratur & vituperatur tuus Amatus? Amicus dixit, meus Amatus inhonoratur in honoribus illorum, qui magìs amant ſuos honores, quàm Honores mei Amati.

28. Amice, quando habes magnum Honorem? Amicus dixit, habeo magnum Honorem, quando non habeo modum amandi.

29. Amice, quomodo ſuſpiras & ploras propter Amorem? Amicus reſpondit, habeo modum ſuſpirandi & plorandi per modum, quem habeo in recolendo, intelligendo & amando meum Amatum.

30. Amice, quando habes Spem? Amicus dixit, quando recolo, intelligo & amo Juſtitiam & Miſericordiam mei Amati.

31. Amice, quando habes Fidem? Amicus dixit, habeo Fidem, quando ſuppono, quòd hoc ſit verum de meo Amato, quod intelligo.

32. Amice, quando habes Charitatem? dixit Amicus, habeo Charitatem, quando plùs amo meum Amatum, quàm aliquid aliud.

33. Amice, cum quo habes Patientiam? Amicus dixit, habeo Patientiam cum Timore & Amore timendo & amando meum Amatum.

34. Amice, cum quo habes Juſtitiam? Amicus dixit, habeo Juſtitiam cum Humilitate, Charitate & Obſervatione Legis.

35. Amice, cum quo habes Prudentiam? Amicus dixit, habeo Prudentiam cum majori Amore, magìs amando majus bonum, quàm minus, & cum majori Timore, magìs timendo majora mala, quàm minora.

36. Amice, cum quo habes fortem Animum? Amicus dixit, habeo fortem Animum cum forti recolere, intelligere & Amare, quæ habeo per meum Amatum.

37. Amice, cum quo habes Conſtantiam? Amicus dixit, habeo Conſtantiam cum Veritate, Verecundia, Legalitate & Spe.

38. Amice, cum quo habes Humilitatem? Amicus dixit, habeo Humilitatem cum Humilitate, quam recolo, intelligo & amo de meo Amato.

39. Amice, cum quo habes Pietatem? Amicus dixit, habeo Pietatem cum conſideratione, quam habeo in conſiderando mea peccata & vilitates, & cum Spe & Charitate, quæ mihi advenerunt à meo Amato.

40. Amice, cum quo es Audax? Amicus reſpondit, ſum Audax cum meo Amare amando meum Amatum.

Dominæ Amoris dixerunt ad Amicum, quòd benè ſciret reſpondere ad Quæſtiones Amoris; quæ etiam dixerunt, quòd deberet aſcendere in Arborem ad colligendum Fructum Amoris per Quæſtiones Amoris.

PARS PRIMA SEPTIMÆ PARTIS.

Quæſtiones de DEO & Amore.

1. AMicus quæſivit à Differentia Amoris, utrùm eſſet in ſuo Amato? Differentia Amoris reſpondit, mea reſponſio eſt ſignificata in meo paragrapho, qui eſt de Radicibus Amoris, & in *Capite de Differentia & Amore in prima Conditione.*

2. Magnitudo Amoris, dixit Amicus: ſuntnè plures eſſentiæ in meo Amato? Cui reſpondit Magnitudo Amoris, in meo *Capite de compoſitis Definitionibus* eſt ſignificatum, quòd Amicus tantùm ſit ligatus cum meo Amato per Unitatem unius Eſſentiæ & Subſtantiæ, quòd non poſſint ſeparari ab invicem.

3. Bonitas Amoris, dixit Amicus: esnè tu in meo Amato? Cui reſpondit: ſi non eſſem in tuo Amato, tuus Amatus non eſſet bonus, nec haberet rationem, quòd faceret bonum, aut mea ſimplex & compoſita Definitio eſſet falſa; quod eſt impoſſibile.

4. Amate, dixit Amicus: esnè tu tuamet Bonitas? Cui Amatus reſpondit: ſi inter me & meam Bonitatem eſſet Differentia, non eſſem bonus per meam Eſſentiam, & deficeret mihi Infinitas Magnitudinis, Bonitatis, & mea Amabilitas non eſſet infinitè magna.

5. Amate, dixit Amicus: habesnè infinitam & æternam Bonitatem? Cui Amatus reſpondit: quæras hoc à tua Voluntate, quæ naturaliter non poteſt velle, quòd tu ſis id, quod ego ſum; quod poſſet velle, ſi mea Bonitas eſſet terminata & in tempore; & hoc ipſum potes in te probare, ſi hoc velis conſiderare.

6. Amate, dixit Amicus: quando mundus non erat, ubi eras tu? Amice, dixit Amatus: Ego eram & ſum in me ipſo, cùm ſim infinitus & æternus, & per me ipſum.

7. Amate, dixit Amicus: de qua re eſt tua Bonitas plena? Amice, dixit Amatus: mea Bonitas eſt plena meâ eſſentiali bonificativitate, bonificabilitate & bonificatione.

8. Amate, quid es tu? Amice, dixit Amatus: ſum DEUS & Deitas & Infinitas, deificans & infinitans, infinitabilis Æternitas, & æternificabilis Bonitas, & æternum & infinitum Bonificare.

9. Amate, dixit Amicus: de quo es tu? Cui Amatus reſpondit: ſum de me ipſo, & non de aliquo alio; nam, ſi non eſſem de me ipſo, non poſſem eſſe æternus nec infinitus.

10. Amate, ubi es? Cui Amatus reſpondit: Ego ſum eſſentialiter per totum mundum, & extra mundum infinitè & æternaliter; & ſum per Gratiam & Charitatem in bonis hominibus.

11. Amate, dixit Amicus: esnè æternus? Amice, dixit Amatus: ſi non eſſem æternus, omnia principiata eſſent principiata per aliquid, quod principiaſſet ſe ipſum; quod eſt impoſſibile.

12. Amate, quare es? Amice, ſum, quia ſum Eſſentia bona, infinita & æterna & perfecta omni Perfectione, & quæ non habet aliquid imperfectionis & defectûs.

13. Amice, quare creaſti mundum? Amice, dixit Amatus: Ego principaliter creavi mundum, ut recolar, cognoſcar, amer & honorer; & ſecundariò creavi mundum, ut hominibus & Angelis dem beatitudinem.

14. Amate, quàm magnus es tu in Bonitate? Amice, dixit Amatus: mea Bonitas eſt ita magna, ſicut eſt Infinitas.

15. Amate, quantum durabit tua Bonitas? Amice, dixit Amatus: mea Bonitas durabit tantum, quantum Æternitas.

16. Amate, habesnè infinitam Poteſtatem? Cui Amatus reſpondit: in me ſunt mea Voluntas, Poteſtas & Sapientia & mea Infinitas una Eſſentia & Natura; &, quia mea tota Voluntas & Sapientia totaliter ſunt mea Poteſtas ſinè omni diſtinctione, & mea Sapientia ſcit omnia, & mea Voluntas vult omnia bona, poteſt mea Poteſtas tantum perficere, quantum mea Sapientia poteſt ſcire, & mea Voluntas velle.

17. Amate, poſſesnè peccare? Amice, dixit Amatus: ſi ego poſſem peccare, poſſem ego eſſe malus, & mea Bonitas poſſet eſſe finita & in tempore, nec mea Sapientia poſſet eſſe infinita & æterna.

18. Amate, poſſesnè velle malum? Amatus reſpondit: ſi poſſem velle malum, eſſent mea Poteſtas & mea Voluntas diverſæ eſſentiæ & naturæ, & poſſent eſſe finitæ & in tempore.

19. Amate, quales ſunt tuæ Proprietates? Amice, dixit Amatus: meæ Proprietates ſunt eſſentiales, naturales & ſubſtantiales Dignitates, ſcilicet mea Bonitas, Infinitas, Æternitas & Poteſtas & aliæ Dignitates ad me pertinentes.

20. Amate, habesnè morales Virtutes? Amice, dixit Amatus: ſi ego haberem morales Virtutes, meæ naturales Proprietates & Virtutes non eſſent infinitæ & æternæ.

21. Amate, de quo habes Gloriam? Amice, habeo Gloriam de meo gloriari, intelligere, Amare, poſſe, concordare, perficere, infinire & æternare.

22. Amate, eſtnè in te Concordantia? Amice, ſi in me non eſſet Concordantia naturalis & eſſentialis, non haberem per me, cum quo æternaliter & infinitè eſſem remotus à Contrarietate.

23. Amate, poteſtnè in te principiari aliquod vitium? Amice, dixit Amatus: ſi in me poſſet principiari vitium, mea Virtus, Poteſtas & Æternitas non eſſent idem in numero.

24. Amate, ubi eſt tuum infinitum & æternum Poſſe? Amatus reſpondit, Amice: meum æternum & infinitum Poſſe eſt in mea Bonificatione & Amatione, quæ ſunt in Medio inter Bonificativitatem, Amativitatem, Bonificabilitatem & Amabilitatem.

25. Amate, eſtnè tuus Finis vel tua Perfectio in te ipſo & de te ipſo & per te ipſum? vel eſtnè de alio, in alio & per alium? Amice,

mice, dixit Amatus: meus Finis & Perfectio ſunt hoc, quòd ego ſum, ut ſim meus Finis & Perfectio; nam, ſi non eſſem meus Finis, non poſſem eſſe per me ipſum, nec eſſem æternus & infinitus.

26. Amate, eſtnè in te aliqua compoſitio? Amice, per me ipſum ſum ſimplex; quia mea Eſſentia eſt æterna & infinita, in Infinitate autem & Æternitate non poteſt eſſe aliqua compoſitio; nam omnis compoſitio eſt in tempore & in quantitate.

27. Amate, eſtnè in te aliqua Majoritas? Amice, ſi in me eſſet Majoritas, conveniret, quòd in me eſſet Minoritas; nam Majoritas non poteſt eſſe ſinè Minoritate; &, ſi in me eſſet Minoritas, non poſſem eſſe Æternitas & Infinitas, in quibus non poteſt eſſe Minoritas.

28. Amate, eſtnè in te Æqualitas? Amice, dixit Amatus: ſi in me non eſſet Æqualitas, non haberem naturam, per quam diſtarem à Majoritate, & eſſem terminatus & finitus.

29. Amate, quare es Fructus Amoris? Amice, ſum Fructus Amoris, quia ſum Amor.

30. Amate, quare es Amor? Amice, ego ſum Amor, quia ſum de Amante, Amabili & Amare.

31. Amate, quomodo es Fructus Amoris? Amice, ſum Fructus Amoris per illum modum, per quem ſum Amor.

32. Amate, dixit Amicus: quis eſt ille modus, per quem tu es Amor? Amice, dixit Amatus: modus, per quem ſum Amor, eſt, quia ſum Finis Amoris.

33. Amate, quare es Finis Amoris? Amice, dixit Amatus: ego ſum propter hoc Finis Amoris, quia ſum infinita & æterna Bonitas, citra quam non poteſt aliquis Amor habere quietem.

34. Amate, cum quo es Fructus Amoris? Amice, ſum cum meis Dignitatibus Fructus Amoris beatis, qui habent quietem in Amore.

35. Amate, cum quo habent Beati quietem in te? Amice, Beati habent quietem in me cum mea memorabilitate & ſuo memorare, & cum mea intelligibilitate & ſuo intelligere, & cum mea Amabilitate & ſuo Amare, cum meo bonificare, cum quo bonifico eorum recolere, intelligere & Amare, & cum meo magnificare, cum quo ipſa magnifico, & ſic de aliis.

) o (

PARS SECUNDA SEPTIMÆ PARTIS.

Quæſtiones de Operationibus DEI & de Amore.

1. AMor, dixit Amicus: habetnè meus Amatus in ſe naturalem Operationem? Amice, dixit Amor: ſi tuus Amatus non haberet in ſe naturalem Operationem, ſuæ Dignitates eſſent otioſæ, per quarum otioſitatem eſſet in ipſo malum & privatio magni boni, Virtutis, Poteſtatis, Intellectionis & Amationis; quod eſt impoſſibile.

2. Amor, dixit Amicus: quid eſt Operatio mei Amati, quam habet in ſe? Amice, dixit Amor: Operatio, quam meus Amatus habet in ſe, eſt infinita Bonificatio, Magnificatio, Durificatio, Poſſificatio, Intellectio, Amatio &c.

3. Amor, dixit Amicus: de quo eſt Operatio, quam meus Amatus habet in ſe ipſo? Amice, dixit Amor: Operatio tui Amati, quam habet in ſe, eſt de ſe ipſo, qui eſt amativus & amabilis.

4. Amor, dixit Amicus: quare habet Amatus in ſe Operationem? Amice, dixit Amor: ut per ſe & in ſe habeat ſuam Perfectionem; nam nihil eſt plenum & perfectum ſinè Operatione; quia plus eſt eſſe & operari, quàm eſſe tantùm.

5. Amor, quanta eſt Operatio mei Amati? Amice, eſt bona & æterna, potens, ſapiens, amoroſa, virtuoſa, vera & glorioſa.

6. Amor, quando fuit Operatio, quam meus Amatus habet in ſe? Amice, dixit Amor: Operatio tui Amati eſt, fuit, erit in Æternitate, quæ non habet Principium nec Finem.

7. Amor, ubi eſt Operatio mei Amati? Amice, dixit Amor: in ſua Infinitate, Æternitate, Bonitate, Poteſtate &c.

8. Amor, quomodo eſt Operatio mei Amati? Eſt per Medium ipſorum bonificare, magnificare, æternificare, poſſe, intelligere & Amare.

9. Amor, quid bonificat, magnificat, æternificat, poteſt, intelligit & amat meus Amatus? Amice, dixit Amor: ipſe amat ſuum intelligere & amare, & intelligit & amat ſeipſum, & ſuum bonificare, magnificare &c.

10. Amor, cum quo bonificat meus Amatus ſuum æternificare &c.? & cum quo intelligit & amat ſe ipſum & ſuam Operationem?

Amice, tuus Amatus bonificat cum sua Bonitate vel cum suo bonificare suam Magnitudinem, & cum sua Magnitudine & magnificare magnificat suam Bonitatem & bonificare, & cum suo Intellectu & intelligere intelligit se ipsum & suam Operationem, & cum suo Amore & Amare amat se ipsum & suam Operationem.

11. Amor, dixit Amicus: estnè Operatio mei Amati omnibus modis æqualis? estnè æquè magna, sicut ipse est? & estnè sua Bonificatio æquè magna, sicut est sua Bonitas? & sua Magnificatio, sicut est sua Magnitudo, & sic de cæteris? Amice, si Operatio tui Amati non esset omnibus modis magna, essent in ipso Majoritas & Minoritas, & in ipso deficerent Magnitudo & magnificare, Bonitas & bonificare, & sic de aliis similiter; quod est impossibile.

Cùm Amicus quæsivisset ab Amore de naturali & essentiali *Operatione, quam Amatus habet intra se*, voluit habere cognitionem de *Operatione, quam Amatus habet in creaturis, quando illas creat de nihilo.*

12. Amor, dixit Amicus: meus Amatus creavit mundum, estnè æternus? cui Amor respondit: ille est potentior, qui potest aliquid facere ex nihilo, quàm ille, qui potest aliquid facere de alio & non de nihilo; & quia tuus Amatus habet infinitam Potestatem, potest mundum facere & creare de nihilo, & in mundo unam rem facere de alia; & ideo convenit, quòd mundus sit creatus per tuum Amatum, & factus de nihilo.

13. Amor, quid est Creatio? Amice, Creatio est bona & magna actio, quam Amatus habet in creatura, & est bona & magna passio, quam creatura habet per Amatum.

14. Amor, de quo est Creatio? Amice, dixit Amor: de actione, quam Creator habet supra illam creaturam, quam de nihilo creavit, & de passione, quam creatura habet sub suo Creatore.

15. Amor, quare est Creatio? Amice, dixit Amor: Creatio est, ut mundus & creaturæ sint speculum & imago Operationis, quam Amatus habet in se ipso; ut ipsius Operatio cognoscatur, ametur & laudetur ab Angelis & ab hominibus.

16. Amor, quanta est Creatio? Amice, est tanta, quanta est Actio, quam Amatus habet in creatura, & passio, quam creatura habet, quando ab Amato fuit creata de nihilo.

17. Amor, quando fuit Creatio? Amice, dixit Amor: fuit tunc, quando DEUS creavit tempus, in quo fuit principiata Creatio.

18. Amor, quare Creatio non fuit antè? Amice, dixit Amor: sicut locus absolutè non potest esse ante locum, sic etiam tempus non potest esse ante suum *antè*.

19. Amor, ubi fuit Creatio? Amice, Creatio fuit in se ipsa, sicut totum, quod est in suis partibus, & tempus, quod fuit creatum in loco, & locus in tempore, & tempus & locus in Principio, & Principium in tempore & loco; & Bonitas mundi in Magnitudine mundi, & Magnitudo mundi in ejus Bonitate; & sic de reliquis partibus mundi, quarum quædam fuerunt creatæ in aliis, & totus mundus in suis primis partibus, & ejus primæ partes in ipso.

20. Amor, quomodo creavit DEUS mundum? Amice, dixit Amor: Amatus creavit mundum per modum creandi unam partem in alia, sicut homo, qui habet modum miscendi vinum & aquam, quando vinum ponit in aquam.

21. Amor, cum quo creavit Amatus mundum? Amor dixit: cum semet ipso & suis Dignitatibus; nam cum eo, quod habet, dedit illi esse; & cum sua Bonitate creavit ipsum bonum, cum Magnitudine magnum, cum Æternitate durabilem, cum Potestate potentem, cum Voluntate amabilem, cum Sapientia intelligibilem, & sic similiter de aliis.

Iterum voluit Amicus facere Quæstiones Amori, & quærere de *Operatione Amati, quam habet in mundo, quando unam rem facit per aliam.*

22. Amor, dixit Amicus: habetnè Amatus Operationem in mundo? Amice, si Amatus non haberet Operationem in mundo, mundus non posset se sustinere, sed rediret ad nihilum; nam, sicut mundus est factus per Operationem Amati, ita sustentatur in *esse* per ejus Operationem.

23. Amor, quid est Operatio, quam Amatus habet in mundo? Est actio, dixit Amor, cum qua unam rem facit de alia; nam, sicut faber ex ferro facit clavum, sic facit DEUS naturaliter, quòd unus homo generet alium, & una arbor aliam, & dat, ut faber artificialiter faciat clavum ex ferro.

24. Amor, de quo est illa Operatio, quam Amatus habet in mundo? Amor dixit, est de illa Operatione, quam habet intra se ipsum, nam sua Bonitas bonificat cum suo bonificare bonas Operationes, quas faciunt homines & aliæ creaturæ, & sua Magnitudo cum suo magnificare magnificat ipsas.

25. Amor, quare habet Amatus Operationem in mundo? Amice, dixit Amor: ut partes mundi naturaliter & artificialiter possint operari; nam à Potestate Amati habent Potestatem ad operandum, & à Sapientia Amati habent naturalem instinctum ad operandum, & à Veritate habent Veritatem, & à Bonitate Bonitatem, & similiter de cæteris; & ideo Ordo, quem Amatus habet in se ipso, ordinavit creaturas ad operandum.

26. Quot modos habet Amatus ad operandum in mundo? Amice, dixit Amor: Amatus habet *duos modos* operandi in mundo; unus est secundùm naturalem cursum; alius est per miraculum & supra cursum naturæ: *primus* est, dum Amatus cum sole & igne calefacit, qui naturaliter calefacit, & Amatus facit, quòd unus homo naturaliter generet alium hominem; *secundus* modus est, cùm Amatus sanat contractos, & resuscitat homines à mortuis, & multa similia.

27. Amor, qualis est Operatio, quam DEUS habet in ligno, quod comburitur ab igne, & in contracto homine, quem sanat? Amice, dixit Amor: Operatio, quam DEUS habet in prædictis, est in *duobus modis; unus* est *naturalis & per medium*, ut Potestas DEI, quæ movet potestatem ignis sic, quòd comburat ligna; *alius* modus Operationis, quem Amatus habet in sanando contractum hominem, est *supra naturam & sinè medio;* nam quando cum Voluntate vult, quòd sanentur, sanantur, postquam sua Voluntas vult, quòd sanentur.

28. Amor, quando habet Amatus Operationem in homine? Amice, Amatus semper habet Operationem in justo homine *sinè medio & cum medio; cum medio,* in quantum facit, quòd unum bonum sit per aliud; *sinè medio,* in quantum per se movet ipsum ad faciendum bonum; sed, quando homo facit peccatum, tunc DEUS non habet Operationem in ipso sinè medio, sed cum medio: non habet Operationem sinè medio, nam non movet ipsum ad faciendum malum, cùm DEUS sit bonus, & per Operationem non potest ipsum movere ad malum, sed movet ipsum per medium ad naturalem Operationem, prout ipsum facit vivere cum sua Vita, & cum sua Potestate dat ipsi Potestatem, quòd sit, loquatur, vivat, velit &c.

29. Amor, ubi existit Operatio, quam Amatus habet in homine? Amice, dixit Amor: Operatio, quam Amatus habet in homine, est in homine & ejus partibus, & est in Amato & ejus Dignitatibus; sicut Operatio, quam faber habet in clavo, quæ est in manu & imaginatione, voluntate & intellectu fabri, & in motu manûs, mallei vel clavi.

30. Amor, quomodo operatur Amatus in homine? Amice, Amatus operatur in homine *duobus modis,* de quibus suprà dictum est; *unus* modus est *naturalis,* sicut Amatus, qui ipsum facit videre cum suis oculis, & audire cum suis auribus, & similia; *alius* modus est *artificialis,* sicut Amatus, qui ipsum facit videre, audire, intelligere cum sua Divina Potestate, Virtute, Sapientia, Voluntate & aliis Divinis Dignitatibus.

31. Amor, cum quo resuscitabit Amatus homines in die judicii? Amice, dixit Amor: resuscitabit homines cum suis Dignitatibus sinè alio concursu, aut naturali medio; nam cum sua Sapientia sciet omnes partes cujuslibet hominis, & sciet loca, ubi sunt; & cum sua Potestate congregabit ipsas insimul; & cum sua Voluntate volet, quòd faciant corpus, cujus erant, dum vivebant in hoc mundo, & volet, quòd anima, quæ erat cum illo corpore in mundo, sit cum illo etiam in altero mundo; & Bonitas bonificabit hoc, & Divina Magnitudo magnificabit &c.

Amicus voluit iterum facere Quæstiones Amori, & ab ipso quærere de *Operatione Amati, quæ est Fructus Arboris Amoris.*

32. Amor, estnè Operatio tui Amati Fructus Amoris? Amice, dixit Amor: sicut Essentia mei Amati est Fructus Essentiæ Amoris, ita est Operatio Amati Fructus Operationis Amoris; & hoc vult Bonitas & Magnitudo Operationis Amati, per quam Operatio creaturarum ita est bona & magna, sicut essentia cujuslibet creaturæ est bona & magna per Essentiam Amati.

33. Amor, quis est Fructus Amoris? Amice, Fructus Amoris est illa perfectio, quam Amor desideravit, & de ipsa est plenus & satiatus, quando ipsam potest habere.

34. Amor, de quo est Fructus Amoris? Amice, dixit Amor: Fructus Amoris est de Operatione Amoris, qui aliquid facit desiderare & amare, & quando illud habet, conse-

conſequitur de Operatione, quam habet, dulcedinem & delectationem.

35. Amor, quare eſt Fructus Amoris? Amice, Fructus Amoris eſt ideo, ut Amans, Amare & Amatus conſequantur hoc, quod affectant; nam, ſi Fructus Amoris non eſſet, ſemper deſiderarent & haberent laborem in ſuo deſiderio.

36. Amor, quot ſunt Fructus Amoris? Amice, Fructus Amoris ſunt *duo; unus* eſt ille, qui eſt de ſummo Amato, quem habet in ſe; *alius* eſt Fructus Amoris, quem boni Angeli & boni homines habent in ſummo Amato.

37. Amor, qualis eſt Fructus Amoris? Amice, Fructus Amoris eſt dulcis per Bonitatem, Magnitudinem, Durationem, Poteſtatem, Sapientiam, Voluntatem, Virtutem, Veritatem & Gloriam, & eſt bonus per Bonitatem, magnus per Magnitudinem; & ſic de aliis.

38. Amor, in quo tempore colligitur Fructus Amoris? Amice, Fructus Amoris colligitur in illo tempore, in quo Amatus amatur per ſuum Amicum cum Bonitate, Magnitudine, Duratione, Poteſtate, Sapientia, Voluntate, Virtute & Veritate.

39. Amor, ubi eſt Fructus Amoris? Amice, Fructus Amoris eſt in Amare Amici & Amati, & in Bonitate Amici & Amati, & in Magnitudine Amici & Amati, & ſic de aliis.

40. Amor, quomodo colligitur Fructus Amoris? Amice, dixit Amor: Fructus Amoris colligitur per bonificare, magnificare, durare ipſius recolere, intelligere & Amare Amati.

41. Amor, cum quo colligitur Fructus Amoris? Amice, Fructus Amoris colligitur cum bonis Operationibus, videlicet cum bono recolere, intelligere & Amare, & cum patientia & labore, inſtituendo ſcilicet laborem propter Amorem.

PARS TERTIA SEPTIMÆ PARTIS.

De Fructu Beatitudinis Amoris.

1. AMor, dixit Amicus: eſtnè alia Beatitudo, quàm Beatitudo hujus mundi? Amice, dixit Amor: Amatus eſt recolibilis, intelligibilis, amabilis, laudabilis, honorabilis & gratificabilis cum Magnitudine Bonitatis, Durationis, Poteſtatis, Sapientiæ, Voluntatis, Virtutis & Veritatis; & in hac vita vivunt homines parvo tempore, in quo ſuſtinent plura impedimenta ad recolendum, intelligendum, amandum, laudandum, honorandum & regratiandum Amatum, ſicut convenit; & ideo vult Amatus, qui eſt ſummè bonus, magnus & ſapiens, quòd ſit alia perpetua Vita, ut perpetuò multùm recolatur, intelligatur, ametur, laudetur, honoretur & ipſi regratietur; & hoc facit Amatus ideo, ut ſatisfiat ſuæ maximæ memorabilitati, intelligibilitati, amabilitati, laudabilitati & regratiabilitati; quæ ſatisfactio non fieret, niſi eſſet alia Vita & alia Beatitudo, quàm iſta, in qua ſumus; & Amatus eſſet injurioſus ſibi ipſi, & ſuæ memorabilitati & aliis, de quibus ſuprà dictum eſt, & etiam pluribus juſtis hominibus, qui ipſi ſervierunt in hac vita: & quia Amatus non poteſt eſſe injurioſus, cùm ſit totus bonus & magnus, convenit, quòd ſit alia Vita & alia Beatitudo, in qua colligitur perfectio Fructûs Amoris.

2. Amor, quid eſt Beatitudo? Amice, Beatitudo eſt eſſe in Paradiſo cum DEO, & videre ipſum & ſuam Operationem, quam habet intra ſe, & amare ſupra omnia, & quòd inter Amatum, Viſionem & Amorem Amici non ſit aliquod medium.

3. Amor, de quo eſt Beatitudo? Amice, dixit Amor: Beatitudo eſt de quatuor, ſcilicet de Angelis, Animabus, glorificatis Corporibus ſanctorum hominum, & de Influentia Gloriæ, quam Amatus diſpenſat glorificando Sanctos Paradiſi, oſtendendo eis ſua ineffabilia Secreta.

4. Amor, quare eſt Beatitudo? Amice, dixit Amor: Beatitudo eſt propter *duo; unum* eſt, quia eſt de Viſione & Amore, quem Sancti habent in DEO; *alterum* eſt ratione finîs, propter quem ſancti ſunt creati & ſalvati, ſcilicet propter recolere, intelligere, laudare, amare, honorare & benedicere Amatum; & eſt ideo, ut Amatus ſatisfaciat illis, qui in hac vita ipſum honorarunt & ipſi ſervierunt.

5. Amor quanta eſt Beatitudo? Amice, dixit Amor: Beatitudo eſt tanta, quantam Amatus voluerit dare, & eſt tanta, quantum Anima Sanctorum fuerit capax recolendo, intelligendo & amando Amatum; & inſuper erit tanta, quanta fuerit neceſſaria eorum glorificatis corporibus, & quantum ejus fuerint capacia.

6. Amor, qualis eſt Beatitudo? Amice, dixit Amor: Beatitudo eſt activa qualitas beneplaciti, delectationis & gaudii, quæ Amatus dabit Beatis, ut in ipſo ſint glorificati; & eſt paſſiva qualitas beneplaciti & delectationis, quam recipiunt Beati exiſtentes in gloria & in quiete cum omni perfectione.

7. Amor, eritnè Beatitudo in Paradiſo in ſucceſſione temporis? Amice, ſucceſſio temporis non poteſt eſſe ſinè Principio & Fine; ſicut ſol, qui facit ſucceſſionem temporis, in quantum incipit diem in aurora, & noctem in occaſu; ſed, ſi ſol ſe æternaliter moveret, hoc eſt ſinè Fine, ita, quòd in nullo tempore eſſet ad occidentem, non poſſet eſſe ſucceſſio temporis in die, ſed ſemper eſſet dies; ſimili modo in Paradiſo Beatitudo eſt ſinè ſucceſſione in ævo, quia habet Principium, ſed non habet Finem, aliàs Sancti in Paradiſo eſſent cum æquali Duratione, ſicut DEUS in ſua Æternitate, propter quam rationem non poteſt eſſe ſucceſſio temporis in Paradiſo.

8. Amor, ubi eſt Beatitudo? Amice, dixit Amor: Beatitudo eſt in empyreo cœlo ſecundùm locum, & eſt in Sanctis ſecundùm Operationes, quas habent in hoc, quòd ſunt glorificati in Eſſentia DEI; nam in intelligibilitate DEI erunt glorificatæ omnes intellectivitates ſanctorum Hominum; & in Amabilitate DEI erunt glorificatæ omnes Amativitates ſanctorum Hominum: & intelligibilitas & Amabilitas DEI erit æqualiter de Eſſentia DEI & Operatione, quam habet in ſe ipſo per ſuam Bonificationem, Magnificationem, Æternificationem, & ſic de aliis.

9. Amor, quomodo habent Sancti Gloriam in Amato? Amice, dixit Amor: Sancti habent Gloriam in Amato, quando ipſe revelat & oſtendit ſuam Eſſentiam & Naturam & Operationem intellectibus, voluntatibus & memoriis ſanctorum Hominum, ut ab ipſo accipiant glorificationem per intelligere, recolere & Amare.

10. Amor, per quid habent Sancti Gloriam in Amato? Amice, dixit Amor: Sancti habent Gloriam in Amato per bonum, magnum, æviternum, potens, ſapiens, amoroſum, virtuoſum & verum recolere, intelligere & Amare; & ſic de bono magno recolere, intelligere & Amare, quæ quilibet Sanctus habet ad quemlibet alium, & ad bonas Operationes, quas faciunt per Amare; & idem de ſentire corporum Sanctorum, qui habebunt Gloriam per ſentire, quolibet Sancto vidente alium, & audiente cantus & melodias, quæ erunt in Paradiſo ad laudandum & honorandum Amatum.

11. Utrùm Beatitudo vel Paradiſus ſit Fructus Amoris? Amice, dixit Amor: ſi Paradiſus non eſſet Fructus Amoris, Paradiſus non eſſet in ultimo Fine Amoris, & iſta vita, in qua ſumus in hoc mundo, in quo Amatores habent plures tribulationes propter Amatum, eſſet Fructus Amoris, quod eſt impoſſibile; nam Finis, qui eſt quies, non poteſt eſſe in loco, in quo eſt tribulatio dolorum & triſtitia.

12. Amor, quid eſt Fructus Amoris? Amice, dixit Amor: Fructus Amoris eſt Paradiſus; & propter hoc eſt Fructus Amoris, quia extra Paradiſum non eſt aliquid ſinè labore, ſed in Paradiſo non eſt aliquis labor, & Amicus habet tantum ab Amato, quantum vult habere, quia ipſum ſatiat.

13. Amor, de quo eſt Fructus Amoris in Gloria? Amice, dixit Amor: Fructus Amoris eſt de beneplacito Amici & Amati poſſeſſo ſinè labore in magno gaudio & & hilaritate.

14. Amor, quare eſt Fructus Amoris in Gloria? Amice, dixit Amor: Fructus Amoris eſt propter hoc in Gloria, ut ſit Gloria Amatorum; nam Amatores non poſſent habere Gloriam ſinè Fructu Amoris.

15. Amor, quantus eſt Fructus Paradiſi? Amice, dixit Amor: Fructus Paradiſi eſt tantus, quantum eſt beneplacitum, quod Sancti habent in glorificatione per Radices Amoris, exceptâ Contrarietate, quæ non poteſt eſſe in Fructu Amoris.

16. Amor, quales proprietates & naturas habet Fructus Amoris in Gloria? Amice, dixit Amor: naturæ & proprietates Fructus Amoris in Gloria ſunt ſolatium Amantium & Amati, cum tam magna dulcedine & hilaritate ſinè omni labore, quòd non poteſt eſſe majus, nec Sancti deſiderant habere majus.

17. Amor, in quo tempore colligitur Fructus Amoris in Gloria? Amice, dixit Amor: Fructus Amoris colligitur in Gloria in omni tempore inceſſanter & ſinè impedimento; nam, ſicut ſol non ceſſat lucere, ita & multò meliùs Fructus Amoris non ceſſabit in Gloria ad colligendum.

18. Amor, ubi colligitur Fructus Amoris in Gloria? Amice, dixit Amor: ita colligitur Fructus Amoris in Gloria in Amato, ſicut

cut colligitur Fructus Sapientiæ in Intellecto, qui eſt DEUS.

19. Amor, quomodo colligitur Fructus Amoris in Gloria? Amice, dixit Amor: ita colligitur in Gloria per modum amandi Amatum, ſicut colligitur Fructus Sapientiæ per modum intelligendi Intellectum, qui eſt DEUS & Amatus.

20. Amor, per quid colligitur Fructus Gloriæ & Amoris? Amice, dixit Amor: Fructus Gloriæ & Amoris colligitur per Amare, ſcilicet in amando Amatum; & ad hoc ita juvat intelligere Amici, ſicut Amare juvat intelligere Amici in intelligendo Amatum, qui eſt intellectus.

21. Amor, quodnam priùs colligit Fructum Amoris, an intelligere, an Amare Amici? Amice, dixit Amor: in colligendo Fructum in Gloria non eſt tempus in ſucceſſione, quia æternitas non ſuſtinet; & ideo Fructus ſemper colligitur in Gloria, & ſemper eſt ad colligendum per Intelligere & Amare Amatum.

22. Quodnam colligit plus de Fructu, an Amare, an Intelligere? Amice, dixit Amor: Amato exiſtente æqualiter intelligibili & amabili vult æqualiter intelligi & amari à Sanctis.

23. Amor, quod eſt Subjectum hujus Arboris? Amice, dixit Amor: Subjectum hujus Arboris eſt Inamoratio cum ordine ſuarum Radicum in amando ſuum Amatum.

De Habituatione Arboris Philoſophiæ Amoris.

1. HÆc Arbor Philoſophiæ Amoris poteſt ſummariè tranſire in habitum, conſiderando & recolendo naturas, quas Amor habet ſecundùm illa, quæ ſuprà dicta ſunt in Radicibus, Trunco, Branchis, Ramis, Foliis, Floribus & Fructu, quia per talem diſcurſum, ſcilicet conſiderando & recolendo naturas & partes Arboris, poteſt ſummariè fieri habituatio.

2. Qui hanc Arborem ſummariè ſciet benè habituare, ſciet habere habitum boni & magni Amoris, & ſciet artificialiter multiplicare bonum Amorem, & reſiſtere tentationibus & peccatis contra malum Amorem; & ſciet facere & ſolvere Quæſtiones de Amore artificialiter, & ſciet de Amato dicere & prædicare multa bona.

3. „ Item, qui hanc Arborem benè ſciverit habere in habitu, cum illo habitu, „ quem habebit de ipſa, poterit facilè & ar„ tificiosè ſcire Scientias, quia per illam & „ eandem doctrinam, cum qua artificialiter deducimus ad multiplicandum Amorem & Amare, poterit homo habere modum & doctrinam ad multiplicandum „ Scientiam in cognoſcendo Amatum & „ Secreta ipſius & creaturarum, „ cùm Amor & Intellectus ſimul deſcendentes per Radices hujus Arboris & per alias partes ipſius ſe invicem juvent ad multiplicandum Scientiam & Amorem; & ideo poſſunt per hanc Arborem Amatores Philoſophiæ Amoris & Scientiæ habere magnam utilitatem.

De Fine Arboris Philoſophiæ Amoris.

1. CUm Raymundus finiviſſet Arborem Philoſophiæ Amoris, tradidit ipſam Dominæ Amoris, & ipſa & Raymundus attulerunt ipſam Arborem Pariſios, ad oſtendendum eam Venerabilibus Doctoribus & Magiſtris & eorum Diſcipulis, quos rogaverunt, ut Arborem viderent & tenerent, & per ipſam facerent Fructum Amatoribus boni & veri Amoris; & Raymundus humiliter ſupplicavit ſupradictis Doctoribus & Magiſtris, ut, *ſi in aliquo erraverit in hac Arbore, illud ad ſuum placitum & ſecundùm ſuam diſcretionem corrigerent.*

2. Raymundus finivit hanc Arborem juxta Civitatem Pariſienſem Anno Incarnationis noſtri Domini JESU Chriſti MCCXCVIII, in Menſe Octobri.

Qui ſuum Amatum oravit, quantum potuit, ut ipſam cuſtodiret, ut mediante ipsà ametur & honoretur à pluribus bonis Amatoribus, qui ſint fortes pugiles contra falſum Amorem, qui eſt contra Amorem DEI: & Domina Amoris dixit ad Raymundum: quòd deberet præſentare Philoſophiam Amoris in Latino Nobiliſſimo & Optimo Domino Francorum Regi, & vernaculè & gallicè Nobiliſſimæ & Sapientiſſimæ & Optimæ Reginæ Franciæ, ut ipſam multiplicent & faciant multiplicari in ſuo Regno ad Honorem noſtræ Glorioſiſſimæ Dominæ Virginis MARIÆ, quæ eſt ſuprema Domina Amoris.

)(I)(

BEATI RAYMUNDI LULLI DOCTORIS ILLUMINATI ET MARTYRIS FLORES AMORIS ET INTELLIGENTIÆ.

DEUS cum tua Virtute colligimus hos *Flores Amoris & Intelligentiæ.*

DE PROLOGO.

1. AD ſciendum hos Flores, quos colligimus ab Amoribus, convenit ponere Principia *Artis Amativæ*, & ſcire illorum Definitiones; quæ Principia ſunt *Bonitas, Magnitudo, Æternitas, Poteſtas, Sapientia, Voluntas, Virtus, Veritas & Gloria: Differentia, Concordantia, Contrarietas, Principium, Medium, Finis, Majoritas, Æqualitas & Minoritas.* Etiam convenit ponere hæc Principia in hoc Alphabeto, quod debet memoriter & cordetenus ſciri; ſcilicet, quòd Bonitas & Differentia ſignificentur per B., Magnitudo & Concordantia per C., Æternitas & Contrarietas per D., Poteſtas & Principium per E., Sapientia & Medium per F., Voluntas & Finis per G., Virtus & Majoritas per H., Veritas & Æqualitas per I., Gloria & Minoritas per K. Etiam convenit ſcire, quòd T. ſignificet, quòd illæ litteræ, quæ ſunt ante illud, ſint priora Principia, & illæ, quæ ſunt poſt illud, ſint ultima: ſicut B. poſitum ante T. ſignificat Bonitatem, & poſt T. ſignificat Differentiam, & ſic de aliis.

2. De Mixtione horum Principiorum, quæ diximus, & applicatione illorum ad Amorem, naſcuntur illi Flores, *cum quibus Amicus poteſt cognoſcere, amare & contemplari ſuum Amatum, qui eſt DEUS, & cogere ſuam Voluntatem ad illum amandum.*

3. Hos Flores transmittit indignus Raymundus Lullus Sancto Papæ *Cœleſtino Quinto* & ſuo honorato & diſcreto Collegio, ut de Petitione, quam Raymundus Lullus facit ad hoc, ut DEUS cognoſcatur & ametur per totum mundum, habeant diligentiam & recolitionem cum Amore, ex quo Flores naſcuntur.

FLORES AMORIS.

De Bonitate & Amore.

1. B. C. G. Bonitas, Magnitudo & Amor expergefecerunt Amicum, qui dormitabat in viridario parvæ Bonitatis: ex-

pergefactus eſt Amicus, qui dormiebat, & clamabat: amare! amare! amare!

2. B. D. G. Quia Amicus faciebat durare ſuum amare per Bonitatem, ſuum amare erat bonum & durabile.

3. B. E. G. Poſſe Amoris eſt tam bonum, quòd Amicum faciat ſtare raptum per amare.

4. B. F. G. Amor conquerebatur de Sapientia, quia tam parùm declarabat & monſtrabat populo Bonitatem ſui Amati.

5. B. G. H. Virtus boni amare eſt magìs amabilis, quàm Virtus boni ſentire.

6. B. G. I. Bonitas & Amor & Veritas plorabant in præſentia Amici: & Bonitas plorabat de Amato, quia tam parùm amabatur & verificabatur per Amicum: Voluntas plorabat, quia Amicus tam parùm amabat ſuum Amatum: & Veritas plorabat, quia falſitas tantùm multiplicabatur in hoc mundo; & ideo Amicus timuit de ſuo Amato.

7. B. G. K. Bonitas & Amor ligârunt & comprehenderunt Amicum, & incarcerârunt illum in Gloria ſui Amati.

8. B. G. T. B. Differentia intravit cum Bonitate in Amorem Amici, ut eſſet plenus bonis & diſtinctis concretis, ſcilicet amativo, amabili & amare.

9. B. G. T. C. Concordantia Bonitatis & Amoris ſtat in Concordantia Amici & Amati.

10. B. G. T. D. Nullum bonum eſt contra bonam amabilitatem.

11. B. G. T. E. Bonitas & Amor principiârunt bonum amare, cum quo Amicus amat ſuum Amatum.

12. B. G. T. F. Ut Amicus non fugeret ab Amato, Bonitas & Amor ligaverunt Amicum ad ſuum Amatum cum amare.

13. B. G. T. G. Amicus inquirebat Finem ſui amare in maribus Bonitatis & Amoris, & periiſſet, ſi non fuiſſet ſuus Amatus.

14. B. G. T. H. Amicus conquerebatur apud Bonitatem & Majoritatem de Amore, qui illum tantùm tormentabat per amare; & Bonitas & Majoritas duplicaverunt Amico ſuum amare.

15. B. G. T. I. Amicus lætabatur, quia Bonitas & Amor erant æquales in ſuo Amato per bonificare & amare.

16. B. G. T. K. Amare Amici ſtabat in Minoritate Bonitatis & Amoris, & fuit facta diſcordia inter Amicum & Amatum.

De Magnitudine & Amore.

17. C. D. G. Amicus & Amor loquebantur de Magnitudine & de Æternitate Amati, & Amor dixit: quòd, ſi Æternitas non eſſet tam magna per æternare, quàm magna eſt per exiſtere, Æternitas non ſufficeret magno amare.

18. C. E. G. Magnitudo & Poteſtas intraverunt in Amorem, ut haberet tam magnam Poteſtatem per amare, quàm magnam habet per eſſe hoc, quod eſt.

19. C. F. G. Amicus dicebat hominibus, qui amabant, quòd, quia Sapientia & Voluntas ſunt æquales in ſuo Amato, ſuus Amatus amet tantam Magnitudinem in ſcire, quantam in amare.

20. C. G. H. Amicus amabat Magnitudinem Virtutis, ut cum magno virtuoſo amare amaret ſuum Amatum.

21. C. G. I. Magnitudo & Amor rogaverunt Veritatem, ut illos verificaret in amare Amici, ut Amicus amaret ſuum Amatum cum vero amare.

22. C. G. K. Amicus reprehendebat amatores hujus mundi, quia non amabant cum Magnitudine Gloriam ſui Amati.

23. C. G. T. B. Differentia eſt poſita inter Magnitudinem & Voluntatem, ut una poſſet alteri dare ſuam ſimilitudinem.

24. C. G. T. C. Magnitudo & Amor lætabantur, quia Amatus & Amicus ſtabant in Concordantia.

25. C. G. T. D. Magnitudo voluit cum contrarietate intrare in amare Amici, & non potuit illuc intrare, quia erat veſtitum cum magna Concordantia.

26. C. G. T. E. Amicus principiat ſuum amare de Magnitudine & Amore.

27. C. G. T. F. Amor nutrivit ſuum amare in Medio Magnitudinis, ut eſſet magnum.

28. C. G. T. G. Amatus creavit ſuum Amicum in Fine Magnitudinis & Amoris, ut non ceſſet amare.

29. C. G. T. H. Amicus poſuit ſuum amare in majori Magnitudine Amoris, quam potuit invenire.

30. C. G. T. I. Æqualitas Magnitudinis & Amoris nutrivit amare Amici, ut amare eſſet æqualiter inter Amicum & Amatum.

31. C. G. T. K. Quia Minoritas habet Concordantiam cum parvitate, quæ eſt contraria Magnitudini, Magnitudo & Amor extraxerunt amare Amici à Minoritate.

De

De Duratione & Amore.

32. D. E. G. Ad amare Amoris ſufficiebant amabilitas & Amatus in Æternitate.

33. D. F. G. Ut intelligere haberet, de quo poſſet durare in Amore, durabant in Amore amativum, amabile & amare, cum quibus durabat intelligere.

34. D. G. H. Si Amare eſſet de Duratione & de Virtute, Amicus non deficeret Amato.

35. D. G. I. Æternitas & Veritas conquerebantur apud Amatum de Amore, quòd magìs amarentur res falſæ & tranſitoriæ, quàm veræ & perdurabiles.

36. D. G. K. Expergiſcebat Amicus, qui dormiebat, & dixit gentibus, quæ circa ipſum erant, quòd cum Gloria hujus mundi, quæ tam parùm durat, compararent æternam Gloriam ſui Amati.

37. D. G. T. B. Voluntas rogabat Durationem, quòd faceret durare Differentiam inter Amicum & Amatum, quia ſinè Differentia non poſſet habere amare.

38. D. G. T. C. Amicus dicebat ad Durationem & Concordantiam, quòd ſuus Amatus illi faceret magnam gratiam, quia illum faceret amare.

39. D. G. T. D. Duratio & Voluntas ligaverunt & comprehenderunt Contrarietatem, ut non eſſet inter Amicum & Amatum.

40. D. G. T. E. Amatus principiavit amare Amici de durare & de principiare, ut Amicus non ceſſet ab amare.

41. D. G. T. F. Duratio & Voluntas principiaverunt amare Amici, ut ſcirent, quantum amaverit ſuum Amatum.

42. D. G. T. G. Amicus lætabatur, quia in Æternitate ſtabat Finis ſui Amati.

43. D. G. T. H. Amicus dixit: Amate, quò magìs durant labores & adverſitates, quas me facis ſuſtinere propter Amorem, eò magìs facis me amare Amorem.

44. D. G. T. I. In Æqualitate Amici & Amati nutriuntur Duratio & Amor, amare & durare.

45. D. G. T. K. Minoritas duravit in amare, ut Amicus perderet ſuum Amatum.

De Poteſtate & Amore.

46. E. F. G. Amor conquerebatur apud Poteſtatem Amati de Sapientia, quæ tam parum intelligebat Amatum, quia per illam parvitatem perdebat Amicus ſuum Amatum.

47. E. G. H. Amicus amabat ſuum Amatum cum Virtute, ut poſſet habere virtuoſum amare.

48. E. G. I. Poteſtas accuſabat Voluntatem Amici apud Amatum, quia non amabat veritatem tantum, quantum illam poterat amare.

49. E. G. K. Quia Poteſtas Amati erat tam glorioſa in Gloria, quàm amoroſa in Amore, habebat Amicus quietem in amare ſuum Amatum.

50. E. G. T. B. Differentia intravit in Voluntatem, ut Poteſtas poſſet eſſe in Amore inter amativum, amabile & amare.

51. E. G. T. C. Concordantia intravit in Amorem, ut Poteſtas Amoris poſſet concordare Amicum & Amatum.

52. E. G. T. D. Voluntas Amici habebat duas contrarias Poteſtates, cum una poterat amare ſuum Amatum, & cum alterâ poterat illum odire, & ideo plorabat Amicus, quia habebat libertatem in odire ſuum Amatum.

53. E. G. T. E. Poteſtas & Principium transmiſerunt ſuas ſimilitudines ad Voluntatem, ut Amicus haberet libertatem in amare ſuum Amatum.

54. E. G. T. F. Poteſtas & Voluntas Amati menſuraverunt Poteſtatem & Voluntatem Amici, & mandarunt illi, quod iret per totum mundum ad dandum laudes ſui Amati.

55. E. G. T. G. Amicus promiſit ſinè Fine Poteſtatis & Amoris, quòd iret per omnia loca & in omni tempore laudando, prædicando & honorando ſuum Amatum.

56. E. G. T. H. Illi, qui amant majorem Poteſtatem Amoris, & vilipendunt ſe ipſos, aſſumunt Crucem, cum qua ſequuntur ſuum Amatum.

57. E. G. T. I. Quia Poteſtas & Voluntas habent Æqualitatem in amare, amavit Amicus tantum poſſificare in Amato, quantum amare.

58. E. G. T. K. Amor & Poteſtas Amati jacebant infirmi in Minoritate Amici.

De Sapientia & Amore.

59. F. G. H. Quò magìs Amicus intelligit ſuum Amatum, eò magìs habet ſua Voluntas Virtutem in amare.

60. F. G. I. Sapientia & Amor rogaverunt Veritatem, quòd mandaret Amico, quòd

daret necessarias Rationes illis, qui quærunt de suo Amato.

61. F. G. K. Sapientia, Voluntas & Gloria mandarunt Amico, quòd intelligeret & amaret suum Amatum ex omnibus viribus.

62. F. G. T. B. Amicus cantabat canticum de suo Amato, & dicebat, quòd non faceret Differentiam inter Sapientiam & Voluntatem Amati; & quòd ideo velit tantum intelligere suum Amatum, quantum amare.

63. F. G. T. C. Sapientia & Voluntas concordarunt tam fortiter in intelligendo & amando, quòd Amicus non potuerit sustinere illam Concordantiam, & dederit illas suo amare, & retinuerit sibi memoriam, quæ fecit ipsum ire tanquam stultum inter gentes ad recolendum suum Amatum.

64. F. G. T. D. Contrarietas posuit se inter Sapientiam & Voluntatem, ut Amicus non intelligeret nec amaret suum Amatum.

65. F. G. T. E. Amatus dixit Amico: qui intelligit & amat mea Principia, amat & servat mea mandata.

66. F. G. T. F. Sapientia dixit Amori, quòd diceret Amico, quòd, si non sit cum suo Amato, sit contra suum Amatum.

67. F. G. T. G. Sapientia, dixit Voluntas: si Amicus magis amat se ipsum, quàm suum Amatum, perdit se ipsum, quia facit contra Finem, quare est creatus.

68. F. G. T. H. Amor dixit Sapientiæ: dicas gentibus, quæ ab hinc discedunt, quòd nullus Amicus magis possit amare suum Amatum, quàm ille, qui moritur ad honorandum suum Amatum.

69. F. G. T. I. Æqualitas rogavit Sapientiam & Voluntatem, quòd sibi transmitterent intelligere & amare.

70. F. G. T. K. Amicus cantabat canticum Amoris, & dixit ad Sapientiam, quòd illi parùm scirent de Amore, qui amabant cum minori amare.

De Amore & Virtute.

71. G. H. I. Veritas conquerebatur apud Voluntatem & apud Virtutem Vicarii Christi, quare non mitteret per totum mundum sanctas personas, quæ docerent omnes gentes Veritatem DEI baptizantes illas in Nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti, quæ propter defectum Baptismi vadunt in perdurabilem ignem.

72. G. H. K. Amor, Gloria & Virtus dixerunt obedientiæ, quòd, postquàm Amicus se dabat ipsi amare, faceret, quòd ipse esset obediens mandatis sui Amati.

73. G. H. T. B. Amor & Virtus rogaverunt Differentiam, quòd veniret esse inter Amicum & Amatum, quia sinè illa non posset Amicus amare suum Amatum.

74. G. H. T. C. Quò magis Amicus vestiebat suum amare cum Virtute, eò magis concordabat cum suo Amato in amare.

75. G. H. T. D. Amor & Virtus disciplinaverunt Amicum cum adversitatibus hujus mundi, ut vincerent Amatum.

76. G. H. T. E. Quia Amicus habebat virtuosum Amatum, principiavit virtuosum amare de Voluntate & de Virtute.

77. G. H. T. F. Amicus posuit suum amare in Medio Virtutis, ut esset magis remotus à vitiis.

78. G. H. T. G. Quamprimùm Amicus perdidit Finem Amoris, remansit vitiosus, & exivit de amare.

79. G. H. T. H. Amicus amabat suum Amatum cum majori Virtute amandi, & ideo Minoritas Virtutis non poterat ipsi resistere in amare hoc, quod volebat amare.

80. G. H. T. I. Voluntas & Virtus rogaverunt Amatum & Amicum, ut essent æquales in amare.

81. G. H. T. K. Amicus jacebat infirmus sub quadam arbore, quia habebat minorem Virtutem in amare.

De Amore & Veritate.

82. G. I. K. Voluntas amavit Veritatem, ut Amicus per illam haberet Gloriam sui Amati.

83. G. I. T. B. Voluntas amavit Differentiam in Veritate, ut differat ab oditivo & oditibili, & ut amare sit vestitum cum Veritate.

84. G. I. T. C. De Concordantia, quæ est in Voluntate & in Veritate, exit Concordantia Amici & Amati.

85. G. I. T. D. Contrarietas intravit in Voluntatem, ut falsitas amaretur contra Veritatem & naturam ipsius amare.

86. G. I. T. E. Principium, in quo amare & verificare est principiatum, facit esse veros Amatores.

87. G. I. T. F. Voluntas & Veritas conjunxerunt & miscuerunt verificare & amare, ut conjungerent Amicum & Amatum.

88. G. I. T. G. Amicus & Amatus sunt vestiti cum Fine Voluntatis & Veritatis.

G. I. T. H.

89. G. I. T. H. Illa Voluntas est mala, quæ vult, quòd extra Veritatem sit majus amare.

90. G. I. T. I. Voluntas & Veritas sunt plenæ Æqualitate, ut Æqualitas sit inter amare & verificare.

91. G. I. T. K. Ad falsum Amicum & ad falsum Amatum venit Amor & Minoritas, ut non sit in vero Amico & Amato.

De Amore & Gloria.

92. G. K. T. B. Gloriativum, gloriabile & gloriari sunt amabilia in Gloria cum Differentia, & amativum, amabile & amare sunt gloriabilia in Amore cum Differentia.

93. G. K. T. C. Voluntas non potest amare in Gloria gloriativum, gloriabile & gloriari sinè Concordantia, nec Gloria potest glorificare in Voluntate amativum, amabile & amare sinè Concordantia.

94. G. K. T. D. Si non esset una parva Concordantia, quæ est inter Amicum & Amatum, Amor & Gloria exirent ex hoc mundo, quia Contrarietas tantùm multiplicatur in illo.

95. G. K. T. E. Gloriari & amare non possunt esse sinè principiare.

96. G. K. T. F. Gloriari est in Medio gloriativi & gloriabilis, ut Voluntas multùm possit amare Gloriam.

97. G. K. T. G. Quia Finis est tantus in gloriari, quantus in amare, potest Voluntas quiescere in Gloria.

98. G. K. T. H. Ille non est bonus Amicus, qui amat habere majorem Gloriam, quàm suus Amatus.

99. G. K. T. I. Gloria non posset complere ipsum amare sinè Æqualitate gloriativi & gloriari.

100. G. K. T. K. Illa Voluntas est parva in amare, quæ amat minorem Amatum in Gloria.

FLORES INTELLIGENTIÆ.

DEUS cum Virtute tuæ Sapientiæ colligimus *Flores Intelligentiæ.*

PEr Flores, quos colligimus de Intelligentia, potest homo solvere Quæstiones, & vincere Infideles, qui sunt contra Romanam Fidem; & ideo indignus Raymundus Lullus transmittit hos Flores & illorum Quæstiones Sancto Patri Papæ *Cœlestino Quinto* & Honoratis Dominis Cardinalibus, ut videant, quomodo Errores Infidelium possint destrui, & quomodo ipsis possit probari Veritas Romanæ Fidei.

Isti Flores & Quæstiones sequuntur modum Florum Amoris, & habent illa eadem Principia & idem Alphabetum.

De Bonitate & Sapientia.

1. B. C. F. Si Magnitudo non esset tanta in Bonitate, quanta est in Sapientia, parvitas esset in Bonitate, & Magnitudo in Sapientia.

2. B. D. F. Sinè bonificare & durare non est intelligere.

3. B. E. F. Omne, quod est possibile in Bonitate, est possibile in Sapientia per Potestatem.

4. B. F. G. Nisi Bonitas esset tam amabilis, sicut Sapientia, tota Sapientia non esset amabilis.

5. B. F. H. Si Virtus non esset tantum bonificabilis, quantum est intelligibilis, esset aliqua intelligibilitas sinè Virtute.

6. B. F. I. Hoc, per quod Veritas est in Bonitate & in Sapientia, est per verum bonificativum intellectivum, per verum bonificabile intelligibile, per verum bonificare intelligere.

7. B. F. K. Quia Gloria est tantum bonificabilis, quantum est intelligibilis, Sancti Gloriæ glorificantur tantum per bonificare, quantum per intelligere.

8. B. F. T. B. Quia est Differentia inter Bonitatem & Sapientiam, ideo Bonitas est accidentaliter intelligibilis & Sapientia bonificabilis.

9. B. F. T. C. Bonitas & Sapientia non possent concordare sinè Concordantia.

10. B. F. T. D. Si Bonitas & Sapientia possent esse contrariæ, malitia & ignorantia possent esse contrariæ.

11. B. F. T. E. Si Bonitas esset magis universale Principium, quàm Sapientia, res essent magis bonificabiles, quàm intelligibiles.

12. B. F. T. F. Sicut est bonum Sapientiæ, quòd intelligere sit in Medio intellectivi & intelligibilis, sic est bonum Bonitati, quòd bonificare sit in Medio bonificativi & bonificabilis.

13. B. F. T. G. Si Finis Sapientiæ esset major, quàm Finis Bonitatis, totus Finis Sapientiæ non esset bonus.

Si

14. B. F. T. H. Si Sapientia esset major per intelligere, quàm Bonitas per bonificare, Bonitas non posset sufficere ipsi intelligere.

15. B. F. T. I. Est impossibile, quòd Bonitas & Sapientia sinè Æqualitate possint esse sinè Majoritate & Minoritate.

16. B. F. T. K. Bonitas est tam remota à malitia per bonificare, sicut Sapientia ab ignorantia per intelligere.

De Magnitudine & Sapientia.

17. C. D. F. Magnitudo Æternitatis est, quòd in ipsa intelligantur essentiales æternificativus, æternificabilis, æternificare, & Magnitudo Sapientiæ est, quòd in ipsa sint æterni essentiales intellectivus, intelligibilis & intelligere.

18. C. E. F. Magnitudo Potestatis est, quòd in Sapientia per Potestatem possint esse essentiales intellectivus, intelligibilis & intelligere.

19. C. F. G. Hoc, per quod Sapientia est magna, est, quia habet in se essentialem intellectivum, essentialem intelligibilem & essentiale intelligere, & etiam est magna, quia omnes tres sunt amabiles; & hoc idem est de Amore, qui est magnus, quia habet in se essentialem amativum, amabilem & amare, & etiam est magnus, quia omnes tres sunt intelligibiles.

20. C. F. H. Hoc, per quod Sapientia habet magnam Virtutem, est, quia est magnum virtuosum, quòd de se ipsâ vestiat intellectivum, intelligibilem & intelligere.

21. C. F. I. Hoc, per quod Veritas est magna in Sapientia, est, quia in ipsa verificat intellectivum, intelligibilem & intelligere; & etiam est magna in Sapientia, quia Sapientia intelligit in ipsa essentialem verificativum, verificabilem & verificare.

22. C. F. K. Magna Gloria Sapientiæ est glorificare intellectivum, intelligibilem & intelligere, & etiam est magna Gloria Sapientiæ intelligere in Gloria glorificativum, glorificabilem & glorificare.

23. C. F. T. B. Sapientia & Differentia habent intelligere & differentiare in Magnitudine, quia per differentiare sunt distinctæ in Magnitudine magnificativi, magnificabilis & magnificare, & per intelligere sunt intelligibiles.

24. C. F. T. C. Magnitudo & Sapientia habent in Concordantia concordare, in quo concordare habent Concordantiam.

25. C. F. T. D. Illud est Contrarietas in Sapientia & in Magnitudine, quod impedit Concordantiam in ipsis.

26. C. F. T. E. Hoc, quod Magnitudo & Principium habent in Sapientia, est magna intelligibilitas & magna principiabilitas intelligendi.

27. C. F. T. F. Medium in Magnitudine est magnificare, & Medium in Sapientia est intelligere, & Medium inter Magnitudinem & Sapientiam est actus compositus de magnificare & intelligere.

28. C. F. T. G. Magnitudo & Sapientia habent in Fine abundantiam essentialium concretorum: sicut Magnitudo, quæ in Fine magnificativi habet Finem magnificabilis, & in Fine magnificabilis habet Finem magnificativi, & in Fine amborum habet Finem ipsius magnificare; & hoc idem de essentialibus correlativis Sapientiæ.

29. G. F. T. H. Hoc, per quod Sapientia habet majorem Magnitudinem, est intelligere, quod est magnificare magnificativi & magnificabilis.

30. C. F. T. I. Hoc, per quod Sapientia habet magnam Æqualitatem, est, quia habet in se essentialia æqualia relativa intellectivi, intelligibilis & intelligere.

31. C. F. T. K. Magnificare & intelligere sunt illa, per quæ Magnitudo & Sapientia sunt remota à Minoritate.

De Æternitate & Sapientia.

32. D. E. F. Potestas est de Æternitate in durare, & de Sapientia in intelligere.

33. D. F. G. Sapientia & Voluntas sunt de Æternitate, ut Æternitas æternaliter sit intellecta & amata.

34. D. F. H. Æternitas est de Sapientia & de Virtute, quia in Sapientia durat virtuosum intelligere.

35. D. F. I. Sapientia & Veritas sunt de Æternitate, ut in Æternitate verificare & intelligere sint de æternare.

36. D. F. K. In quantum Sapientia, Æternitas & Gloria sunt unum idem in numero, sunt æternare, intelligere & gloriari unum de alio.

37. D. F. T. B. Sicut Sapientia non intelligeret sinè Differentia, sic Æternitas non æternaret sinè Differentia.

38. D. F. T. C. Concordantia est de Concretis, quibus Sapientia & Æternitas sunt plenæ.

39. D. F. T. D. In Æternitate & in Sapientia non potest esse Contrarietas æternandi & intelligendi.

40. D. F. T. E. Æternus intellectus in æterno intellectivo principiat de Æternitate & Sapientia æternum intelligibilem.

41. D. F. T. F. Æternitas & Sapientia habent mensuras, quæ sunt de ipsis.

42. D. F. T. G. Totus creatus Finis est de æterno intelligere.

43. D. F. T. H. Nulla Sapientia est major, quàm Æternitas.

44. D. F. T. I. Ita convenit, quòd Æqualitas sit in Æternitate æternificativi, æternificabilis & æternificare, sicut in Sapientia intellectivi, intelligibilis & intelligere.

45. D. F. T. K. Nulla Minoritas potest esse de æterna Sapientia.

De Potestate & Sapientia.

46. E. F. G. Per Potestatem est possibilitas in Sapientia & Voluntate.

47. E. F. H. Nulla Potestas potest esse virtuosa per ignorantiam.

48. E. F. I. Per Potestatem & Veritatem vestitur intelligere cum possibilitate & verificabilitate.

49. E. F. K. Quia Potestas, Sapientia & Gloria sunt in DEO unum idem numero, potest Potestas intelligere & glorificare.

50. E. F. T. B. Per Differentiam possificare potest esse in Potestate, & intelligere in Sapientia.

51. E. F. T. C. Per Concordantiam possunt Sapientia & Potestas concordari, & per Potestatem possunt Sapientia & Concordantia possificari, & per Sapientiam possunt Potestas & Concordantia intelligi.

52. E. F. T. D. Propter unitatem Sapientiæ & Potestatis non potest Sapientia habere ignorantiam, nec Potestas impossibilitatem.

53. E. F. T. E. Propter Potestatem Sapientiæ non potest principiari ignorantia.

54. E. F. T. F. Si possificare non esset per intelligere, intelligere non esset per possificare.

55. E. F. T. G. Per aliquam malam Potestatem potest Sapientia contra Finem sui intelligere.

56. E. F. T. H. Nulla Potestas est major per Majoritatem, quàm illa, quæ est unum idem cum Sapientia.

57. E. F. T. I. Ideo Æqualitas est in Potestate, ut sit in Sapientia, & ideo Æqualitas est in Sapientia, ut sit in Potestate.

58. E. F. T. K. Quia Potestas & Sapientia non sunt unum idem in homine, ideo potest possificare & intelligere cum Minoritate.

De Sapientia & Voluntate.

59. F. G. H. In quantum Sapientia & Voluntas sunt virtuosæ per Virtutem, in tantum habent quantitatem per Virtutem.

60. F. G. I. Veritas habet tantum intelligibilitatis per Sapientiam, quantum amabilitatis per Voluntatem.

61. F. G. K. Amare non esset glorioſum, si non esset intelligere.

62. F. G. T. B. In Differentia ipsius intelligere & amare Sapientia & Voluntas sunt reales rationes.

63. F. G. T. C. In Concordantia Sapientiæ & Voluntatis sunt habitus scientiæ & habitus Amoris.

64. F. G. T. D. Contrarietas cum contrariari est contra intelligere & amare.

65. F. G. T. E. Sapientia non potest principiare ipsum intelligere sinè amare vel odire.

66. F. G. T. F. Ut Sapientia & Voluntas possint participare, Sapientia intelligit amare, & Voluntas amat intelligere.

67. F. G. T. G. Quantum Voluntas est intelligibilis & Sapientia amabilis, in tantum sunt Finis ipsorum amare & intelligere.

68. F. G. T. H. Per majus amare est majus intelligere, & per majus intelligere est majus amare.

69. F. G. T. I. Quia DEUS est æqualiter recolibilis, intelligibilis & amabilis, ideo creavit memoriam, intellectum & Voluntatem in æqualitate.

70. F. G. T. K. Quia intellectus habet libertatem in intelligendo & voluntas in amando, ideo potest esse Minoritas in intelligere & amare.

De Sapientia & Virtute.

71. F. H. I. Sapientia induit suum intelligere cum Virtute & Veritate, ut cum illis intelligeret Virtutem & Veritatem.

72. F. H. K. Cum virtuoso intelligere vadunt sapientes ad Gloriam DEI, & cum vitioso intelligere vadunt stulti ad pœnas inferni.

73. F. H. T. B. Sapientia non potest intelligere sinè Virtute Differentiæ.

74. F. H. T. C. Sapientes mittunt Concordantiam cum Virtute in intellectivum, intelligibile & intelligere.

75. F. H. T. D. Tempore JESU Christi & Apostolorum Sapientia & Virtus vicerunt Contrarietatem cum Concordantia.

76. F. H. T. E. Illo tempore, quo Sapientia principiavit intelligere, principiavit Virtus vel vitium in suo intelligere.

77. F.H.T.F. Sapientia accipit habitum intelligendi in Medio Virtutis.
78. F.H.T.G. Virtus non est major in Sapientia, quàm in se ipsa secundùm Finem Virtutis.
79. F. H. T. H. Illa Virtus est major, per quam est majus intelligere.
80. F.H.T.I. Æqualitas intellectivi, intelligibilîs & intelligere non est vitiosa.
81. F.H.T.K. Sapientia habet minus intelligere per minorem Virtutem.

De Sapientia & Veritate.

82. F. I. K. Sapientia habet quietem, quando collocat suum intelligere in Veritate, & Veritas habet quietem, quando verificat intelligere.
83. F.I.T.B. Nulla Veritas est intelligibilis sinè Differentia.
84. F. I. T. C. Verum intelligere non est sinè Concordantia Sapientiæ & Veritatis.
85. F.I.T.D. Falsum intelligere non est sinè Contrarietate.
86. F.I.T.E. In Veritate, in qua Sapientia principiavit intelligere, non potest principiare falsum intelligere.
87. F.I.T.F. Secundùm naturam Medii potest Sapientia suum intelligere collocare in verificare.
88. F.I.T.G. Per naturam Finis potest Sapientia verificare in intelligere.
89. F.I.T.H. Sapientia habet majus intelligere cum majori verificare.
90. F. I. T. I. Sapientia & Veritas habent quietem in verificare & intelligere cum Æqualitate.
91. F. I. T. K. Sapientia non potest habere majus intelligere cum minori Veritate.

De Sapientia & Gloria.

92. F. K. T. B. Sapientia non potest intelligere Gloriam sinè Differentia gloriativi, gloriabilîs & gloriari.
93. F.K.T.C. Sapientia non posset quiescere in Gloria sinè Concordantia gloriativi, gloriabilîs & gloriari.
94. F.K.T.D. Sapientia potest intelligere Gloriam cum contrario Gloriæ.
95. F. K. T. E. Tota creata Sapientia est principiata ad habendum Gloriam.
96. F.K.T.F. Sapientia non potest habere quietem in gloriari, quod non sit in medio gloriativi & gloriabilîs.
97. F.K.T.G. Si Finis non esset in gloriari, non esset in intelligere.
98. F.K.T.H. Sapientia non potest intelligere majorem gloriativum sinè essentiali gloriabili & essentiali gloriari, quæ sint de essentia Gloriæ.
99. F.K.T.I. Æqualitas intellectivi, intelligibilîs & intelligere habet quietem in Æqualitate gloriativi, gloriabilîs & gloriari.
100. F.K.T.K. Majus intelligere non potest quiescere in minori gloriari.

De Quæstionibus Amoris.

IStæ Quæstiones possunt solvi cum Floribus Amoris, & quælibet Quæstio habet suum proprium Florem significatum per numerum & per literas.

De Bonitate & Amore.

1. QUæstio. Amicus dixit Amato: quare tua Bonitas, quæ est tam magna, tam parùm amatur in hoc mundo? Solutio B.C.G.
2. Quæstio. Amores quæsiverunt ab Amico: de quo viveret suum Amare? Solutio B. D. G.
3. Quæstio. Amicus dixit Amato: quare me non facis magìs amare? Solutio B.E.G.
4. Quæstio. Amicus dixit Amato: quare plures homines magìs amant te per timorem, quàm per Amorem, cùm Amor sit nobilior in amare, quàm in timere? Solutio B. F. G.
5. Quæstio. Bonitas interrogavit Amorem: quare se ipsum non magìs multiplicaret in amare, quàm in sentire, cùm sentire non sit de essentia Amoris? Solutio B. G. H.
6. Quæstio. Interrogaverunt Amicum: quare staret tristis ante suum Amatum, cùm præsentia Amati sit causa magnæ lætitiæ? Solutio B. G. I.
7. Quæstio. Amicus dixit: Voluntas, cùm tu sis libera, quid abstulit meum amare? Solutio B. G. K.
8. Quæstio. Bonitas & Differentia interrogaverunt Amicum: de quo sua Voluntas esset plena? Solutio B. G. T. B.
9. Quæstio. Amatores interrogaverunt Amicum: quid posuerit Concordantiam inter Bonitatem & Voluntatem? Solutio B. G. T. C.
10. Quæstio. Bonitas interrogavit Amorem: quare Amicus haberet contrarium in amare suum Amatum? Solutio B. G. T. D.
11. Quæstio. Amatus dixit, Amice: quis principiavit tuum Amare, quia talis potest illud principiasse, quòd ego non sinam me amari à te? Solutio B. G. T. E.
12. Quæstio. Bonitas interrogavit Amorem: utrùm aliquid posset separare Amicum à suo Amato? Solutio B. G. T. F.

Quæ-

13. Quæstio. Amatores interrogaverunt Amicum: quare se daret periculo mortis ad amandum? Solutio B. G. T. G.
14. Quæstio. Bonitas interrogavit Amicum: quare conquereretur de Amore, & Amor interrogavit Amicum: quare conquereretur de Bonitate? Solutio B. G. T. H.
15. Quæstio. Amice, dixit Amor: quomodo potest esse Æqualitas meî & Bonitatis in tuo Amato, cùm ego & Bonitas simus unum idem numero in tuo Amato? Solutio B. G. T. I.
16. Quæstio. Interrogaverunt Amicum: quid poneret discordiam inter ipsum & suum Amatum, cùm Amatus sit tam amabilis? Solutio B. G. T. K.

De Magnitudine & Amore.

17. QUæstio. Magnitudo interrogavit Amorem: utrùm Amicus tantum amaret suum Amatum per operari, sicut per existere? Solutio C. D. G.
18. Quæstio. Amicus, dixit Amor: cùm meus Amatus sit tam amabilis, posses mihi dare tam magnum amare, sicut est sua amabilitas? Solutio C. E. G.
19. Quæstio. Amicus dixit: Amor an meus Amatus est tam magnus per amare, quàm per intelligere? Solutio C. F. G.
20. Quæstio. Unum magnum vitium venit ad Amicum, & interrogavit ipsum: quare illud non sinebat intrare in suum amare? Solutio C. G. H.
21. Quæstio. Magnitudo & Veritas interrogaverunt Amorem: de quo erat vestitum suum amare? Solutio C. G. I.
22. Quæstio. Amicus dixit: Voluntas, cùm tu sis magna, quare amas parvum amare? Solutio C. G. K.
23. Quæstio. Amatores interrogaverunt Amorem: utrùm posset esse magnus sinè Differentia Amici & Amati? Solutio C. G. T. B.
24. Quæstio. Magnitudo interrogavit Amorem: cum quo Amatus & Amicus essent remoti à discordia? Solutio C. G. T. C.
25. Quæstio. Magnitudo interrogavit Amorem: utrùm Contrarietas esset de sua essentia? Solutio C. G. T. D.
26. Quæstio. Amor dixit, Amice: quid est Magnitudo amandi? Solutio C. G. T. E.
27. Quæstio. Dominæ Amoris interrogaverunt Amicum: quare haberet tam magnum amare? Solutio C. G. T. F.
28. Quæstio. Magnitudo interrogavit Finem Amoris: quare Amicus non exibat de amare? Solutio C. G. T. G.
29. Quæstio. Majoritas interrogavit Amicum: utrùm ipsam vellet ponere in suo amare? Solutio C. G. T. H.
30. Quæstio. Magnitudo interrogavit Veritatem: utrùm esset verum, quòd Amicus amaret tantum se ipsum, quantum suum Amatum? Solutio C. G. T. I.
31. Quæstio. Amicus interrogavit Magnitudinem & Voluntatem: quis ipsum curasset de Infirmitate? Solutio C. G. T. K.

De Duratione & Amore.

32. QUæstio. Duratio & Potestas interrogaverunt Amicum: de quo Amor sufficeret suo amare? Solutio D. E. G.
33. Quæstio. Voluntas interrogavit Sapientiam: de quo duraret suum intelligere? & Sapientia interrogavit Voluntatem: de quo duraret suum amare? Solutio D. F. G.
34. Quæstio. Amicus interrogavit Amorem: de quo duraret majus amare? Solutio D. G. H.
35. Quæstio. Veritas dixit, Amor: quare habes in te falsum amare? Solutio D. G. I.
36. Quæstio. Amatores interrogaverunt Amicum: utrùm vellet vendere suum amare? Solutio D. G. K.
37. Quæstio. Amicus dixit, Differentia: quare stas inter me & meum Amatum? Solutio D. G. T. B.
38. Quæstio. Amores interrogaverunt Amicum: de quo erat suum amare? Solutio. D. G. T. C.
39. Quæstio. Concordantia interrogabat Voluntatem: de quo erat Amicus, quando contrariabatur suo Amato? Solutio D. G. T. D.
40. Quæstio. Amatores interrogaverunt Amicum: quæ erat major pœna, vel mori vel non amare? Solutio D. G. T. E.
41. Quæstio. Æternitas dixit, Amice: fuitnè unquam tempus, in quo non amavisses tuum Amatum? Solutio D. G. T. F.
42. Quæstio. Æternitas & Amor interrogaverunt Amicum: quare tantùm loquebatur de suo Amato? Solutio D. G. T. G.
43. Quæstio. Amicus dixit, Amate: quare permittis bonos homines participare cum malis? Solutio D. G. T. H.
44. Quæstio. Amicus ibat periclitans in maribus Amoris per supernum amare: Amatores interrogaverunt illum: quare non peribat, postquam tantum amabat? Solutio D. G. T. I.
45. Quæstio. Amicus dixit, Amor: quare est meum amare infirmum? Solutio D. G. T. K.

De Poteſtate & Amore.

46. QUæſtio. Amicus dixit, Amate: quare transmittis mihi eò magìs Amorem, quò magìs facis me intelligere te ipſum? Solutio E. F. G.

47. Quæſtio. Amicus interrogavit Poteſtatem Virtutis & Amoris: cum quo falſi Amatores haberent vitioſum amare? Solutio E. G. H.

48. Quæſtio. Amatores interrogaverunt Amicum: poſtquàm ſe dederat Amori, quare dubitaret dicere Veritatem de ſuo Amato? Solutio E. G. I.

49. Quæſtio. Amicus interrogavit Gloriam, utrùm haberet tam potens gloriari, ſicut Amor habet potens amare? Solutio E. G. K.

50. Quæſtio. Amor dixit, Differentia: quare ſtas inter meum amativum, amabile & amare? Solutio E. G. T. B.

51. Quæſtio. Contrarietas interrogabat Poteſtatem: utrùm poſſet intrare in Amorem, quia volebat ponere diſcordiam inter Amicum & Amatum? Solutio E. G. T. C.

52. Quæſtio. Contrarietas & Concordantia interrogaverunt Amicum: utrùm haberet majorem Poteſtatem in odire, quàm in amare? Solutio E. G. T. D.

53. Quæſtio. Amicus dixit, Amor: unde venit mihi iſta natura, quòd ego magìs poſſim amare aliud, quàm meum ſupremum Amatum? Solutio E. G. T. E.

54. Quæſtio. Interrogaverunt Amicum: quare reliquiſſet ſuam terram & ſuos amicos, & iret per longas terras ſuſtinere labores & pericula, & eſſe in illis vilipenſus & deluſus per gentes? Solutio E. G. T. F.

55. Quæſtio. Finis Amoris interrogavit Amicum: quare non teneret hoc, quod promiſerat ſuo Amato, poſtquàm illam promiſſionem poterat tenere? Solutio E. G. T. G.

56. Quæſtio. Poteſtas dixit, Voluntas: per quid poteſt Amicus habere majus amare? Solutio E. G. T. H.

57. Quæſtio. Amatores interrogaverunt Æqualitatem Poteſtatis & Amoris: quare Amicus haberet timorem moriendi & ſuſtinendi adverſitates ad honorandum ſuum Amatum? Solutio E. G. T. I.

58. Quæſtio. Amicus comedebat minorem Poteſtatem, & bibebat minorem Amorem, & interrogaverunt illum: quare erat infirmus? Solutio E. G. T. K.

De Sapientia & Amore.

59. QUæſtio. Amicus interrogavit Sapientiam: utrùm eſſet vitium in illis, qui multùm intelligunt & amant ſuum Amatum? Solutio F. G. H.

60. Quæſtio. Interrogaverunt Amicum: utrùm eſſet magìs obligatus ad amandum, quàm ad intelligendum ſuum Amatum? Solutio F. G. I.

61. Quæſtio. Obedientia interrogavit Amicum: ſi eſſet inobediens Amato, qui faciebat ipſum tantum eſſe honoratum in hoc mundo, & faciebat illum eſſe communem perſonam? Solutio F. G. K.

62. Quæſtio. Sapientes Amatores interrogaverunt Amicum: utrùm Amatus ipſum magìs creaverit propter amare, quàm propter intelligere? Solutio F. G. T. B.

63. Quæſtio. Sapientia, Concordantia & Voluntas interrogaverunt Amicum: quare non haberet modum in amando? Solutio F. G. T. C.

64. Quæſtio. Interrogaverunt Amicum: utrùm ignorantia haberet tantam Concordantiam cum amare, quantam habet cum intelligere? Solutio F. G. T. D.

65. Quæſtio. Amicus interrogavit Principium: utrùm priùs fuerit in ſuo amare, quàm in ſuo intelligere? Solutio F. G. T. E.

66. Quæſtio. Sapientia & Voluntas interrogaverunt Amicum: utrùm ſit aliquod Medium inter ipſum & ſuum Amatum? Solutio F. G. T. F.

67. Quæſtio. Amicus interrogavit Amatum: quare dixerat, quòd illi perdent ſuas animas, qui illas amant? Solutio F. G. T. G.

68. Quæſtio. Amatores interrogaverunt Amicum: utrùm Dominus, qui moritur pro ſuo ſervo, habeat majorem Amorem, quàm ſervus, qui moritur pro ſuo Domino? Solutio F. G. T. H.

69. Quæſtio. Amicus interrogavit Sapientiam & Voluntatem: utrùm poſſent eſſe plenæ Æqualitate ſinè amare & intelligere? Solutio F. G. T. I.

70. Quæſtio. Amicus interrogavit ſuum Amatum: poſtquàm non vult mortem peccatorum, & vult, quòd convertantur & vivant, quare non mittat illis prædicatores, qui illos convertant? Solutio F. G. T. K.

De Amore & Virtute.

71. QUæſtio. Amicus interrogabat homines, qui ante ipſum ſtabant: utrùm ſentirent illam devotionem, quæ ſolebat eſſe tempore Chriſti & Apoſtolorum? & utrùm ſcirent, quò abiverit illa devotio? & quare tantum tardaret & non rediret, quia publica utilitas perderetur in Chriſtianis? Solutio G. H. I.

72. Quæſtio. Virtus interrogavit Gloriam & Voluntatem: poſtquàm Amatus fecerat Amico præceptum per Amorem, quòd paſceret ſuas oves, quare Amicus non paſcebat illas per Amorem? Solutio G. H. K.

73. Quæſtio. Amatores interrogaverunt Amicum: utrùm amaret Differentiam, quæ eſt inter ipſum & ſuum Amatum? Solutio G. H. T. B.

74. Quæſtio. Amicus dixit, Amor: quis ſpoliavit meum amare Virtute & Concordantia? Solutio G. H. T. C.

75. Quæſtio. Virtus dixit, Amori: quare Amicus incipit cum Contrarietate, poſtquàm nos incipimus cum Concordantia? Solutio G. H. T. D.

76. Quæſtio. Amor dixit, Amice: quare habes virtuoſum amare? Solutio G. H. T. E.

77. Quæſtio. Amatus interrogavit Amicum: utrùm ille haberet vitioſum amare, qui non amaret tantum, quantum poteſt amare? Solutio G. H. T. F.

78. Quæſtio. Amatus dedit Finem Amoris homini parvæ Virtutis, & Amatores interrogarunt illum hominem: utrùm multiplicaſſet ſuum Amare? Solutio G. H. T. G.

79. Quæſtio. Interrogaverunt Amicum: quare non fugeret ab Amore, poſtquàm illum tantùm tormentabat? Solutio G. H. T. H.

80. Quæſtio. Amatores interrogarunt: utrùm in Amore ſit Æqualitas Amici & Amati? Solutio G. H. T. I.

81. Quæſtio. Virtus dixit, Amor: quis poſuit Amicum in ira ſui Amati? Solutio G. H. T. K.

De Amore & Veritate.

82. QUæſtio. Gloria dixit, Veritas: ſcisnè quare ego tam parùm amer? Solutio G. I. K.

83. Quæſtio. Differentia interrogavit Voluntatem: utrùm ipſa amaret tantum in Veritate, quantum in ſe ipſa? Solutio G. I. T. B.

84. Quæſtio. Veritas interrogavit Concordantiam Amici & Amati: ubi erat? Solutio G. I. T. C.

85. Quæſtio. Veritas dixit, Voluntas: quare amatur falſitas, cùm ſit odibilis? Solutio G. I. T. D.

86. Quæſtio. Amicus interrogavit Veritatem: quare permiſerit principiare falſum amare? Solutio G. I. T. E.

87. Quæſtio. Amatores interrogaverunt Amicum & Amatum: quis ipſos conjunxiſſet? Solutio G. I. T. F.

88. Quæſtio. Amatus interrogavit Amicum: utrùm vellet dare vel vendere ſuum amare, quod ipſos conjunxerat in viridario Amoris? Solutio G. I. T. G.

89. Quæſtio. Veritas dixit, Voluntas: quare amas falſitatem cum majori amare? Solutio G. I. T. H.

90. Quæſtio. Veritas interrogavit Voluntatem: utrùm in Amore ſupremi Amati eſſet Æqualitas amativi, amabilis & amare? Solutio G. I. T. I.

91. Quæſtio. Falſitas vulneravit Voluntatem, & Amatores interrogaverunt: quare Veritas jaceret infirma? Solutio G. I. T. K.

De Amore & Gloria.

92. QUæſtio. Amicus interrogavit Amatum: utrùm Differentia ſit tantum amabilis in Gloria, quantum in Voluntate? Solutio G. K. T. B.

93. Quæſtio. Voluntas interrogavit Concordantiam: utrùm ſit in Gloria, quam Amicus tantum amavit? Solutio G. K. T. C.

94. Quæſtio. Amatores interrogaverunt Amicum: quare tranſiret per illa loca, in quibus Contrarietas habet tam magnum dominium? Solutio G. K. T. D.

95. Quæſtio. Amicus interrogavit ſuum Amatum: utrùm tanta gloriabilitas ſit in Gloria, quanta principiabilitas eſt in Principio? Solutio G. K. T. E.

96. Quæſtio. Amicus dixit, Amate: an meum amare poſſet quieſcere in Gloria ſinè ſubſtantiali gloriare? Solutio G. K. T. F.

97. Quæſtio. Amatus dixit, Amice: tua Gloria de quo eſt plena? Solutio G. K. T. G.

98. Quæſtio. Amor dixit, Amice: quare amas te ipſum cum majori amare, & tuum Amatum cum minori? Solutio G. K. T. H.

99. Quæſtio. Amores tentarunt Amicum & interrogaverunt illum: utrùm tantum amaret Æqualitatem in Gloria, quantum in Amore ſui Amati? Solutio G. K. T. I.

100. Quæſtio. Gloria dixit, Voluntas: quare amas in me Minoritatem contra majus amare? Solutio G. K. T. K.

De Quæſtionibus Intelligentiæ.

IStæ Quæſtiones ſolvuntur per Flores Intelligentiæ, & ſicut hæ Quæſtiones ſolvuntur per illos Flores, ſic poſſunt ſolvi aliæ peregrinæ quæſtiones, cùm illi Flores ſint univerſales maximæ, & quæſtiones ſint de particularibus.

De Bonitate & Sapientia.

1. QUæstio. Utrùm Bonitas DEI sit tanta, quanta est Sapientia? Solutio B. C. F.
2. Quæstio. Utrùm in DEO Bonitas, Æternitas & Sapientia sint unum idem numero? Solutio B. D. F.
3. Quæstio. Utrùm bonus possit tantum per Bonitatem, quantum sapiens per Sapientiam? Solutio B. E. F.
4. Quæstio. Utrùm Bonitas sit tantum amabilis, quantum Sapientia? Solutio B. F. G.
5. Quæstio. Utrùm Virtus sit tantum bonificabilis, quantum intelligibilis? Solutio B. F. H.
6. Quæstio. Utrùm Veritas sit tanta in Bonitate, quanta est in Sapientia? Solutio B. F. I.
7. Quæstio. Utrùm beatitudines, quæ sunt in Paradiso, habeant tantam Gloriam per bonificare, quantam per intelligere? Solutio B. F. K.
8. Quæstio. Utrùm sit Differentia inter Bonitatem & Sapientiam DEI? Solutio B. F. T. B.
9. Quæstio. Utrùm Bonitas & Sapientia sinè Concordantia possent distare à Contrarietate? Solutio B. F. T. C.
10. Quæstio. Utrùm Bonitas & Sapientia possint esse contrariæ? Solutio B. F. T. D.
11. Quæstio. Utrùm Sapientia sit tam universale Principium, quàm Bonitas? Solutio B. F. T. E.
12. Quæstio. Utrùm Medium æquè conveniat Bonitati, quàm Sapientiæ? Solutio B. F. T. F.
13. Quæstio. Utrùm Finis Bonitatis sit tam bonus, quàm Finis Sapientiæ? Solutio B. F. T. G.
14. Quæstio. Utrùm Sapientia sit major per intelligere, quàm Bonitas per bonificare? Solutio B. F. T. H.
15. Quæstio. Utrùm sit æqualitas in Bonitate & in Sapientia DEI? Solutio B. F. T. I.
16. Quæstio. Utrùm Bonitas sit tam remota à Minoritate per bonificare, quàm Sapientia per intelligere? Solutio B. F. T. K.

De Magnitudine & Sapientia.

17. QUæstio. Quid est Magnitudo Æternitatis & Sapientiæ? Solutio C. D. F.
18. Quæstio. Quid est Magnitudo Potestatis in Sapientia? Solutio C. E. F.
19. Quæstio. Quæ sunt illa, per quæ Sapientia & Voluntas sunt magnæ? Solutio C. F. G.
20. Quæstio. Quid est hoc, per quod Sapientia habet magnam Virtutem? Solutio C. F. H.
21. Quæstio. Quid est hoc, per quod Veritas est magna in Sapientia? Solutio C. F. I.
22. Quæstio. Quid est magna Gloria Sapientiæ? Solutio C. F. K.
23. Quæstio. Quid habent Sapientia & Differentia in Magnitudine? Solutio C. F. T. B.
24. Quæstio. Quid habent Magnitudo & Sapientia in Concordantia? Solutio C. F. T. C.
25. Quæstio. Quid est Contrarietas in Magnitudine & in Sapientia? Solutio C. F. T. D.
26. Quæstio. Quid habent Magnitudo & Principium in Sapientia? Solutio C. F. T. E.
27. Quæstio. Quid est Medium in Magnitudine & in Sapientia? Solutio C. F. T. F.
28. Quæstio. Quid habent Magnitudo & Sapientia in Fine? Solutio C. F. T. G.
29. Quæstio. Quid est hoc, per quod Sapientia habet majorem Magnitudinem? Solutio C. F. T. H.
30. Quæstio. Quid est hoc, per quod Sapientia habet magnam Æqualitatem? Solutio C. F. T. I.
31. Quæstio. Quid est hoc, per quod Magnitudo & Sapientia distant à Minoritate? Solutio C. F. T. K.

De Æternitate & Sapientia.

32. QUæstio. De quo abundat Æternitas ad possificandum & ad intelligendum? Solutio D. E. F.
33. Quæstio. Sapientia interrogavit Voluntatem, utrùm esset de Æternitate? Solutio D. F. G.
34. Quæstio. Sapientia & Virtus dixerunt Æternitati, de quo erat, de quo est, & de quo erit? Solutio D. F. H.
35. Quæstio. Æternitas interrogavit Sapientiam & Veritatem: de quo sunt verificare & intelligere? Solutio D. F. I.
36. Quæstio. Gloria & Æternitas interrogaverunt unitatem Sapientiæ: sapiens de quo erat? Solutio D. F. K.
37. Quæstio. Sapientia dixit Differentiæ: quid es, & de quo es? Solutio D. F. T. B.
38. Quæstio. Sapientia & Voluntas interrogaverunt Concordantiam: de quo erat, & de quo est, & de quo erit? Solutio D. F. T. C.
39. Quæstio. Æternitas & Sapientia interrogaverunt Contrarietatem: de quo est contrariari? Solutio D. F. T. D.
40. Quæstio. Principium interrogavit Sapientiam: utrùm sciret, de quo esset in Æternitate & in semet ipso? Solutio D. F. T. E.
41. Quæstio. Æternitas interrogavit Sapientiam: utrùm sciat, de quo est æternare? & Sapientia interrogavit Æternitatem: utrùm sciat, de quo est intelligere? Solutio D. F. T. F.
42. Quæstio. Sapientes interrogaverunt mundum: utrùm suus Finis esset de una suarum partium? Solutio D. F. T. G.
43. Quæstio. Æternitas interrogavit Sapientiam: cujus est majus intelligere, & de quo est? Solutio D. F. T. H.
44. Quæstio. Sapientia dixit Æternitati: de quo est sua Æqualitas, & Æternitas dixit Sapientiæ: de quo est Æqualitas & intelligere? Solutio D. F. T. I.
45. Quæstio. Æternitas dixit, Sapientia: de quo est minus intelligere? Solutio D. F. T. K.

De Potestate & Sapientia.

46. QUæstio. Voluntas dixit Potestati: quare esset intelligibilis & amabilis? Solutio E. F. G.
47. Quæstio. Potestas interrogavit Sapientiam & Virtutem: utrùm per unum & idem possent existere & agere? Solutio E. F. H.
48. Quæstio. Sapientes interrogaverunt ipsum intelligere: quare esset vestitum possificabilitate & verificabilitate? Solutio E. F. I.
49. Quæstio. Sapientes interrogaverunt quendam Philosophum: quare Potestas, Sapientia & Gloria non sunt unum idem in creaturis? Solutio E. F. K.
50. Quæstio. Potestas & Sapientia interrogaverunt: quare est Differentia? Solutio E. F. T. B.
51. Quæstio. Sapientes interrogaverunt Concordantiam: utrùm sit tanta per Sapientiam, quanta est per Potestatem? Solutio E. F. T. C.
52. Quæstio. Quidam philosophus interrogavit Potestatem: quare esset major in Concordantia, quàm in Contrarietate? Solutio E. F. T. D.
53. Quæstio. Sapientia interrogavit Potestatem: quare Potestas posset principiare ignorare? Solutio E. F. T. E.
54. Quæstio. Interrogaverunt Potestatem: quare in ipsa staret possificare? Solutio E. F. T. F.
55. Quæstio. Sapientes interrogaverunt Potestatem: quare Sapientia potest contra suum intelligere? Solutio E. F. T. G.
56. Quæstio. Potestas fuit interrogata: quare quædam Sapientia habet majorem Potestatem in alia, quàm in se ipsa? Solutio E. F. T. H.
57. Quæstio. Interrogaverunt Æqualitatem: quare sit in Potestate & in Sapientia? Solutio E. F. T. I.
58. Quæstio. Cùm Sapientia sit de intellectivo & de intelligibili & de intelligere, quare sustinet Potestas, quòd possit ignorare? Solutio E. F. T. K.

De Sapientia & Voluntate.

59. QUæstio. Essentialia concreta, quæ sunt in Sapientia, Voluntate & Virtute, quanta sunt? Solutio F. G. H.
60. Quæstio. Voluntas & Sapientia interrogaverunt Veritatem, quantæ sunt suæ mensuræ, cum quibus mensurat vera objecta? Solutio F. G. I.
61. Quæstio. Quidam Magister interrogavit suos scholares: quare DEUS in hoc mundo tam parum amatur, honoratur & ipsi servitur? Solutio F. G. K.
62. Quæstio. Quidam sapiens interrogavit Voluntatem & Sapientiam: utrùm quantitas sit tantum intelligibilis & amabilis in Differentia, quantum in ipsis? Solutio F. G. T. B.
63. Quæstio. Sapientes interrogaverunt Concordantiam: utrùm per ipsam esset quantificatus habitus Scientiæ & habitus Amoris? Solutio F. G. T. C.
64. Quæstio. Contrarietas interrogavit Sapientiam & Voluntatem: de quo multiplicat quantitatem contra intelligere & amare? Solutio F. G. T. D.
65. Quæstio. Sapientia interrogavit Voluntatem: quodnam Principium principiat ipsius amare? Solutio F. G. T. E.
66. Quæstio. Voluntas interrogavit Sapientiam: utrùm intelligere & amare possit esse sinè simplici & composita quantitate? Solutio F. G. T. F.
67. Quæstio. Sapientia interrogavit Voluntatem: quare non amet Finem sui amare tantum, quantum illum potest intelligere? Solutio F. G. T. G.
68. Quæstio. Sapientia interrogavit Voluntatem: quare non amet majus intelligere? Solutio F. G. T. H.
69. Quæstio. Sapientes interrogaverunt Sapientiam & Voluntatem: utrùm sint æquales in existere & in agere? Solutio F. G. T. I.
70. Quæstio. Sapientia dixit, Voluntas: cum quo multiplicatur minus amare? Voluntas dixit, Sapientia: cum quo multiplicatur minus intelligere? Solutio F. G. T. K.

De Sapientia & Virtute.

71. QUæstio. Virtus & Veritas dixerunt, Sapientia: quare intelligis cum vitioso & falso intelligere? Solutio F. H. I.

Quæ-

72. Quæstio. Virtus interrogavit Sapientiam: utrùm homo possit intelligere DEUM cum vitioso intelligere? Solutio F.H.K.

73. Quæstio. Virtus & Differentia interrogaverunt Sapientiam: utrùm differentiare & virtuificare possent habitare in suo intelligere? Solutio F. H. T. B.

74. Quæstio. Concordantia & Veritas dixerunt Sapientiæ: in quo tempore habeat virtuosum & concordans intelligere? Solutio. F. H. T. C.

75. Quæstio. Virtus interrogavit Sapientiam: quo tempore Contrarietas habuerit minorem Potestatem in mundo? F.H.T.D.

76. Quæstio. Principium interrogavit Sapientiam & Virtutem: utrùm aliquid possit principiare, quod non est in Virtute vel in vitio? Solutio F. H. T. E.

77. Quæstio. Sapientia interrogavit Virtutem: utrùm in suis extremitatibus sit virtuosum intelligere? Solutio F. H. T. F.

78. Quæstio. Virtus interrogavit Finem: utrùm virtuificare possit esse majus in Sapientia, quàm in Virtute? Solutio F.H.T.G.

79. Quæstio. Virtus dixit, Sapientia: scisnè quod est majus intelligere, quod DEUS creavit? Solutio F. H. T. H.

80. Quæstio. Sapientia interrogavit Voluntatem: utrùm sit tanta, quantam illam possit intelligere? Solutio F.H. T. I.

81. Quæstio. Quidam Magister interrogavit suos Scholares: utrùm scirent, quare sit minus intelligere? Solutio F. H. T. K.

De Sapientia & Veritate.

82. Quæstio. Gloria interrogavit Sapientiam & Veritatem: utrùm sint loca spiritualia, in quibus verificare, gloriari & intelligere possint misceri & collocari? Solutio F. I. K.

83. Quæstio. Scholares interrogaverunt suum Magistrum: quomodo Sapientia & Veritas sint in Differentia & Differentia in ipsis? Solutio F. I. T. B.

84. Quæstio. Concordantia interrogavit Sapientiam: quomodo est falsum intelligere? Solutio F. I. T. C.

85. Quæstio. Contrarietas interrogavit Sapientiam: utrùm in Veritate possit collocari falsum intelligere? Solutio F. I. T. D.

86. Quæstio. Duo sapientes interrogaverunt Veritatem, quomodo possit in ipsa principiare falsum intelligere? Solutio F. I. T. E.

87. Quæstio. Verificare interrogavit Sapientiam: quomodo Veritas possit intelligere? Solutio F. I. T. F.

88. Quæstio. Sapientes interrogaverunt Veritatem: utrùm cum Fine esset domina Intelligentiæ, vel utrùm Intelligentia cum Fine esset sua domina? Solutio F. I. T. G.

89. Quæstio. Veritas dixit, Sapientia: cum quo est majus tuum intelligere? Solutio F. I. T. H.

90. Quæstio. Veritas interrogavit Sapientiam: utrùm suum intelligere habeat quietem sinè Æqualitate? Solutio F.I.T.I.

91. Quæstio. Veritas interrogavit Sapientiam: utrùm cum minori Veritate attingat majus intelligere? Solutio F. I. T. K.

De Sapientia & Gloria.

92. Quæstio. Gloria interrogavit Sapientiam: cum quo possit intelligere? Solutio F. K. T. B.

93. Quæstio. Sapientes interrogaverunt Sapientiam: cum quo suum intelligere possit habere Gloriam? Solutio F. K. T. C.

94. Quæstio. Interrogaverunt Sapientiam: quomodo ipsa possit intelligere Gloriam cum contrario Gloriæ? Solutio F. K. T. D.

95. Quæstio. Una anima damnata interrogabat Sapientiam: quare haberet pœnam, postquàm erat principiata ad habendum Gloriam? Solutio F. K. T. E.

96. Quæstio. Sapientia interrogavit Gloriam: utrùm per naturam Medii, quod est gloriari, quod est in medio gloriativi & gloriabilis, possit anima salvata intelligere DEUM sinè specie phantastica? Solutio F. K. T. F.

97. Quæstio. Sapientes interrogaverunt Finem: utrùm possit esse in gloriari, quod non est de substantia gloriativi & gloriabilis? Solutio F. K. T. G.

98. Quæstio. Gloriativum, gloriabile & gloriari interrogaverunt Sapientiam: cum quo Sapientia potest habere majus intelligere? Solutio F. K. T. H.

99. Quæstio. Æqualitas interrogavit Sapientiam: utrùm sinè illa possit esse plena Gloriæ? Solutio F. K. T. I.

100. Quæstio. Minoritas dixit, Sapientia: visnè mecum habere quietem in Gloria? Solutio F. K. T. K.

Finiti sunt Flores Amoris & illius Quæstiones; & finiti sunt Flores Intelligentiæ & illius Quæstiones in Civitate Neapolis Anno MCCXCIV.

ARBOR
PHILOSOPHIÆ DESIDERATÆ.

Flores. *Flores.*

B.	C.	D.	E.	F.	G.	H.	I.	K.
Bonitas	Magnitudo	Duratio	Potestas	Sapientia	Voluntas	Virtus	Veritas	Gloria
Differentia	Concordantia	Contrarietas	Principium	Medium	Finis	Majoritas	Æqualitas	Minoritas
Potentia	Objectum.	Memoria.	Intentio.	Punctus transcen.	Vacuum	Operatio.	Justitia.	Ordo.

Rami. *Rami.*

L.	M.	N.	O.	P.	Q.	R.	S.	V.
Ens, quod est DEUS & Ens, quod non est DEUS.	Ens, quod est Reale & Ens, quod est Phantasticum.	Ens, quod est Genus & Ens, quod est Species.	Ens, quod est Movens & Ens, quod est Mobile.	Ens, quod est Unitas & Ens, quod est Pluralitas.	Ens, quod est Abstractum & Ens, quod est Concretum.	Ens, quod est Intensum & Ens, quod est Extensum.	Ens, quod est Similitudo & Ens, quod est Dissimilitudo.	Ens, quod est Generatio & Ens, quod est Corruptio.

Truncus.

Ens

Radices.

Spirituale.	Compositum ex utroque	Corporale.

SECUNDA FIGURA CIRCULARIS.



)(1)(

BEATI
RAYMUNDI LULLI
DOCTORIS ILLUMINATI
ET MARTYRIS
ARBOR PHILOSOPHIÆ DESIDERATÆ.

DEUS in Virtute tuæ Trinitatis incipit *Arbor Philosophiæ Desideratæ.*

DE PROLOGO.

1. SOlus eram sub umbra cujusdam pulchræ Arboris in quodam viridario, & considerabam de DEO & de Statu hujus mundi. Eram in tristitia, quia noster Dominus DEUS in hoc mundo tam parum diligitur & cognoscitur à suo populo; nam sunt pauci, qui ipsum diligant & cognoscant, & ipsi faciant illum honorem, qui ei convenit, & agant gratias pro bono, quod ab eo recipiunt: & sunt multi, qui ipsum inhonorant, quia propter parvas res, quæ parum valent, desinunt ipsum diligere & cognoscere, quas res plus diligunt, quàm ipsum, & propter quas plus laborant; & ideo sunt in via damnationis, per quam tendunt in æternum ignem, & perdunt illam gloriam, quæ est tam magna, quòd omnes homines, qui sunt, ipsam non possent enarrare.

2. Dum eram in hac tristi consideratione, venit mihi in voluntatem propter præsentiam Arboris, sub qua eram, quòd facerem hunc librum, & ipsum mitterem meo Filio: ut per ipsum haberet *Memoriam & Scientiam*, & per illam Memoriam & Scientiam haberet cognitionem de DEO, & ut per illam Memoriam & Scientiam DEUM diligeret, & ipsi serviret cum hoc Libro, cum quo iret per diversas terras, & daret notitiam de DEO.

2. Quare Fili, qui secundùm cursum naturæ mihi es amabilis, &, si es bonus in virtutibus, es mihi jam magis amabilis, tibi mitto hunc Librum; & scias, *quòd iste Liber sit bonus & utilis ad multas res, scilicet ad recolendum, intelligendum & amandum DEUM, & ad manifestandum Sanctam Catholicam Fidem illis, qui ipsam non cognoscunt, & ad destruendum Errores & falsas Opiniones hujus mundi, & ad faciendum & solvendum Quæstiones, & ad dandum Consilium, & ad lucrandum Virtutes, & ad mortificandum*

dum Vitia, & ſic de pluribus aliis conditionibus.

4. Scias Fili, quòd in hoc Libro ſint bonæ & utiles res, quas poteris ſcire & ſentire, ſi ſcis colligere, conſervare & diligere Fructum hujus Arboris; & ideo præcipio & conſulo tibi, quòd ſis cultor hujus Arboris omni tempore tuæ vitæ; per ipſam enim poteris venire ad æternam vitam, ſi ſcis exiſtere ſub ejus umbra, & comedere de illius fructu.

5. Scias Fili, quòd in hac Arbore contineatur una ſpecies *Artis Memorativæ*, quæ ſpecies eſt ejus proceſſus: *quæ Ars eſt valde neceſſaria in mundo; & ideo multùm deſidero, quòd poſſem habere tempus & opportunitatem ipſam faciendi: ſed ſum nimis occupatus propter alia negotia, quæ non poſſum deducere ad finem, quia pauci ſunt, qui me adjuvant.*

De Diviſione hujus Libri.

ISte Liber dividitur in *quatuor Diſtinctiones. Prima* eſt de ejus Ordinatione. *Secunda* eſt de Regulis, cum quibus homo ſciat facere & ſolvere Quæſtiones. *Tertia* eſt de Propoſitionibus, quæ ſunt neceſſariæ, cum quibus homo poterit ſolvere Quæſtiones, & habere notitiam de pluribus rebus. *Quarta* eſt de Quæſtionibus, quas homo poteſt ſolvere cum Propoſitionibus & Regulis.

DISTINCTIO I.

De Ordinatione hujus Libri.

HÆc Diſtinctio dividitur in *tres Partes. Prima* Pars eſt de Figura Arboris. *Secunda* Pars eſt de Figura Circulari. *Tertia* Pars eſt de Definitionibus Principiorum hujus Arboris.

PARS I.

De Figura Arboris.

IN prima Parte figuramus hanc Arborem ſecundùm iſtum modum: ſcilicet, quòd Radices ejus ſint de Chaos confuſo compoſito & mixto de ſpiritualibus & corporalibus rebus; & propterea ſunt *tres* ejus *Radices: prima* eſt ſpiritualis: *ſecunda* corporalis: *tertia* eſt mixtio ambarum, ſcilicet Chaos confuſum, quod diximus. In trunco Arboris ponimus *Ens*, & hoc facimus ideo, quia omnia poſſunt conſiderari ſub Ente, cùm Ens ſit generalius vocabulum, quod poſſit nominari; & conſideramus *Ens novem modis*, quia in illis novem modis omnia poſſunt conſiderari.

De Ramis Arboris.

1. RAmi hujus Arboris ſunt *Ens, quod eſt DEUS, & Ens, quod non eſt DEUS. Ens, quod eſt Reale, & Ens, quod eſt Phantaſticum. Ens, quod eſt Genus, & Ens, quod eſt Species. Ens, quod eſt Movens. & Ens, quod eſt Mobile. Ens, quod eſt Unitas, & Ens, quod eſt Pluralitas. Ens, quod eſt Abſtractum, & Ens, quod eſt Concretum. Ens, quod eſt Intenſum, & Ens, quod eſt Extenſum. Ens, quod eſt Similitudo, & Ens, quod eſt Diſſimilitudo Ens, quod eſt Generatio, & Ens, quod eſt Corruptio.*

2. Iſta Arbor eſt plantata in Memoria, Intellectu & Voluntate, ſcilicet in Operationibus harum Potentiarum: nam ſecundùm ejus proceſſum poterit Memoria recolere præterita, & Intellectus intelligere vera, & Voluntas amare bona, & odire mala; *& iſtæ Operationes poſſunt fieri artificialiter ſecundùm Doctrinam & Artificium hujus Arboris.*

3. Et ſcisnè, Fili, *quare homines neſciant uti Memoriâ ad recolendum præterita, nec Intellectu ad inveſtigandum vera, nec Voluntate ad eligendum bona, & relinquendum mala? Ideo, quia neſciunt has potentias ponere in Artificium, quod eſt inſtrumentum earum.* Et hæc Arbor eſt inſtrumentum, quod ego tibi, Fili, transmitto, cum quo ſcies uti tuo recolere, intelligere & amare, ſi ipſum bene ſcis addiſcere.

4. Aqua, cum qua debes rigare iſtam Arborem, procedit de *tribus Fontibus:* ſcilicet Fide, Spe & Charitate; & de hoc flumine, quod exit de iſtis tribus fontibus, procedunt *quatuor Rivuli*, qui ſunt Juſtitia, Prudentia, Fortitudo & Temperantia: & debes rigare hanc Arborem *decies*, ſecundùm quòd ſunt decem Præcepta; & debes largiri de ejus fructu *ſepties*, ſecundùm quòd ſunt ſeptem Dona Sancti Spiritûs.

PARS

PARS II.

De Figura Circulari.

FIgura circularis continet in ſe quatuor Circulos, quorum tres ſunt mobiles, ſecundùm quòd in ipſa apparet. In ſupremo Circulo ſunt ſcriptæ hæ literæ: B. C. D. E. F. G. H. I. K., quæ faciunt novem cameras, ût in ipſo apparet; & in ſequenti Circulo ſunt novem cameræ, in quibus ſunt hæ literæ: L. M. N. O. P. Q. R. S. V.; & in alio ſequenti ſunt illæ literæ, quæ ſunt in ſupremo Circulo, ſcilicet B. C. D. &c.; & in quarto Circulo ſunt novem cameræ, in quo ſunt literæ ſecundi Circuli, ſcilicet L. M. N. &c.

De Floribus Arboris.

1. PRincipia, videlicet Flores hujus Arboris ſunt *viginti ſeptem*, quæ ſunt hæc:

Bonitas,	*Differentia,*	*Potentia:*
Magnitudo,	*Concordantia,*	*Objectum.*
Duratio,	*Contrarietas,*	*Memoria:*
Poteſtas,	*Principium,*	*Intentio:*
Sapientia,	*Medium,*	*Punctus (tranſcendens:*
Voluntas,	*Finis perfectionis,*	*Vacuum:*
Virtus,	*Majoritas,*	*Operatio:*
Veritas,	*Æqualitas,*	*Juſtitia:*
Gloria,	*Minoritas,*	*Ordo.*

2. Horum Principiorum *decem & octo* ſunt ex *Arte Inventiva, Amativa & Generali*, & expoſitio iſtorum eſt in ſupradictis Artibus: &, quia nos tractamus iſtam Artem, quantò breviùs poſſumus, ideo non ponimus explanationem eorum in hac Arte, quia in illis Artibus de ipſis poteſt haberi notitia.

De Significatione Literarum Figuræ Circularis.

1. B. Significat Bonitatem, Differentiam & Potentiam.

C. Significat Magnitudinem, Concordantiam & Objectum.

D. Significat Durationem, Contrarietatem & Memoriam.

E. Significat Poteſtatem, Principium & Intentionem.

F. Significat Sapientiam, Medium & Punctum tranſcendentem.

G. Significat Voluntatem, Finem & Vacuum.

H. Significat Virtutem, Majoritatem & Operationem.

I. Significat Veritatem, Æqualitatem & Juſtitiam.

K. Significat Gloriam, Minoritatem & Ordinem.

L. Significat Ens, quod eſt DEUS, & Ens, quod non eſt DEUS.

M. Significat Ens, quod eſt Reale, & Ens, quod eſt Phantaſticum.

N. Significat Ens, quod eſt Genus, & Ens, quod eſt Species.

O. Significat Ens, quod eſt Movens, & Ens, quod eſt Mobile.

P. Significat Ens, quod eſt Unitas, & Ens, quod eſt Pluralitas.

Q. Significat Ens, quod eſt Abſtractum, & Ens, quod eſt Concretum.

R. Significat Ens, quod eſt Intenſum, & Ens, quod eſt Extenſum.

S. Significat Ens, quod eſt Similitudo, & Ens, quod eſt Diſſimilitudo.

V. Significat Ens, quod eſt Generatio, & Ens, quod eſt Corruptio.

2. „ Hanc Significationem, quam ſuprà „ diximus, convenit tibi, Fili, cordetenus „ ſcire, ſi vis addiſcere hanc Artem, nam „ ſinè ipſa non poſſes habere notitiam hu„ jus Artis: & hoc idem convenit illis, „ qui eam volunt ſcire, ut poſſint recipere „ ſignificata literarum.

3. Diſcurſum hujus Figuræ, Fili, facies, volvendo alios circulos in aliis, & faciendo cameras ipſius Figuræ: ſicut iſtam cameram de B. L. C. M. ſic, quòd B. ſit in ſummo Circulo, & L. in ſequenti, & C. in tertio, & M. in quarto, exiſtentibus aliis literis in rectitudine aliarum, & accipe ſignificatum earum, & applica illud ad tuum propoſitum affirmando vel negando, concordando illam affirmationem vel negationem in reſponſione quæſtionis ſecundùm ſignificationem literarum & definitionum principiorum iſtius Scientiæ ſignificatorum per literas iſtius Figuræ; *& hæc Regula eſt generalis in hac Scientia: & ſi tu eam ſcis tenere, non poteris in ea falli.*

4. Si tu, Fili, vis formare aliam cameram, potes ponere M. ſub B., movendo illum circulum de L., & poteris conſervare C. ſub M., & N. ſub C., nam B. & C. habent unam ſignificationem cum M., & aliam cum N., & ſic per ordinem de aliis literis: & de iſtis cameris potes ad tuum placitum facere tot, quot volueris, & illas ducere ad tuum propoſitum ſecundùm quæſtiones,

quæ tibi fuerint factæ, & ſecundùm varietates rerum, quas volueris inveſtigare, recipiendo ſignificata camerarum.

5. Cùm tibi, Fili, fiet quæſtio, attende, quinam ſint termini quæſtionis, & inveſtiga eorum naturam & modum in hac Scientia, & ſecundùm illa fac reſponſionem, & invenies illam naturam miſcendo alios terminos cum aliis in circulari Figura, movendo alios circulos in aliis, & recipiendo ſignificata illorum terminorum ſecundùm doctrinam, quam damus in hac Arbore: ſicut, ſi quæratur: Utrùm in DEO ſint Bonitas, Magnitudo &c.? pone P. ſub B., quod eſt in ſummo circulo, & ſub P. pone C., & conſidera, de quo Flore Arboris tibi fiat quæſtio; & tunc reperies ſecundùm ſignificata illarum literarum reſponſionem; &, ſi in quæſtione, quam homo tibi facit, non ſunt aliqua manifeſta Principia hujus Arboris: ſicut, ſi quæritur: Utrùm ignis ſit ſiccus per ſe ipſum? reduc illos terminos quæſtionis ad terminos hujus Scientiæ, quia omnes alii termini ſunt impliciti in his: ſicut ignis, qui eſt bonus, & ſua ſiccitas, quæ eſt bona, magna & ſic de aliis ſimilibus iſtis.

PARS III.
De Definitionibus.

ISta Pars eſt de Definitionibus naturarum Principiorum, quæ jam diximus, & dividitur in *duas Partes: prima* Pars eſt de Definitionibus ipſorum B. C. D. E. F. G. H. I. K., & *ſecunda* Pars eſt de Definitionibus ipſorum L. M. N. O. P. Q. R. S. V.

PARS I.
TERTIÆ PARTIS.
De Definitionibus B.
De Definitione Bonitatis.

1. BOnitas *eſt id, ratione cujus bonum agit bonum, & ſic bonum eſt eſſe, & malum eſt non eſſe.* Fili, hæc eſt definitio Bonitatis: quare tu in omnibus his, quæ homo à te quæret de Bonitate, conſerva hanc definitionem affirmando vel negando, videlicet, quòd, ſi cum affirmativâ non potes conſervare iſtam definitionem, ſumas negativam, &, ſi eam non potes conſervare cum negativa, accipias affirmativam in concluſione reſponſionis; & iſtum eundem ordinem ſequere in aliis Principiis iſtius Scientiæ.

2. Etiam convenit, quòd tu declines quodlibet Principium in hunc modum: ſicut in Bonitate declina bonificativum, bonificabile & bonificare: & in Differentia differentiativum, differentiabile & differentiare, & ſic de aliis Principiis iſtius Scientiæ, ſemper ſervando illos terminos in declinatione, qui meliùs conveniunt cum reſponſione quæſtionis.

De Definitione Differentiæ.

DIfferentia *eſt id, per quod Bonitas, Magnitudo & cætera Principia ſunt rationes inconfuſa ſive claræ.* Videlicet Bonitas, Magnitudo &c. declarantur humano intellectui per Differentiam; hanc Differentiam, Fili, conſidera *tripliciter:* ſcilicet Differentiam, quæ eſt inter ſenſuale & ſenſuale, & inter ſenſuale & intellectuale, & inter intellectuale & intellectuale. Differentia, quæ eſt inter ſenſuale & ſenſuale, eſt: ſicut inter equum & leonem; Differentia, quæ eſt inter ſenſuale & intellectuale, eſt: ſicut inter corpus & animam; Differentia, quæ eſt inter intellectuale & intellectuale, eſt: ſicut inter DEUM & Angelum; & ſcias, Fili, quòd ſenſuale ſignificet ea, quæ poſſunt ſentire, & quæ poſſunt ſentiri: & intellectuale nominamus ea, quæ ſunt ſpiritualia & non corporalia.

De Definitione Potentiæ.

POtentia *eſt illud Ens, quod habet majorem Concordantiam cum objecto, quàm cum aliquo alio ente. Et Potentia eſt illud ſubjectum, in quo exiſtunt entia poſſibilia, quæ poſſunt reduci in actum.* Potentia poteſt *dupliciter* conſiderari, & ideo damus de ipſa duplicem definitionem. Hæ ſunt, Fili, definitiones ipſius B.: & ideo conſidera has definitiones in omnibus cameris, in quibus videbis B., & ſecundùm ipſas reſpondeas ad quæſtionem, quæ tibi fiet ſub ratione B.

De Definitionibus C.
De Definitione Magnitudinis.

MAgnitudo *eſt id, ratione cujus Bonitas, Duratio, Poteſtas & cætera Principia hujus Scientiæ ſunt magna.*

De

De Definitione Concordantiæ.

COncordantia *eſt id, per quod Bonitas, Magnitudo, Duratio, Poteſtas &c. in uno & in pluribus concordant.* Concordant *in uno:* ſicut Bonitas animæ & corporis, & ſimiliter Magnitudo, quæ concordat in uno eſſe; concordant in *pluribus:* ſicut in pluribus partibus ſubſtantiæ, & in pluribus hominibus, in quibus habent concordantiam. Et tu, Fili, conſidera Concordantiam *tripliciter:* Concordantiam ſenſualîs & ſenſualîs: ſicut ignis & aër, qui concordant in calore: Concordantiam ſenſualîs & intellectualîs: ſicut anima & corpus, quæ concordant in eſſendo una ſubſtantia: Concordantiam intellectualîs & intellectualîs: ſicut DEUS & Angelus, qui concordant in amando & intelligendo.

De Definitione Objecti.

OBjectum *eſt illud Ens, in quo potentia magis ſignificatur, quàm in aliquo alio ente.* Objectum eſt: ſicut color, qui eſt objectum oculorum, & ſonus auritum, & odor odoratûs, & ſapor guſtûs, & tangibile tactûs, & imaginabile imaginationis, & recolibile memoriæ, & intelligibile intellectûs, & amabile voluntatis, & ſic de aliis ſimilibus iſtis.

De Definitionibus D.
De Definitione Durationis.

DUratio *eſt id, ratione cujus Bonitas, Magnitudo, Poteſtas & cætera durant.*

De Definitione Contrarietatis.

COntrarietas *eſt mutua reſiſtentia ratione diverſorum finium.* Hanc definitionem, Fili, conſidera *tripliciter:* ſcilicet inter ſenſuale & ſenſuale, & inter ſenſuale & intellectuale, & inter intellectuale & intellectuale. Inter ſenſuale & ſenſuale: ſicut inter ignem & aquam; inter ſenſuale & intellectuale: ſicut inter corpus & animam; inter intellectuale & intellectuale: ſicut inter bonum Angelum & malum angelum.

De Definitione Memoriæ.

MEmoria *eſt illa Potentia, quæ conſervat eas ſpecies, quas intellectus multiplicat ex realibus entibus affirmando & negando, & eas ſpecies, quas voluntas multiplicat ex realibus entibus amando & odiendo.* „ Scias, Fili, quòd „ iſta potentia ſit una pars rationalis ani„ mæ; & artificialiter poteris in hoc Libro „ habere modum recolendi in entibus „ præteritis, ſi ſcis ſumere ſignificata, quæ „ ſignificant Cameræ ſecundæ Figuræ, ſi „ te ſcis juvare cum Propoſitionibus & Re„ gulis hujus Scientiæ.

De Definitionibus E.
De Definitione Poteſtatis.

POteſtas *eſt id, ratione cujus Bonitas, Magnitudo, Duratio & cætera Principia poſſunt exiſtere & agere.*

De Definitione Principii.

PRincipium *eſt id, quod eſt ante omnia ratione alicujus prioritatis.* Hanc definitionem, Fili, conſidera *dupliciter:* ſcilicet Principium ſubſtantiale, & Principium accidentale; Principium *ſubſtantiale* conſideratur *quadrupliciter*, ſcilicet Efficiens, Materia, Forma & Cauſa finalis. *Efficiens:* ſicut Magiſter, qui facit cameram. *Materia:* ſicut lapides & ligna, de quibus fit camera. *Forma* eſt figura cameræ, quam vides. *Cauſa finalis* eſt habitare; nam propter habitare fit camera. Principium *accidentale:* ſicut color & calor; nam color eſt Principium colorandi, & calor eſt Principium calefaciendi, & ſic de aliis accidentibus ſimilibus iſtis.

De Definitione Intentionis.

1. INtentio *eſt illud inſtrumentum, cum quo finis principiorum ea habet ad ſe ipſum.* Intentionem, Fili, conſidera *dupliciter:* ſcilicet *primam* Intentionem, ût habitare: & ſecundam, ût camera, quæ eſt propter habitare: & comedere, quod eſt propter vivere, & ſic de aliis ſimilibus iſtis, ſecundùm modum *Libri de Intentione, quem tibi feci*, ut ſcias uti Intentione, & cognoſcere & diligere DEUM, & habere bonam Intentionem, & ſequi intentionem, propter quam DEUS te creavit, & tibi dedit eſſe.

2. Multum temporis tranſivit, Fili, quòd tibi miſi *Librum de Intentione*, & quia longum tempus eſt, quòd te non vidi, ideo neſcio, utrùm ab illo receperis utilitatem; &, ſi non habuiſti utilitatem, ego

ſum excuſatus coram DEO in intentione, & tu remanes in ea culpabilis, de qua debebis reddere rationem in die judicii; hoc idem facies de hac Arbore, quam tibi mitto, ſi neſcis exiſtere ſub ejus umbra, & ſi de ejus fructu non vis manducare.

De Definitionibus F.

De Definitione Sapientiæ.

SApientia *eſt proprietas, ratione cujus ſapiens intelligit.*

De Definitione Medii.

MEdium *eſt ſubjectum, in quo Finis influit ſuam virtutem Principio, & Principium refluit illam & ſuam virtutem Fini utriusque extremi.* Iſtud Medium, Fili, conſidera *tripliciter:* ſcilicet Medium Conjunctionis, Menſurationis & Extremitatum. Medium *Conjunctionis* eſt: ſicut clavus, qui conjungit duos postes: & calor, qui conjungit ignem & aërem: & amare, quod conjungit duas perſonas. Medium *Menſurationis* eſt: ſicut punctus, qui exiſtit in medio circuli: & amare, quod eſt in medio amativi & amabilis: & Magnitudo, quæ exiſtit in medio Bonitatis & Durationis: & aër, qui exiſtit in medio ignis & aquæ. Medium *Extremitatum* eſt: ſicut linea inter duo puncta: & regnum, quod exiſtit inter duo regna, & ſic de aliis ſimilibus iſtis.

De Definitione Puncti tranſcendentis.

PUnctus *tranſcendens eſt Inſtrumentum humani intellectus, cum quo attingit ſuum objectum ſupra naturas potentiarum, quæ ſunt ſub ipſo, & attingit ſummum objectum ſupra ſuammet naturam.* „ Hæc definitio, Fili, ſit tibi „ chariſſima in hac Scientia, nam per ipſam poteris habere notitiam de DEO & „ de Operatione, quam habet in ſe ipſo, „ & de aliis operationibus, quæ ſunt ſupra „ curſum naturæ.

De Definitionibus G.

De Definitione Voluntatis.

VOluntas *eſt id, ratione cujus Bonitas, Magnitudo, Duratio, Poteſtas & cætera ſunt amabilia.*

De Definitione Finis.

FInis *eſt id, in quo Bonitas, Magnitudo & cætera Principia hujus Scientiæ quieſcunt, & habent delectationem.* Fili, conſidera Finem *tripliciter:* ſcilicet, Finem, qui eſt *Privationis* entium, quæ erant, & non ſunt: ſicut tua mater, quæ ſolebat eſſe, & finivit. Secundo modo eſt Finis *Terminationis*: ſicut extremitas corporis vel regni. Tertio modo eſt Finis *Perfectionis:* ſicut DEUS, qui eſt Finis omnium rerum: & vivere, quod eſt Finis ipſius comedere; *& de hoc Fine loquimur maximè in hac Scientia,* & de ipſo dedimus definitionem.

De Definitione Vacui.

VAcuum *eſt illud objectum, in quo non conſideratur aliqua entitas.* Cum hac definitione, Fili, poteris conſiderare entia neceſſaria, ſinè quibus natura non poſſet habere complementum; per hanc definitionem ſignificantur tibi perfectiones & defectus rerum, ſi tu hanc definitionem ſcis miſcere & diſcurrere cum aliis definitionibus hujus Scientiæ.

De Definitionibus H.

De Definitione Virtutis.

VIrtus *eſt origo unionis Bonitatis, Magnitudinis, Durationis, Poteſtatis & aliorum Principiorum.*

De Definitione Majoritatis.

MAjoritas *eſt imago infinitæ Bonitatis, Magnitudinis, Æternitatis &c.* Majoritatem, Fili, conſidera *tripliciter:* ſcilicet Majoritatem, quæ eſt inter ſubſtantiam & ſubſtantiam: ſicut ſubſtantia hominis, quæ eſt major in Virtute, quàm ſubſtantia equi; *ſecundus modus* Majoritatis eſt, quæ eſt inter ſubſtantiam & accidens: ſicut tuum corpus, quod eſt majus in Bonitate, quàm tuus color; *tertius modus* Majoritatis eſt, quæ eſt inter accidens & accidens: ſicut intelligere, quod eſt nobilius accidens, quàm videre.

De Definitione Operationis.

OPeratio *eſt illud Ens, quod complet ſeu perficit appetitum cauſæ & ſui effectus.* Scias, Fili, quòd iſta definitio multùm illuminet humanum intellectum, quando

do homo ipſam ſcit miſcere & diſcurrere cum aliis definitionibus; nam per ipſam habet homo notitiam eſſentiæ operantis & operati, & naturalium appetituum, qui inter ambos exiſtunt.

De Definitionibus I.

De Definitione Veritatis.

VEritas *eſt id, ratione cujus Bonitas, Magnitudo, Duratio, Poteſtas &c. ſunt vera.*

De Definitione Æqualitatis.

ÆQualitas *eſt illud ſubjectum, in quo Finis Concordantiæ Bonitatis, Magnitudinis &c. quieſcit.* Æqualitatem, Fili, conſidera *tripliciter:* ſcilicet Æqualitatem, quæ eſt inter ſubſtantiam & ſubſtantiam: ſicut quatuor elementa, quæ ſunt æquales ſubſtantiæ & partes mundi; Æqualitatem, quæ eſt inter ſubſtantiam & accidens: ſicut ignis & ſuus calor, qui ſunt æquales in extenſitate; & Æqualitatem, quæ eſt inter accidens & accidens: ſicut inter intelligere & amare.

De Definitione Juſtitiæ.

JUſtitia *eſt illud objectum, in quo conſervantur Æqualitas & proportio.* Proportio, Fili, eſt in partibus ordinatis ad unum finem: ſicut proportionata membra corporis exiſtentia in illa quantitate, quæ corpori convenit, & ſic de aliis his ſimilibus.

De Definitionibus K.

De Definitione Gloriæ.

GLoria *eſt ipſa delectatio, in qua Bonitas, Magnitudo, Duratio, Poteſtas & cætera quieſcunt.*

De Definitione Minoritatis.

MInoritas *eſt Ens, quod eſt circa non eſſe.* Minoritatem, Fili, conſidera *tripliciter:* unam, quæ eſt inter ſubſtantiam & ſubſtantiam: ſicut lapis, qui eſt minor ſubſtantia in Bonitate, quàm ſubſtantia arboris; aliam Minoritatem, quæ eſt inter ſubſtantiam & accidens: ſicut calor, qui eſt minor, quàm ignis; & aliam Minoritatem, quæ eſt inter accidens & accidens: ſicut videre, quod eſt minus, quàm audire: & odorare, quàm videre, & ſic de aliis ſimilibus iſtis.

De Definitione Ordinis.

ORdo *eſt illa natura, ratione cujus res ſunt propriæ & communes.*

PARS II.
TERTIÆ PARTIS.

De Definitionibus L.

De Definitione Entis, quod eſt DEUS.

DEUS *eſt illud Ens, in quo Bonitas, Magnitudo, Æternitas, Poteſtas, Sapientia, Voluntas & cætera Dignitates ad ipſum pertinentes ſunt unum & idem numero.* In nullo ente, Fili, ſunt Bonitas, Magnitudo, Æternitas, Poteſtas, Sapientia & Voluntas unum idem in numero, niſi in DEO tantùm; nam, ſi eſſent, quodlibet eorum eſſet DEUS toties, quoties ſua voluntas vellet eſſe DEUS; nam, quantum vellet Bonitas, Magnitudo, Duratio, tantum poſſet ſcire & habere; &, quia in DEO Poteſtas, Sapientia & Voluntas ſunt unum idem numero, ideo poteſt DEUS tantum habere, quantum poteſt velle & ſcire; & ſuum velle eſt tantum, quantum ſuum poſſe & ſcire; & poſſe eſt tantum, quantum ſcire & velle: & idem ſequitur de ſcire, quod eſt tantum, quantum ſuum poſſe & velle. Igitur propter hoc poteſt DEUS omnia facere præter defectum & peccatum, quæ non poteſt facere, quia illa non vult facere: & quia ſua Poteſtas, Sapientia & Voluntas ſunt idem numero cum ſua Bonitate, Magnitudine, Æternitate, Virtute, Juſtitia & Perfectione, ideo non poteſt facere peccatum & defectum.

De Definitione Entis, quod non eſt DEUS.

ENs, *quod non eſt DEUS, eſt id, quod eſt creatura.* Hoc Ens creatum, Fili, conſideratur ſub *octo ſpeciebus ſeu modis,* ſub quibus comprehenditur omne ens creatum, ſcilicet: *Angelus, Firmamentum, Anima rationalis, Potentia Imaginativa, Potentia Senſitiva, Potentia Vegetativa, Potentia Elementativa, Potentia Inſtrumentativa;* unde, quando tibi fient quæſtiones, conſidera terminos quæſtionis, in quam iſtarum octo ſpecierum cadant, & reſponde ſecundùm naturam

eorum

eorum & secundùm processum hujus Scientiæ.

De Definitionibus M.

De Definitione Entis, quod est Reale.

ENs *Reale est illud, à quo humanus intellectus abstrahit similitudines, ex quibus componit suum phantasticum intelligere.* Istud ens, Fili, dicitur reale, quia existit in se ipso; & quamvis humanus intellectus non esset, ipsum remaneret in se ipso hoc, quod est.

De Definitione Entis, quod est Phantasticum.

ENs *Phantasticum est illud, quod humanus intellectus multiplicat & componit de speciebus, in quibus attingit Veritatem entium.* Hoc ens, Fili, non esset, nisi humanus intellectus esset hoc, quod est.

De Definitionibus N.

De Definitione Entis, quod est Genus.

GEnus *est illud Ens, quod existit supra species entium.* Fili, substantia appellatur genus generalissimum, & animal appellatur genus subalternum.

De Definitione Entis, quod est Species.

SPecies *est illud Ens, quod existit sub genere, & supra sua individua.* Et hoc, Fili, considera, sicut speciem hominis vel leonis, qui existunt sub animali, & sub specie hominis existunt individua, sicut Franciscus, Dominicus, Raymundus, &c.

De Definitionibus O.

De Definitione Entis, quod est Movens.

MOvens *est illud Ens, quod movet entia, quæ sunt in potentia, ut sint in actu.* Scias, Fili, quòd Movens *multipliciter* possit considerari, scilicet Movens, quod movet *se ipsum cum se ipso:* sicut homo, qui cum sua voluntate movet suos pedes, & movet se ipsum cum suis pedibus de uno loco in alium; est aliud Movens, quod *movet se ipsum cum alio:* sicut homo, qui equitat, qui cum suo equo movet se ipsum de uno loco in alium; est aliud Movens, quod *movet aliud cum se ipso:* sicut Dominus, qui cum sua voluntate movet vasallum, quem facit ire de uno loco in alium: & scriba, qui movet calamum cum sua manu; est etiam aliud Movens, quod *movet aliud cum alio:* sicut scriba, qui cum calamo movet atramentum, & cum atramento literam; est aliud Movens, quod *movet aliud in se ipso:* sicut ignis, qui movet aërem ad calefaciendum in se ipso: & vegetativum, quod in suo proprio vegetabili movet remotum vegetabile: & visivum, quod in suo proprio visibili movet remotum visibile: & idem de intellectivo, quod in suo proprio intelligibili movet remotum intelligibile; est, Fili, *alius modus Moventis,* sicut objectum, quod secundùm suam dispositionem est occasio potentiæ, ut se moveat ad ipsum; & sic de aliis similibus istis.

De Definitione Entis, quod est Mobile.

MObile *est illud Ens, quod est proprium objectum moventis.* Istud ens, Fili, potes considerare *dupliciter,* videlicet secundùm naturalem & artificialem mobilitatem; secundùm *naturalem* mobilitatem, sicut calefactibilitas aquæ; secundùm *artificialem,* sicut scriba, qui movet literam, & faber clavum; & sic de similibus istis.

De Definitionibus P.

De Definitione Entis, quod est Unitas.

UNitas *est illud Ens, quod consideratur sinè differentia.* Hoc ens, Fili, consideratur simpliciter in se ipso, sicut una bonitas, una magnitudo, & sic de aliis, quæ simpliciter considerantur.

De Definitione Entis, quod est Pluralitas.

PLuralitas *est illud Ens, in quo fortiùs apparet differentia, quàm in aliquo aliorum entium.* Intellige, Fili, quòd pluralitas sit plurium entium, quæ non sunt unum idem numero.

De

De Definitionibus Q.

De Definitione Entis, quod est Abstractum.

ABstractum *est illud Ens, quod est de concretis, quæ sunt de sua essentia, & ipsa est de ipsis.* Fili, hoc ens continet in se entia concreta, in quibus sustentatur, & ipsa sustentantur in eo; sicut in Bonitate, quæ est ens abstractum, & continet in se essentialia concreta, quæ sunt de ipsa simpliciter & essentialiter, videlicet bonificativum, bonificabile & bonificare, & sic de aliis.

De Definitione Entis, quod est Concretum.

COncretum *est illud Ens, in quo apparet figura suæ essentiæ.* Hoc ens, Fili, consideratur partialiter, vel in parte essentiæ, sicut bonificativum & bonificabile, & sic de aliis.

De Definitionibus R.

De Definitione Entis, quod est Intensum.

INtensitas *est illud Ens, quod est propinquius simplicitati, quàm compositioni.* Per hoc ens, Fili, poteris cognoscere, quod ens habeat in composito majorem entitatem, majorem operationem & majorem virtutem.

De Definitione Entis, quod est Extensum.

EXtensitas *est illud Ens, quod propinquius est compositioni, quàm simplicitati.* Cum hoc ente, Fili, poteris cognoscere mixtiones essentiarum & esse & extensitates, quas alia entia naturaliter habent in aliis.

De Definitionibus S.

De Definitione Entis, quod est Similitudo.

SImilitudo *est illud Ens, quod existit extra substantiam, in qua apparent intrinseca entia.* Hæc similitudo, Fili, subjicitur & sustentatur in particularibus sensûs communîs, & maximè in *sexto Sensu,* qui noviter est inventus & cognitus, nam ipse manifestat in voce intrinsecos conceptus mentales & imaginales.

De Definitione Entis, quod est Dissimilitudo.

DIssimilitudo *est illud Ens, in quo apparet figura Differentiæ & Contrarietatis.* In hac figura, Fili, poteris cognoscere modum, secundùm quem Concordantia & Contrarietas sunt in contraria Differentia in intrinsecis rebus, quæ sunt absconditæ eis, qui de hac figura nesciunt habere notitiam.

De Definitionibus V.

De Definitione Entis, quod est Generatio.

GEneratio *est illud Ens, quod est de generante, generabili & generare.* Scias, Fili, quòd per generationem naturalia entia, quæ sunt in potentia, moveantur ad actum; sicut homo, qui generat hominem, & de cibo, quem comedit, generat carnem; & sicut intellectus, qui de similitudine objecti generat phantasticas species, & de ipsis generat suum phantasticum intelligere.

De Definitione Entis, quod est Corruptio.

COrruptio *est illud Ens, quod est subditum generationi.* Scias Fili, quòd per corruptionem naturalia entia, quæ sunt in actu, deveniant in privationem, sicut homo, qui per corruptionem est mortalis, & arbor, quæ per corruptionem devenit in privationem, & sic de similibus istis.

DISTINCTIO II.

De Regulis.

1. HÆc Distinctio est de *decem Regulis generalibus. Prima* Regula est de Possibilitate, & significatur per B. *Secunda* Regula est de Quidditate, & significatur per C. *Tertia* Regula est de Materialitate, & significatur per D. *Quarta* Regula est de Formalitate, & significatur per E. *Quinta* Regula est de Quantitate, & significatur per F. *Sexta* Regula est de Qualitate, & significatur per G. *Septima* Regula est de Temporalitate, & significatur per H. *Octava* Regula est de Localitate, & significatur per I. *Nona* Regula est de Modalitate, & significatur per K. *Decima*

Regula est de Instrumentalitate, & significatur per K.

2. Fili, has decem Regulas debes miscere alias in aliis, & recipere earum significata, & miscere ea cum Floribus & Entibus Arboris & cum Principiis hujus Scientiæ, & de omnibus insimul recipere significata affirmando vel negando sinè Contrarietate illius mixtionis; & hanc mixtionem facies in *secunda figura*, in qua sunt circuli mobiles; & semper attende, quòd conserves species Regularum & naturas earum.

REGULA I.

De Possibilitate B.

1. ISta Regula est de *Possibilitate*, quam consideramus *tribus modis*, scilicet secundùm Affirmationem, Dubitationem & Negationem; secundùm Affirmationem, ut inquirendo Veritatem in principio inquisitionis unum vel aliud contrariorum supponatur esse possibile; nam per talem suppositionem oritur Dubitatio rerum in tantum, quòd intellectus nescit, utrùm sint veræ secundùm affirmationem vel negationem earundem; & quia intellectus incipit dubitare, incipit philosophari & investigare veritates rerum; quia scire veritates rerum est amabile, & scibilitas illarum veritatum est apta, quòd intelligatur sive sciatur per ipsum intellectum secundùm suam naturam, & secundùm motum, quem habet ad terminum quæsitum existens sub ratione voluntatis; sed, quando intellectus, antequam attingat veritatem quæsitarum rerum, eas supponit veras sub ratione affirmationis, vel falsas sub ratione negationis contra possibilitatem, quam suprà diximus, tunc captivat se ipsum, & stat obstinatus, & non habet terminos, per quos possit attingere veritatem sub necessariis rationibus naturalibus vel artificialibus; „ propter quod vult Auctor hujus Ar-
„ tis, quòd cum tali intellectu ita obstinato
„ ista Ars non tractetur, nec cum ipso dis-
„ putetur; tamen vult, quòd tentetur se-
„ cundùm processum hujus Artis, utrùm
„ possit expelli vel removeri à tali obsti-
„ natione & obscuritate, dando ei aliqua
„ alia necessaria pro objecto, in quibus
„ creditur, quòd habeat placitum, & po-
„ stea fiat recursus ad prima objecta.

2. Ista Regula est posita in hac Arte ex intentione investigandi id, quod quæritur, sub ratione hujus Quæstionis *Utrùm*: sicut cum quæritur: Utrùm sint Angeli? & sic de cæteris rebus similibus istis, & est supponendum, quòd sint, vel quòd non sint, ut homo possit venire ad necessarias rationes.

3. Hanc talem suppositionem sic factam convenit tangere cum tribus potentiis animæ, scilicet cum Memoria, Intellectu & Voluntate, recolendo, intelligendo & amando Principia hujus Artis in illo tactu; & si illæ tres potentiæ fortiùs comprehendant naturas Principiorum per affirmationem, quàm per negationem, tunc accipienda est affirmativa in conclusione; quòd si non, tunc est accipienda negativa; *& hæc Regula est generalis ad omnes Scientias.*

REGULA II.

De Quidditate C.

1. ISta Regula est de *Quidditate* rerum, per quam intellectus est regulatus ad quærendum: quid sunt res? sicut quærere, Quid est DEUS? vel quid est Homo? vel quid est Bonitas? & sic de cæteris rebus similibus istis; hanc Regulam consideramus *quatuor modis*. *Primus* modus est: sicut si quæratur: *Quid est res in se ipsa?* sicut si quæratur: Quid est DEUS in se ipso? vel quid est Bonitas in se ipsa? *Secundus* modus est, sicut si quæratur: *Quid habet res in se ipsa?* sicut: Quid habet DEUS in se ipso? vel quid habet Bonitas in se ipsa? & sic de aliis similibus istis. *Tertius* modus est quærere: *Quid est una res in alia?* sicut quærere, quid est Bonitas in Magnitudine? *Quartus* modus est quærere: *Quid habet una res in alia?* sicut quærere: quid habet DEUS in homine? & homo in arca? & Rex in civitate? & Bonitas in Magnitudine? & sic de aliis similibus istis.

2. Intentio, quare ista Regula est posita in hac Arte, est, ut intellectus sit regulatus ad investigandum quidditates rerum secundùm quatuor supradictos modos, intellectu discurrente secundùm quatuor prædictas species per Principia istius Scientiæ, & per alia principia, quæ implicantur in Principiis hujus Artis, tali modo, quòd de ipsis & de ista Regula fiat concordantia.

3. Item hæc prædicta Regula est in hac Arte eâ intentione, scilicet ut intellectus sit regulatus ad movendum Memoriam ad recolendum & Voluntatem ad amandum definitiones Principiorum, & ad applicandum definitiones his rebus, quæ quæruntur, & ad faciendum definitiones & quæstiones ex ipsis.

REGULA III.

De Materialitate D.

1. ISta Regula est de *Materialitate*, quæ dat doctrinam ad investigandum materias rerum, & hanc investigationem docet facere *tribus modis*. *Primo* modo dat doctrinam ad cognoscendum res, quæ sunt de se ipsis *liberè substantialiter:* sicut DEUS, qui est de se ipso, & non de aliquo alio; & Bonitas, quæ est de se ipsa, & non de aliquo alio, in quantum est de suo essentiali bonificativo, bonificabili & bonificare; & hoc idem de Magnitudine & de cæteris principiis substantiæ. *Secundo* modo *materialiter:* sicut totum, quod est de suis partibus: sicut substantia, quæ est de sua propria forma & materia: & ejus forma, quæ est forma communis multiplicata de formis partium; & hoc idem suo modo de materia, quæ multiplicatur de materiis partium; & hoc idem de parte, quæ est de suo toto: & de martello, qui est de ferro. *Tertio* modo *possessivè*, sicut quædam res, quæ sunt aliarum: sicut mundus, qui est DEI, qui ipsum creavit: & miles, qui est Regis: & equus, qui est militis: & accidentia, quæ sunt substantiæ: & similitudines, quas intellectus accipit, quæ sunt realium objectorum: & secundæ intentiones, quæ sunt primarum: & sicut martellus, qui est fabri: & Bonitas Magnitudinis, quæ est generalis Bonitatis: & sicut remotum objectum, quod est propinqui objecti: & visibilitas coloris, quæ est visibilitatis interioris essentialis visûs: & idem intelligitur de intelligibilitate lapidis, quæ est intelligibilitatis intellectûs: & hoc idem sequitur de malo, quod est privationis bonitatis: & de calore, qui est ignis, & sic de cæteris similibus istis.

2. Cum hac Regula cognoscitur, quæ sint naturæ, per quas aliæ res sunt de aliis, & aliæ de se ipsis: & datur doctrina, quomodo accipiantur termini quæstionis, ut de eorum natura fiat responsio ad quæstionem, secundùm quòd in illis terminis aliæ res sunt de aliis, & ut secundùm illos terminos eligantur cameræ, quæ sunt in *Tabula*, quæ conveniunt terminis quæstionis: sicut, si quæratur: Utrùm sit bonum, quòd DEUS sit? & quia quæstio quærit de Bonitate, convenit, quòd in responsione eligatur Bonitas, & quòd illi termini illam associent, qui illi meliùs conveniunt & concordant: sicut Magnitudo & Æternitas, scilicet: Utrùm Esse DEI esset bonum, magnum, durabile, & sic de aliis rebus similibus istis.

REGULA IV.

De Formalitate E.

1. ISta Regula est de *Formalitate*, cum qua investigantur formæ & fines rerum, quærendo: quare sunt? & quare agunt hoc, quod agunt? & ad istam quæstionem fiat responsio *duobus modis*, secundùm quòd aliæ res existunt *per se ipsas, & aliæ per alias*. *Primo* modo sicut DEUS, qui est per se ipsum, & non per alium, & est DEUS propter hoc, quia Bonitas, Magnitudo, Æternitas &c. sunt unum idem numero in ipso; nam, si non essent idem numero, DEUS non posset esse hoc, quod est. Item DEUS est, quia intelligit & amat se ipsum & suam Bonitatem, suam Magnitudinem & cæteras suas Dignitates tantum, quanta est sua Essentia & sua Unitas. Item sicut substantia hominis, quæ est per se ipsam, in quantum est hoc, quod est, ideo est per se ipsam: & sic de substantiali Bonitate, quæ est per se ipsam hoc, quod est; & hoc idem sequitur de aliis rebus similibus istis. *Secundo* modo, sicut quædam entia, quæ sunt *propter alia:* sicut homo, qui est propter recolere, intelligere & amare DEUM; & cognoscit, recolit & amat, ut sequatur finis, quare est: sicut Bonitas, quæ est, ut Magnitudo sit bona, & Magnitudo est, ut Bonitas sit magna, & sic de aliis rebus, quæ in simili intentione convertuntur. Item malum est, ut sit bonum, & magnum malum, ut sit magnum bonum, tamen non convertitur, quia bonum non est, ut sit malum. Item culter est propter scindere, & dentes sunt propter comedere, & oculi propter videre, & visibilitas rerum est propter intelligibilitatem, & imaginatio est, ut conservet species, quas intellectus abstrahit à sensualibus, & sic de aliis rebus similibus istis, & secundæ intentiones, quæ sunt propter primas.

2. Per istam Regulam habetur cognitio ad regulandum responsionem sub forma

quæſtionis, inveſtigando formas & fines, quæ implicantur in terminis quæſtionis, miſcendo quodlibet principium in alio, conſervando concordantiam formarum & finium in illa mixtione, quas formas & fines ſignificavimus in hoc, quod diximus de illis in hac Regula & in definitionibus Principiorum & explanationibus eorum: ſicut, ſi quæratur, quare DEUS permittat, quòd ſit malum, cùm ipſe ſit ipſum magnum Bonum? & iſta eſt reſponſio ad factam quæſtionem, ut per talem modum cognoſcatur magnum bonum; & ſic de aliis rebus ſimilibus iſtis.

REGULA V.

De Quantitate F.

1. ISta Regula tractat de *Quantitate*, ut intellectus ſit regulatus ad menſurandum terminos quæſtionis in concluſione; & hoc fit *duobus* modis, ſcilicet in *ſimplici* Quantitate & in *compoſita* Quantitate; *primo* modo cum ſimplici quantitate menſurantur & conſiderantur ſimplices quantitates Principiorum; *ſecundo* modo cum compoſita quantitate menſurantur & conſiderantur quantitates compoſitæ de eorum mixtione. Cum *ſimplici* quantitate: ſicut quantitas Bonitatis, quæ eſt ſimplex principium habens ſimplicem quantitatem ſub ratione ſuæ ſimplicis ſubſtantialitatis, eſſentiæ & naturæ; cum *compoſitâ* quantitate, ſicut quantitas Bonitatis, quæ ſe multiplicat in ſimilitudinibus, quas induit de aliis principiis ſubſtantiæ, Bonitate exiſtente magnâ, durabili & potente, & ſic de aliis ſimilibus iſtis; & propterea illa multiplicatio ex pluribus quantitatibus converſa eſt in compoſitionem plurium ſimplicium quantitatum, quæ multiplicant unam compoſitam quantitatem, aliis quantitatibus exiſtentibus in aliis, ipsâ quantitate exiſtente communi omnibus aliis ſimplicibus quantitatibus & toti ſubſtantiæ ſub ratione Bonitatis; & idem ſequitur de Magnitudine & aliis principiis ſubſtantiæ habentibus ſimplicem & compoſitam quantitatem. Quantitas ſimplex & compoſita, quæ eſt intra ſubſtantiam, eſt inviſibilis, & apparet in figura in extremitatibus ſubſtantiæ, cum quibus participat aër, qui non eſt de eſſentia illius ſubſtantiæ: ſicut cum ſubſtantia Petri vel Martini, & ſic de aliis rebus ſimilibus iſtis.

2. Intentio, quare iſta Regula tradita eſt in hac Arte, eſt, ut cum illa menſurentur quantitates Principiorum affirmando vel negando in reſponſione quæſtionis: ſicut ſi quæratur: Utrùm DEUS ſit? ſuppoſito, quod DEUS ſit, videatur, utrùm intret plus de Bonitate, Magnitudine, & ſic de aliis principiis, in memoriam recolentem, intellectum intelligentem & voluntatem volentem, quàm ſi negetur, quòd DEUS ſit; „ unde factâ iſtâ inquiſitione requirit „ Ars, quòd concluſio fiat ſub forma ma- „ joris quantitatis multiplicatæ in poten- „ tiis animæ ex ſimilitudinibus Principio- „ rum, exceptis ſimilitudinibus Contrarie- „ tatis & Minoritatis, quæ habent con- „ cordantiam cum privatione.

REGULA VI.

De Qualitate G.

1. ISta Regula eſt de *Qualitate*, ut intellectus ſit regulatus ad inveſtigandum veritates rerum ſecundùm earum qualitates; hæc inveſtigatio debet fieri *duobus* modis, ſcilicet in propriis & appropriatis Qualitatibus; in *propriis* Qualitatibus, ſicut calor, qui eſt propria qualitas ignîs, & humiditas aëris, & frigiditas aquæ, & ſiccitas terræ; & quia quodlibet elementorum habet ſuam propriam qualitatem, quodlibet elementum eſt diſtinctum ab alio elemento ſubſtantialiter, eſſentialiter & naturaliter; & hoc idem eſt de ſuis propriis partibus: ſicut bonitas ignîs non eſt bonitas aëris, nec bonitas aëris eſt bonitas aquæ, & ſic de aliis: *appropriatæ* Qualitates ſunt, ſicut, quando una ſubſtantia alteri appropriat ſuam propriam qualitatem: ſicut ignis, qui ſuum calorem appropriat aëri, ut ſit calidus, & aër appropriat ſuam humiditatem aquæ, ut ſit humida, & aqua ſuam frigiditatem terræ, ut ſit frigida, & terra ſuam ſiccitatem igni, ut ſit ſiccus; unde ratione hujus tranſeunt aliæ partes per alias ſubſtantialiter & accidentaliter, ut fiat compoſitio de omnibus illis ſubſtantiis & accidentibus, & ut ſubſtantia ſit compoſita & multiplicata de omnibus partibus ſubſtantialiter & accidentaliter, quolibet elementorum remanente ſimplici in ipſa ſubſtantia ſub ratione ſuæ propriæ qualitatis, & compoſito ſub ratione appropriatæ qualitatis; & ideo remanet ſubſtantia ſimplex ſub ratione individuationis & unitatis numeri: ſicut

ſicut ſubſtantia Martini, quæ tantùm eſt una; & iſta ſimplicitas unitatis ſuſtentatur in ſimplicitate ſimplicium partium: ſicut ſua compoſitio ſuſtentatur in compoſitione partium, quæ ſunt compoſitæ per appropriatas qualitates.

2. Ignis appropriat ſuum calorem aëri, calore exiſtente ſuſtentato in ipſo; & hoc idem fit de ſua bonitate, magnitudine, duratione &c.; & ideo intrat in illum ſubſtantialiter & accidentaliter: ille calor, quem ignis appropriat aëri, eſt ſecundùm comparationem ignîs & aëris activa & paſſiva qualitas; *activa* eſt, in quantum ignis eſt calefactivus; *paſſiva* eſt, in quantum aër eſt calefactibilis, quia ejus calefactibilitas ſtat ſub ratione ignificabilitatis ignîs; & ille calor, quem aër mittit in aquam, eſt ſecundùm comparationem aëris activa qualitas, & eſt ſecundùm comparationem aquæ paſſiva qualitas; & hoc ratione magnæ concordantiæ, quæ eſt inter ignem & aërem, & propter magnam contrarietatem, quæ eſt inter ignem & aquam, igne appropriante ſuum proprium calorem aëri, ut aër habeat proprietatem calefaciendi aquam, & ut aqua habeat duas paſſiones ſub activo calore ignîs & aëris; & ignis non ſuſtinet, quòd calor aquæ ſit activa qualitas aquæ in calefaciendo ea, quæ in aqua calida ſunt calefacta; & ideo nota, quòd aqua non calefaciat terram, quia eſt contra ignem, & ignis contra aquam, & ejus caliditas eſt paſſiva qualitas ipſi appropriata, ut aqua ſit medium, per quod terra calefiat; & hoc idem, quod de igne & aqua diximus, ſequitur de aëre & terra & de omnibus partibus ſubſtantiæ.

3. Cum iſta Regula eſt intellectus regulatus ad inveſtigandum Qualitates naturalium entium ſecundùm id, quod diximus de Qualitate, in ſubſtantiis & earum partibus, miſcendo quodlibet Principium cum quolibet alio, & quamlibet Regulam cum qualibet alia, in qua mixtione quælibet partium oſtendit ſe, qualiter ſit induta de propria Qualitate & de appropriata Qualitate, ſecundùm quod indumentum & habitum debet fieri judicium de rebus in reſponſione facienda ad quæſtionem.

REGULA VII.

De Temporalitate. H.

1. ISta Regula eſt de *Temporalitate*, quam ſignificamus per Regulam de C. & de D. & de K. Sunt *quatuor* modi, ſecundùm quos inveſtigamus de Tempore; *primus* eſt, in quantum quæritur: Quid eſt Tempus? *ſecundus* eſt: De quo eſt Tempus? *tertius* eſt: Quomodo eſt Tempus in principiis, & principia in illo? *Quartus* eſt: Cum quo eſt Tempus? & iſti quatuor modi ſignificantur per Regulas, quas diximus. *Primus* modus eſt *de Quidditate* Temporis, quod eſt una ſimplex pars ſubſtantiæ mundi, in quo ſtat ſubſtantia cum omnibus ſuis partibus motis in tempore, ſinè quo motus entium non poſſet eſſe, illo motu ſuſtentato in entibus, quæ moventur de uno loco ad alium vel in alio; & in illo motu apparet figura temporis ſub forma generationis & corruptionis, & per illam figuram attingit intellectus formam temporis & ejus quidditatem. *Secundus* modus ſignificatur in *mixtione* Principiorum in hoc, quòd Tempus eſt de ſe ipſo & de alio, hoc eſt, de principio, in quo tempus eſt creatum & principiatum: ſicut principium, quod in tempore eſt creatum & temporificatum; & ideo tempus eſt de principio, & principium de tempore: ſicut Bonitas eſt de Magnitudine, & Magnitudo de Bonitate; & ſic de aliis Principiis. *Tertius* modus eſt de *Situatione*, ſcilicet, quomodo Tempus ſtat in Principiis, & Principia in illo; Tempus ita ſtat in Bonitate, ſicut Bonitas in Magnitudine, ſcilicet, ut, ſicut Magnitudo eſt bona ſub ratione Bonitatis, ita Tempus ſtat in Bonitate bonum ſub ratione Bonitatis, & è converſo, exiſtente Bonitate in Tempore ſub ratione illius; unde ſequitur, quòd Bonitas ſit in ſucceſſione motûs diei & noctis, horarum & momentorum, illo motu ſuſtentato in præſenti tempore, cujus figura apparet in præteritis & futuris rebus. *Quartus* modus eſt *de Habituatione*, cum qua ſignificantur res, cum quibus Tempus eſt hoc, quod eſt, & cum quibus eſt in partibus ſubſtantiæ & in motu extra ſubſtantiam: ſicut Tempus, quod eſt cum ſuis eſſentialibus partibus, ſcilicet temporificativo, temporificabili & temporificare; & cum Bonitate eſt Tempus, in quantum eſt bonum, & cum Magnitudine, in quantum eſt magnum; & ſic de aliis.

2. Iſta Regula ſic conſiderata regulat & ordinat humanum intellectum, quomodo judicet de rebus ſub ratione Temporis: ſicut ſi quæratur: Quare DEUS antè non creavit mundum? vult Ars, quòd reſpondeatur ſecundùm conditiones Principiorum & Regularum hujus Artis, ſcilicet: quòd recolantur & intelligantur ea, quæ faciunt ad reſponſionem factæ quæſtionis, ſecundùm quòd iſta Scientia habetur in habitu; nam, ſi reſponſio fieret, antequàm reſpondens uteretur habitu iſtius Scientiæ, non poſſet ſe juvare cum virtute habitûs hujus Artis, nec ſequeretur finis Principiorum; igitur vult iſta Ars, quòd antè conſideretur theorica iſtius Scientiæ, quàm ſit practica: ſicut in Regula de D., in qua eſt ſignificatum, quòd, antequam mundus erat, non erat aliquid aliud, niſi DEUS tantùm; quare iſtud adverbium *antè* poſitum in prædicta quæſtione non eſt aliquid ſecundùm realitatem, ſed eſt ſimilitudo, quam intellectus accipit de rebus ſub ratione temporis, quarum quædam ſunt antequàm aliæ; nam, ſi hoc adverbium *antè*, quod eſt poſitum in quæſtione, eſſet aliquid reale, tempus eſſet antequàm mundus fuiſſet creatus, & iſtud tempus eſſet æternum, & non habuiſſet ſubjectum, in quo fuiſſet ſuſtentatum, ſcilicet partes ſubſtantiæ mundi, quæ ſunt Bonitas, Magnitudo &c., & perderetur definitio Principii & aliarum partium ſubſtantiæ.

REGULA VIII.

De Localitate I.

1. Ista Regula eſt de *Localitate*, & tractatur *quatuor* modis, & poſſet tractari pluribus, *ſed nos tractamus iſtam Scientiam breviori modo, quo poſſumus;* iſtos *quatuor* modos ſignificamus cum tribus literis, quæ ſunt C. D. K. ad ſignificandum *quatuor* Regulas, ut per has habeatur cognitio de loco, & de his, quæ quæruntur ſub ratione Localitatis. *Primus* modus: ſicut Regula de C., quæ ſignificat *Quidditatem* Loci, qui ſcilicet locus eſt una pars ſubſtantiæ mundi, in quo ſunt omnes partes ſubſtantiæ; & eſt diffuſus & extenſus per omnes illas partes; & per ſuam naturam & virtutem poteſt eſſe in ſe ipſo hoc, quod eſt, & poteſt eſſe in aliis partibus ſubſtantiæ, dando illis ſuam ſimilitudinem, ut poſſit eſſe in illis eſſentialiter, & ipſæ ſimiliter in illo, & quælibet partium poſſit eſſe in alia, & ſubſtantia mundi in ſe ipſa & in ſuis partibus, & ejus partes in illa & in ſe ipſis. *Secundus* modus ſignificat, *De quo* eſt Locus; Locus eſt de ſe ipſo, & alia loca ſunt de aliis: ſicut Locus, qui eſt de ſe ipſo ſimpliciter, & non de alio; & quia ipſe eſt principiatus & creatus, eſt de ſuo Principio, ut Principium habeat Locum, in quo poſſit ſuſtentari; hoc idem ſequitur de Bonitate, quæ eſt Locus Magnitudinis, ut Magnitudo habeat Locum, in quo ſit bona, & ſic de aliis principiis ſubſtantiæ, in quibus alia loca ſunt de aliis: ſicut color & viſibilitas, quæ ſunt loca videndi, & imaginatio, quæ eſt Locus imaginandi; iſta Loca, quorum alia ſunt de aliis, ſunt particularia exiſtentia ſub Loco univerſali, in quo ſunt inviſibilia, quia non poteſt videri, tamen apparent & relucent in ipſo, quia ſunt Loca intelligibilitatis & intelligendi in imaginatione, in qua ſunt imaginabilia; nam Locus univerſalis transmittit ſuam ſimilitudinem & ſimilitudines partium extra ſubſtantiam, quæ ſimilitudo eſt ſenſibilis figuraliter: ſicut vinum, quod eſt in loco, exiſtens in vaſe, in quo eſt; & calor piperis, qui eſt in Loco ſaporis & ſubſtantiæ piperis. *Tertius* modus Loci eſt ſecundùm nonam Regulam, in qua manifeſtatur, quomodo aliæ res ſint in aliis; iſta Regula ſignificat *Modos* entium: ſicut bonificativum, quod habet modum eſſendi in bonificabili, ut ſit bonificare in bonificativo & bonificabili; & ſicut Bonitas, quæ habet modum, quomodo ſit in Magnitudine, ut ſit magna in ſe ipſa ſub ratione magni bonificativi, bonificabilis & bonificare. *Quartus* modus eſt de Habituatione ad ſignificandum res, cum quibus locus eſt hoc, quod eſt, & locus eſt cum ſuis eſſentialibus partibus, ſcilicet locificativo, locificabili & locificare; & eſt cum Bonitate, ut Bonitas ſit locus Magnitudini, ut Magnitudo ſit bona, & è converſo, ut Bonitas ſit magna; & ſic de vino, ut poſſit eſſe in ampulla contentum, & ampulla habeat contentum, ut non ſit locus vacuitatis; & ſic de aliis rebus ſimilibus iſtis, cum quibus locus eſt hoc, quod eſt in ſe ipſo & in ipſis, & ipſæ in ſe ipſis & in ipſo, & cum ſe ipſis & cum ipſo.

2. Iſta Regula tractata ſecundùm quòd diximus, eſt lumen humano intellectui, ut ſit regulatus & habituatus ad reſpondendum

dum & faciendum judicium de rebus in concluſione ſub ratione loci; „ & ideo vult „ Author hujus Artis, quòd in faciendo „ judicio in concluſione tractetur de Loco, „ ſecundùm quòd diximus in locis iſtius „ Scientiæ, quæ Loca ſunt Figuræ, Definitiones, Regulæ & Quæſtiones: ſicut, cùm „ quæritur: Ubi erat DEUS, antequam mundus erat? vult Ars, quòd recurratur ad loca hujus Artis, quæ diximus, & quòd ſecundùm illa fiat reſponſio: ſicut ad Regulam, quæ eſt de C., quæ ſignificat, quòd DEUS erat in ſe ipſo, & in definitione Principii mixta cum iſta Regula, quæ eſt de Loco, & cum definitione Magnitudinis ſignificatur, quòd DEUS non erat in loco, antequam mundus erat, ſed erat in ſe ipſo tantùm.

REGULA IX.

De Modalitate K.

1. Ista Regula eſt de *Modalitate*, & regulat intellectum ad inquirendum *Modos* entium, & eſt diviſa in *quatuor Partes*. *Prima* Pars docet Modum, ſecundùm quem exiſtunt partes ſubſtantiæ: ſicut Bonitas, quæ eſt una pars, & Magnitudo alia, & quælibet habet modum, quòd ſit pars ratione Differentiæ, exiſtente Differentiâ inter Bonitatem & Magnitudinem in diſtinctis bonificativo, bonificabili & bonificare, quæ ſunt eſſentiales partes Bonitatis; & idem eſt de Magnitudine in diſtinctis magnificativo, magnificabili & magnificare, quæ ſunt eſſentiales partes Magnitudinis; & ſic de cæteris principiis. *Secunda* Pars oſtendit Modum, ſecundùm quem aliæ partes exiſtunt in aliis: ſicut Bonitas, quæ eſt in Magnitudine & Duratione, in quantum eſt magna & durabilis, & è converſo. *Tertia* Pars oſtendit & declarat Modum, ſecundùm quem ſubſtantia eſt in ſuis partibus, & partes in ipſa: ſicut Bonitas exiſtens in Magnitudine, Duratione & cæteris partibus ſubſtantiæ, habet Modum multiplicandi ſe ipſam in aliis partibus, & aliæ partes habent Modum multiplicandi ſe ipſas in Bonitate; & de hac multiplicatione multiplicatur ſubſtantia, quæ ſubſtantia habet Modum exiſtendi in ſuis partibus ſecundùm Modum, quem partes habent exiſtendo in illa. *Quarta* Pars eſt de Modo, quem ſubſtantia habet ad multiplicandum ſuam ſimilitudinem & ſimilitudinem ſuarum partium in his, quæ ſunt extrà: ſicut ſubſtantia hominis, quæ ſecundùm ſuam Bonitatem habet modum faciendi bona opera, & ſecundùm ſuam Magnitudinem faciendi magna opera, & ſecundùm quòd eſt compoſitus de potentia elementali, vegetali, ſenſuali, imaginali & rationali habet modum intelligendi intelligibilia, imaginandi imaginabilia, ſentiendi ſenſibilia & vegetandi vegetabilia in ſe ipſo, & generandi alium hominem; & hoc idem eſt ſuo modo de potentia elementativa, ratione cujus habet Modum ſentiendi calorem, frigiditatem, famem, ſitim & generandi alium hominem. Item habet Modum utendi his, quæ ſunt extrà, artificialiter ſecundùm Modos exiſtentes intra ſubſtantiam: ſicut voluntas, quæ deſiderat, quòd homo ſit virtuoſus in Modo loquendi, intelligendi, emendi, vendendi & ſic de aliis rebus ſimilibus iſtis.

REGULA X.

De Inſtrumentalitate K.

1. Ista Regula eſt de *Inſtrumentalitate*, & oſtendit Inſtrumenta, quæ ſunt in artificialibus & naturalibus rebus, & dividitur in *quatuor Partes*. *Prima* Pars eſt, ſicut Bonitas, quæ eſt cum ſua propria eſſentiali proprietate, ſcilicet cum proprio bonificativo, bonificabili & bonificare. *Secunda* Pars eſt, ſicut Bonitas, quæ exiſtit cum proprietatibus ſibi appropriatis, ſcilicet cum Magnitudine, Duratione, Poteſtate & aliis Principiis; quia ſinè iſtis non poteſt eſſe nec ſtare in ſubſtantia, quia non haberet, in quo ſuſtentaretur. *Tertia* Pars eſt, ſicut ſubſtantia, quæ eſt cum ſuis ſubſtantialibus & accidentalibus partibus, & cum ipſis exiſtit hoc, quod eſt, & agit in ſe ipſa ſub ratione ipſarum partium. *Quarta* Pars eſt, ſicut ſubſtantia, quæ agit extra ſe in aliis entibus cum ſuis intrinſecis ſimilitudinibus: ſicut homo, qui cum ſuis intrinſecis rationibus agit extra ſe extrinſecas rationes bonas, magnas & durabiles; ut in ſimilitudinibus extrà revelentur entia aſſimilata, quæ intrinſecè exiſtunt in ſubſtantia; & ideo movet homo ſuos pedes cum voluntate, & ſe ipſum cum ſuis pedibus de uno loco ad alium, & cum ſua manu movet calamum, & cum calamo atramentum, & cum atramento literas, & cum literis ſuam memoriam ad recolendum, & ſuum intellectum

ad

ad intelligendum, & ſuam Voluntatem ad amandum, & ſuam imaginationem ad imaginandum, & ſuos ſenſus ad ſentiendum, & ſuam vegetativam ad vegetandum, & ſuam elementativam ad elementandum; movet adhuc ſe ipſum cum motu equi, ſuper quo equitat, & cum motu navîs, in qua eſt; & movet ſe ipſum cum virtutibus ad cœleſtem gloriam, & cum vitiis ad infernalem pœnam; & ſic de aliis rebus ſimilibus iſtis.

2. Iſtæ Regulæ ſunt multùm utiles ad ſciendum, quia earum ſignificata ſunt magna, quæ quælibet continet per ſe & etiam cum mixtione cujuslibet cum alia; nam cum ipſis reperitur modus inveniendi Veritatem rerum, & etiam Bonitatem, Magnitudinem & alia Principia ipſarum: ſicut per Regulas ipſorum B. C. D. E. F. G. H. I. K., & in mixtione earum apparet plus de Bonitate in ſubſtantia ſubſtantialiter, quàm accidentaliter, ut ſubſtantia habeat majora & nobiliora ædificia.

DISTINCTIO III.

De Propoſitionibus.

1. HÆc tertia Diſtinctio eſt de *Propoſitionibus*, cum quibus homo poteſt ſolvere quæſtiones, quæ Propoſitiones componuntur ex Principiis & Floribus Arboris, conſervando iſtas Propoſitiones affirmando vel negando, videlicet, quòd, ſi affirmativa concordat cum Propoſitione, ſolvatur quæſtio per affirmationem; &, ſi affirmativa contrariatur Propoſitioni, ſolvatur quæſtio per negationem. *Et, ſcias, Fili, quòd iſta Regula ſit generalis in hac Scientia, & per ipſam hæc Scientia eſt generalis.*

2. Hæc Diſtinctio dividitur in *novem Partes; prima* Pars eſt de B., *ſecunda* de C., *tertia* de D., & ſic de aliis per ordinem uſque ad Literam K. Quælibet Pars autem dividitur in *novem Rubricas:* ſicut in prima Parte, in qua eſt Rubrica de B. L., & de B. M., & ſic per ordinem uſque ad Rubricam de B. V.; & hoc idem ſequitur de ſecunda Parte, in qua eſt Rubrica de C. L., & de C. M., & ſic per ordinem uſque ad Rubricam de C. V.; & hoc idem ſequitur de aliis partibus hujus Diſtinctionis, & *quamlibet harum Rubricarum appellamus Cameram ſecundæ Figuræ.*

PARS I.

De Propoſitionibus B.

Camera B. L.

1. QUia in DEO Bonitas, Magnitudo, Æternitas, Poteſtas, Sapientia & Voluntas ſunt unum idem numero, habent Potentia & objectum in DEO majorem Concordantiam, quàm in aliquo alio ente; & ideo in Divina Entitate eſt Bonitas major ratio bono, quòd producat bonum, quàm in aliqua alia entitate, & illud bonum eſt clarius, majus, durabilius, potentius & ſapientius, quàm aliquod aliud ens, quod non ſit de Divina Entitate.

2. Omne id, quod Sapientia DEI poteſt ſcire cum Bonitate, Magnitudine, Æternitate, Virtute, Veritate, Gloria, Differentia, Concordantia, Principio, Medio, Fine, Majoritate & Æqualitate, poteſt Voluntas DEI deducere de Potentia in actum.

3. Eſt bonum, quòd in creato ente ſit Differentia, ut Bonitas poſſit eſſe ratio bono, quòd faciat bonum; quia ſinè Differentia non poſſet fieri aliquod bonum, nec aliqua Potentia poſſet habere Concordantiam cum ſuo objecto, & ſinè differentia non eſſet claritas inter quasdam Creaturas & alias, & omnes creaturæ eſſent unum idem in numero, unde ſequeretur privatio boni, quod eſſet magnum malum.

4. Bonum eſt, quòd quædam creaturæ ſint in aliis creaturis in Potentia, ut Bonitas poſſit eſſe ratio bono, quòd agat bonum, & quòd Differentia ponat claritatem inter creaturam & operationem; nam illud ens eſt creatura, quod habet alias creaturas in Potentia & in ſe ipſo exiſtit actu, & illud ens, quod eas deducit de Potentia in actum, agit in eis; & ideo hoc, quod agit in eis, eſt Operatio, & opus, quod quædam creaturæ agunt in aliis.

Camera B. M.

1. QUia Bonitas eſt ratio humano intellectui, quòd agat bonum: & quia intellectus ſecundùm ſuam naturam habet Concordantiam cum ſuo objecto: & quia Differentia declarat humano intellectui diverſitates entium, multiplicat intellectus ſpecies realium entium in phantaſticis ſimilitudinibus, in quibus intelligit & attingit realia entia & veritates eorum.

Phan-

2. Phantaſticæ ſimilitudines exiſtunt in reali Bonitate & in reali Differentia in potentia, quas intellectus deducit in actum; ut ex eis componat phantaſticum intelligere, cum quo poſſit uti ſuâ Bonitate & ſuâ Differentiâ.

3. Cum ente phantaſtico tranſit rationalis potentia ad habendum Concordantiam cum ſuo objecto tunc, quando ipſum accipit cum Concordantia ſuî ipſius & objecti ſub ratione Bonitatis & Differentiæ, quæ Differentia cum ſua claritate & cum ratione Bonitatis removet obſcuritatem, quæ exiſtit inter Potentiam & Objectum.

4. Potentia & objectum ſunt ſubjecta, in quibus entia phantaſtica exiſtunt in potentia, quæ deducuntur ad actum ratione Bonitatis & Differentiæ, ut Bonitas & Differentia non ſint otioſæ: & ut agens utatur ipſis, ut Bonitas exiſtat in ſuo objecto.

Camera B. N.

1. BOnitas eſt generale Principium ideo, quia Differentia declarat Bonitatem, quæ eſt ſupra plures bonitates, quæ ab ipſa deſcendunt, generali Bonitate exiſtente ratio ipſi bono, quòd de ipſa agat bonum in ſpecificis bonitatibus; & ideo generalis Bonitas eſt Potentia, cum qua bonus agit bonum, & ponit Differentiam in Concordantia Potentiæ & ſui objecti.

2. In generali Bonitate exiſtunt ſpecificæ bonitates in potentia, & agens, qui eſt bonus, deducit eas in actum ſub ratione Bonitatis; & ideo declarat Differentia, quòd una ſit generalis Bonitas, & alia ſit ſpecifica bonitas.

3. Specialis Bonitas eſt ſpecialis Potentia, quæ eſt ratio individuis, quæ exiſtunt ſub ſpeciebus, quòd accipiant objecta cum bona Concordantia & ſinè confuſione Potentiæ & objecti, ut Differentia poſſit illa declarare humano intellectui.

4. Species, in quibus bona individua exiſtunt in potentia, ſunt bonæ, nam per ipſam Potentiam conſervantur ſpecies, & generantur individua, & deducuntur in actum, & Bonitas eſt ratio bono, quòd agat bonum; & ſic habet Differentia ſubjectum, in quo poſſit oſtendere ſuam claritatem.

Camera B. O.

1. ILle Motus eſt bonus, in quo Differentia declarat motivum, mobile & movere in Concordantia potentiæ & objecti.

2. Ille Motus eſt bonus, per quem bonæ operationes de potentia deducuntur in actum ſinè confuſione motivi, mobilîs & movere.

3. In Motu, in quo mobile eſt de eſſentia motivi, eſt magna Concordantia Bonitatis & Differentiæ, Potentiæ & objecti.

4. Plures bonæ Mobilitates exiſtunt in potentia in Mobilitate, quæ eſt de eſſentia motivi, & idem de pluribus Differentiis.

Camera B. P.

1. BOnitas & Differentia exiſtunt tunc in Magnitudine Concordantiæ Potentiæ & Objecti, quando Potentia & objectum ſunt ejusdem eſſentiæ.

2. Si Bonitas & Differentia eſſent una eadem eſſentia, nulla bonitas eſſet in potentia, nec aliqua differentia.

3. Illa Differentia eſt bona, quæ facit plura entia ſtare ſub eadem Bonitate, ex qua illa entia exiſtunt; nam per illam unitatem & pluralitatem Bonitatis eſt Differentia in bona Concordantia Potentiæ & objecti.

4. Illa Differentia eſt bona, quæ ſub una Bonitate facit exiſtere pluralitatem plurium bonorum, pluribus aliis bonis exiſtentibus in potentia, quæ deducuntur in bonum actum ratione Bonitatis, quæ movet naturalem agentem ad agendum bonum.

Camera B. Q.

1. QUia abſtracta Bonitas eſt Potentia, eſt Bonitas generale Principium omnibus agentibus, quæ ſunt bona; ut accipiant bona objecta propter hoc, ut cum ipſis habeant Concordantiam, & ut Differentia declaret illa objecta & ipſa agentia.

2. Bonum eſt, quòd Differentia ſit Principium abſtractum, & quòd habeat in ſe concreta, quæ ſunt de ſua eſſentia, declarata per Differentiam, in quibus aliena concreta exiſtant in potentia, & veniant in actum ſub ratione Bonitatis & Differentiæ.

3. Differentia declarat in Bonitate bona concreta, quæ ſignificant eſſentiam bonitatis, ex qua ſunt; & ideo eſt bona Concordantia Potentiæ & Objecti.

4. Bonificativum, bonificabile & bonificare ſunt concreta Bonitatis; differentiativum, differentiabile & differentiare ſunt concreta Differentiæ; & ideo in his ſimplicibus concretis exiſtunt alia aliena concreta in potentia, quæ componuntur

ſub ratione Bonitatis & Differentiæ; & illa compoſitio exiſtit in potentia.

Camera B. R.

1. QUantò magìs Potentia accipit ſuum objectum cum intenſitate Bonitatis & Differentiæ, tantò magìs eſt bona & clara Concordantia amborum & ſimplicitas eorum.
2. In Intenſitate Bonitatis & Differentiæ exiſtunt in potentia plures ſimplicitates, quæ veniunt in actum per virtutem utriusque.
3. In mixtione Bonitatis & Differentiæ apparet Extenſitas multiplicata ex ambabus Potentiis, quæ habent concordantiam in eodem ſubjecto.
4. In compoſitione Bonitatis & Differentiæ exiſtit in actu Extenſitas compoſita, in qua plures Extenſitates exiſtunt in potentia, quæ non ſunt de eſſentia Bonitatis nec Differentiæ.

Camera B. S.

1. ILla Potentia eſt bona, quæ accipit objectum ſub ratione Bonitatis, quia ab ipſo objecto trahit Similitudinem Bonitatis, & ponit eam in Concordantiam ſuî ipſius & Bonitatis; & Differentia declarat in ipſa Concordantia Similitudines, quæ ſunt Potentiæ & objecti.
2. Bona Potentia transmittit extrà ſuam Similitudinem, in qua Similitudine plures bonæ Similitudines exiſtunt in potentia, declaratæ per Virtutem Differentiæ.
3. Quando Potentia accipit objectum cum Diſſimilitudine Bonitatis & Differentiæ, tunc Bonitas & Differentia exiſtunt in illo objecto in confuſione & malitia indutæ de ſuis Diſſimilitudinibus, & oritur in ipſis Contrarietas.
4. In Diſſimilitudine Bonitatis & Differentiæ exiſtit in potentia Similitudo Bonitatis & Differentiæ, quæ venit in actum per earum Concordantiam.

Camera B. V.

1. ILla Potentia eſt bona, quæ generat ſuum objectum ex Bonitate, quia cum illo objecto habet magnam Concordantiam, in qua Concordantia exiſtit magna claritas utriusque.
2. Generabile, quod exiſtit in potentia Bonitatis & Differentiæ, quando eſt in actu, exiſtit in magna actualitate Bonitatis & Differentiæ.
3. Quia Corruptio eſt ſubjectum Generationis, eſt objectum Potentiæ, quæ accipit Objectum Generationis ſub ratione Bonitatis, & Differentia declarat objectum utriusque in Concordantia.
4. In Corruptione exiſtit Generatio in potentia; & quando Generatio eſt in actu, exiſtit in ipſa Generatione Corruptio in potentia, & ipſa Potentia eſt bona, ut Bonitas poſſit ſufficere naturali agenti, quòd generet bonum ſub ratione Bonitatis, & ut Differentia habeat ſubjectum, in quo generetur claritas, quæ illuminat generativum, generabile & generare.

PARS II.
De Propoſitionibus C.

Camera C. L.

1. QUia in DEO Bonitas, Magnitudo, Æternitas & aliæ Dignitates ſunt unum idem numero, convenit, quòd in DEO ſit Concordantia potentiæ & objecti.
2. Creatum ens eſt ſubjectum magnæ Concordantiæ potentiæ & Objecti; & ideo Concordantia concordat potentiam & Objectum in uno & in pluribus.

Camera C. M.

1. PRopter magnam Concordantiam, quæ eſt inter potentiam & Objectum, trahit humanus intellectus ſimilitudines realium entium, ut cum ipſis poſſit ipſa attingere & habere.
2. Illa Concordantia, quam potentia habet cum Phantaſtico Objecto, non eſt ita magna, ſicut Concordantia, quam habet cum reali objecto; & ratio hujus eſt, quia Magnitudo & Concordantia habent majorem entitatem in objecto reali, quàm in phantaſtico.

Camera C. N.

1. IN magna Concordantia potentiæ & Objecti ſignificatur magna Concordantia Generum & ſpecierum, quam habent in uno & in pluribus.
2. In magna Concordantia potentiæ & Objecti ſignificatur magna Concordantia, quam Species & individua habent in uno & in pluribus; & hoc idem ſequitur de magna Concordantia, quam individua habent cum generibus.

Came-

Camera C. O.

1. SEcundùm quòd ſubjectum Motûs eſt magnum, eſt magna Concordantia potentiæ & Objecti.
2. Secundùm quòd Motus eſt magnus, eſt magna Concordantia vel Contrarietas motivi & Mobilîs.

Camera C. P.

1. QUia in Unitate non poſſet eſſe Concordantia ſinè Pluralitate, & quia Unitas non poſſet eſſe magna ſinè Concordantia, convenit, quòd in Unitate ſit Pluralitas & Concordantia potentiæ & Objecti.
2. Quia ſinè Differentia non poſſet eſſe Pluralitas, & ſinè Pluralitate non poſſet eſſe Concordantia potentiæ & Objecti, ideo convenit, quòd ſit Differentia.

Camera C. Q.

1. SEcundùm quòd eſt abſtracta conſideratio potentiæ & Objecti, eſt abſtracta conſideratio Magnitudinis & Concordantiæ.
2. Potentia abſtractæ Magnitudinis & Concordantiæ deſcendit ad accipiendum Objectum in concretis conſiderationibus; & ideo Concordantia, quæ eſt inter potentiam & Objectum, incipit in entibus abſtractis, & perficitur in concretis.

Camera C. R.

1. MAgnitudo & Concordantia poſſunt eſſe in tam magna Intenſitate, quòd in ipſis potentia & Objectum poſſunt eſſe ſimplicia entia ſinè aliqua compoſitione.
2. Compoſita Extenſitas Magnitudinis & Concordantiæ ſunt diverſæ eſſentiæ in creatura, & ideo in tali extenſitate potentia non poteſt attingere Objectum ſimplex ſinè compoſitione.

Camera C. S.

1. SEcundùm quòd eſt magna Similitudo potentiæ & Objecti, eſt magna Concordantia eorum; & ideo potentia multiplicat illam Similitudinem de ſe ipſa & de Objecto.
2. Quando potentia accipit Objectum cum Diſſimilitudine ſuî ipſius & ſui Objecti, tunc multiplicat magnam Contrarietatem inter ſe ipſam & Objectum.

Camera C. V.

1. ILla Generatio, quæ eſt in magna Concordantia potentiæ & Objecti, eſt ſinè Corruptione; & ideo in Beatis gloriæ ſunt recolere, intelligere & amare entia incorruptibilia.
2. Quando potentia ſe habet ad ſuum Objectum cum magna Concordantia, habet ſe ad illud ſinè Corruptione ſuî ipſius & ſui Objecti.

PARS III.
De Propoſitionibus D.

Camera D. L.

1. CUm Memoria ſit creata ad recolendum DEUM & ejus Operationes, quas habet in ſe ipſo & in creaturis, habet modum recolendi, ſi ſequitur finem, quare creata eſt, nam in illo fine durat ſuus modus; & quando eſt contra illum finem, pervertitur ſuus modus in contrarium finem, & habet modum obliviſcendi; & ideo, qui vult recolere entia, quæ deſiderat, ſequatur finem, propter quem Memoria eſt creata.
2. Sunt *novem Species* objectorum ad recolendum, ſcilcet: *DEUS, Angelus, Firmamentum, Anima rationalis, Imaginatio, Senſualitas, Vegetatio, Elementatio & Inſtrumenta naturalium & artificialium entium;* unde, qui vult recolere, conſideret has novem ſpecies objectorum recolibiles; nam in aliquo ipſorum exiſtunt ea, quæ vult recolere, ſecundùm Contrarietatem vel Concordantiam & Durationem ipſius recolere.

Camera D. M.

1. AD recolendum eſt neceſſarium reale objectum, ipſo conſiderato ſecundùm exiſtere & agere, & conſiderato ſuo exiſtere & agere ſecundùm concordare vel contrariari, & ſecundùm intrinſecas & extrinſecas operationes & ſecundùm Durationes earum, ipſis operationibus conſideratis ſecundùm principia & ſpecies Regularum hujus Scientiæ; & de iſtis conſiderationibus extrahit intellectus ſpecies entium, quæ homo vult recolere, quæ primitùs ponit in Memoria.
2. Ad recolendum phantaſtica entia convenit claudere oculos, ut ſpecies extrà viſi-

biles non impediant recolere; & convenit caput inclinare inferiùs, ut Memoria exiſtat ſupra Intellectum, & ut in vaporibus, qui ſupra aſcendunt, Intellectus accipiat ſpecies, quas poſuit in Memoria; & oportet ceſſare à voce & tactu, ut ſenſus non impediant illud recolere; & hoc idem ſequitur de guſtu, qui impedit recolere propter cibos, qui ſunt indigeſti, & propter crudos vapores & plena loca; &, ſi per hunc modum, Fili, non potes recolere, quod deſideras, aperi oculos, & vade de uno loco in alium, ut videas diverſa entia, & audias loqui de pluribus rebus, & tange multa, &, ſic de odoratu; veruntamen non velis nimium comedere nec bibere; & iterum redeas ad ſtatum, quem ſuprà diximus, videlicet ad claudendum oculos &c., & recole entia, quæ videris & audieris & tetigeris: & ſi tuum recolere facis multùm durare ſinè contrariari, poterit tuus intellectus in illis novis ſpeciebus attingere ſpecies, quas primitùs deſideraſti recolere.

Camera D. N.

1. NAturæ recolendi convenit, quòd homo recolat generalia entia ſub ratione intellectualitatis vel ſenſualitatis; & quòd in illis Generalitatibus recolat ſpecies, quas vult recolere, tangendo ipſas generalitates cum Principiis & Regulis hujus ſcientiæ, durante illo tactu in Concordantia ipſorum, & removente ab ipſis Contrarietatem: nam in illa Concordantia & Contrarietate exiſtit Generalitas ipſius recolentiæ.
2. Recolere Species naturalium & artificialium entium ſub ratione Concordantiæ & Contrarietatis, & primæ & ſecundæ intentionis, & recolere ſecundùm ſpeciem puncti tranſcendentis, & ſecundùm naturam, per quam potentia ſe habet ad ſuum objectum, & per quam juſtitia & ordinatio in entibus exiſtunt ſinè contradictione, eſt illud recolere ſpeciale objectorum phantaſticorum individuorum, quæ tu, Fili, vis recolere.

Camera D. O.

1. REcolere Motum & naturam ipſius, per quem ſpecies, quæ ſunt in potentia, reducuntur in actum, eſt regula recolendi entia, quæ homo deſiderat recolere, nam in illo naturali motu exiſtit in potentia artificialis motus, per quem tu Fili poteris recolere id, quod deſideras, ſi ſcis ipſum facere durare in tuo intelligere ſinè contrariari ipſorum recolere & intelligere.
2. Ad memorandum convenit, quòd homo recolat motum egredientem à Movente & Mobili, & inquirat naturam, per quam ille motus durat, & naturas, quæ illi motui ſunt contrariæ; nam per talem motum ſic recolitum habet homo modum habendi motum, in quo intellectus recuperat ſpecies, quas primitùs poſuit in memoria; & in ipſis apparent entia, quæ homo cupit recolere.

Camera D. P.

1. QUi vult memorare aliquid, ſciat recolere Unitates entium, nam in illis unitatibus repræſentatur unitas illius rei, quam homo vult recolere; illam repræſentationem accipiat intellectus cum ſimilitudine unitatis, intellectu perſeverante in illa conſideratione cum Concordantia & Contrarietate illius ſimilitudinis clarificatæ per Differentiam, quæ ſignificat, quòd una unitas non ſit alia.
2. Ad memorandum convenit, quòd homo recolat Pluralitates entium, in quibus apparet Differentia, quæ ipſas declarat & illuminat de ſe ipſa, & illud lumen durat tantum, quantum intellectus diſcurrit cum Concordantia & Contrarietate plurium rerum ab invicem ſeparatarum vel conjunctarum in una ſubſtantia ex ipſis compoſita; & iſta inveſtigatio pluralitatis fiat cum mixtione Principiorum hujus Scientiæ in mixtionibus Regularum.

Camera D. Q.

1. IN ſpeciebus abſtractis Concretorum durant recolibilitates entium; nam in illis Abſtractionibus accipit primò intellectus ſua univerſalia objecta, & depurat, & deſcendit de ipſis ad particularia concreta, quæ ſunt de eſſentia univerſalium objectorum; & cum tali inveſtigatione requirit Memoriam, quòd ſibi reddat ſpecies, quas illi commiſit, quas Memoria reddit per illum eundem modum, per quem intellectus quærit: & ideo vult iſta Ars, quòd non fiat contrarietas inter ambos, videlicet, quòd homo ſequatur naturam ipſorum, quam habent in Concordantia.
2. Qui vult memorare, oportet, quòd ordinet potentias animæ ad ea, quæ vult recolere, conſiderando in ipſis potentiis eſſentialia & accidentalia concreta: ſicut in memoria, in qua recolitivum, recolibile & recolere ſunt eſſentialia concreta ipſius; & recolibile, quod tu Fili vis recolere, eſt ſuum accidentale concretum, quod eſt recolibile in eſſentiali recolibili & recolere cum Duratione Concordantiæ factâ in concretis intrà & extrà; & hoc idem ſequitur de intellectivo, intelligibili & intelligere.

Camera D. R.

1. SI tu Fili, vis recolere aliqua, quæ non potes memorare, ſcias recolere Intenſitates entium, quæ ſunt prope illa entia, quæ vis recolere, & in illis intenſitatibus objectatis fac durare tuum recolere cum Concordantia intenſitatis unius & alterius, vel cum Contrarietate, quia cum illis intenſitatibus poteris venire ad ea, quæ deſideras recolere.
2. Ad memorandum convenit componere quosdam Flores hujus Arboris cum aliis, & cum Principiis & Regulis multiplicare illam compoſitionem; ut in Extenſitate illius appareant ea, quæ homo vult recolere, quæ apparent cum Concordantia illius Extenſitatis in humano intellectu contra ignorantiam, „ & convenit evita„ re nimium comedere & bibere res cali„ das & humidas, quæ ſunt contra natu„ ram ipſius recolere.

Camera D. S.

1. SI tu Fili, vis recolere, ſcias memorare finem, propter quem vis recolere; & multiplica illum finem in pluribus Similitudinibus rerum ſimilium illi fini vel diſſimilium; & in iſto diſcurſu fac diu durare tuum intellectum, nam in illa duratione venient Similitudines entium, quæ vis recolere.
2. Si tu Fili, neſcis recolere cum Similitudinibus finîs, propter quem vis recolere, recole Diſſimilitudines illius finîs; & cum illis inveſtiga ea, quæ vis recolere; & pone Contrarietatem inter illas Diſſimilitudines & alias; & illam Contrarietatem fac durare in tuo recolere, intelligere & odire.

Camera D. V.

1. SI tu Fili, vis recolere, conſidera naturam, ſecundùm quam memoria generat ſuum recolere, & intellectus ſuum intelligere, & voluntas ſuum velle, & ſcias nutrire tuam imaginativam ad imaginandum, & tuam ſenſitivam ad ſentiendum, & vegetativam ad vegetandum; nam iſta ſunt neceſſaria ad generandum recolere, & ad recipiendum ſignificata entium, ex quibus vivit Generatio ipſius recolere, & durat ſinè Contrarietate eorum.
2. Inveſtigare naturas, ſecundùm quas memoria corrumpitur, eſt inveſtigare naturam, ſecundùm quam homo ſciat recolere. Corruptio memoriæ exiſtit in nimio recolere, vel nimio amare vel odire, vel in modico recolere: vel in modico amare vel odire; & ejus conſervatio & Duratio conſiſtit in multum intelligere vera entia ſub ratione neceſſitatis: & Corruptio memoriæ etiam conſiſtit in parum intelligere: vel in rebus poſitivis, quas intellectus non intelligit per neceſſarias rationes; & ideo non habet naturalem modum ponendi illas ſpecies in memoria, nec memoria habet naturalem modum ipſas reddendi intellectui. *Scias, Fili, quòd iſtæ ſint Regulæ recolendi, & ſi tu eas ſcis intelligere, poteris habere modum & artem ad recolendum plura.*

PARS IV.
De Propoſitionibus E.

Camera E. L.

1. IN DEO Unitas Bonitatis, Magnitudinis, Æternitatis, Poteſtatis, Sapientiæ & Voluntatis eſt unum Principium, quod eſt intentio & finis ipſarum Dignitatum.
2. In DEO Poteſtas, Principium & Intentio ſunt unum & idem; & ideo omnes creaturæ ſunt creatæ ad unum principalem finem, ad quem naturaliter ſe habent omnes creaturæ.

Camera E. M.

1. QUia Poteſtas habet plus entitatis in ente reali, quàm in ente phantaſtico, ideo eſt intentio principalior entibus realibus, quàm phantaſticis.
2. Quia Poteſtas plus poteſt per primam intentionem, quàm per ſecundam, ideo realia principia præcedunt phantaſticis entibus.

Camera E. N.

1. IN Genere unito ex Poteſtate, Principio & Intentione participant fines Speciе-

rum, & in ipſo incipiunt fines individuorum; & ideo corruptio eorum incipit in diſſolutione Generis.

2. Sinè Intentione non eſſet Poteſtas, & ſinè Poteſtate non eſſent Species, & ſinè Speciebus non eſſent individua; & ideo moventur omnes naturæ entium cum Intentione.

Camera E. O.

1. MOtus activæ & paſſivæ potentiæ eſt Principium activæ & paſſivæ Intentionis; & ideo activa potentia incipit in prima Intentione, & paſſiva in ſecunda Intentione.

2. Intentio movetur de potentialitate ad poſſibilitatem; & ideo Intentio priùs incipit in activa potentia, quàm in paſſiva.

Camera E. P.

1. UNitas Poteſtatis, Principii & Intentionis non poteſt eſſe ſinè Differentia poſſificantis, poſſificabilis & poſſificare, principiantis, principiabilis & principiare, intentionantis, intentionabilis & intentionare, nec *eſſe* omnium trium poteſt eſſe ſinè Differentia.

2. Quia Principium & Intentio non poſſunt eſſe ſinè Pluralitate, & pluralitas non poteſt eſſe ſinè Differentia, convenit, quòd in Poteſtate ſit pluralitas in Differentia, & Differentia in pluralitate.

Camera E. Q.

1. POteſtas in Abſtracto eſt Principium pluribus Intentionibus, ut in ipſa ſint Concreta, quæ ſint de ſua eſſentia & de eſſentia Principii & Intentionis; & ideo in naturalibus entibus compoſitio Poteſtatis, Principii & Intentionis unitur de ſimplicibus rebus.

2. In naturalibus rebus vivunt primæ Intentiones de ſecundis; & ideo ſunt Poteſtas & Principium in abſtractis entibus per ſecundam Intentionem, & ſunt in concretis per primam.

Camera E. R.

1. INtenſa Poteſtas fortiùs apparet in prima Intentione, quàm in ſecunda; & hoc ideo, quia Principium habet plus entitatis in prima Intentione, quàm in ſecunda.

2. In Extenſitate Poteſtatis, Principii & Intentionis apparet Intenſitas primæ & ſecundæ Intentionis, & in extenſitate Poteſtatis & Principii apparet compoſitio Intentionum.

Camera E. S.

1. POteſtas & Principium transmittunt extrà ſuas Similitudines propter intentionem, ut in ipſis manifeſtentur eorum ſecreta; & ideo in ſecundis Intentionibus ſignificantur primæ.

2. Diſſimilitudo Poteſtatis eſt impoſſibilitas, & Diſſimilitudo Principii eſt infinitas, & Diſſimilitudo Intentionis eſt otioſitas, & Similitudo Poteſtatis eſt poſſibilitas, & Similitudo Principii eſt finitas, & Similitudo Intentionis eſt diligentia; & ideo in Similitudine & Diſſimilitudine DEI, & creaturarum eſt Concordantia & Contrarietas.

Camera E. V.

1. POſſificare, principiare, intentionare & generare habent Concordantiam; & ideo Poteſtas & Principium habent nobilius generare in ptima Intentione, quàm in ſecunda.

2. In elementatis rebus ſunt Poteſtas & Principium in Generatione per primam Intentionem, & exiſtunt in Corruptione per ſecundam; & ideo eſt Intentio nobilius Principium in Generatione, quàm in Corruptione.

PARS V.
De Propoſitionibus F.

Camera F. L.

1. OPeratio, quam DEUS habet in ſe ipſo, eſt major, quàm humanus intellectus; & ideo intellectus non poteſt comprehendere totam iſtam Operationem; attamen, ut habeat aliquam proportionem ad accipiendum illam Operationem, creavit DEUS unum medium, in quo intellectus aſcendit ad accipiendum illam Operationem ſupra ſuam naturam, ut ſuum intelligere proportionetur illi objecto.

2. Operationes, quas DEUS agit in creaturis ſupra curſum naturæ, ſunt altiores, quàm operationes, quæ ſunt ſecundùm curſum naturæ; & ideo intellectus non poteſt attingere illas ſecundùm curſum naturæ; & quando illas attingit, eſt ſuum attingere medium, cum quo aſcendit ad intelligendum operationes, quas DEUS habet in ſe ipſo.

Came-

Camera F. M.

1. SPecies, quas intellectus accipit à reali objecto, ſumit *dupliciter*, ſcilicet *ſecundùm curſum naturæ*, & *ſupra curſum naturæ*; & eas, quas accipit ſupra curſum naturæ, poteſt accipere *duobus modis*, videlicet *ſecundùm credulitatem* vel *ſecundùm demonſtrationem*, quam demonſtrationem format de ſpeciebus, quas accipit à Summo Objecto & ab objectis, quæ accipit ſupra curſum naturæ.

2. Objecta phantaſtica naturalia ſunt media, per quæ intellectus tranſit ad objecta realia naturalia; & ſi non poteſt tranſire ad ea per illa media, tranſit ad illa per alia media, quæ ſunt ſupra curſum naturæ, conſervando conditiones naturalium objectorum.

Camera F. N.

1. A Realibus Generibus attrahit intellectus phantaſtica genera, ſub quibus ponit phantaſticas Species, quæ ſunt media, per quæ tranſit ad intelligendum reales Species, ſub quibus exiſtunt realia individua, à quibus intellectus attrahit phantaſtica individua, & de ipſis multiplicat Species, & de Speciebus Genera; & ſi in hoc habet impedimentum, aſcendit ad intelligendum ſupra ſuam naturam & ſupra naturam illarum Specierum.

2. Quando intellectus non poteſt accipere Species ſecundùm ſuam naturam, accipit ipſas ſecundùm naturam objecti, & ſecundùm naturam illius facit judicium de Speciebus, in quo judicio facit objectum eſſe intellectum ſupra ſuam naturam.

Camera F. O.

1. SPecies, quas intellectus multiplicat, fuerunt in ipſo in potentia, antequàm ipſas multiplicaret, & trahit ipſas ab objecto, in quantum de illo accipit ſimilitudines vel diſſimilitudines; & ideo intellectus eſt motiva potentia, & objectum eſt paſſiva potentia, in quantum eſt ſimilabile vel diſſimilabile; & illæ ſuæ ſimilitudines vel diſſimilitudines ſunt media, quæ exiſtunt inter intellectum & objectum; illa media poſſunt corrumpi duobus modis, videlicet per oblivionem vel per alterationem aliorum mediorum, quæ ſunt mota ſupra curſum naturæ.

2. Intellectus habet naturaliter motivam & mobilem virtutem, quæ ſunt de ſua eſſentia; & ideo habet naturale medium, quod eſt inter ambas potentias, quod eſt ſuum naturale & eſſentiale intelligere, in quo movet ſuas intelligibilitates, quæ non ſunt de ſua eſſentia, quas in ſe ipſo intelligit; quia eas movet in ſe ipſo, & ſecundùm ſuum naturalem motum; & eas, quæ non ſunt mobiles ſecundùm curſum naturæ, movet ſupra curſum naturæ in ſuo naturali motu, vel in natura & proprietate Summi Objecti.

Camera F. P.

1. INter Intellectum & objectum exiſtit Differentia, quæ eſt medium & lumen, per quod intellectus tranſit ad objectum; & quando illud accipit ſub ratione Unitatis ſimpliciter, non accipit ab ipſo niſi unam ſimilitudinem vel diſſimilitudinem tantùm: & ideo Differentia illuminat intellectum, ut accipiat unum ſpecificum objectum; & ſi intellectus non poteſt accipere objectum cum una ſimilitudine tantùm, multiplicat ſimilitudines, & attingit illud cum Pluralitate; & ſi cum aliquo iſtorum ipſum non poteſt attingere, unit Pluralitatem in Unitate, & dividit ipſam in Pluralitatem: & ſi totum hoc ipſi non ſufficit, aſcendit ſupra curſum naturæ intelligere ſecundùm virtutem objecti.

2. In Unitate poteſt intellectus intelligere Pluralitatem, & in Pluralitate poteſt intelligere Unitatem, in qua poteſt intelligere unificativum, unificabile & unificare; & in Pluralitate omnium trium poteſt intelligere Unitatem eſſentiæ; & ideo ſuum intelligere eſt Medium, in quo accipit objectum Unitatis & Pluralitatis; &, quando intellectus non ſequitur hanc naturam, cadit ſic in ignorantiam contra curſum naturæ, ſicut aſcendit intelligere veritatem ſupra curſum naturæ.

Camera F. Q.

1. INtelligentia eſt objectum conſideratum in Abſtracto, & ejus eſſentialia Concreta ſunt eſſentiale intellectivum, intelligibile & intelligere; & ideo, quando intellectus tranſit ad intelligendum abſtracta objecta, quæ non ſunt de ſua eſſentia, primò tranſit per ſua eſſentialia Media, & in illis accipit ſimilitudines Concretorum & Abſtractorum; & quando facit contra iſtam naturam, cadit in ignorantiam, niſi aſcen-

dat

dat intelligere ſupra naturas, quæ illi ſunt inferiores, vel in virtute ſupremi Objecti.

2. Intellectus accipit in Concretis entibus figuram Abſtractorum, & illa eſt Medium, per quod tranſit ad intelligendum eſſentiam abſtracti; & de illa eſſentia trahit figuram concretorum, cum qua intelligit eſſentias eorum; & ideo ponit ſuum intelligere in circulo compoſito ex duabus figuris, in quo attingit unam figuram cum alia ſecundùm ſcientiam acquiſitam; & quando intelligit ſupra illum circulum, attingit ſupra ſuam naturam per ſcientiam infuſam.

Camera F. R.

1. INtenſitas eſt illud Medium, per quod intellectus tranſit ad intelligendum ſimplicia objecta; & illa Intenſitas eſt ſimilitudo intenſitatis objecti & intenſitatis intellectûs, quæ ſignificat ſimplicitatem utriusque; & quando intelligit compoſita objecta cum Intenſitate, tunc aſcendit intelligere ſupra curſum naturæ.

2. Extenſitas eſt illud Medium, per quod intellectus tranſit ad intelligendum compoſita objecta; & quando cum illa Extenſitate attingit ſimplicia objecta, tunc aſcendit intelligere ſupra curſum naturæ.

Camera F. S.

1. SImilitudo hominis eſt illud Medium, per quod intellectus tranſit ad intelligendum hominem, qui eſt Medium reſultatum ex anima & corpore illi conjuncto; &, quando intellectus intelligit hominem ſupra illam ſimilitudinem, tunc attingit illum ſupra naturam imaginationis, & intelligit illum in natura ſui intelligere, & ideo facit de homine ſpeciem.

2. Similitudo, quæ eſt compoſita ex circulo, triangulo & quadrangulo, eſt Medium, per quod intellectus tranſit ad intelligendum objecta imaginabilia, quæ fiunt inimaginabilia, quando intellectus abſtrahit illas menſuras ab objecto; & Similitudines earum, vel Diſſimilitudines remanent in intellectu, cum quibus ſupra corporalia entia intelligit ſpiritualia objecta.

Camera F. V.

1. INtellectus generat in ſuo proprio intelligibili intelligibilitates alienorum objectorum; & plantat ſuum phantaſticum intelligere in ſuo reali objecto; & rigat illud cum ſimilitudine ſuæ Bonitatis, Magnitudinis & aliarum ſuarum proprietatum; & quando ipſum rigat cum diſſimilitudinibus ſuarum proprietatum, & cum ſimilitudinibus ſummi Objecti, tunc aſcendit intelligere ſupra curſum naturæ.

2. Quando intellectus non generat ſpecies, quas accipit ab objectis in medio ſui intelligere, & in illa Generatione magis conſentit voluntati vel memoriæ, quàm ſibi ipſi, tunc corrumpit naturam intelligendi, quam habet; quia accipit indigeſtas Species, & tradit ipſas memoriæ & voluntati; & quando ipſas vult recuperare, neſcit ipſas recipere ſecundùm naturam ſui intelligere: & ideo Scientiæ, *quæ ſunt poſitivæ, & non probativæ & de diſſimilitudinibus ipſius intelligere, groſſificant intellectum & impediunt illum in intelligendo neceſſitates verorum entium.*

PARS VI.
De Propoſitionibus G.

Camera G. L.

1. ILla Voluntas eſt vacua, quæ non plus diligit ſuum principalem finem, quàm quemcunque alium finem; qui principalis finis eſt DEUS, in quo Voluntas & Finis ſunt unum idem numero: & ideo ejus Voluntas eſt plena amativo, amabili & amare, & ejus Finis perfectivo, perfectibili & perficere.

2. DEUS creavit Voluntatem ad amandum, Finem verò ad perficiendum; & creavit in Voluntate amativum, amabile & amare, & in Fine perfectivum, perfectibile & perficere; & quando Voluntas de iſtis rebus non multiplicat ſimilitudines, eſt vacua & triſtis, & non habet finem, in quo poſſit quieſcere.

Camera G. M.

1. VOluntas eſt reale Ens, quod trahit ſpecies amabiles de Bonitate, Magnitudine, Duratione, Poteſtate &c., & ex illis format ſuum amare; & quando format ſuum amare ex contrario iſtarum, facit contra finem ſui amare: & ideo eſt triſtis, & non habet finem, in quo poſſit quieſcere.

2. Voluntas attingit cum ſuis phantaſticis amabilitatibus reales amabilitates, & attingit phantaſticas odibilitates propterea, quia aliqua realia entia ſunt odibilia, quæ faciunt contra finem, propter quem ſunt creata; & ideo Voluntas aliquoties evacuatur amabilitate, & repletur odibilitate, & evacuatur odibilitate & repletur amabilitate, & in iſta repletione & evacuatione eſt ejus motus & quies.

Camera G. N.

1. VOluntas habet in ſe ipſa generalem amativitatem, amabilitatem & amare, quæ ſunt de ſua eſſentia; & in illis generalitatibus amare eſt generale ad amandum amabilitates entium, vel ad odiendum odibilitates eorum; & de illis perficitur & evacuatur ſecundùm finem ſui amare vel odire.

2. Voluntas in ſua generali amabilitate plantat plures ſpeciales amabilitates: ſicut terra horti, quæ eſt generalis pluribus arboribus diverſarum Specierum; & quando Voluntas rigat quasdam amabilitates cum majori amare, & alias cum minori, tunc perficitur in quibusdam amabilitatibus, & in aliis evacuatur, & in illis, de quibus perficitur, quieſcit.

Camera G. O.

1. IN Voluntate amativum in ſuo proprio amabili movet ſuum proprium amare, & illud amare movetur cum amabilitatibus alienarum & peregrinarum formarum, quæ non ſunt de ejus eſſentia, & ex ipſis formatur unum phantaſticum amare, de quo induit ſuum proprium amare, in quo quieſcit intrinſecum amare, ſinè quo eſſet ita vacuum, ſicut homo, qui eſt nudus ſinè veſtibus.

2. In Voluntate eſt ſubſtantialis Mobilitas, ut ſuum eſſentiale Motivum ſit ſubſtantiale, & habeat ſubſtantiale amare & amabile, & ut Voluntas non ſit vacua ſubſtantiali motu, ſinè quo non poteſt habere ſubſtantialem quietem.

Camera G. P.

1. IN quolibet homine eſt una Voluntas, & in qualibet Voluntate eſt unum eſſentiale amativum, unum eſſentiale amabile & unum eſſentiale amare; & ſi hoc non eſſet ita, eſſet Voluntas vacua Fine Unitatis, ſinè qua non haberet ſubjectum, in quo poſſet quieſcere.

2. Si in Voluntate non eſſet Pluralitas amativi, amabilis & amare, eſſet vacua Fine omnium trium & ſuî ipſius, & non haberet, in quo poſſet quieſcere.

Camera G. Q.

1. VOluntas eſt ens, quod in ſe continet eſſentialia Concreta, quæ ſunt de ſua eſſentia, & ipſa de eis; & illa eſſentialia concreta ſunt volitivum, volibile & velle, de quibus eſt plena, & in quibus habet naturalem quietem.

2. Amare eſt Concretum, in quo apparet eſſentia Voluntatis, quæ eſſentia eſt Abſtractum, in quo apparent ſuæ proprietates, videlicet ſua eſſentialia Concreta; *& ideo, Fili, cùm volueris habere notitiam eſſentialium rerum, inſpice proprietates, de quibus ſunt plenæ eſſentialiter; & ſi vis habere notitiam ipſarum proprietatum, inquire eas in abſtractis entibus*, quæ abſque illis proprietatibus eſſent vacua, & non haberent Finem, in quo poſſent quieſcere.

Camera G. R.

1. VOluntas habet intrinſecè unum intenſum ſimplex amare, & in illo ædificat alterum compoſitum amare extenſum in pluribus amabilitatibus, & per intrinſecam Intenſitatem apparent intenſi amores extrà in quibus intrinſecum amare quieſcit; &, quando illos non poteſt habere, eſt vacuum & otioſum, & eſt in triſtitia, quia non habet ſubjectum, in quo poſſit quieſcere.

2. Intenſitas Voluntatis eſt unum intenſum amativum, amabile & amare; & iſta Intenſitas eſt eſſentialis & ſimplex ſecundùm comparationem Extenſitatis, quam facit in amare rerum, quæ non ſunt de ſua eſſentia, in quibus multiplicat ſuas ſimilitudines, ut cum illis ſimilitudinibus poſſit quieſcere in ſe ipſa, & de ipſis poſſit perfici.

Camera G. S.

1. VOluntas multiplicat ſuas Similitudines ex entibus realibus, ut in ipſis poſſit quieſcere, ſignificando ſua concreta cum illis Similitudinibus, in qua ſignificatione habet placitum, & eſt plena, quando ſua concreta ſunt recolita & intellecta.

2. Voluntas habet libertatem multiplicandi ſuam Similitudinem vel Diſſimilitudinem, ut habeat libertatem amandi vel odiendi, & per illam libertatem eſt plena; nam ſinè ipſa non poſſet quieſcere in fine ſui amare, quia non poſſet habere meritum amando amabilia & odiendo odibilia.

Camera G. V.

1. VOluntas generat suum amare de suis Similitudinibus, & generat suum odire de suis dissimilitudinibus: & ideo habet majorem quietem in amare, quàm in odire; nam in odire non potest habere perfectionem, quia est compositum de suis dissimilitudinibus.
2. Odire est subjectum ipsius amare tunc, quando intellectus trahit de suis Dissimilitudinibus suas Similitudines, ut possit amare, & in illo amare stat ejus quies & perfectio; sed quando intellectus ipsum amare facit esse subjectum ipsius odire, tunc corrumpit suum finem & modum amandi, & non invenit subjectum, in quo possit quiescere; & ideo, Fili, caveas tibi de hac corruptione tantum, quantum poteris, quia in ipsa voluntates dæmonum sunt perversæ de bono in malum, & hominum damnatorum, qui non possunt habere abstinentiam nec patientiam, quia sunt vacui naturâ ipsius amare.

PARS VII.
De Propositionibus H.

Camera H. L.

1. QUia in DEO Bonitas, Magnitudo, Æternitas, Potestas, Sapientia & cæteræ Dignitates sunt idem numero, ideo Operatio, quam DEUS habet in se ipso & in creaturis, est in majori Virtute, quàm aliqua alia operatio; nam ratione unitatis, quam suæ Dignitates habent, una non potest deficere alteri: sicut Bonitas, quæ ratione Magnitudinis non potest subjici parvitati; & sicut Magnitudo, quæ ratione Bonitatis non potest subjici malitiæ; & sic de cæterisDignitatibus pertinentibus ad DEUM.
2. Operatio, quam DEUS habet in creatura, habet majorem virtutem, quàm operatio, quam creatura habet in se ipsa, & quàm virtus, quam creatura habet in recipiendo influentiam à DEO; & ideo sunt opera miraculosa supra cursum naturæ in creaturis: & creaturæ habent majorem virtutem in DEO, quàm in se ipsis.

Camera H. M.

1. IN realibus entibus est major Virtus, quàm in phantasticis; quia phantastica sunt accidentia, & sunt operationes realium entium, & eorum finis existit in secundariis intentionibus; & finis realium entium existit in fine primarum intentionum.
2. Secundùm quòd unum reale ens habet majorem Virtutem, quàm aliud, est operatio ipsius in majori virtute, quàm alterius; & ideo in phantasticis operationibus revelantur secreta & nobilitates realium entium.

Camera H. N.

1. SEcundùm quòd Virtus major est in uno Genere, quàm in alio, est operatio magis virtuosa in uno Genere, quàm in alio; & ideo sunt operationes nobiliores & in majoriVirtute in quibusdam Speciebus, quàm in aliis.
2. Illæ Species sunt majores, sub quibus existunt magis virtuosa individua; & ideo habent quædam individua majorem & nobiliorem operationem, quàm alia.

Camera H. O.

1. SEcundùm quòd quidam Motus sunt majores & nobiliores, quàm alii, habent quædam operationes majorem Virtutem, quàm aliæ; & ideo in majoritate & virtute Motûs multiplicatur majoritas & virtus operationis; *& propterea, Fili, si vis habere notitiam de majori operatione, scias habere notitiam de majori Virtute, de qua habebis notitiam cum majori Motu, quem majorem Motum poteris cognoscere, si scis cognoscere majorem Finem illius.*
2. Quia Motus habet majorem Virtutem in agentibus, quàm in patientibus, ideo operationes sunt cum majori Virtute ex parte agentium, quàm ex parte patientium; & ideo viri naturaliter habent majorem appetitum, quàm fœminæ, & anima, quàm corpus, & magnes, quàm ferrum.

Camera H. P.

1. ILla Unitas, quæ in se habet essentialem Pluralitatem, habet majorem Virtutem, quàm illa, quæ in se ipsa habet accidentalem Pluralitatem; & propter hoc operationes essentiales & substantiales sunt nobiliores, quàm accidentales.
2. Virtus non potest esse in majoritate sinè Pluralitate; nam nulla virtus sinè Pluralitate posset esse activa nec passiva, nec in se ipsa habere aliquam operationem nec aliquod subjectum nec objectum; & ideo Pluralitas est naturaliter desiderabilis.

Came-

Camera H. Q.

1. QUia Virtus major est in naturalibus operationibus, quàm artificialibus, ideo naturalia entia Abstracta habent magis virtuosa Concreta, quàm artificialia.
2. In majoribus & magis virtuosis Concretis apparent majores & magis virtuosæ essentiæ, & per hanc apparentiam apparent majores & magis virtuosæ operationes; & ideo sunt homines illuminati ad meliorem operationem eligendam.

Camera H. R.

1. INtensa Virtus significatur in intensa operatione, & major Intensitas significat majorem operationem & Virtutem; & ideo Intensitas est speculum, in quo significatur simplicitas.
2. Sicut Virtus habet majorem operationem in Extensitate, quàm in Intensitate ratione compositionis; sic Virtus habet majorem operationem in Intensitate, quàm in Extensitate ratione simplicitatis; & ideo virtus requirit naturaliter intensam & extensam operationem, ut habeat Concordantiam cum Majoritate.

Camera H. S.

1. VIrtutes acquisitæ sunt Similitudines virtutum naturalium, quæ sunt de essentia substantiæ, quæ transmittunt illas Similitudines extra substantiam, ut per ipsas sint intellectæ & amatæ; & cum quantò majori Virtute transmittunt illas Similitudines, tantò plùs sunt amatæ & intellectæ.
2. Vitia sunt de Dissimilitudinibus Virtutum existentium intra & extra substantiam; & ideo in majoribus Dissimilitudinibus significantur per contrarium majoresSimilitudinesVirtutum in majoribus operationibus.

Camera H. V.

1. SI est Generatio, quæ sit sinè Corruptione, illa Generatio est in majori Virtute, quàm Generatio, quæ est cum Corruptione; & hoc est ideo, quia incorruptibiles operationes habent majorem Virtutem, quàm corruptibiles.
2. In majori Corruptione Virtutis significatur major Generatio Virtutis; & ideo in majoribus malis operationibus significantur majores bonæ operationes.

PARS VIII.
De Propositionibus I.

Camera I. L.

1. IN DEO non est falsitas nec injuria nec inæqualitas; & ideo convenit, quòd DEUS sit distans à falsitate cum Veritate, & ab injuria cum Justitia, & ab inæqualitate cum Æqualitate; & hæc distantia est infinita.
2. Inter DEUM & creaturam non potest esse Æqualitas, cùm DEUS sit infinitus, Creatura autem finita; tamen secundùm Veritatem & Justitiam oportet esse aliquam Concordantiam, ut Creatura cum ipsa possit esse remota à Contrarietate Justitiæ & Veritatis.

Camera I. M.

1. VEritas & Justitia habent majorem Æqualitatem in realibus entibus, quàm in phantasticis; & ideo in secundis intentionibus non potest esse tanta Veritas, Justitia & Æqualitas, quanta in primis.
2. Quantum intellectus cum suo intelligere æqualificat Veritatem & justitiam, tantum proportionatur ad intelligendum Veritates rerum; *& ideo homines, qui sunt veraces & justi, sunt subtiliores, quàm homines falsi & injurioſi.*

Camera I. N.

1. IN Æqualitate, quam Justitia producit de Bonitate, Magnitudine, Duratione &c. in judicare, producit Veritas Æqualitatem Bonitatis, Magnitudinis, Durationis &c. in verificare; & ideo illa productio est Genus, in quo genera & Species sunt proportionatæ.
2. Æqualitas Veritatis & Justitiæ est Genus proportionis, quæ existit inter quædam individua & alia; & ideo Æqualitas & proportio habent Concordantiam.

Camera I. O.

1. ÆQualitas est subjectum, in quo Justitia movet plura ad Veritatem; & idem facit Veritas, quæ in illo subjecto movet multa ad Justitiam; & quantò majores & meliores illi Motus sunt, tantò magis Veritas & Justitia distant ab inæqualitate, injuria & falsitate.
2. Sicut Justitia est mobilis cum Veritate, sic Veritas est mobilis cum Justitia; &

ideo homines peccatores movent cum injuria falſitatem, & cum falſitate injuriam.

Camera I. P.

1. JUſtitia & Veritas ſunt in Unitate & Pluralitate æquales, nam Unitas ita convenit uni, ſicut alteri; &, ſicut in Veritate convenit unum eſſentiale verificativum, unum eſſentiale verificabile & unum eſſentiale verificare, ita in Juſtitia convenit unum eſſentiale juſtificativum, unum eſſentiale juſtificabile & unum eſſentiale juſtificare; & ſicut in Veritate convenit Pluralitas & æqualitas ſuorum trium eſſentialium concretorum, ſic etiam in Juſtitia convenit Pluralitas & Æqualitas ſuorum eſſentialium concretorum, quæ diximus; & ideo Veritas & Juſtitia conſervantur cum Æqualitate, & corrumpuntur cum inæqualitate.
2. Sinè Unitate & Pluralitate non poſſet eſſe Æqualitas Juſtitiæ & Veritatis; & ideo convenit, quòd in Juſtitia & Veritate ſit Æqualitas Unitatis & Pluralitatis ſecundùm curſum naturæ, & quòd homines tantum diligant Juſtitiam, quantum Veritatem.

Camera I. Q.

1. VEritas & Juſtitia ſunt entia abſtracta, & earum Æqualitas exiſtit in entibus concretis, & quando ſunt inæquales, eſt earum inæqualitas de entibus concretis; & ideo veritas & injuria poſſunt eſſe contraria, & falſitas & juſtitia.
2. In quantò majori Æqualitate ſunt concreta entia Veritatis, tantò majus ſubjectum habet Juſtitia in veritate; & ideo poteſt Juſtitia multiplicari in extenſitate Veritatis.

Camera I. R.

1. SIcut in Veritate eſt intenſa Æqualitas verificativi, verificabilis & verificare, ſic in Juſtitia eſt intenſa Æqualitas juſtificativi, juſtificabilis & juſtificare; & ideo in mixtione ipſorum ſunt entia ſimplicia & compoſita.
2. Veritas & Juſtitia extenduntur in Æqualitate, & reſtringuntur in inæqualitate; & ideo in ipſarum Extenſitate cognoſcuntur, & in ipſarum reſtrictione cognoſcuntur earum contraria.

Camera I. S.

1. VEritas induitur de Juſtitia, & Juſtitia de Veritate, & ipſarum indumenta ſunt æqualiter menſurata de Similitudinibus; & ideo ſunt Veritas & Juſtitia amicæ.
2. Falſitas & injuria ſunt Diſſimilitudines Veritatis & Juſtitiæ, & Æqualitas falſitatis & injuriæ eſt Diſſimilitudo Æqualitatis Veritatis & Juſtitiæ; & propterea poſſunt judices habere notitiam in judiciis, quæ faciunt, cum Similitudinibus & Diſſimilitudinibus, quas diximus.

Camera I. V.

1. ÆQualitas juſtificativi, juſtificabilis & juſtificare eſt ſubjectum, in quo Æqualitas verificativi, verificabilis & verificare generatur; & proportio eſt ille cibus, à quo illa Æqualitas accipit nutrimentum; & ideo inter Æqualitatem & proportionem eſt Similitudo.
2. Inæqualitas Veritatis & Juſtitiæ, in qua non ſit proportio, eſt ſubjectum, in quo Veritas & Juſtitia corrumpuntur; & ideo inæqualitas Juſtitiæ & Veritatis eſt valde periculoſa.

PARS IX.
De Propoſitionibus K.
PARS PRIMA NONÆ PARTIS. De K. ſecundùm Nonam Regulam.

Camera K. L.

1. SI in Gloria DEI eſſet Minoritas, non poſſet eſſe ordo in ejus Dignitatibus; nam Minoritas habet Concordantiam cum parvitate, quæ eſt contrarium Magnitudinis, & eſt contra ordinem Æqualitatis; & ideo eſt in Gloria DEI *communis & proprius Ordo; communis* Ordo eſt in eo, quòd omnes Dignitates DEI ſunt una eadem Eſſentia, & unum idem numero; *proprius* Ordo eſt in DEO, ſecundùm quòd quælibet ſuarum Dignitatum eſt realis ratio: ſicut DEUS, qui eſt bonus ratione Bonitatis, & magnus ratione Magnitudinis, æternus ratione Æternitatis, intelligens ratione Sapientiæ, & amans ratione Voluntatis, & ſic de aliis; & ideo eſt glorioſus ſinè Minoritate.
2. DEUS ordinavit omnes creaturas ad ſe ipſum cognoſcendum & amandum, honorandum & timendum, & ad ſerviendum & obediendum ipſi; & iſte *Ordo* eſt *communis & proprius; communis* eſt, in quantum omnes corporales creaturæ ſunt creatæ ad ſervitium hominis, & homo eſt creatus

creatus ad ſerviendum DEO; *proprius* eſt, ſicut Angelus & homo, qui habent propriam ordinationem ad intelligendum & amandum DEUM, & ad ſerviendum ipſi ex totis ſuis viribus, & ad perveniendum ad ejus gloriam, & ad magìs diligendum majores glorias, quàm minores.

Camera K. M.

1. IN realibus entibus exiſtit naturalis ordo, in quo natura habet delectationem, & habet appetitum conſervandi illum ordinem cum Concordantia communium & ſpecialium rerum, ut habeat Concordantiam cum Majoritate.
2. In phantaſticis entibus eſt *Ordo communis & proprius*, in quo ordine reales potentiæ habent delectationem, quæ multiplicant illa phantaſtica entia de ſuis ſimilitudinibus & de ſimilitudinibus objectorum; Ordo *communis* eſt, in quantum quælibet potentia eſt communis ad accipienda plura objecta; *ſpecialis & proprius* eſt, in quantum quælibet potentia accipit ſpecialem ſimilitudinem; & iſtæ phantaſticæ ſimilitudines ſunt propinquiores Minoritati, quàm realia entia; & ideo eſt magnum mirum de hominibus peccatoribus, qui habent majorem delectationem in minoribus entibus, quàm in majoribus.

Camera K. N.

1. IN humano intellectu eſt Ordo generalis & ſpecialis, in quo natura illius habet delectationem; & ſecundùm naturalem inſtinctum removet ſe ipſum à Minoritate, quantum poteſt; & ideo multiplicat ſpecies realium entium cum ſuo generali intellectivo in ſuo generali intelligibili, quæ ſunt de ſua eſſentia; & in illa generali intelligibilitate intelligit ſpeciales intelligibilitates, quæ non ſunt de ſua eſſentia.
2. Quilibet Angelus eſt ordinatus ſub ratione ſuæ propriæ ſpeciei, & ejus ordo eſt, ſecundùm quòd habet majorem vel minorem gloriam; & quia ſunt incorruptibiles, eorum ſpecies non ſunt ſub genere, tamen omnes participant in ſimilibus ſpeciebus, in quantum ſunt de ſpirituali natura.

Camera K. O.

1. IN Motu eſt Ordo proprius & communis, & exiſtit in potentia in communibus rebus, & exit in proprium motum, quando venit in actum; & ideo ſinè communi & proprio ordine non poteſt eſſe motus in naturalibus rebus: nec ſimiliter in acquiſitis virtutibus, cum quibus homo tendit ad gloriam, & magìs diligit majora bona, quàm minora.
2. In Motu communi poteſt eſſe major delectatio, quàm in motu proprio, in quantum in motu communi poteſt eſſe major ordo, quàm in motu proprio; „ & ideo „ publica utilitas habet naturaliter majo„ rem Concordantiam cum charitate, „ quàm particularis utilitas.

Camera K. P.

1. IN Unitate non poteſt eſſe Gloria ſinè ordinatione propriarum & comunium rerum, & communitas & proprietas non poſſunt eſſe ſinè Pluralitate; & ideo convenit, quòd in Unitate ſit Pluralitas, ut Unitas cum Pluralitate poſſit habere Gloriam cum delectatione in ordinatione unificativi, unificabilis & unificare, ſinè quo ordine Unitas non poſſet eſſe remota à Minoritate.
2. In Pluralitate non poſſet eſſe Gloria ſinè ordinatione; & quia ordinatio non poteſt eſſe ſinè communitate & proprietate, convenit, quòd in Pluralitate ſit ordinatio propriarum & communium rerum, & quòd Pluralitas in illa communitate habeat Concordantiam cum Unitate, & Unitas in propria ordinatione habeat Concordantiam cum Pluralitate; & ideo habent Unitas & Pluralitas delectationem, & diſtant à minoritate in ordinatione propriarum & communium rerum.

Camera K. Q.

1. IN abſtractis entibus ſunt communes ordinationes, à quibus deſcendunt propriæ ordinationes ſuſtentatæ in Concretis; & ideo habent Concreta delectationem in communibus ordinationibus, & per illam ordinationem diſtant à Minoritate, parvitate & contrarietate.
2. In ordinatione Concretorum apparet eſſentia Gloriæ & Majoritatis, & in ordinatione unius Abſtracti cum alio apparet ordinatio concretorum; & ideo quædam ordinationes ſignificant & demonſtrant alias.

Camera K. R.

1. ESſentialis Gloria glorificativi, glorificabilis & glorificare eſt magìs intenſa,

quàm Gloria bonificativi, bonificabilis & bonificare; & ratio hujus eſt, quia in creaturis Gloria & Bonitas non ſunt idem; & ideo ordinata Gloria eſt major in ſe ipſa, quàm in Bonitate, & Bonitas habet majorem ordinationem in ſe ipſa, quàm in Gloria; ſed quia in DEO Gloria & Bonitas ſunt idem, ideo habet Gloria DEI ita magnum ordinem ratione Bonitatis, ſicut ratione ſuî ipſius, & ſimiliter Bonitas, & ſic de aliis Dignitatibus DEI.

2. De extenſa Gloria ſequitur extenſa ordinatio, & de parva ordinatione non ſequitur intenſa Gloria nec extenſa; & ideo, quando homines ponunt Contrarietatem in extenſa ordinatione propriarum & communium rerum, tunc procurant pœnam & inordinationem, & ſunt contra communes & particulares perſonas.

Camera K. S.

1. ORdinationes, quæ ſunt extra ſubſtantiam, ſunt Similitudines ordinationum, quæ ſunt intra ſubſtantiam; & ideo in ordinatione, quæ eſt extra ſubſtantiam, delectantur homines, & in contrario illius contriſtantur, & habent Concordantiam cum Minoritate.

2. Inordinatio eſt ita Diſſimilitudo ordinationis, ſicut pœna Gloriæ; & ideo religioſi homines, ut habeant majorem Gloriam, quàm alii, habent majorem ordinationem, quàm alii homines, & hoc faciunt cum majori Similitudine rerum communium.

Camera K. V.

1. GLorificare ſinè concordare non poſſet eſſe de glorificativo, glorificabili & glorificare, ſicut inordinare non poſſet eſſe ſinè minori majorificare, & majori minorificare; & ideo homines, qui nec ordinant propria nec communia, generant inordinationem.

2. Qui corrumpit ordinationem propriarum & communium rerum, corrumpit ordinationem ipſius gloriari, & generat minorificare ipſorum amare & intelligere.

Diximus de K. ſecundùm nonam Regulam, nunc convenit dicere de K. ſecundùm decimam Regulam.

[o]

PARS SECUNDA NONÆ PARTIS.

De Propoſitionibus K. ſecundùm Decimam Regulam.

Camera K. L.

1. DEUS habet cum Magnitudine ſuæ Bonitatis magnam Gloriam in ſe ipſo ordinatam; & quia ille ordo exiſtit in infinita extenſitate Bonitatis & Gloriæ, ideo non poteſt in ipſo ordine eſſe pœna nec minoritas; & ideo eſt ille ordo de bonificativo, bonificabili & bonificare, & de glorificativo, glorificabili & glorificare, & exiſtit in communitate Eſſentiæ & ſpecialium Proprietatum.

2. Sicut DEUS creavit creaturas cum ſua voluntate, ita creavit ipſas cum ſua Bonitate, Magnitudine, Gloria, Poteſtate & Virtute & cum aliis ſuis Dignitatibus; & ideo ordinavit DEUS creaturas ſecundùm ordinem ſuarum Dignitatum & ſecundùm ordinem, quem creaturæ ab ipſo poſſunt recipere.

Camera K. M.

1. IN realibus entibus exiſtit ordo communis & ſpecialis; & cum communi ordine conſervatur ſpecialis, & è converſo: ſicut Bonitas, quæ eſt commune principium, cùm ab ipſa ordinentur ſpecialia & propria bona; & ideo habet Gloria delectationem cum ordinatione Bonitatis ſpecificatæ in ſuo proprio bonificativo, bonificabili & bonificare, & Bonitas habet Gloriam cum ordinatione glorificativi, glorificabilis & glorificare, ſtante illo ordine in ſe ipſo.

2. Homo intelligit cum ſuo intellectu, & diligit cum ſua voluntate, & eſt bonus cum ſua bonitate, & magnus cum ſua magnitudine, & ignorat cum ſuo intellectu, & odit cum ſua voluntate, & eſt malus cum ſua malitia, & parvus cum ſua parvitate; & ideo eſt ordinatus vel inordinatus cum ſe ipſo & cum principiis, de quibus eſt compoſitus, & cum ordinatione habet gloriam, & cum inordinatione habet pœnam.

Camera K. N.

1. HUmanus intellectus intelligit cum generali Bonitate ſpeciales Bonitates, & cum ſpecialibus Bonitatibus intelligit individuatas Bonitates, & hoc idem facit cum aliis

aliis principiis, de quibus eſt compoſitus; & ideo multiplicat intellectus genera, cum quibus intelligit Species, quæ ſub illis Generibus ſunt ordinatæ; & cum illis attingit realia entia; & cum illa attinctione habet habitum ſcientiæ & delectationem.

2. Intellectus attingit cum una ſpecie aliam ſpeciem, & cum ordinatione unius ſpeciei attingit ordinem alterius; & ideo habet ordinatam delectationem in intelligendo proprium & commune; & quando non intelligit, habet cum ignorantia inordinatam paſſionem.

Camera K. O.

1. GLorificativum cum glorificabili movet glorificare, & cum glorificare movet glorificabile; & ideo eſt in Motu proprius & communis ordo, cum quo Gloria habet communem glorificationem, & glorificativum habet proprium ordinem in glorificare; & idem eſt de glorificabili & glorificare, in quantum glorificare eſt propriè de glorificativo & glorificabili.

2. Cum ordinatione objecti movetur potentia ad ordinandum, ſicut cum Bonitate objecti movetur ad bonificandum; & ideo potentia movetur cum Gloria ad glorificandum, & cum contrario movetur ad paſſionem & inordinationem Gloriæ & Bonitatis.

Camera K. P.

1. HUmanus intellectus intelligit cum ſua Unitate cæteras unitates, & cum unitate ſui intelligibilis intelligit alias intelligibilitates, & idem eſt de ſuo intelligere; & ideo habet gloriam & delectationem, quando in unitate intelligit unificativum, unificabile & unificare, & habet in ſuo intelligere proprium & communem ordinem.

2. Intellectus intelligit cum Pluralitate unificativi, unificabilis & unificare pluralitatem amativi, amabilis & amare, glorificativi, glorificabilis & glorificare, & hoc convertit, in quantum intelligit pluralitatem glorificativi, glorificabilis & glorificare, & pluralitatem unificativi, unificabilis & unificare; & ideo in hac converſione eſt ordinatus in communitate & ſpecialitate unitatis & pluralitatis.

Camera K. Q.

1. CUm entibus abſtractis intelligit intellectus entia concreta, & cum concretis abſtracta; & ratio hujus eſt, quia hæc non poſſunt eſſe ſinè illis, & ideo habet intellectus delectationem & ordinationem cum ſuo intelligere & cum objectis, quæ accipit.

2. Gloria Concretorum eſt cum unitate eſſentiæ & cum diſtinctione eorum & cum ordinatione, quam habent in ſe ipſis; & ideo eſt proprius & communis ordo in unitate numeri & in proprietate duorum propriâ duobus in communitate trium; & ideo in numero unius, duorum, trium proprii & communis ordinis non poteſt eſſe vacuitas.

Camera K. R.

1. CUm intenſa Gloria glorificativi, glorificabilis & glorificare exiſtit Gloria extenſa in omnibus tribus ordinatè propriè & communiter; *propriè*, in quantum nullus iſtorum trium eſt alius; *communiter*, in quantum omnes tres ſunt una eadem Gloria; & ideo exiſtit Intenſitas cum Extenſitate, & Extenſitas cum Intenſitate.

2. Extenſitas Gloriæ cum Bonitate, Magnitudine, Duratione, Poteſtate &c. eſt ordinata in communitatibus cujuslibet, & in proprietatibus ipſorum principiorum: ſicut cum Extenſitate Bonitatis in Magnitudine, & Magnitudinis in Bonitate, in quibus Gloria eſt extenſa in bono, magno & glorioſo; & ideo eſt in illa Extenſitate propria & communis Gloria.

Camera K. S.

1. CUm Similitudine Bonitatis, Magnitudinis &c. habent homines Gloriam in recolendo, & cum Diſſimilitudinibus habent pœnam; & ideo homines cum Similitudinibus ſunt ordinati ad recolendum, & quando odiunt Similitudines, ſunt inordinati ad recolendum.

2. Homines cum uno loco recolunt alia loca, & cum circumferentiis illorum locorum recolunt ea, quæ in illis locis erant, & verba, quæ dicebant, & opera, quæ faciebant; & ideo poteſt homo ordinare cum ſuo recolere ſuum intelligere, & cum ſuo intelligere ſuum recolere, & cum ſuo intelligere & recolere poteſt diſponere ſuum amare.

Came-

Camera K. V.

1. CUm ordinatione fit Generatio, & cum inordinatione fit Corruptio; & ideo habent homines delectationem cum Generatione, & pœnam cum Corruptione.
2. Cum Minoritate ordinationis corrumpitur delectatio, & cum Majoritate ipsius amare generatur Majoritas ipsorum intelligere & recolere, & è converso; & ideo Corruptio ipsius amare generat ignorare & obliviſci, & ignorare generat odire & obliviſci, & obliviſci generat Corruptionem ipsorum amare & intelligere Gloriam DEI.

DISTINCTIO IV.

De Quæstionibus.

1. HÆc Distinctio dividitur in *novem Partes*, quæ sunt B. C. D. E. F. G. H. I. K., & quælibet subdividitur in *novem* partes; *prima* est de B. L.; *secunda* de B. M., & sic usque ad Cameram de B. V.
2. De Quæstionibus, quæ sunt sub B., *prima* respondet *primæ* Propositioni, quæ est in *tertia Distinctione*, quæ est sub B. L.; & *secunda* Quæstio correspondet *secundo* Paragrapho sequenti sub eadem Rubrica; & sic per ordinem de aliis; & Solutio quæstionum significatur in *Tertia Distinctione*, recipiendo significata Propositionum, & idem est in Secunda Figura formando cameras, & recipiendo significata literarum; &, si tu, Fili, nescis formare Solutionem nec intelligere, recurre ad tertiam Distinctionem ad loca, quæ tibi significabuntur, quando formabis cameram in Secunda Figura: sicut in camera de B. L., C. M., quæ te remittit ad Rubricam de B. L., & ad Rubricam de B. M., & ad Rubricam de C. L., & ad Rubricam de C. M.; & in istis quatuor Rubricis, quæ sunt in tertia Distinctione, poteris invenire quatuor rationes, cum quibus poteris solvere Quæstionem, quæ in se continet terminos, qui conveniunt cum prædicta Camera.
3. Quia nos breviter tractamus istam Arborem, ideo, Fili, non solvuntur omnes quæstiones secundùm literam; sed tantùm in qualibet novem partium solvitur una Quæstio; & hoc facimus, ut significemus practicam hujus Scientiæ in quæstione: & theorica existit in significatis camerarum.
4. Scias, Fili, quòd secundùm practicam, quam dabimus in hac Scientia de Quæstionibus, quas solvemus, poteris solvere alias peregrinas Quæstiones, dummodò tamen scias sequi processum hujus Artis, miscendo alia Principia cum aliis: & hoc idem de Regulis & Floribus Arboris, concordando eorum Definitiones affirmando vel negando.
5. In qualibet Parte, Fili, scias uti Regulis, & ideo nos facimus *primam* Partem de Quæstionibus secundùm *Primam* Regulam, & in *secunda* Parte facimus Quæstiones secundùm *secundam* Regulam; & sic per ordinem de aliis. Et scias, quòd in speciebus Regularum significentur Solutiones Quæstionum, & maximè cum Definitionibus Principiorum Florum hujus Arboris, concordando Definitiones cum speciebus Regularum affirmando vel negando; *& scias, quòd in hoc consistat tota practica hujus Scientiæ.*

De Quæstionibus.

Primæ Regulæ B.

Quæstiones B. L.

1. QUæritur: *Utrùm Divina Bonitas & Æternitas habeant tantam Potestatem, quantam Divina Sapientia & Voluntas?* Solutio: B. L., E. P. Si in DEO Bonitas & Æternitas non haberent tantam Potestatem, quantam Sapientia & Voluntas, Bonitas & Æternitas non essent idem in numero cum Sapientia & Voluntate: & destrueretur Unitas in pluralitate essentiarum ab inviccem distinctarum: & Sapientia & Voluntas essent per primam intentionem, & Bonitas & Æternitas per secundam; unde sequeretur malum principium in Contrarietate potentiæ & objecti, quod est impossibile; per quam impossibilitatem significatur, quòd Potestas DEI sit tanta in Bonitate & Æternitate, quanta in Sapientia & Voluntate.
2. Quæritur: Utrùm DEUS amet mundum cum majori Magnitudine Bonitatis, Æternitatis, Potestatis, Sapientiæ, Voluntatis, Virtutis, Veritatis, Gloriæ, Concordantiæ & Finis? Solutio: B. L., G. S.
3. Quæritur: Utrùm aliqua operatio possit esse bona sinè Differentia? Solutio: B. L., E. N.
4. Quæritur: Utrùm species, de quibus humanus intellectus format suum phantasticum intelligere, sint creaturæ? Solutio: B. L., E. M.

Quæstiones B. M.

1. QUÆRITUR: Utrùm intellectus multiplicet phantasticas species, vel utrùm suum objectum multiplicet illas? Solutio: B. M., E. N.
2. Quæritur: Utrùm humana voluntas multiplicet species in suo amare? Solutio: B. M., G. N.
3. Quæritur: Utrùm speculum multiplicet similitudines sui oppositi, quod existit in ejus conspectu? vel utrùm oppositum multiplicet illas in ipso? Solutio: B. M., E. O.
4. Quæritur: Quod est magis proprium subjectum phantasticis speciebus, aut potentia, aut objectum? Solutio: B. M., E. S.

Quæstiones B. N.

1. QUÆRITUR: Utrùm Intellectus, quando inquirit bonum objectum, priùs incipiat in generali Bonitate, quàm in specifica? Solutio: B. N., E. Q.
2. Quæritur: Utrùm specialis Bonitas sit de essentia generalis Bonitatis? Solutio: B. N., D. V.
3. Quæritur: Utrùm Differentia fortiùs declaret objectum ipsi potentiæ cum Concordantia, quàm cum Contrarietate? Solutio: B. N., E. M.
4. Quæritur: Utrùm in forma, quæ existit in potentia, sit aliqua entitas Bonitatis & Differentiæ? Solutio: B. N, D. O.

Quæstiones B. O.

1. QUÆRITUR: Utrùm Bonitas & Differentia habeant majorem Concordantiam in motu cum potentia, quàm cum objecto? Solutio: B. O., E. R.
2. Quæritur: Utrùm creatura priùs fuerit in potentia, quàm in actu? Solutio: B. O., E. M.
3. Quæritur: Utrùm motus sit de essentia motivi & mobilis? Solutio: B. O., D. S.
4. Quæritur: Utrùm motus sit substantialis pars substantiæ? Solutio B. O., H. R.

Quæstiones B. P.

1. QUÆRITUR: Utrùm in unitate possit esse pluralitas, quæ sit de ejus essentia? Solutio: B. P., H. Q.
2. Quæritur: Utrùm DEUS possit facere, quòd duo homines essent ita similes, quòd in eis nulla dissimilitudo esset? Solutio: B. P., F. S.
3. Quæritur: Utrùm in DEO possint esse plures res, quæ sint de sua Essentia? Solutio: B. P., K. Q.
4. Quæritur: Utrùm Unitas possit esse bona sinè Differentia? Solutio: B. P., E. Q.

Quæstiones B. Q.

1. QUÆRITUR: Utrùm in DEO sit Concordantia? Solutio: B. Q., I. S.
2. Quæritur: Utrùm una bonificabilitas existat in potentia in alia bonificabilitate? Solutio: B. Q., E. V.
3. Quæritur: Utrùm affatus (sextus sensus) sit de potentia sensitivæ? Solutio: B. Q., I. S.
4. Quæritur: Utrùm Bonitas possit esse plena sinè Differentia? Solutio: B. Q., K. P.

Quæstiones B. R.

1. QUÆRITUR: Utrùm in DEO sit Æqualitas? Solutio: B. R., I. S.
2. Quæritur: Utrùm in Differentia sit Bonitas in potentia? Solutio: B. R., H. N.
3. Quæritur: Utrùm inter potentiam & objectum sit tam intensa Bonitas, sicut Differentia? Solutio: B. R., C. S.
4. Quæritur: Utrùm Differentia sit subjectum extensæ Bonitatis? Solutio: B. R., H. Q.

Quæstiones B. S.

1. QUÆRITUR: Utrùm potentia, quando trahit species ab objectis, abstrahat illas cum Concordantia vel Contrarietate? Solutio: B. S., E. M.
2. Quæritur: Utrùm Differentia tam fortiter declaret species, quæ existunt in potentia, ratione Bonitatis, sicut ratione suî ipsius? Solutio: B. S., E. N.
3. Quæritur: Utrùm ex Differentia & Bonitate possit oriri Contrarietas? Solutio: B. S., D. V.
4. Quæritur: Utrùm DEUS tantum diligat suam dissimilitudinem, quantum suam similitudinem? Solutio: B. S., C. V.

Quæstiones B. V.

1. QUÆRITUR: Utrùm Potentia possit generare suum objectum de se ipsa? Solutio? B. V., E. S.
2. Quæritur: Utrùm Bonitas & Differentia habeant tam magnam Potestatem in actu, sicut in Potentia? Solutio: B. V., G. O.

3. Quæritur: Utrùm in Generatione & Corruptione Differentia ſit generalius principium, quàm Bonitas? Solutio: B. V., E. R.
4. Quæritur: Utrùm in Generatione Corruptio ſit in Potentia? Solutio: B.V., K.O.

De Quæſtionibus
Secundæ Regulæ C.

Quæſtiones C. L.

1. QUÆRITUR: *Quid eſt DEUS?* Solutio: C. L., D. R. DEUS eſt illud Ens, in quo infinita extenſitas ſimplex ſinè aliqua contrarietate & compoſitione eſt idem cum Æternitate; & DEUS eſt illud Ens, quod eſt magis recolibile, quàm aliquod aliud, & quod cum potentia habet majorem Concordantiam & intenſitatem, quàm aliquod aliud Objectum.
2. Quæritur: Quid eſt magna Concordantia DEI & creaturæ? Solutio: C.L., E.P.

Quæſtiones C. M.

1. QUÆRITUR: Quid eſt Objectum in humano intellectu? Solutio: C. M., D. S.
2. Quæritur: Quid eſt potentia in Objecto? Solutio: C. M., H. S.

Quæſtiones C. N.

1. QUÆRITUR: Quid eſt Concordantia in Generibus & Speciebus? Solutio: C. N., K. O.
2. Quæritur: Quid eſt Medium in Speciebus & in individuis? Solutio: C. N., F. S.

Quæſtiones C. O.

1. QUÆRITUR: Quid eſt anima quintæ Eſſentiæ? Solutio: C. O., H. R.
2. Quæritur: Quid eſt Mobilitas in abſtracto? Solutio: C. O., K. Q.

Quæſtiones C. P.

1. QUÆRITUR: Quid eſt perfectio Unitatis? Solutio: C. P., E. Q.
2. Quæritur: Quid eſt diſtantia potentiæ & Objecti? Solutio: C. P., D. S.

Quæſtiones C. Q.

1. QUÆRITUR: Quid eſt homo? Solutio: C. Q., H. N.
2. Quæritur: Quid eſt Anima rationalis? Solutio: C. Q., D. M.

Quæſtiones C. R.

1. QUÆRITUR: Quid eſt Extenſitas ſubſtantiæ ſpiritualis? Solutio: C. R., H. Q.
2. Quæritur: Quid eſt habitus ſcientiæ? Solutio: C. R., D. M.

Quæſtiones C. S.

1. QUÆRITUR: Quid eſt corruptio potentiæ & Objecti? Solutio: C. S, D. V.
2. Quæritur: Quid eſt medicina recolendi? Solutio: C. S., D. L.

Quæſtiones C. V.

1. QUÆRITUR: Quid eſt Æviternitas? Solutio: C. V., D. S.
2. Quæritur: Quid eſt Legalitas? Solutio? C. V., I. S.

De Quæſtionibus
Tertiæ Regulæ D.

Quæſtiones D. L.

1. QUÆRITUR: *De quo eſt Operatio, quam DEUS habet in ſe ipſo?* Solutio: D. L., B. Q. Scias, Fili, quòd Operatio, quam DEUS habet in ſe ipſo, ſit de ſuâmet Bonitate, Magnitudine, Æternitate, Poteſtate, Sapientia & Voluntate, in quâ Differentia declarat eſſentialia concreta: ſicut in Sapientia, in qua eſt operatio intellectivi, intelligibilis & intelligere, & in Voluntate amativi, amabilis & amare, & Differentia declarat illa ſub ratione Bonitatis bonificata de ſua eſſentia; & ſic de cæteris Dignitatibus pertinentibus ad DEUM, ita, quòd intelligere eſt bonificatum de Bonitate, & magnificatum de Magnitudine; & ſic de aliis.
2. Quæritur: De quo ſatisfacit DEUS magnæ Concordantiæ ſuî ipſius & creaturæ? Solutio: D. L., H. S.

Quæſtiones D. M.

1. QUÆRITUR: De quo eſt Memoria? Solutio: D. M., E. Q.
2. Quæritur: De quo eſt recolere? Solutio D. M., B. L.

Quæſtiones D. N.

1. QUÆRITUR: De quo durat Contrarietas? Solutio D. N., F. S.
2. Quæritur: De quo ſunt Genera & Species? Solutio: D. N., E. M.

Quæſtio-

Quæſtiones D. O.

1. QUÆRITUR: De quo eſt Motus, qui eſt inter potentiam & actum? Solutio: D. O., B. S.
2. Quæritur: De quo eſt Motus, cum quo memoria movet ſenſitivam ad carnales delicias? D. O., C. M.

Quæſtiones D. P.

1. QUÆRITUR: De quo eſt Unitas plena? D. P., C. Q.
2. Quæritur: De quo eſt perfectio Pluralitatis? Solutio: D. P., C. Q.

Quæſtiones D. Q.

1. QUÆRITUR: De quo eſt viſibilitas? Solutio: D. Q., C. M.
2. Quæritur: De quo eſt ignorantia? Solutio: D. Q., K. S.

Quæſtiones D. R.

1. QUÆRITUR: De quo ſunt res elementatæ? Solutio: D. R., E. M.
2. Quæritur: De quo eſt illa Extenſitas, quando imaginatio ſe extendit in imaginando magnum objectum? Solutio: D. R., C. M.

Quæſtiones D. S.

1. QUÆRITUR: De quo eſt figura, quam ſigillum relinquit in cera? Solutio: D. S., H. M.
2. Quæritur: De quo eſt influentia, quam cœleſtia corpora influunt in terreſtria corpora? Solutio: D. S., H. O.

Quæſtiones D. V.

1. QUÆRITUR: De quo ſunt formæ & figuræ, quæ exiſtunt in potentia? Solutio: D. V., B. M.
2. Quæritur: De quo Corruptio ſatisfacit Generationi? Solutio: D. V., K. S.

De Quæſtionibus
Quartæ Regulæ E.

Quæſtiones E. L.

1. QUÆRITUR: *Quare eſt DEUS?* Solutio, E. L., B. M. DEUS eſt propter hoc, quia eſt Bonitas, Magnitudo, Æternitas, Poteſtas, Sapientia & aliæ ſuæ Dignitates; & eſt ideo, quia in ipſo Bonitas, Magnitudo, Æternitas &c. ſunt idem in numero; & DEUS eſt propter hoc, quia eſt tantus ratione Operationis, quam habet in ſe ipſo, quantus eſt ratione ſuæ Eſſentiæ; & DEUS eſt ideo, quia non habet Principium, & quia eſt Ens reale non confuſum, bonum ſinè malo, & in ipſo eſt prima intentio ſinè ſecunda, & ſua Poteſtas habet tam magnum objectum, ſicut ipſémet eſt.
2. Quæritur: Quare DEUS creavit unum mundum, & non plures? Solutio: E. L., I. S.

Quæſtiones E. M.

1. QUÆRITUR: Quare Poteſtas & Principium habent plus entitatis in realibus entibus, quàm in intentionalibus? Solutio: E. M., B. S.
2. Quæritur: Quare Phantaſtica entia, quando corrumpuntur, non poſſunt reduci in eundem numerum, in quem fuerunt deducta de potentia in actum? Solutio: E. M., B. V.

Quæſtiones E. N.

1. QUÆRITUR: Quare ſunt Genera & Species? Solutio: E. N., K. M.
2. Quæritur: Cùm ſpecies & imaginatio ſint de corporali natura, quare non poſſunt ſentiri? Solutio: E. N., K. O.

Quæſtiones E. O.

1. QUÆRITUR: Quare Motus priùs incipit in activa potentia, quàm in paſſiva? Solutio: E. O., C. S.
2. Quæritur: Quare Motus non poteſt incipi ab impoſſibilitate? Solutio: E. O., F. S.

Quæſtiones E. P.

1. QUÆRITUR: Quare Principium & Intentio non poſſunt eſſe ſinè Unitate & Pluralitate? Solutio: E. P., H. O.
2. Quæritur: Quare Differentia & Intentio perficiunt Unitatem Poteſtatis & Principii? Solutio: E. P., H. O.

Quæſtiones E. Q.

1. QUÆRITUR: Quare Intentio eſt nobilius Principium in concretis entibus, quàm in abſtractis? Solutio: E. Q., K. P.
2. Quæritur: Quare Concreta entia vivunt de abſtractis? Solutio E. Q., K. P.

Quæstiones E. R.

1. QUÆRITUR: Quare intellectus fortiùs dubitat in compositis objectis, quàm in simplicibus? Solutio: E.R., C.S.
2. Quæritur: Quare falsitas est obscurius objectum, quàm veritas? Solutio: E.R., G.S.

Quæstiones E. S.

1. QUÆRITUR: Cùm intellectus sit spiritualis potentia, quare priùs incipit in corporalibus rebus, quàm in spiritualibus? Solutio: E.S., F.L.
2. Quæritur: Quare Dissimilitudo habet majorem Concordantiam cum secunda intentione, quàm cum prima? Solutio: E.S., G.M.

Quæstiones E. V.

1. QUÆRITUR: Quare Intentio habet majorem Concordantiam cum activa potentia, quàm cum passiva? Solutio: E.V., G.L.
2. Quæritur: Quare Intentio habet majorem Potestatem in Generatione, quàm in Corruptione? Solutio: E.V., G.L.

De Quæstionibus
Quintæ Regulæ F.

Quæstiones F. L.

1. QUæritur: *Quanta est Potestas, quam Sapientia DEI scit in Æternitate?* Solutio: F.L., G.R. Potestas, quam Sapientia DEI scit in Æternitate, est tanta, quanta est Potestas, quam intelligit in se ipsa; nam sua Magnitudo tantum diligitur in æternare, quantum in scire & amare; & ideo convenit, quòd in Æternitate sit tanta Intentio æternandi, quanta intelligendi & amandi; sinè qua intentione Æternitas esset vacua magnitudine & intentione; quia existeret per secundam intentionem, & Sapientia & Voluntas per primam; & in Æternitate non esset Medium nec proprius Finis; quia ejus Finis esset appropriata qualitas, & non haberet in se aliquod essentiale concretum; & destrueretur Unitas, quam Dignitates DEI habent in numero; quæ destructio est impossibilis.
2. Quæritur: suppositò, quòd Angeli sint: utrùm alii possint esse majores, quàm alii? Solutio: F.L., H.M.

Quæstiones F. M.

1. QUÆRITUR: Quantùm est ens reale majus, quàm ens phantasticum? Solutio: F.M., H.S.
2. Quæritur: Utrùm species, quas intellectus multiplicat, habeant Quantitatem? Solutio: F.M., K.S.

Quæstiones F. N.

1. QUÆRITUR: Quantùm est genus majus, quàm una suarum specierum? Solutio: F.N., G.S.
2. Quæritur: Utrùm species possit habere majorem Quantitatem, quàm suum genus? Solutio: F.N., E.S.

Quæstiones F. O.

1. QUÆRITUR: Utrùm in intelligere sit Motus & Quantitas? Solutio: F.O., B.S.
2. Quæritur: Utrùm possibilitas possit esse subjectum Quantitati & Motui? Solutio: F.O., G.M.

Quæstiones F. P.

1. QUÆRITUR: Utrùm in Unitate possit esse Pluralitas sinè Quantitate? Solutio: F.P., K.Q.
2. Quæritur: Utrùm Pluralitas possit esse essentia Quantitatis? Solutio: F.P., B.Q.

Quæstiones F. Q.

1. QUÆRITUR: Quare Quantitas meliùs convenit cum rebus concretis, quàm cum rebus abstractis? Solutio: F.Q., G.R.
2. Quæritur, in qua figura, videlicet circulari, triangulari vel quadrangulari Quantitas est fortiùs intelligibilis & amabilis? Solutio: F.Q., H.S.

Quæstiones F. R.

1. QUÆRITUR: Utrùm intellectus habeat majorem proportionem cum intensa Quantitate, quàm cum extensa? Solutio: F.R., G.P.
2. Quæritur: Utrùm intellectus mensuret objecta, quæ recipit, cum sua Quantitate, vel, utrùm mensuret se ipsum cum Quantitate illorum? Solutio: F.R., H.M.

Quæstiones F. S.

1. QUÆRITUR: Utrùm de Quantitate spirituali & corporali possit componi una Quantitas? Solutio: F.S., G.P.

Quæ-

2. Quæritur: Cum qua Quantitate mensurat humanus intellectus objecta non imaginabilia? Solutio: F.S., B.Q.

Quæstiones F. V.

1. QUÆRITUR: Cùm intrinseca intelligibilitas sit major, quàm extrinseca, quantùm sit major intrinseca intelligibilitas, quàm extrinseca? Solutio: F.V., E.O.
2. Quæritur: Utrùm in substantia Angeli sit Quantitas in longitudine, latitudine & profunditate? Solutio: F.V., C.S.

De Quæstionibus
Sextæ Regulæ G.

Quæstiones G. L.

1. QUÆRITUR: *Qualis est Infinitas DEI?* Solutio: G.L., H.P. Infinitas DEI est illa, quæ perficit suum Amare in infinito Amativo & Amabili, & quæ perficit infinitum Amativum & Amabile in infinito Amare; & hoc idem est de Virtute, & etiam de Unitate & Pluralitate, stante Infinitate in infinire unire infinitivi & infinibilis; & in hac Infinitate est DEUS infinitus & perfectus de omnibus iis, quæ pertinent ad ipsum.
2. Quæritur: Quæ est major Operatio, quam DEUS potest habere in creatura, & creatura in DEO? Solutio: G.L., H.S.

Quæstiones G. M.

1. QUÆRITUR: Quæ voluntas est vacua amare? Solutio: G.M., F.S.
2. Quæritur: Ex quibus speciebus perficitur Voluntas? Solutio: G.M., B.S.

Quæstiones G. N.

1. QUÆRITUR: Qualis amabilitas est generalis? Solutio: G.N. E.L.
2. Quæritur: Qualis Finis est amabilior? Solutio: G.N., F.L.

Quæstiones G. O.

1. QUÆRITUR: Qualem Motum habet voluntas in amare? Solutio: G.O., M.S.
2. Quæritur: Qualis finis est substantialis in amare? Solutio: G.O., E.Q.

Quæstiones G. P.

1. QUÆRITUR: Qualis est perfectio Unitatis? Solutio: G.P., E.Q.
2. Quæritur: In quali fine habet voluntas majorem quietem? Solutio: G.P., H.L.

Quæstiones G. Q.

1. QUÆRITUR: Qualis Differentia est illa, quæ existit inter essentiam & esse? Solutio: G.Q., B.R.
2. Quæritur: Species rerum de quibus finibus existunt plenæ? Solutio: G.Q., F.P.

Quæstiones G. R.

1. QUÆRITUR: Quæ sunt signa amoris? Solutio: G.R., E.S.
2. Quæritur: In quali cubili jacet ægrotum amare Amici. Solutio: G.R., D.S.

Quæstiones G. S.

1. QUÆRITUR: Quando Amicus jacet infirmus propter amorem, qualis est suus medicus? Solutio: G.S., H.L.
2. Quæritur: Qualis est Rex amoris? Solutio: G.S., H.O.

Quæstiones G. V.

1. QUÆRITUR: Quando amor est imprægnatus de amare, qualis est suus sponsus? Solutio: G.V., F.L.
2. Quæritur: Quales sunt arbores, quæ sunt plantatæ in viridario amoris? Solutio: G.V., H.S.

De Quæstionibus
Septimæ Regulæ H.

Quæstiones H. L.

1. QUÆRITUR: *Quando erit Finis mundi.* Solutio: H.L., F.O. Qui posset habere tantam virtutem, quòd posset scire, quando DEUS principiavit mundum, & quòd posset scire majorem Operationem, quam DEUS fecit in mundo, posset per tale scire habere notitiam, quando finietur motus mundi, qui est de generatione & corruptione; quæ cessatio appellatur Finis mundi; nam per tale scire posset homo scire Medium, quod existit inter Principium & Finem mundi; in quo Medio oportet, quòd DEUS fecerit meliorem Creaturam, quæ possit fieri, propter hoc, ut sit facta in majori & magis virtuoso Tempore, quod potest esse inter Principium & Finem; & ideo, Fili, potes ad hanc quæstionem respondere, si scis meliorem Operationem, quam DEUS fecit in mundo;

quia convenit, quòd ſit tantum Temporis usque ad Finem mundi ab illa hora, quâ operatio fuit facta, quantum de Principio mundi usque ad illud Tempus, quo fuit facta illa Operatio; & convenit, quòd hoc ita ſit, ut illa major Operatio meliùs proportionetur cum Medio mundi, quod eſt inter Principium & Finem.

2. Quæritur: Quando fuit major Operatio, quam DEUS fecit in mundo? Solutio: H.L., F.S.

Quæſtiones H. M.

1. QUÆRITUR: Quando eſt unum ens reale in uno tempore in majori Virtute, quàm in alio? Solutio: H.M., C.O.

2. Quæritur: Quando habet humanus intellectus majorem Virtutem intelligendi Veritatem? Solutio: H.M., F.L.

Quæſtiones H. N.

1. QUÆRITUR: Quando habet potentia ſenſitiva majorem Virtutem in ſentiendo? Solutio: H.N., E.R.

2. Quæritur: Quid fuit priùs, vel gallina vel ovum? Solutio: H.N., E.V.

Quæſtiones H.O.

1. QUÆRITUR: Quando fuit major Motus in majori Virtute? Solutio: H.O., E.S.

2. Quæritur: Quando habet voluntas majorem Virtutem, quàm intellectus? Solutio: H.O., E.M.

Quæſtiones H. P.

1. QUÆRITUR: Quando habet Unitas majorem Virtutem in agendo? Solutio: H.P., E.L.

2. Quæritur: Quando eſt operatio Pluralitatis in majori Virtute? Solutio: H.P., B.L.

Quæſtiones H. Q.

1. QUÆRITUR: Quando habent abſtracta entia majorem Virtutem in agendo? Solutio: H.Q., G.L.

2. Quæritur: Quando habet voluntas libertatem in amare? Solutio: H.Q., I.S.

Quæſtiones H.R.

1. QUÆRITUR: Quando habet intellectus majorem Virtutem in cognoſcendo falſitatem? Solutio? H.R., E.L.

2. Quæritur: Quando habet ignis majorem Virtutem in calefaciendo & in illuminando? Solutio: H.R., I.V.

Quæſtiones H.S.

1. QUÆRITUR: Quando habet Homo, qui addiſcit, majorem Virtutem in addiſcendo? Solutio: H.S., C.Q.

2. Quæritur: Quando habet oratio majorem Virtutem? Solutio: H.S., F.P.

Quæſtiones H.V.

1. QUÆRITUR: Quando habet memoria majorem Virtutem in intelligendo & amando? Solutio: H.V., E.L.

2. Quæritur: In qua hora diei habet Sol majorem Virtutem? Solutio: H.V., E.S.

De Quæſtionibus
Octavæ Regulæ I.

Quæſtiones I. L.

1. QUÆRITUR: *Ubi eſt major Æqualitas Veritatis & Juſtitia?* Solutio: I.L., H.P. Major Æqualitas Veritatis & Juſtitiæ exiſtit in illa ſubſtantia, in qua Veritas & Juſtitia habent majorem operationem & magìs virtuoſam in verificativo, verificabili & verificare, juſtificativo, juſtificabili & juſtificare, ſinè aliqua minoritate & accidente, ſtantibus pluribus veris rebus idem per eſſentiam, & diſtinctis per operationes; hanc ſubſtantiam, Fili, ſcies cognoſcere in ſignificatis literarum I.L., H.P.

2. Quæritur: Ubi eſt major Concordantia DEI & creaturæ? Solutio: I.L., H.M.

Quæſtiones I. M.

1. QUÆRITUR: Ubi eſt objectum, in quo recolere, intelligere & amare poſſint magis coæquari & extendi? Solutio: I.M., B.L.

2. Quæritur: Quando intellectus non intelligit, ubi eſt ſuum intelligere? Solutio: I.M., E.S.

Quæſtiones I. N.

1. QUÆRITUR: Ubi eſt generalis Æqualitas? Solutio: I.N., K.M.

2. Quæritur: Ubi eſt generalis proportio? Solutio: I.N., E.L.

Quæſtiones I.O.

1. QUÆRITUR: Ubi eſt ſubjectum, in quo Veritas & Juſtitia habent æqualem motum? Solutio: I.O., E.Q.

Quæri-

2. Quæritur: Ubi eſt inſtrumentum, cum quo Veritas movet Juſtitiam? Solutio: J.O., K.S.

Quæſtiones I. P.

1. QUÆRITUR: Ubi DEUS creavit mundum? Solutio: I.P., E.M.

2. Quæritur: Ubi eſt ſubjectum pluralitatis? Solutio: I.P., H.O.

Quæſtiones I. Q.

1. QUÆRITUR: Ubi exiſtit Contrarietas Veritatis & injuriæ? Solutio: I.Q., D.M.

2. Quæritur: Ubi exiſtit Juſtitia & Veritas? I.Q., H.L.

Quæſtiones I. R.

1. QUÆRITUR: Ubi eſt intenſitas Veritatis? Solutio: I.R., E.P.

2. Quæritur: Ubi eſt ſubjectum, in quo Veritas & Juſtitia extenduntur? Solutio: I.R., C.M.

Quæſtiones I. S.

1. QUÆRITUR: Ubi eſt ſimilitudo, cum qua cognoſcitur Veritas? Solutio: I.S., H.Q.

2. Quæritur: Ubi eſt vacuitas Veritatis, Juſtitiæ & Æqualitatis? Solutio: I.S., V.M.

Quæſtiones I. V.

1. QUÆRITUR: Ubi eſt civitas, in qua generatur Æqualitas & Veritas? Solutio: I.V., E.M.

2. Quæritur: Suppoſito, quòd DEUS poſſit evacuare plenum, ubi poſſet ſuſtentari & collocari illa vacuitas? Solutio: I.V., E.R.

De Quæſtionibus
Nonæ Regulæ K.

Quæſtiones K.L.

1. QUÆRITUR: *Quomodo ordinantur Dignitates DEI?* Solutio: K.L., E.M. Dignitates DEI ordinantur ipſis manentibus realibus rationibus & idem in numero; quâlibet habente intentionem ad Gloriam & Poteſtatem ſinè Minoritate, & quâlibet habente intentionem ad ſe ipſam, ſecundùm quòd quælibet exiſtit ratio, ut habeat in ſe ipſa eſſentialem operationem: ſicut Gloria, in qua convenit glorificativum, glorificabile & glorificare cum reali Poteſtate cujuslibet ſinè minorificare & ſinè principiare alterius eſſentiæ; igitur eſt ordinatio in Dignitatibus DEI ſecundùm hunc modum, quem prædiximus, exiſtente Gloriâ ente communi ipſis glorificativo, glorificabili & glorificare, omnibus tribus manentibus una & eadem Gloria.

2. Quæritur: Quomodo ſunt Dignitates DEI? & quomodo ordinant mundum? Solutio: K.L., E.S.

Quæſtiones K.M.

1. QUÆRITUR: Cùm Angeli non poſſint bonificare DEUM, & poſſint ipſum intelligere & amare, quomodo eorum Bonitas poteſt habere tantam Gloriam, quantam eorum intelligere & amare? Solutio: K.M., B.R.

2. Quæritur: Cùm dæmones intelligant DEUM, quomodo eorum intelligere poteſt habere pœnam? Solutio: K.M., D.S.

Quæſtiones K.N.

1. QUÆRITUR: Cùm planta non ſit de eſſentia memoriæ, quomodo eſt recolibilis? Solutio: K.N., E.S.

2. Quæritur: Quomodo poteſt eſſe, quòd aliqua individua ſint ſinè ſpeciebus, & aliquæ ſpecies ſint ſinè generibus? Solutio: K.N., G.K.

Quæſtiones K.O.

1. QUÆRITUR: Quomodo in Gloria DEI poteſt gloriare exiſtere ſinè motu? Solutio: K.O., D.V.

2. Quæritur: Quomodo in ſubſtantia ignìs ſimplicis poteſt eſſe motus? Solutio: K.O., B.V.

Quæſtiones K.P.

1. QUÆRITUR: Quomodo in Unitate DEI poteſt exiſtere gloriare? Solutio: K.P., E.Q.

2. Quæritur: Quomodo habet humanus intellectus libertatem ad intelligendum? Solutio: K.P., F.M.

Quæſtiones K. Q.

1. QUÆRITUR: Quomodo abſtractum & concretum poſſint eſſe in gloriari ſinè Differentia? Solutio: K.Q., B.V.

2. Quæritur: Quomodo in Gloria DEI gloriativum & gloriabile poſſint eſſe idem in numero? Solutio: K.Q., E.V.

Quæſtio-

Quæſtiones K. R.

1. QUÆRITUR: Quomodo poteſt intenſa Gloria exiſtere in extenſa? Solutio: K.R., E.P.
2. Quæritur: Quomodo poteſt ordinatio eſſe ſinè compoſitione? Solutio: K.R.,E.V.

Quæſtiones K. S.

1. QUÆRITUR: Quomodo poteſt ordinatio eſſe de ſimilitudinibus? Solutio: K.S., E.M.
2. Quæritur: Quomodo poteſt pœna eſſe de diſſimilitudinibus vel de diſſimilibus? Solutio: K.S., D.V.

Quæſtiones K. V.

1. QUÆRITUR: Quomodo generat voluntas ſuum amare? Solutio: K.V., G.S.
2. Quæritur: Quomodo poſſunt ſimplicia elementa eſſe in ſubjectis corruptibilibus ſinè corruptione ſui ipſorum? Solutio: K.V., D.K.

Diximus de K. ſecundùm nonam Regulam, nunc autem volumus dicere de K. ſecundùm decimam Regulam.

De Quæſtionibus
Decimæ Regulæ K.

Quæſtiones K. L.

1. QUÆRITUR: *Cum quo DEUS eſt ordinatus in ſe ipſo?* Solutio: K.L., B.P. DEUS eſt ordinatus in ſe ipſo cum ſua Gloria ſinè Minoritate, & cum Unitate ſuæ Bonitatis, Magnitudinis, Æternitatis, & cum ordine bonificativi, bonificabilîs & bonificare, & cum Diſtinctione proprii & communîs ordinis & potentiæ & objecti; & DEUS eſt ordinatus cum Veritate & Æqualitate verificativi, verificabilîs & verificare, & juſtificativi, juſtificabilîs & juſtificare; & ideo in DEO non poteſt eſſe inordinatio, pœna, minoritas, diviſio vel ſeparatio Bonitatis, Magnitudinis, Æternitatis, malitia, confuſio, contrarietas potentiæ & objecti, falſitas, inæqualitas & injuria; nam nullum iſtorum habet, cum quo poſſit eſſe in DEO.
2. Quæritur: Cum quo creavit DEUS mundum? Solutio: K.L., I.P.

Quæſtiones K. M.

1. QUÆRITUR: Cum quo glorificat DEUS Sanctos Gloriæ? & cum quo habent ipſi Gloriam in DEO? Solutio: K.M., F.S.
2. Quæritur: Cum quo attingit homo veritates entium? Solutio: K.M., I.S.

Quæſtiones K. N.

1. QUÆRITUR: Cum quo ordinat homo memoriam ad recolendum, & intellectum ad intelligendum, & voluntatem ad amandum? Solutio: K.N., E.S.
2. Quæritur: Cum quo multiplicat ſenſitiva ſuum ſentire, & imaginativa ſuum imaginari? Solutio: K.N., G.L.

Quæſtiones K. O.

1. QUÆRITUR: Cum quo movet ſenſitiva memoriam ad recolendum? & cum quo movet memoria ſenſitivam ad ſentiendum? & cum quo movet ſenſitiva vegetativam ad vegetandum? & vegetativa elementativam ad elementandum? Solutio: K.O., H.S.
2. Quæritur: Cum quo movet potentia objectum? & cum quo movet homo ſuos pedes? & cum quo movet ignis aquam? & cum quo ventus eſt mobilis & motus? & cum quo mare eſt mobile? & cum quo deſcendit imber? & cum quo aſcendit terra ſurſum? & cum quo deſcendit ignis deorſum? Solutio: K.O., G.S.

Quæſtiones K. P.

1. QUÆRITUR: Cum quo habet Unitas DEI Gloriam? Solutio: K.P., B.L.
2. Quæritur: Cum quo multa corpora poſſunt eſſe in uno loco? Solutio: K.P., G.R.

Quæſtiones K. Q.

1. QUÆRITUR: Cum quo Angeli cognoſcunt ſe invicem? & cum quo laudant DEUM? & cum quo loquuntur ad invicem? Solutio: K.Q., F.S.
2. Quæritur: Cum quo eſt glorioſus de Gloria? & cum quo eſt ordo in gloria? Solutio: K.Q., I.S.

Quæſtiones K. R.

1. QUÆRITUR: Cum quo ſunt Gloria & pœna contrariæ? Solutio: K.R., G.S.
2. Quæritur: Cum quo habet DEUS extenſam Infinitatem? Solutio: K.R., C.L.

Quæſtio-

Quæſtiones Q. S.

1. QUÆRITUR: Cum quo boni homines ſunt boni, & mali homines ſunt mali? & cum quo poſſet homo ordinare mundum, & deſtruere errores, qui in ipſo ſunt? Solutio: K.S., E.L.
2. Quæritur: Cum quo mortificatur peccatum? Solutio: K.S., H.V.

Quæſtiones Q. V.

1. QUÆRITUR: Cum quo generat una planta aliam? Solutio: K.V., H.N.
2. Quæritur: Cum quo multiplicat intellectus amare? Solutio: K.V., F.L.

De Habituatione hujus Artis.

1. Fili, debes habituare & in tuo intellectu in ſummâ comprehendere proceſſum hujus Arboris, ſi ab ipſa vis habere utilitatem; ita, quòd ſcias ejus diviſionem, quæ conſiſtit in quatuor Diſtinctionibus.
2. *Prima* Diſtinctio eſt de ejus Ordinatione diviſa in *tres Partes*; *prima* Pars eſt de Figura Arboris: *ſecunda* eſt de Figura circulari; *tertia* eſt de Definitionibus, quas cordetenus oportet ſcire.
3. *Secunda* Diſtinctio eſt de Regulis, quæ Regulæ ſunt decem, & debes ipſas cordetenus ſcire.
4. *Tertia* Diſtinctio eſt de Propoſitionibus, quæ ſunt centum octuaginta, quarum quælibet habet ſuam propriam Quæſtionem.
5. *Quarta* Diſtinctio eſt de Quæſtionibus applicabilibus ad Conditiones; in hoc brevi proceſſu poteris, Fili, ſummariè cognoſcere totam Ordinationem hujus Arboris, & ſcias eam bene cordetenus; nam cum ipſa poteris reperire loca, in quibus poteris nova invenire, & reſpondere ad Quæſtiones, quæ tibi fient, *& de Secretis Naturæ poteris cum ipſa habere notitiam.*

Finita eſt iſta Arbor ad Laudem, Gloriam & Honorem Divinæ & Sanctæ Trinitatis. DEO gratias.

BEATI
RAYMUNDI LULLI
DOCTORIS ILLUMINATI
ET
MARTYRIS
LIBER PROVERBIORUM.

DEUS cum tua Virtute incipiunt *Proverbia.*

DE PROLOGO.

CUm *Proverbium ſit brevis propoſitio, quæ in ſe continet multam ſententiam & Scientiam*, ideo volumus ſignificare & monſtrare magnam Scientiam & Contemplationem per Proverbia ſequendo Doctrinam *Tabulæ Generalis;* & volumus facere multa Proverbia, ut per ipſa demus multam Doctrinam. Iſte Liber eſt multùm utilis ad cognoſcendum & amandum DEUM, ſe ipſum & ſuum proximum, & monſtrat naturas ſubſtantiarum & illarum accidentia; etiam docet cognoſcere morales Virtutes & Vitia, & iſta materia eſt utilis ad prædicandum, allegando in Prædicatione Proverbia hujus Libri; hoc idem eſt de Diſputatione, quia iſte Liber eſt diffuſus per Proverbia, & Proverbium eſt diſpoſitum, ut faciliter habituetur & recolatur; ideo hic Liber eſt diſpoſitus, ut *faciliter habituetur recolendo, intelligendo & amando.*

De Diviſione hujus Libri.

HIc Liber dividitur in *tres Partes. Prima Pars* eſt de Proverbiis, quæ ſunt *de Centum Nominibus DEI, de quibus jam fecimus unum Librum,* & monſtravimus Naturam DEI & ſuas Operationes, & ipſa applicamus ad Moralitates. *Secunda Pars* eſt de Proverbiis *naturalibus*, per quæ habetur cognitio de Naturis Creaturarum. *Tertia Pars* eſt de Proverbiis *moralibus,* quæ docent Virtutes & Vitia; & quamlibet Partem dividimus in *centum Capita,* & quodlibet Caput in *viginti Proverbia.*

PRIMA PARS DE Centum Nominibus DEI.

CAPUT I.
De Nomine DEI.

1. QUia DEUS est Ens perfectum, suum Nomen est perfectum.
2. DEUS & suum Nomen realiter convertuntur.
3. Nomen DEI, quod homo nominat, est similitudo nominis DEI.
4. Nomen DEI, quod est DEUS, non est creatura, sed Nomen DEI, quod homines nominant, est creatura.
5. Qui dicit Creatorem, nominat DEUM, & Creator non est creatura.
6. Qui dicit summum Bonum, nominat DEUM, & summum Bonum non est nisi unum; & summum Bonum, quod homo dicit, est creatura.
7. Qui dicit Ens, quod non indiget aliquo, nominat DEUM.
8. Qui nominat Infinitatem & Æternitatem, nominat DEUM.
9. Qui nominat infinire & æternare, nominat DEUM.
10. Si non esset alia voluntas, nisi Voluntas DEI, qui nominaret voluntatem, nominaret DEUM.
11. Nomen DEI non est variabile, sed Christianus, Judæus & Saracenus variant ipsum per varias voces & vocabula.
12. Ita nominamus DEUM, quando nominamus infinitum vel æternum, sicut homo ferrum, quando nominat martellum vel clavum, qui sunt de ferro.
13. In DEO Nomen de Nomine est DEUS de DEO.
14. In DEO Filius accipit Nomen à Patre, in quantum est Filius & DEUS.
15. Sanctus Spiritus accipit Nomen à Patre & Filio, in quantum est Unitas Personæ & DEUS.
16. Qui in divina Essentia nominat Patrem, Filium & Sanctum Spiritum, ter nominat DEUM.
17. Pater est DEUS, Filius est DEUS, & Sanctus Spiritus est DEUS, &, quia non habent nisi unam Essentiam, unam Naturam, unam Bonitatem, Infinitatem, Æternitatem & Potestatem, non sunt nisi unus DEUS.
18. In DEO est proprium Nomen & commune, proprium convenit Personis, & commune convenit Essentiæ, Naturæ, divinis Rationibus & Actibus earum.
19. Qui in DEO nominat Bonitatem, nominat bonum, &, qui nominat bonum, nominat Bonitatem, &, qui nominat bonificare, nominat bonificantem, bonificabilem & bonificatum.
20. Divinæ Rationes habent propria Nomina per Productionem distinctarum Personarum, & commune per Essentiam & Naturam.

CAPUT II.
Quòd DEUS sit de necessitate.

1. DEUM esse est necessarium, ut sit summum Bonum.
2. Si summum Bonum non est, sua absentia est summum malum: sed summum malum non potest esse; quia, si esset, destruxisset omne bonum.
3. Est unum summum Bonum tantùm, quia plura summa bona non possunt esse.
4. Unum summum Bonum non potest esse supra aliud summum bonum, quia, si esset, esset summum & non summum.
5. Summum Bonum est DEUS, qui est supremus super omne aliud bonum.
6. Infinitum *Esse* est necessarium, quia, si non esset, omne *esse* esset finitum, & esset eò nobilius, quò magìs esset finitum.
7. Si infinitum *Esse* non est, omne *esse*, quò minus habet de entitate, eò magìs est remotum ab Infinitate, quàm illud *esse*, quod habet plus de entitate, & parvum *esse* est nobilius, quàm magnum, quia est magìs remotum ab hoc, quod non est, & quò minus est, eò meliùs convenit cum *esse*.
8. Parvum *esse* non potest habere plus de entitate, quàm magnum, & de hoc habemus experientiam; igitur DEUS est, qui est infinitum *Esse*.
9. Quia est infinitum *Esse*, omne finitum *esse*, quò plus habet de entitate, eò propinquius est infinito *Esse*, quàm illud *esse*, quod minus habet de entitate.
10. Convenit, quòd sit unum infinitum *Esse*, & non multa; nam, si essent multa, unum esset finitum in alio, & non esset infinitum.
11. Æternum *Esse* est necessarium, quia, si non esset, omne, quod est, esset principiatum, & primum *esse* principiasset se ipsum; quod est impossibile.
12. Necessarium est, quòd non sit nisi una Æternitas, & illa est DEUS; quia, si essent multæ, ita sequeretur inconveniens, sicut sequeretur, si essent multa suprema bona & multa infinita.
13. Necessarium est, infinitam Potestatem esse, quia si non esset, non posset esse summum Bonum nec infinitum *Esse* nec Æternitas; &, quia sunt, possunt esse, & illa Potestas, per quam sunt & possunt esse, est infinita.
14. DEUS est infinita Potestas, quæ infinitè potest, quia, si non posset infinitè, esset infinitus in existendo, & finitus in agendo, & sequeretur, quòd in una & eadem Essentia finitum & infinitum naturaliter concordarent; quod est impossibile.
15. In summa Bonitate non convenit esse unum bonum supra aliud, nec in infinito *Esse* unum esse supra aliud, nec in Æternitate unum esse supra aliud, nec in infinita Potestate unum esse supra aliud.
16. Quia in DEO non convenit unum esse supra aliud, est DEUS ita perfectus per suum Finem, sicut per suam Essentiam.
17. DEUS est summus Finis, & summus Finis non potest esse, si de ipso & per ipsum & in ipso non sequitur summum *Esse*.
18. Esse summum per Finem, est esse perfectum per Finem, in quo est infinitum & summum perficere.
19. Summus Finis non potest esse cum otiositate, quia si esset otiosus, summum Bonum non esset infinitus Actus infiniti esse & infinitæ Potestatis.
20. Probavimus, DEUM esse de necessitate, qui est summum *Esse* & Finis, cujus Nomen sit benedictum & laudatum. Amen.

CAPUT III.
De Essentia DEI.

1. DEitas est Essentia DEI, & Deitas & DEUS convertuntur.
2. Non posset esse unus DEUS, si Deitas, Infinitas & Æternitas non converterentur.
3. DEUS multò meliùs se habet ad Deificare per Deitatem, quàm ad creare per Potestatem.
4. Ita bene stat in Deitate Deificare, sicut in Amore amare.
5. Si in DEO Deitas & Natura non converterentur, DEUS non esset sua propria Natura.
6. DEUS est multò meliùs per Deitatem, quàm homo per humanitatem.
7. Multò meliùs est DEUS de DEO per Deitatem, quàm homo de homine per humanitatem.
8. Nullus homo posset habere cognitionem de Deitate sinè Deificare.
9. Qui non cognoscit Deitatem, non cognoscit DEUM.
10. Si Deitas non haberet in se ipsa Deificare divinarum Personarum, haberet in se ipsa suam Bonitatem, Magnitudinem, Æternitatem & alias suas Rationes otiosas.
11. Ita essent multi Dii, si essent multæ Deitates, sicut sunt multi homines, quia sunt multæ humanitates.
12. Ita sufficit Deitati una Bonitas, sicut una Æternitas & una Infinitas.
13. Multò meliùs nascitur DEUS de DEO in Deitate, quàm homo de fœmina in humanitate.
14. Quia DEUS Pater de sua Deitate generat suum Filium DEUM, & Filius nascitur in Deitate, remanet Deitas indistincta.
15. Ita est impossibile, quòd Distinctio multiplicet multas Deitates, sicut multas infinitates.
16. Ita sufficit una Deitas multis Personis per Productionem, sicut una Æternitas uni DEO per Durationem.
17. Qui bene intelligeret Deitatem, quid aliud oporteret ipsum amare?
18. Non potest Deitatem amare, qui in illa discredit Deificare.
19. Ita Deitas habet Deificare per Patrem, sicut Pater habet Filium per generare.
20. Ita Deitas convertitur cum Deificare, sicut cum generare & spirare.

CAPUT IV.
De Unitate DEI.

1. ITa se habent in DEO Unitas & unire, sicut Intellectus & intelligere.
2. Nulla Unitas potest esse infinita sinè unire.
3. Quia Unitas DEI est infinita, est una, & non multæ.
4. Ita est unus DEUS per Unitatem, sicut est infinitus per Infinitatem.
5. Si Unus de Unitate non uniret alium unum, Unitas esset otiosa.

6. Magnitudo & nobilitas Unitatis est, quòd in se ipsa & de se ipsa habeat unientem, unibilem & unire.
7. Plus potest Unus de sua Unitate, quàm de aliena.
8. Sinè Distinctione unius & alterius Unus non posset cognoscere alium.
9. Quia Unitas DEI est infinita, sufficit in DEO una Bonitas, una Infinitas, una Æternitas, una Natura & una Essentia.
10. Voluntati, cui non sufficit unus DEUS, deficiunt omnia.
11. Illa Voluntas habet multos Deos, quæ multas res plùs amat, quàm DEUM.
12. Si essent multi Dii, non esset infinita Unitas.
13. Per Unitatem DEI quælibet creatura est una.
14. Quia Unitas DEI est Simplicitas, de ipsa non sequitur ulla compositio.
15. Vacuitas Unitatis est privatio unientis, unibilis & unire.
16. Unitas est in Essentia unius & multorum, si sunt de ipsa.
17. Unitas, quæ habet necessitatem rerum exteriorum, non est plena.
18. Si Unus se non daret uni, non esset Liberalitas de essentia Unitatis.
19. Unitas, quæ implet omnes unitates, est valde amabilis.
20. Quia DEUS est Unus, nullum ens appetit non esse unum.

CAPUT V.
De Pluralitate DEI sive De Divina Trinitate.

1. DIvina Pluralitas ita est causa creatæ pluralitati, sicut sua Unitas est causa creatæ unitati.
2. Si DEUS non haberet intra se ipsum Productionem, non posset illam habere extra in creaturis.
3. Sinè divina Productione infinita non possent actus suarum Rationum esse infiniti.
4. Si in DEO non esset Pluralitas, in DEO non posset esse æterna amicitia Amici & Amati.
5. Divina Potestas parum posset, si de divina Bonitate non posset producere divinum Bonificatum, & de divina Magnitudine divinum Magnificatum, & de se ipsa divinum Possificatum.
6. Sapientia DEI parum sciret, si non sciret in Infinitate unum de alio, & similiter in Æternitate, & hoc idem in omnibus divinis Rationibus.
7. Divinus Amor esset otiosus, nisi in se ipso haberet æternum Amantem, Amabilem & Amare.
8. Divina Voluntas esset avara, si in se ipsa amaret Trinitatem Amici, Amati & Amare, & illam non amaret in Bonitate Bonificantis, Bonificabilis & Bonificare.
9. Postquam in Voluntate sufficit Trinitas Amantis, Amabilis & Amare, in ipsa esset superflua quaternitas.
10. Divina Voluntas non posset esse plena sinè Amante, Amato & Amare.
11. Si in divina Voluntate non est Distinctio unius & alterius, Sapientia non potest in Voluntate scire æternam Naturam Amici & Amati.
12. Sinè Distinctione non possunt in divina Voluntate esse Concordantia & Æqualitas Amici & Amati.
13. Si in Voluntate non est Distinctio Amantis & Amati, de suo amare non sequitur infinitus & æternus Finis.
14. In nullo numero potest esse tam magna Æqualitas unius & alterius, & unius & duorum, sicut in numero ternario.
15. Principium potest esse magis perfectum in numero ternario, quàm in alio numero, quia est de principiante, principiabili & principiare.
16. In Æternitate principiabile & principiatum de necessitate convertuntur, ut in Æternitate possint esse Principians, Principiatus & Principiare.
17. Nullus numerus est magis generalis quàm ille, qui est de potentia, objecto & actu.
18. Si in divina Essentia & Natura non esset numerus ternarius divinarum Personarum, nulla divina Ratio attingeret suum Finem in se ipsâ, nec posset converti cum Essentia.
19. Solùm in numero ternario potest esse perfectum Principium Personæ principiantis & non principiatæ, & Personæ principiatæ & principiantis, & Personæ principiatæ & non principiantis.
20. In nullo numero potest esse relatio tam magna, tam necessaria & tam nobilis, sicut in numero ternario.

)o(

CAPUT

CAPUT VI.
De DEO Patre.

1. QUia DEUS intelligit, quòd possit tantum de se ipso, quantus ipse est, ideo DEUS Pater est Pater DEI Filii; &, si hoc non esset, intelligeret otiositatem in sua Potestate.
2. Impossibile est, quòd ante Patrem sit aliquid, quia si esset, Pater non haberet naturam, quòd per Paternitatem esset primus Filio: unde, ut DEUS sit primus, se facit Patrem Filii.
3. Multò magis propriè DEUS est Pater DEI, quàm homo hominis, quia vir habet filium de se ipso cum alio, quæ est fœmina, & DEUS habet Filium de se ipso tantùm.
4. Hoc, propter quod convenit, in DEO unam Personam esse Patrem, & aliam Filium, est, ut inter unam Personam & aliam sit perfecta Concordantia, quia nulla Concordantia potest esse melior secundùm naturam, quàm illa, quæ est de multis, & quòd unum sit de alio.
5. Nullus est magis propinquus & magis similis Patri, quàm Filius, qui nascitur de Patre.
6. Multò meliùs convenit DEO, quòd sit Pater per Naturam, quàm per Creationem.
7. Si in DEO non esset Generatio, DEUS non haberet, cum quo esset magis remotus à corruptione.
8. Hoc, per quod DEUS magis potest intelligi, convenit esse in illo; igitur convenit, in DEO Patrem esse intellectum per suum Filium, qui totus nascitur de toto Patre.
9. Si in divina Natura non est Pater, nulla divina Ratio vel Dignitas est prima per Paternitatem.
10. Qui est infinitus & æternus Pater, non indiget aliquo.
11. Si DEUS non esset Pater, non posset esse Pater Æternitatis, cujus est Pater, in quantum illam dedit suo Filio per Generationem.
12. Est multò major nobilitas esse Patrem unius Filii infiniti, quàm omnium entium finitorum.
13. Si DEUS non esset Pater, non esset Filius DEUS, nec esset, in quo esset æterna & infinita Relatio.
14. Quia Pater habet suum Filium de sua Infinitate, & Filius nascitur in Infinitate, Pater non est major, quàm Filius.
15. Quia Pater generat suum Filium de Æternitate, & Filius nascitur in Æternitate, Pater non potest esse antequam Filius.
16. Quia Filius est de tota Essentia & Natura Patris, non possunt esse distincti in multas essentias & naturas.
17. Quia Filius nascitur de Patre & in Patre per Infinitatem, Pater non potest esse in uno loco, in quo non sit Filius.
18. Quia Filius est de tota Sapientia Patris, Pater & Filius non habent nisi unum intelligere.
19. Quia Filius est de tota Bonitate Patris, Bonitas Patris & Filii est una, & non multæ.
20. Nisi Pater tantum amaret suum Filium, quantum se ipsum, Filius non esset de tota Voluntate Patris; & esset finitus, & non esset de tota Infinitate Patris.

CAPUT VII.
De DEO Filio.

1. QUia Filius est de toto Patre, est de Bonitate Patris.
2. Quia Filius est de tota Bonitate Patris, est ita Bonus, sicut Pater.
3. Filius est, ut sit Pater, & Pater est, ut sit Filius, & ideo Finis amborum est unus, & non multi.
4. Quia Finis Patris & Filii est unus, & non multi, non potest in DEO esse nisi unus Pater & unus Filius.
5. Si Filius DEI posset esse Pater, unus Finis Filii non sufficeret uni Fini Patris.
6. Cùm in Æternitate una Paternitas non possit esse ante aliam, ideo in Æternitate Filius non potest esse Pater.
7. In Infinitate non possunt esse multi filii infiniti.
8. Filius est distinctus à Patre per Generationem, & est unus cum Patre per Essentiam, quia est de tota Essentia Patris.
9. Quia Filius est de tota Essentia Patris, potest esse Pater creaturarum per Patrem.
10. Filius fuit dispositus, quòd incarnaretur, & non Pater, quia in Filiatione assimilatur cum creaturis.
11. Si non esset DEUS Filius, nulla creatura posset esse filia DEI.
12. Si peccatum esset creatura, esset simile Filio DEI.
13. Quia peccatum est contra creaturam, est magis contrarium Filio DEI, quàm DEO Patri.
14. Quia Filius est magis similis creaturæ, quàm

quàm Pater, est magis contrarius peccato, quàm Pater.

15. Quia Filius est magìs contrarius peccato, quàm Pater, est incarnatus contra peccatum.

16. Quia Filius habet similitudinem cum creatura in Filiatione, sunt omnes creaturæ ratione illius similitudinis.

17. Creaturæ sunt tribus modis ipsius Filii, scilicet per Creationem, per Assimilationem & per Recreationem.

18. Si non esset Filius DEI, creaturæ non possent habere perfectam similitudinem DEI.

19. Nullus habet tantam curam peccatoris, sicut Filius DEI.

20. Homo, qui magìs amat suum Filium, quàm Filium DEI, est magìs contrarius DEO per Filium, quàm per Patrem & per Sanctum Spiritum.

CAPUT VIII.

De DEO Sancto Spiritu.

1. COnvenit, quòd Amor, quem Pater & Filius erga se habent, sit tertia Persona, ut in DEO non sit accidens.

2. Generare in DEO non est nobilius, quàm Amare, quod erga se habent Pater & Filius.

3. Ita convenit, quòd sequatur Persona per Amare, sicut per Generare.

4. Sinè tertia Persona in Bonitate esset superfluum Bonificare, & in Voluntate Amare.

5. Filius non posset tantum Amare Patrem, quantum Pater illum potest Generare, si non esset tertia Persona.

6. Non est magìs naturale Patri Producere Filium, quàm illum Amare.

7. Ita proprium est Filio Amare Patrem, sicut illum Intelligere.

8. Pater ita perfectè considerat hoc, quod amat, sicut hoc, quod potest.

9. Pater tantùm evitat otiositatem in Amare, sicut in Posse.

10. Si Filius esset otiosus in amando Patrem, esset otiosus in intelligendo Patrem.

11. Secundùm Perfectionem tam necessarium est in DEO exire de duobus, sicut nasci de uno.

12. In DEO incipit numerus in uno de uno, & est perfectus in uno de duobus.

13. Sanctus Spiritus est tam perfectus, quia in illo completur numerus Personarum, sicut Pater & Filius, quia illum faciunt.

14. Sanctus Spiritus est tam Nobilis per duas Passiones, sicut Pater per duas Actiones, & Filius per unam Passionem & per unam Actionem.

15. Quælibet divinarum Rationum est Principium per Patrem in Filio, & per Filium est Medium, & per Sanctum Spiritum est Quies & Finis.

16. Id, propter quod Sanctus Spiritus non producit Personam, est, ut appetitus cujuslibet Rationis in illo habeat Finem & quietem.

17. Tertia Persona ideo est Sanctus Spiritus, quia est una Conceptio Amoris, quæ exit de duobus.

18. Quia Pater & Filius per Amorem se habent ad unum Finem, ille Finis est Sanctus Spiritus.

19. Sicut secunda Persona est Filius per nasci, ita tertia Persona est Sanctus Spiritus per exire de duobus.

20. Spiritus est Sanctus, quia est innocuus Patri & Filio, in quantum non appetit producere quartam Personam.

CAPUT IX.

De Divina Singularitate.

1. SI DEUS non esset singularis in Bonitate, Infinitate, Æternitate & Potestate, non posset esse in Summitate.

2. DEUS est multò magìs singularis per Generare & Spirare, quàm per Creare.

3. DEUS est tam singularis per Magnitudinem Voluntatis, sicut per Magnitudinem Intellectûs & Potestatis.

4. DEO multò meliùs convenit Singularitas, quàm soli & lunæ immultiplicabilitas.

5. Quia DEUS est singularis, habet singulares Proprietates.

6. Tam bene conveniunt in DEO singularis Paternitas, Filiatio & Spirabilitas, sicut singularis Infinitas & Æternitas.

7. Mundus non potest esse æternus, ut DEUS sit singularis per Æternitatem.

8. Si DEUS non esset singularis per Æternitatem, non esset singularis per Infinitatem.

9. Ita impossibile est, quòd DEUS habeat parem per Æternitatem, sicut per Infinitatem.

10. Quia DEUS est singularis in Virtute, est magìs remotus à vitio, quàm ulla creatura.

Quia

11. Quia quilibet Actus divinarum Rationum sunt singulares in summitate, quælibet suarum Rationum est singularis in Perfectione.

12. DEUS est ita singularis in Magnitudine Bonitatis per parcere, sicut per judicare.

13. Nulla Singularitas esset magna, nisi DEO sufficeret una Bonitas.

14. Si in DEO essent necessariæ duæ Paternitates, nulla ipsarum esset singularis in Infinitate.

15. DEUS est ita singularis in infinire & æternare, sicut in intelligere & amare.

16. Sicut summa Bonitas non sustinet, quòd sit alia summa Bonitas, ita summa Singularitas non sustinet, quòd sit alia summa Singularitas differens ab illa per Essentiam.

17. Quia in DEO Pater sustinet, quòd Filius sit singularis in Nativitate, ideo Filius sustinet, quòd Pater sit singularis in Paternitate.

18. In solo DEO sunt multæ Rationes in uno numero.

19. In DEO tantùm multæ Personæ sunt una eadem Essentia.

20. Sicut Pater habet unum Filium DEUM singularem in Magnitudine Bonitatis, ita habet unum Filium Hominem, qui est JESUS Christus, singularem in Magnitudine Bonitatis.

CAPUT X.

De Existentia DEI.

1. DEUS est bonus per suam Bonitatem, & non per aliam.

2. DEUS existit per Infinitatem & Æternitatem.

3. Deitas existit per divinas Personas, in quibus est sustentata.

4. DEUS est Pater per Paternitatem, & Filius per Filiationem, & Sanctus Spiritus per Spirationem.

5. DEUS est DEUS per Paternitatem, Filiationem & Spirationem.

6. DEUS est Perfectus, quia quælibet suarum Rationum habet perfectum Actum.

7. DEUS existit per generare & spirare.

8. DEUS existit per se ipsum, & non per aliud.

9. DEUS cum Sanctitate est innocuus omnibus rebus.

10. DEUS cum sua Libertate est gratiosus hominibus.

11. Cum generare & spirare est DEUS primus omnibus operibus.

12. DEUS cum Æternitate est primus tempori, & cum Infinitate quantitati.

13. DEUS cum bonificare est remotus à malitia, & cum intelligere ab ignorantia.

14. DEUS est propinquus peccatori cum Pietate, contritione & oratione.

15. Sicut DEUS est immutabilis cum Æternitate, ita est Perseverans cum Justitia contra superbum peccatorem.

16. DEUS est fortior contra perversum principem, quàm contra perversum rusticum.

17. Nulla naturalis potestas est contra Potestatem DEI.

18. DEUS est multò magìs contra peccatum, quàm ignis contra aquam.

19. Quia DEUS est infinitus, est essentialiter in omni loco, & extra omnem locum.

20. DEUS est tantum DEUS per Finem suæ Operationis intrinsecæ, sicut per suam Deitatem.

CAPUT XI.

De Operatione DEI.

1. QUia DEUS omnibus modis est Infinitus, convenit, quòd habeat infinitam Operationem.

2. Nulla Operatio est tam nobilis, sicut illa, quæ est de DEO in DEO.

3. Nulla Operatio infinita potest habere locum & quantitatem.

4. Omnis æterna Operatio est extra tempus & motum.

5. Illa Operatio est perfecta, quæ est de Essentia Operantis, Operabilis & Operati.

6. Sinè Operatione essent divinæ Rationes otiosæ.

7. Si in Substantia DEI disconveniret Operatio, omnis operatio esset melior & nobilior extrà substantiam, quàm intrà.

8. Omnis causa naturaliter amat suum effectum.

9. Sicut DEUS habet summam Operationem intrà per Trinitatem, ita habet summam Operationem extrà per Incarnationem.

10. DEUS potest plus Operari de se ipso, quàm de creatura.

11. DEUS potest plus Operari supra naturam, quàm creatura per naturam.

12. DEUS potest tantum Operari per Posse, quantum per Intelligere & Amare.

13. Magìs proprium est DEO Operari propter suum Finem, quàm propter alium.

14. Nulla Operatio est magìs bona, quàm

illa,

illa, per quam est bonum recolere, intelligere & amare.

15. Si DEUS Pater operaretur suum Filium de sua Paternitate, Filius posset esse Pater.
16. Quia Pater operatur suum Filium de tota sua Essentia, est Filius tota Essentia Patris.
17. Si Operatio, quam Pater & Filius habent in Sancto Spiritu, non esset una, essent multi Sancti Spiritus.
18. Nulla Operatio, quæ non sit operata in Principio, potest esse æterna.
19. Nulla Operatio potest esse sinè Distinctione operantis & operati.
20. Nulla Operatio est perfecta sinè Fine, Concordantia & Æqualitate.

CAPUT XII.

De Perfeitate DEI.

1. DEUS est DEUS per se ipsum, & non per alium.
2. Quia DEUS est de se ipso, est per se ipsum.
3. DEUS potest per se ipsum, & non per aliud.
4. DEUS multò meliùs est per se ipsum, quàm aliquis effectus per suam causam.
5. Ita veraciter in divina Infinitate est Infinire per Infinientem & Infinibilem, sicut in divina Sapientia Intelligere per Intelligentem & Intelligibilem.
6. Si DEUS per se ipsum de sua Essentia non haberet Intelligibilem, non posset per se ipsum habere Intelligere.
7. DEUS non haberet Potestatem per se ipsum, si non posset de se ipso in se ipso.
8. Si DEUS non posset de se ipso in alium, non posset habere Potestatem per se ipsum.
9. Quia DEUS habet infinitam Potestatem, habet Libertatem in omnibus rebus per se ipsum.
10. DEUS tantum potest per suam Bonitatem, quantum per suam Voluntatem.
11. DEUS est per se ipsum Creator, & creatum non est per se ipsum.
12. Ut DEUS sit primus ad miserendum, est per se ipsum Miserator.
13. DEUS per se ipsum est Gratiosus, ut habeat gratiam de illis, quibus facit gratiam.
14. DEUS simpliciter est Amabilis per suam Bonitatem.
15. Quælibet divinarum Dignitatum est per se ipsam.
16. Quælibet divinarum Personarum est per se ipsam DEUS.
17. Solus DEUS est per se ipsum.
18. Pater est per se ipsum Pater, & Filius, in quantum nascitur, est per se ipsum Filius.
19. Sanctus Spiritus est per Patrem & per Filium, & est per se ipsum DEUS.
20. JESUS Christus est Homo per DEUM in DEO, & est Homo per se ipsum, in quantum est natus in humana Specie.

CAPUT XIII.

De Necessitate DEI.

1. EST magìs necessarium, quòd DEUS sit, quàm effectum esse per suam causam.
2. Si DEUS non esset, Infinitum Ens non esset.
3. Si Infinitum Ens non esset, omne ens esset eò nobilius, quò magìs esset finitum.
4. Si omne ens esset eò nobilius, quò magìs esset finitum, omne ens haberet appetitum, quòd esset parvum, & non magnum.
5. Si omne ens haberet appetitum esse parvum, & non magnum, omne ens haberet appetitum ad non *esse*.
6. Si omne ens haberet appetitum ad *non esse*, nullus homo naturaliter vellet esse.
7. Si nullus homo vellet esse, omnis homo naturaliter magìs amaret esse asinus, quàm Rex.
8. Si omnis homo magìs amaret esse asinus, quàm Rex, magis amaret malum, quàm bonum, & vitium, quàm virtutem.
9. Bonum & *esse* habent Concordantiam, & malum & *non esse*.
10. Bonum & *esse* habent multò majorem Concordantiam, quàm malum & *non esse*.
11. Si majus bonum non haberet majorem Concordantiam cum *esse*, quàm minus bonum, majus malum esset magìs remotum à privatione, quàm minus malum.
12. Si majus malum esset magìs remotum à privatione, quàm minus malum, majus malum concordaret cum *esse*, & majus bonum cum *non esse*.
13. Si majus malum concordat cum *esse*, est supremum malum.
14. Si est supremum malum, supremum Bonum non potest esse.
15. Supremum malum non potest esse propter hoc, quia non habet subjectum, in quo sit.
16. Si non est supremum Bonum, sua privatio & absentia est supremum malum.
17. Postquam supremum malum non potest esse, de necessitate convenit, supremum Bonum esse.

Sinè

18. Sinè suprema Duratione supremæ Potestatis supremum Bonum non potest esse.
19. Ille de necessitate est DEUS, qui est supremum Bonum, suprema Duratio & suprema Potestas.
20. Omne Ens, quod est in Infinitate & Æternitate, est de Necessitate.

CAPUT XIV.

De Libertate DEI.

1. POtestas DEI est libera in Infinitate & Æternitate.
2. Potestas DEI non esset libera in Infinitate & Æternitate, si non posset de Infinitate & Æternitate.
3. Potestas potest de Infinitate & Æternitate cum Bonitate, Sapientia & Voluntate.
4. Nulla bona Libertas est otiosa de Bonitate & Potestate.
5. Divina Sapientia est libera in Infinitate & Æternitate.
6. Divina Sapientia non posset esse libera in Infinitate, nisi in illa sciret infinire de Infiniente & Infinibili.
7. Divina Voluntas non esset libera in Æternitate, nisi in illa amaret Æternantem, Æternabilem & Æternare.
8. Nulla finita libertas potest cogere infinitam Libertatem.
9. Quia Libertas DEI est bona, non cogit Libertatem bonæ Voluntatis.
10. Quia Libertas DEI est justa, non cogit Libertatem voluntatis malorum hominum.
11. Libertas, quam homines non possunt habere ad faciendum omne bonum, restauratur in illa, quam habent in potestate volendi omne bonum.
12. Libertas, quam homines habent in intelligendo, est similis Libertati Sapientiæ DEI.
13. Libertas, quam homines habent in faciendo bonum, est similis Libertati Bonitatis DEI.
14. Si libertas, quam homines habent in potestate faciendi malum, esset similis Libertati Potestatis DEI, una eadem potestas esset subjectum concordantiæ bonæ & malæ libertatis.
15. Nulla mala libertas est creata.
16. Si aliqua mala libertas esset creata, DEUS creavisset creaturam contra suam Bonitatem & Libertatem.
17. Nulla causa scienter producit suum effectum contra se ipsam.
18. DEUS habet multò majorem Libertatem in se ipso, quàm in alio.
19. Si creatura posset recipere, DEUS in illa posset infinita.
20. Major Libertas, quam DEUS habuit in creatura, fuit per Incarnationem.

CAPUT XV.

De Simplicitate DEI.

1. QUia DEUS est Simplex in Infinitate & Æternitate, est Simplex in omnibus rebus.
2. Sicut Filius est DEUS, quia nascitur de DEO in Deitate, ita est Simplex, quia nascitur de Simplici in Simplicitate.
3. Sicut DEUS est remotus à malitia per Bonitatem, ita est remotus à compositione per Simplicitatem.
4. Sinè Simplificare DEUS non posset esse remotus à compositione.
5. Quia Pater & Filius sunt in Sancto Spiritu unum Simplex Principium, ideo Sanctus Spiritus est de Simplicitate.
6. Quælibet divinarum Rationum est Simplex, & habet Simplicem Actum.
7. Si in divina Bonitate non esset simplex Bonificare, non sufficeret per se ipsam suo Actui.
8. Convenit, quòd in DEO Possificare sit tam simplex, sicut Intelligere.
9. Sinè proprio Intelligibili DEUS non posset habere Simplex Intelligere.
10. De divinis Personis non potest sequi compositio Essentiæ, postquam sunt ipsámet Essentia & Simplicitas.
11. In Simplici, qui est de Simplici, compositio non habet locum.
12. Si in Simplici, qui est de Simplici, compositio haberet locum, in illo non esset Simplificare.
13. Nullus simplex potest esse de simplici sinè simplificare.
14. In creaturis nullus simplex potest de simplici sinè compositione.
15. Multò meliùs potest simplex de simplici, quàm de composito.
16. Nullum creatum intelligere est simplex.
17. In creatura nullum simplex est de alio.
18. Si Bonitas & Potestas in creatura essent unum simplex, illud simplex non posset esse potens ad faciendum malum.
19. Si in creaturis non esset simplex Potestas, in illis non posset esse simplex objectum.

20. Compositum objectum requirit in creaturis compositam potentiam.

CAPUT XVI.
De Sanctitate DEI.

1. QUia DEUS est Sanctitas, in nullo suorum actuum potest esse culpa.
2. Nulla Bonitas est sancta sinè Bonificare.
3. DEUS non esset Sanctus, nisi de sua Bonitate produceret hoc, quod de illa potest producere.
4. In voluntate, quæ amat peccatum, non est sancta Sapientia.
5. Voluntas, quæ in Infinitate odit infinire, non est sancta.
6. Voluntas non potest esse sancta sinè Charitate.
7. In æterna Sanctitate non potest esse culpa.
8. Nullus per se ipsum potest esse sanctus, nisi DEUS.
9. Nullus homo est sanctus, postquam hoc putat esse.
10. Homines non possunt emere Sanctitatẽ.
11. Nulla Sanctitas est contra aliam.
12. Qui facit contra Sanctitatem, facit contra omne bonum.
13. Nulla potestas otiosa est sancta.
14. Sanctitas plus valet in homine paupere, quàm honor in Rege.
15. Qui per Sanctitatem moritur, per Sanctitatem vivit.
16. Sanctitas plus valet in magna Sapientia, quàm in parva.
17. Fama sancti hominis non moritur.
18. Sanctitas non valet tantum per sentire, quantum per intelligere.
19. Plus valet mori propter Sanctitatem, quàm vivere propter sentire.
20. Quia Actus DEI sunt sancti, suæ Rationes sunt sanctæ.

CAPUT XVII.
De Vita DEI.

1. ILla Vita est infinita, quæ vivit per se ipsam.
2. Nulla Vita est plena sinè vivificare.
3. Cum vivificare est Vita remota à morte.
4. Qui non amat, non vivit.
5. Qui ignorat, non vivit.
6. Ille vivit, qui facit bonum, & ille moritur, qui facit malum.
7. Qui vivit de vita, non potest mori.
8. Potestas, quæ non potest de Vita, non potest contra mortem.
9. Omnes vitæ corporales non valent unam bonam vitam spiritualem.
10. Nullus homo vivit in peccato.
11. Nullus homo moritur in Virtute.
12. Plus valet mori propter vivere, quàm vivere propter sentire.
13. Qui vivit in Virtute, non habet indigentiam.
14. Vita DEI non esset infinita, si aliqua alia Vita viveret per se ipsam.
15. Amare vivit per recolere, & recolere per intelligere.
16. Per recolere & amare vivit intelligere.
17. Forma activa vivit per passivam.
18. Forma passiva vivit per activam.
19. Nulla materia vivit sinè forma.
20. Ille vivit, qui diligit DEUM.

CAPUT XVIII.
De Infinitate DEI.

1. INfinitas non potest esse sinè infinire.
2. Si Infinitas esset sinè infinire, sua Potestas esset infinita per otiositatem.
3. Omnis substantia sinè quantitate est infinita.
4. Sinè infinire Infinitas esset vacua Fine.
5. Multò meliùs convenit Infinitati infinire, quàm voluntati hominum amare.
6. Non tam bene convenit finitati finire, sicut Infinitati infinire.
7. Si in DEO non esset infinire, omnes suæ Rationes in Æternitate essent otiosæ.
8. Sinè infinire non posset aliquid esse de Infinitate.
9. Si de Infinitate non posset aliquid esse, DEUS esset finitus & infinitus.
10. Sinè æterno Infinibili non posset esse Infinire.
11. Convenit, quòd omnis finitus humilietur erga infinitum.
12. Infinito multò meliùs conveniunt magna opera, quàm parva.
13. Quia DEUS est Infinitus, creavit creaturas magìs & minùs bonas.
14. Quia Potestas DEI est infinita, DEUS potest esse infinitus sinè corporali extensitate.
15. DEUS est infinitus in uno numero Potestatis, Sapientiæ & Voluntatis.
16. Si DEUS posset creare peccatum, non esset infinitus in Bonitate.
17. Infinita Duratio non convenit in subjecto, quod sit finitum.

DEUS

18. DEUS non posset esse extra terminum sinè infinita extensione.
19. Actus divinarum Rationum sunt ita infiniti per Infinitatem, sicut boni per Bonitatem.
20. Sicut DEUS cum Æternitate comprehendit tempus, ita cum Infinitate comprehendit quantitatem.

CAPUT XIX.
De Æternitate DEI.

1. SI Æternitas non esset, aliquod ens produxisset se ipsum, & esset antequam esset.
2. Æternitas non posset esse plena sinè æternare.
3. Ita convenit Æternitati æternare, sicut Perfectioni perficere, & Sapientiæ intelligere.
4. Sinè æternare Sapientia non posset extendi in Æternitate.
5. Extensitas infinita est extensitas, quam Sapientia habet in æternare.
6. Impossibile est, quòd natus in Æternitate sit natus in tempore & in quantitate.
7. Æternitas nullâ re indiget extra se.
8. Sinè æternare nulla potestas esset tam otiosa, sicut Potestas Æternitatis.
9. Si DEUS non posset plus in Æternitate, quàm in tempore, sua Potestas esset major in tempore, quàm in Æternitate.
10. In Æternitate convertuntur æternabilis & æternatus.
11. Divina Æternitas est tam bona per æternare, sicut divina Voluntas per amare.
12. Sinè æternare non esset Finis in Æternitate.
13. Ita convenit, quòd æternare sit de Æternitate, sicut infinire de Infinitate.
14. In Æternitate non possunt numerari dies.
15. Ita disconvenit æqualis Æternitati, sicut Infinitati.
16. Æternitas non esset per omnes modos in Summitate sinè Singularitate.
17. Si divina Voluntas in Æternitate non amaret æternare, magìs amaret Sapientiam, in qua amat intelligere, quàm Æternitatem.
18. Divinæ Rationes non possent habere Quietem sinè æternare.
19. Sinè Æternitate non esset æviternitas, & sinè æviternitate nulla creatura haberet quietem.
20. Æviternitas, in quantum est sinè fine, est speculum Æternitatis.

* Grave est considerare existere in æviterno igne.

CAPUT XX.
De Perfectione DEI.

1. NUlla substantia est perfecta sinè æterno & infinito perficere.
2. Perficere est quies divinarum Rationum in divinis Personis.
3. Convenit, quòd omne perficere sit de Perfectione.
4. Ille habet perfectum amare, qui plùs diligit DEUM, quàm omnia.
5. Sinè Perfectione Voluntas non posset esse plena amativo, amabili & amare.
6. Perficere in hominibus est instrumentum, cum quo Voluntas perficit suum amare.
7. Nulla bonitas potest esse plena sinè essentiali bonificativo, bonificabili & bonificare.
8. Divina Voluntas non potest esse plena sinè Perfectione Bonitatis.
9. Perfectio cum uno actu perficit alium, & cum omnibus se ipsam.
10. DEUS plus potest perficere de se ipso, quàm de alio
11. Nulla perfectio est plena extra suam naturam.
12. Perfectio cum defectu non potest esse æterna.
13. Nullus defectus potest perficere voluntatem.
14. Si in DEO non esset perficere, non posset perficere Voluntatem.
15. In DEO quælibet Ratio est perfecta.
16. Perfectio non indiget aliquo extra se ipsam.
17. Extra DEUM nullus potest esse perfectus.
18. Multò plùs valet homini perficere suum amare de Bonitate, quàm de divitiis vel honore.
19. Sinè perficere omne amare est otiosum.
20. Cum nullo defectu potest alius defectus perfici.

CAPUT XXI.
De Totalitate DEI.

1. NUllum infinitum potest esse pars.
2. Si totus Filius non esset de toto Patre, in DEO Paternitas & Essentia non possent converti.
3. Quia Filius est de toto Patre, est Filius tota Essentia Patris.
4. Si Sanctus Spiritus non ita esset de toto Filio, sicut est de toto Patre, Bonitas esset finita inter Filium & Sanctum Spiritum.

5. Nulla Bonitas est tota sinè bonificante, bonificabili & bonificare.
6. Tota infinita Potestas non potest capi in finito.
7. Convenit, quòd Potestas, quæ est extra omne finitum, sit tota infinita.
8. Omnis Potestas, quam DEUS potest in creatura, est in humana Natura JESU Christi secundùm Finem.
9. Quia DEUS est indivisibilis, est totus in omni loco.
10. Potestas DEI plus potest de toto, quàm de parte.
11. Nulla Essentia potest esse tota infinita, si de ipsa non potest esse aliquid.
12. Nullus potest habere DEUM, nisi ipsum habeat totum.
13. In DEO quælibet Persona est in alia.
14. Id, per quod quælibet divina Persona potest esse tota in alia, est, quia una est de alia in Infinitate.
15. Omnes actus divinarum Rationum sunt alii in aliis.
16. Sinè toto homines non possunt habere partem de DEO, nec DEUS de hominibus.
17. In substantia creata plus est totum, quàm suæ partes.
18. Si totum non esset plus, quàm suæ partes, homo non esset in tertio numero.
19. Quia DEUS non est de partibus, sua Trinitas est tam nobilis, sicut sua Unitas.
20. Si totus DEUS Filius non esset incarnatus, non esset totus Homo.

CAPUT XXII.
De Bonitate.

1. DEUS & sua Bonitas convertuntur.
2. Si DEUS non esset sua Bonitas, esset finitus in illa.
3. Divina Bonitas esset finita, si non converteretur cum Infinitate, Æternitate, Potestate, Sapientia & Voluntate.
4. Nullum bonum est extra Bonitatem.
5. DEUS plus potest de Bonitate in Æternitate, quàm in tempore.
6. Pater ita producit bonum Filium per Bonitatem, sicut sapientem per Intellectum.
7. Si in DEO essent multæ Bonitates, nulla esset infinita.
8. Quia divina Bonitas est Finis, est per se ipsam amabilis.
9. Si non esset Bonitas, nulla esset desirabilitas.
10. Injuriam facit Bonitati, qui illam non desiderat propter se ipsam.
11. Qui non est bonus, non est dignus amare Bonitatem.
12. Nullum peccatum est consequentia Bonitatis.
13. Omnis finita bonitas debet humiliari erga infinitam Bonitatem.
14. Infinita Bonitas facit magnam Humilitatem, quando se humiliat erga finitam bonitatem.
15. Si bonificare esset malum in Bonitate, malificare esset bonum in illa.
16. Omnis Bonitas sinè bonificare est otiosa.
17. Bonificare, quod est in Æternitate, est infinitus Actus.
18. Malificare est ita contra Bonitatem, sicut falsificare contra Veritatem.
19. In DEO Bonificabilitas & possificabilitas convertuntur.
20. Non est infinita Bonitas, quæ extra se aliquo indiget.

CAPUT XXIII.
De Magnitudine.

1. MAgnitudo DEI non posset esse infinita, si Potestas DEI de illa non posset aliquid.
2. Nulla Magnitudo est magna sinè magnificare.
3. In DEO Magnitudo & Magnum convertuntur.
4. Non potest esse magnus, qui non potest de Magnitudine.
5. Nulla Magnitudo est magna sinè Concordantia & Æqualitate.
6. Nulla Magnitudo habet tantam Concordantiam cum minoritate, quantam cum majoritate.
7. Magnus plus potest de Magnitudine, quàm de parvitate.
8. Nulla Magnitudo Bonitatis habet Concordantiam cum malitia.
9. Quia DEUS est Magnitudo, omne ens naturaliter appetit esse magnum.
10. Nullus habet quietem extra Magnitudinem.
11. Omne nimium habet inclinationem ad parvitatem.
12. Omnes Actus divinarum Rationum sunt magni.
13. Qui est de Magnitudine, non potest esse parvus.
14. Nullum magnificabile, quod non est de Magnitudine, potest esse magnum.
15. In creaturis Magnitudo est major per suum actum, quàm per alium.

Quia

16. Quia DEUS est Magnitudo, meliùs illi sunt proportionata magna opera, quàm parva.
17. Magnitudo Imperii & Regni non tantum valet, quantum Magnitudo Amici & Amati.
18. Omnis parvitas debet esse obediens Magnitudini.
19. Magnitudo plus valet in Bonitate, quàm in honore.
20. Nulla Magnitudo est magna sinè Virtute.

CAPUT XXIV.
De Potestate.

1. QUia DEUS est Potestas, omnis Potestas est amabilis.
2. Nulla finita Potestas potest contra infinitam.
3. Nullus potest cogere Potestatem, quæ potest de Infinitate & Æternitate.
4. Non est perfecta Potestas, quæ de se non potest producere possitum.
5. Æternitas non posset esse infinita, sinè infinita Potestate.
6. Potestas, quæ non est libera, non est perfecta.
7. Infinitæ & æternæ Possitivitati convenit infinita & æterna Possibilitas.
8. Potestas non potest tantum de alio, quantum de se ipsa.
9. Potestas, quæ non potest tantum dare, quantum accipere, est infirma.
10. Plus valet Potestas amandi, quàm sentiendi.
11. Potestas, quæ non potest in omni tempore, non est magna.
12. Potestas, quæ potest sinè Bonitate & Virtute, non est creatura.
13. Omnis otiosa Potestas est infirma.
14. Injuriam facit Potestati, qui illam tenet otiosam.
15. Potestas sinè possificare non est plena.
16. Potestas est major per concordare, quàm per contrariari.
17. Potestas, quæ potest principiare, est prima.
18. Nulla Potestas simpliciter potest sinè alia.
19. Necessaria Potestas est major, quàm contingens.
20. Potestas non potest habere quietem sinè possificare.

CAPUT XXV.
De Sapientia.

1. SApientia non potest esse infinita sinè intelligere.
2. Sinè æterna Intelligibilitate non potest esse æternum intelligere.
3. Intellectivitas DEI est major, quàm intelligibilitas creaturarum.
4. DEUS intelligit omnia sinè medio.
5. In intelligere DEI non est aliqua otiositas.
6. Quidquid DEUS intelligit, intelligit ad se ipsum.
7. DEUS ita se intelligit cum suo Intellectu, sicut se amat cum sua Voluntate.
8. DEUS, in quantum intelligit, se posse DEUM, producit DEUM; & in quantum intelligit, se esse DEUM, non producit DEUM.
9. Quia Sanctus Spiritus intelligit, quòd non possit DEUM, non producit DEUM.
10. Quia Pater & Filius intelligunt, quòd possint DEUM, producunt DEUM.
11. DEUS non est major, quàm suum intelligere.
12. Malum, quod DEUS intelligit, non est malum in suo intelligere.
13. Quidquid DEUS in se ipso intelligit, est DEUS.
14. Illud, quod DEUS extra se intelligit, non est DEUS.
15. Intelligere DEI non plus extenditur, quàm sua Substantia.
16. Malum, quod DEUS intelligit, vult intelligere.
17. Si aliqua Intelligibilitas in DEO esset creatura, DEUS non intelligeret omnia in Æternitate.
18. Si DEUS ignoraret aliquid, illud esset majus, quàm DEUS.
19. DEUS faceret injuriam suo intelligere, si non amaret intelligi ab hominibus.
20. Sicut DEUS diligit, quòd multùm ametur ab hominibus, sic diligit, quòd multùm ab ipsis intelligatur.

CAPUT XXVI.
De Amore.

1. TOtum, quod est in divina Voluntate, ita est DEUS, sicut totum, quod est in divina Sapientia.
2. Ut odire in divina Voluntate non sit DEUS, non potest in illâ esse.

3. Divina Voluntas ita amat totum bonum hominem, ſicut divina Sapientia totum intelligit.
4. Divina Voluntas tantum non amat malum hominem, quantum divina Sapientia illum intelligit.
5. Divina Voluntas tantum amat omnes Actus divinarum Rationum, quantum ſuum proprium.
6. Amare, quod non eſt de DEO in DEUM, non eſt infinitum.
7. Illa Voluntas non habet infinitam Poteſtatem, quæ non poteſt dare totum ſuum amare.
8. Voluntas, quæ non habet infinitum amabilem, non eſt plena.
9. Omnes finitæ voluntates debent obedire infinitæ Voluntati.
10. DEUS, in quantum diligit ſe eſſe DEUM, non producit DEUM, ſed in quantum diligit ſe amari per DEUM, producit DEUM.
11. DEUS de DEO eſt infinitè amabilis.
12. Finita Voluntas cum Humilitate & Patientia movet infinitam Voluntatem ad Pietatem.
13. Injuriam facit divinæ Voluntati, qui ipſam non amat.
14. Qui in DEO aliquid odit, non amat DEUM.
15. Qui aliquid plùs diligit, quàm DEUM, facit de illo ſuum DEUM.
16. Sinè amare DEUS non participat cum ullo homine.
17. DEUS non poteſt amare illos homines, qui ipſum non amant.
18. Plus valet omne amare in ſcientia, quàm in credentia.
19. Nihil de DEO amat, qui ipſum non totum amat.
20. Quidquid DEUS amat, cum toto ſe ipſo amat.

CAPUT XXVII.
De Virtute.

1. VIrtus DEI eſt centrum & Finis omnis Virtutis.
2. Virtus ſinè actu non poteſt eſſe remota à vitio.
3. In DEO non eſt moralis Virtus.
4. Omnis moralis Virtus eſt contingens.
5. Virtus, de qua non poteſt eſſe Virtus, non eſt infinita.
6. De Virtute poteſt homo cum bono amare habere hoc, quod vult.
7. Delectabile eſt Virtutem recolere, intelligere & amare.
8. Virtus plus valet in uno die, quàm aurum in multis diebus.
9. De Virtute non poteſt homo defatigari.
10. Qui odit Virtutem, amat vitium.
11. De nulla Virtute poteſt ſequi vitium.
12. Virtus eſt tam poſſibilis, quòd quilibet homo illam poteſt habere.
13. Virtus plus valet in amare DEUM, quàm fortitudo in armis.
14. Omni tempore vivit cum Virtute, qui cum illa moritur.
15. Virtus plus valet in homine paupere, quàm vitium in Rege.
16. Nullus poteſt ſinè Virtute ire ad DEUM.
17. Si DEUS poſuit Virtutem in lapidibus & herbis, quantò magis illam poſuit in ſuis Nominibus?
18. Omne ſentire non valet unum virtuoſum intelligere.
19. Qui eſt virtuoſus, non indiget aliquo.
20. Ille habet plus de Virtute, qui plus dat de Virtute.

CAPUT XXVIII.
De Veritate.

1. SI DEUS non eſſet Veritas, non eſſet infinitus.
2. Veritas, quæ non eſt de Veritate, eſt finita in Bonitate.
3. Si Veritas non eſſet objectum Voluntatis, non eſſet amabilis.
4. Qui non amat Veritatem, non amat ullam amabilitatem.
5. DEUS non eſt intelligibilis ſinè Veritate.
6. Malè facit, qui cum falſitate putat amare DEUM.
7. Qui non intelligit Veritatem, nihil intelligit.
8. Per intelligere & amare Veritatem homo eſt homo.
9. Intellectus magis amat intelligere Veritatem, quàm honorem.
10. Nullus homo eſt pauper, ſi amat Veritatem.
11. Per Veritatem ſunt homines audaces.
12. Hoc tempus, in quo ſumus, habet majorem indigentiam Veritatis, quàm alterius rei.
13. Qui bene cognoſceret Veritatem, illam multùm amaret.
14. Nulla Veritas eſt infirma in ſuo genere.
15. In omni malo homine eſt Veritas infirma.

Veritas

16. Veritas eſt infirma ſinè Charitate.
17. Veritas cum falſitate non poteſt eſſe via DEI.
18. Veritas plùs valet in uno homine, quàm omnes falſitates in omnibus hominibus.
19. Nulla falſitas poteſt vincere Veritatem.
20. Omnis homo poteſt portare Veritatem cum Bonitate.

CAPUT XXIX.
De Gloriâ.

1. NUlla Gloria poteſt eſſe infinita ſinè gloriari.
2. Nullus eſt magis remotus à pœna, quàm ille, qui eſt Gloria & de Gloria.
3. Gloria Æternitatis eſt æternare.
4. Delectabile eſt conſiderare æternam Glorificationem.
5. Viæ Gloriæ ſunt Virtutes.
6. Dare infinitum donum in Bonitate eſt magna Gloria.
7. Plus valet gloriari, quod eſt de intelligere, quàm quod eſt de ſentire.
8. Major Gloria, quæ eſt per ſentire, eſt in noſtro Domino JESU Chriſto.
9. Qui habet Filium DEI, habet magnam Gloriam.
10. Major Finis Gloriæ eſt in DEO.
11. Ille habet magnam Gloriam, qui eſt Poteſtas, Sapientia & Voluntas.
12. Stultus eſt, qui putat habere Gloriam cum vitio.
13. Divinæ Rationes habent Quietem in gloriando.
14. Non eſt ſapiens mercator, qui pro gloria hujus mundi vendit Gloriam alterius.
15. Ille non habet Gloriam, qui non facit opera glorioſa.
16. Nulla Gloria in ſe ipſa eſt mala.
17. Malus homo facit malam gloriam.
18. Gloria & pœna non poſſunt eſſe in uno ſubjecto.
19. Gloria eſt major in Bonitate, quàm in honore.
20. Qui perdit Gloriam, perdit omnia.

CAPUT XXX.
De Juſtitia.

1. JUſtitia DEI æqualis conſiſtit inter divinas Rationes.
2. DEUS non eſſet juſtus Magnitudini Bonitatis, ſi de ſua Poteſtate eſſet otioſus.
3. DEUS eſt tam juſtus per poſſificare, ſicut per amare.
4. DEUS non eſt magis juſtus per punire, quàm per parcere.
5. Judicium ſinè intelligere eſt periculoſum.
6. Nullus eſt juſtus ſinè juſto amare.
7. Quia DEUS eſt juſtus cum Veritate, non poteſt ullus eſſe juſtus cum falſitate.
8. In homine judice, qui eſt malus, multùm inhonoratur Juſtitia.
9. Nulla Juſtitia eſt vera ſinè Bonitate.
10. Filius in DEO eſt juſtus erga Patrem, in quantum non vult eſſe Pater.
11. Pater eſt juſtus erga Filium, in quantum illum coæquat cum ſe in Sancto Spiritu.
12. Per æquale amare & intelligere eſt quælibet Perſona juſta erga aliam.
13. Divina Voluntas non eſſet juſta, ſi magis amaret ſuum actum, quàm actum Æternitatis.
14. Nemo in eodem tempore poteſt eſſe juſtus & injuſtus.
15. Non habet timorem, qui ſe ipſum judicat.
16. Qui eſt contra Juſtitiam, eſt contra omnia.
17. Plus valet judicare ſe ipſum, quàm alium.
18. Juſtitia DEI eſt major & melior in ipſo, quàm in alio.
19. Propter defectum Charitatis Rex eſt Judex.
20. DEUS cum ſua Juſtitia menſurat omnia opera hominum.

CAPUT XXXI.
De Largitate.

1. QUia DEUS eſt Largitas, cum ipſa eſt remotus ab avaritia.
2. Non poteſt eſſe infinita Largitas ſinè infinito & æterno dono.
3. Qui habet infinitam & æternam Largitatem, tantum poteſt dare de una ratione, quantum de alia.
4. Non poteſt dari donum de Bonitate ſinè bonificare.
5. Non eſt largus, qui dat, ut accipiat.
6. Non eſt largus, qui ab uno auffert, & alteri dat.
7. Qui dat bonum amare ſuo amico, illi plus dat, quàm ſi illi daret omne aurum.
8. Qui dat DEUM, non poteſt plus dare.
9. Nullus eſt magis contrarius avaritiæ, quàm ille, qui dat ſe ipſum.
10. Plus valet dare ſcientiam, quàm honorem.

Non

11. Non vivit, qui non dat.
12. Qui dat bono, non pœniteat.
13. Sinè Juſtitia non poteſt dari bonum donum.
14. Plùs valet memoriæ dare bonum recolere, quàm ori bonum comedere.
15. Multum dat, qui manibus dat bona opera, & pedibus bonas vias.
16. Qui dat Charitatem, dat ſibi ipſi.
17. Illud donum eſt magnum, quod eſt de Largitate.
18. Qui eſt largus, non habet indigentiam Virtutum.
19. Quia DEUS eſt Largitas, ita magna poteſt eſſe in homine paupere, ſicut in homine divite.
20. Largitas eſt magìs neceſſaria in homine divite, quàm in homine paupere.

CAPUT XXXII.
De Forma.

1. QUia DEUS eſt infinita Poteſtas, eſt infinita Forma.
2. Forma, quæ indiget materiâ, non poteſt eſſe infinita in Poteſtate.
3. Convenit, quòd ille, qui eſt de Forma, & non de alio, ſit Forma.
4. Bonitas non poſſet eſſe Forma ſinè bonificare.
5. Diſpoſitio formæ eſt Pulchritudo materiæ.
6. Quia DEUS eſt Forma, & non materia, Poteſtas & Virtus eſt major per formam, quàm per materiam.
7. Nulla forma habet ſuum actum extra ſe ipſam.
8. Illa non eſt magna Forma, quæ eſt melior per materiam, quàm per ſe ipſam.
9. Intellectus non poſſet informare ſuum intelligere ſinè diſtinctione intelligentis & intellecti.
10. Concordantia non poſſet eſſe Forma ſinè diſtinctione concordantis & concordabilis.
11. Forma non poteſt eſſe in Fine ſinè Principio & Medio.
12. DEUS informavit mundum ad ſuum Finem.
13. Nulla Forma eſt naturaliter contra ſe ipſam.
14. Nulla forma appetit otioſitatem.
15. Quia DEUS eſt Forma & Finis, materia habet quietem in Fine Formæ.
16. In Fine propriæ Formæ habet quietem Finis appropriatæ Formæ.
17. Omnis Forma, quæ non informat, difformat.
18. Omnis ſubſtantia priùs eſt principiata per Formam, quàm per materiam.
19. Nulla ſimplex Forma poteſt ſentiri.
20. DEUS informavit mundum, & homo difformavit ipſum.

CAPUT XXXIII.
De Productione.

1. QUi de Bonitate non producit bonum, non eſt bonus Productor.
2. Bona & magna Productio eſt conſequentia magnæ Bonitatis.
3. Nulla potentia poteſt habere actum ſinè producere.
4. Divinæ Rationes in producendo divinas Perſonas dant ſibi invicem ſuas Similitudines.
5. Convenit, quòd infinita Productio ſit de Infinitate, & æterna de Æternitate.
6. Productio, quæ non attingit Finem, non eſt magna.
7. Ille eſt parvus, qui de magnitudine producit parvum.
8. Convenit, quòd illud ſit magnum, quod producit magnum.
9. Convenit, quòd omnis Productio, quæ non attingit ſuum Finem, ſit parva.
10. Sinè augmentatione non eſt Productio in creaturis.
11. Omnis Forma producta de potentia in actum, eſt nova.
12. Amare in DEO, in quantum eſt productum, eſt Perſona, & in quantum non eſt productum, eſt Eſſentia, Amor & Natura.
13. Pater, in quantum ſe intelligit Patrem, producit Filium, & Filius, in quantum ſe intelligit Filium, non producit Perſonam.
14. Si Filius, intelligendo ſe Filium, produceret Filium, eſſet Filius Filii, & non Patris.
15. Si Pater, intelligendo ſe Patrem, produceret Sanctum Spiritum, Sanctus Spiritus eſſet Filius Patris.
16. Si Filius intelligendo Patrem produceret Sanctum Spiritum, eſſet Pater Sancti Spiritûs.
17. Quia Pater & Filius ſe contemplantur per amorem, & non per Paternitatem nec per Filiationem, producunt Sanctum Spiritum, qui non eſt Pater nec Filius.
18. In quantum Sanctus Spiritus ſe intelligit de Patre & Filio, ſe non poteſt intelligere Patrem nec Filium.

Divina

19. Divina Productio incipit à Patre in Filium, & finitur in Sancto Spiritu.
20. Multò meliùs convenit Productio in Poteſtate & de Poteſtate æterna & infinita, quàm in Poteſtate & de Poteſtate creata & finita.

CAPUT XXXIV.
De Pulchritudine.

1. SI turpe eſſet in Æternitate æternare, otioſitas eſſet pulchra in ipſa.
2. Pulchritudo Bonitatis eſt per bonificare, & Amoris per amare.
3. Nulla otioſitas eſt pulchra.
4. In nullo flore eſt color tam pulchra res, ſicut in Amore amare, & in Sapientia intelligere.
5. Legalitas eſt valde pulchra inter Amicum & Amatum.
6. In odio populi Dominus eſt turpis.
7. Ille eſt pulcher, qui habet pulchras cogitationes.
8. Nulla Pulchritudo eſt major, quàm illa, quæ eſt de Sanctitate.
9. Nulla Virtus eſt turpis, & nullum vitium eſt pulchrum.
10. Albi dentes non ſunt tam pulchri in ore, ſicut dicere Veritatem.
11. Nullus habet tam pulchrum Filium, ſicut DEUS Pater, & nullus habet tam pulchram Matrem, ſicut DEUS Filius.
12. Bona anima eſt pulchrior, quàm ſol.
13. Nulla corona eſt pulchra in malo Rege.
14. Nulla veſtis eſt turpis in bono homine.
15. Omnis Pulchritudo eſt melior intrinſecùs, quàm extrinſecùs.
16. Nullum turpe ad nominandum eſt pulchrum.
17. Odire Virtutes & Pulchritudo ſunt contrariæ.
18. Hilaritas facit pulchram faciem.
19. Pulchra camera eſt turpis propter indigentiam.
20. Nulla res eſt tam turpis, ſicut peccatum.

CAPUT XXXV.
De JESU Chriſto.

1. NUllum nomen habet tam magnum ſubjectum, ſicut Nomen noſtri Domini JESU Chriſti.
2. Plùs valet Operatio DEI in noſtro Domino JESU Chriſto, quàm in omnibus creaturis.
3. Homo non poſſet eſſe DEUS, ſi non eſſet Finis omnium creaturarum.
4. Nullum nomen habet majorem Virtutem, quàm Nomen noſtri Domini JESU Chriſti.
5. DEUS voluit eſſe Homo, ut participaret cum omnibus creaturis.
6. Nulla creatura tantùm valet in ſe ipſa, quantùm in JESU Chriſto.
7. Contra noſtrum Dominum JESUM Chriſtum non decet eſſe aliquem honorem vel amorem.
8. Ille habet magnam Poteſtatem, qui Dominum JESUM Chriſtum facit eſſe in multis locis.
9. JESUS Chriſtus eſt tam pulcher, quòd poſſit ſtare in turpi loco, quin turpetur.
10. JESUS Chriſtus eſt tam humilis, quòd vadat viſitare infirmos in ſuis ædibus.
11. DEUS non potuit creare majorem Bonitatem, quàm Bonitatem JESU Chriſti.
12. Nemo poteſt ire ad DEUM, niſi per JESUM Chriſtum.
13. Ille habet majorem iniquitatem, qui inhonorat JESUM Chriſtum.
14. Multùm eſt obligatus, qui per JESUM Chriſtum eſt honoratus.
15. Qui non amat JESUM Chriſtum, quare ridet?
16. Qui inhonorat JESUM Chriſtum, quare non plorat?
17. Qui per JESUM Chriſtum jurat, quare perjurat?
18. Qui de JESU Chriſto dicit malum, de quo dicit bonum?
19. Qui non amat JESUM Chriſtum, quid amat?
20. Qui ſe dat JESU Chriſto, quid timeat, ſi ab aliquo incarceretur?

CAPUT XXXVI.
De Creatione.

1. SI mundus non eſſet creatus, & eſſet æternus, in illius æternitate inhonoraretur DEUS.
2. Si mundus eſſet creatus ad Finem ſuî, eſſet creatus ad minorem Finem.
3. Si DEUS poſſet producere extraneam æternitatem, poſſet cauſare infinitam Poſſificativitatem.
4. Nulla Poteſtas poteſt eſſe major in æternare, quàm in poſſificare.
5. Mundus eſt creatus de nihilo, ut Poteſtas DEI poſſit de hoc, quod non eſt.
6. Mundus principaliter eſt creatus, ut DEUS recolatur, intelligatur & ametur.

7. Magnam injuriam facit DEO, qui mundum deviat à Fine, propter quem est creatus.
8. Totus mundus est creatus & proportionatus ad JESUM Christum.
9. Hoc, propter quod mundus non fuit antè creatus, est, quia divina Voluntas ipsum non voluit antè creare.
10. Hoc, propter quod mundus non fuit major creatus, est, quia divina Sapientia sciebat determinatam creabilitatem.
11. Hoc, propter quod non sunt creati multi mundi, est, quia unus mundus sufficit uni homini, & ille homo sufficit esse DEUS.
12. In creatione creatura est de nihilo, & Creator de se ipso.
13. DEUS creavit omnes corporales substantias ad homines, & homines ad se ipsum.
14. Soli DEO est proprium creare.
15. Quælibet divina Persona, in quantum est DEUS, est Creator.
16. Si DEUS creasset mundum de sua natura, mundus haberet divinam Naturam.
17. Quælibet divinarum Rationum posuit suam Similitudinem in creatione mundi.
18. Qui est in peccato, non habet jus in aliquam creaturam.
19. Nullus potest facere injuriam creaturæ, si cum illa servit DEO.
20. Quia DEUS creavit mundum cum Bonitate, Magnitudine, Potestate, Sapientia & Voluntate, creavit illum ad magnum Finem.

CAPUT XXXVII.
De Recreatione.

1. DEUS est Creator & Recreator, ut dupliciter sit Dominus.
2. Si originale peccatum non esset, homo non esset mortalis.
3. Quia primi Parentes peccaverunt, illorum posteri vivunt cum tormento.
4. Quia homo nascitur in peccato, indiget pluribus rebus, quàm bestiæ.
5. Si homo non nasceretur in peccato, non haberet, cum quo esset malus.
6. Quia homo nascitur in peccato, habet libertatem faciendi malum.
7. Per originale peccatum anima, quæ est creata ad intelligendum, ignorat.
8. Quia DEUS est Vita, creavit homines ad vivendum, & non ad moriendum.
9. Nulla mors est de vita.
10. Generalis mors non potuit principiari in speciali homine.
11. Sinè generali morte non posset puniri generalis Homo.
12. Per Finem est JESUS Christus generalis Homo, qui recreavit mundum.
13. Primus Homo peccavit cum delectatione, & JESUS Christus recreavit mundum cum Passione.
14. DEUS per hominem mundum perdidit, & Homo DEO mundum reddidit.
15. DEUS creavit mundum ad hominem, & recuperavit mundum per Hominem.
16. DEUS assumpsit naturam Hominis, ut repararet hominem.
17. Nisi unus specialis Homo esset DEUS, non posset tantum reparare, quantum generalis homo potuit destruere.
18. Facile fuit creare, & difficile fuit recreare.
19. Nihil est difficilius, quàm de malo trahere bonum.
20. Postquam DEUS cum Passione fuit Recreator, quare ullus homo est peccator?

CAPUT XXXVIII.
De Resurrectione.

1. QUia homo peccavit contra Æternitatem, convenit, quòd resuscitetur & judicetur in Æviternitate.
2. Si homo, qui facit bonum, non resuscitaretur, non judicaretur suum totum, sed sua pars.
3. Justitia DEI in hac vita non satisfacit omnibus hominibus.
4. Homo facit & homo requirit judicium.
5. DEUS potest plus judicare in toto homine, quàm in parte hominis.
6. Si homo non resuscitaretur, suum corpus non haberet suum Finem in DEO.
7. DEUS sinè Resurrectione non posset satisfacere moralibus virtutibus.
8. Sinè Resurrectione nulla corporalis substantia posset habere suum Finem in DEO.
9. Cum Resurrectione quælibet divina Ratio est quies suæ similitudinis.
10. Resurrectio est speculum magnæ Potestatis DEI.
11. Sinè Resurrectione esset perdita Spes.
12. Propter Resurrectionem corporales substantiæ habent bonum appetitum.
13. Sinè Resurrectione JESUS Christus non participaret cum hominibus.
14. Propter Resurrectionem lætantur pauperes homines.
15. Propter Resurrectionem evitant homines peccatum.

Illi,

16. Illi, qui faciunt peccatum, retardant Resurrectionem bonorum hominum.
17. Per Resurrectionem terminabuntur generatio & corruptio.
18. Per Resurrectionem consummabitur numerus hominum.
19. Sinè Resurrectione hæc vita esset magìs amabilis ab homine, quàm alia.
20. Sinè Resurrectione homo non haberet Salvationem.

CAPUT XXXIX.
De Salvatione.

1. DEUS salvat hominem, ut homo attingat suum Finem.
2. Si non esset Salvatio, Finis hominis esset in hac vita.
3. Si DEUS non esset Salvator, homo attingeret suum Finem per sua merita.
4. Quia DEUS est Finis hominum, salvat illos in se ipso.
5. In divinis Rationibus salvantur principia bonorum hominum.
6. In Bonitate DEI salvatur bonitas hominis.
7. Salvatio hominis est æviterna quies.
8. Qui non est salvatus, convenit, quòd sit damnatus.
9. Salvatio plus valet, quàm omnia.
10. Salvatio est tam desiderabilis, quòd peccatores ipsam putant habere.
11. Privatio Salvationis est vacuitas omnìs finìs.
12. Salvatio est finis creationis.
13. Qui perdit Salvationem, omnia mala acquirit.
14. Tota hæc vita non valet Salvationem unius hominis.
15. Salvatio non potest emi, & tamen potest vendi.
16. Ille vendit Salvationem, qui facit peccatum.
17. Salvatio est major, quàm meritum.
18. Salvatio est æviterna congregatio bonorum hominum.
19. Quia Salvatio est centrum Perfectionis, est delectabilis ad considerandum.
20. Qui desiderat Salvationem, desiderat omnia bona.

CAPUT XL.
De Participatione.

1. DEUS per creationem participat cum omnibus creaturis in agendo.
2. DEUS per Incarnationem participat cum omnibus creaturis in existendo.
3. In Humanitate, quam DEUS assumpsit, est aliquid de omnibus creaturis.
4. Divina & creata Bonitas participant in similitudine.
5. Divina & creata Voluntas participant in amando.
6. DEUS & creatura participant per Finem.
7. Sinè Incarnatione DEUS non participaret cum creatura in existendo, sed in operando.
8. Major Participatio est per existere & agere, quàm per unum tantùm.
9. Incarnatio est Finis omnis creatæ Participationis.
10. DEUS in Incarnatione plùs participat cum uno Homine Christo, quàm cum omnibus creaturis.
11. DEUS plùs amat majorem Participationem boni, quàm minorem.
12. DEUS plùs amat participationem unius Potestatis & alterius in Magnitudine, quàm in parvitate.
13. DEUS ordinavit Sacramentum Altaris, ut in hac vita participet cum multis hominibus.
14. Omnes illi participant cum DEO, qui utuntur suâ Potestate.
15. DEUS dat suam Potestatem potestati hominis, ut sit magna Participatio Potestatis & potestatis.
16. Per contritionem, confessionem & satisfactionem participat DEUS cum peccatore.
17. Per Fidem, Spem & Charitatem participat DEUS cum hominibus.
18. Major Participatio, quæ potest esse, est DEI & DEI in Unitate Essentiæ & Naturæ.
19. Per Productionem Generationis & Spirationis quælibet divina Ratio participat cum alia.
20. Omnes Actus divinarum Rationum invicem participant.

CAPUT XLI.
De Ædificatione.

1. DEUS Pater ædificat suum Filium in Infinitate & Æternitate.
2. DEUS Pater & DEUS Filius ædificant in se ipsis DEUM Sanctum Spiritum.
3. Illa Ædificatio est major & nobilior, quæ est de DEO in DEUM.
4. Divinæ Personæ ædificant Actus divinarum Rationum.

5. Deificans ædificat Deificabilem per Deificare.
6. Deificare est ædificatum per Finem.
7. DEUS ædificavit hominem in se ipso per Deificare.
8. DEUS ædificavit Finem corporalium substantiarum in natura Corporis, quod assumpsit per Incarnationem.
9. DEUS ædificavit quasdam similitudines in aliis.
10. Illa similitudo, quæ est multùm similis DEO, habet magnum Ædificium.
11. In parva bonitate non potest esse magnum Ædificium.
12. Ædificium, quod est de Essentia ædificantis & ædificabilis, est incorruptibile.
13. Multum scit de ædificare, qui in DEO ædificat bonum amare.
14. Viæ DEI sunt ædificatæ in JESU Christo.
15. Morales Virtutes sunt palatia, in quibus est DEUS.
16. Peccatores ædificant Misericordiam DEI in Spe, Patientia & Humilitate.
17. Omne bonum meritum est ædificatum in Virtute.
18. Ædificium, quod non est per DEUM, est in arena.
19. Omnia terrena ædificia non valent unum bonum spirituale Ædificium.
20. Grave est ædificare infernum per suum malè agere.

CAPUT XLII.

De Sustentatione.

1. QUia DEUS est Substantia, quidquid est, sustentatur in ipso.
2. Quia DEUS Pater de sua Substantia producit DEUM Filium, Filius in se ipso sustentatur.
3. Quia DEUS Filius in se ipso sustentatur, est Substantia.
4. Amare Patris & Filii est Substantia in Sancto Spiritu.
5. Sanctus Spiritus sustentatur per amare.
6. In Bonitate DEI sustentantur omnes bonitates.
7. In Fine DEI sustentantur omnes Fines.
8. In Virtute intrinseca sustentatur Virtus extrinseca.
9. Scientia sustentatur in memoria.
10. Novæ species sustentantur in antiquis.
11. Merita hominum sustentantur in Justitia DEI.
12. Honor Regis sustentatur per Justitiam.
13. Dispositio & proportio creaturarum sustentatur in Fine JESU Christi.
14. Numerus hominum, qui sunt mortui, sustentatur in Sapientia DEI.
15. In amante & amabili sustentatur amare.
16. Nulla superbia habet substantiam, in qua sustentetur.
17. In operibus malorum hominum sustentatur peccatum.
18. Nimius honor non habet columnas de lapide.
19. Columnæ legalitatis sunt de marmore.
20. Unus actus Virtutis sustentatur in alio.

CAPUT XLIII.

De Exauditione.

1. PEr Hominem DEUM exaudit DEUS peccatores.
2. Quia DEUS cum homine participat per existere, exaudit homines per agere.
3. DEUS neminem exaudit cum Superbia.
4. DEUS magis exaudit propter generale bonum, quàm propter speciale.
5. Quia DEUS est Virtus, non exaudit homines sinè Virtutibus.
6. Quare DEUS illum exaudiet, qui ipsum non amat?
7. Nullus exauditur, si non rogat propter DEUM.
8. Quomodo DEUS exaudiet de Bonitate ad malitiam?
9. De quo DEUS exaudiet illum, qui ipsum vult decipere?
10. Fatuus est, qui cum peccato putat exaudiri.
11. DEUS exaudit cum Largitate in dando, & cum Misericordia in parcendo.
12. DEUS exaudit bonos homines cum Justitia.
13. DEUS exaudit unum bonum per aliud.
14. In Pietate consistit exauditio peccatoris.
15. DEUS hominibus justis se non excusat.
16. Nemo, qui DEUM bene rogat, fatigatur.
17. Ille, qui est Largitas, Misericordia & Justitia, non potest se excusare de donatione & remissione.
18. DEUS tantùm habet excusationem contra peccatum.
19. DEUS non exaudit nisi de hoc, quod est propter suum Finem.
20. DEUS non exaudit contra suum honorem.

CAPUT XLIV.

De Ordinatione.

1. IN DEO non posset esse Ordo sinè Pluralitate.
2. In uno, in quo non est pluralitas, non potest esse Ordo.
3. In DEO est Ordo sinè prius & posterius.
4. Quia Filius & Sanctus Spiritus sunt de Infinitate & Æternitate, non sunt post Patrem.
5. Actus divinarum Rationum sunt in Ordine per generare & spirare.
6. DEUS cum Ordine est remotus ab inordinatione.
7. Bonitas non posset esse in Ordine sinè bonificante, bonificabili & bonificare.
8. Finis mundi est ordinatus in Ordine JESU Christi.
9. Finis DEI est ante Finem mundi.
10. Nullus Ordo est de vitiis.
11. Ordo extrinsecus non potest esse sinè ordine intrinseco.
12. Ordo plus valet in amare, quàm in loqui.
13. Ordo est pulchrior per Sanctitatem, quàm per habitum.
14. Nulla Virtus est sinè Ordine.
15. Ordo plùs valet in Oratione, quàm in Ecclesia.
16. Nullus moralis Ordo est malus.
17. In humilibus hominibus est Ordo mensæ.
18. Nimius honor non est in Ordine.
19. Omnis communis persona requirit plus Ordinis, quàm alia.
20. In Ordine antecedentis existit Ordo consequentis.

CAPUT XLV.

De Visitatione.

1. DEUS cum Bonitate visitat bonos, & cum Patientia malos.
2. Ita debet sequi Humilitas de Patientia, sicut bonum de Bonitate.
3. Qui non est humilis per Patientiam, humiliabitur per Justitiam.
4. Plùs valet esse humilem per Libertatem, quàm per coactionem.
5. DEUS visitat cum donare, ut homo ipsi det.
6. Ille est pauper, qui de DEO accipit, & non dat.
7. DEUS visitat cum Amore, ut ametur.
8. Omnis homo odit DEUM, qui ipsum non amat.
9. DEUS visitat homines cum tribulationibus, ut habeant fortem animum.
10. Nullus homo probatur sinè adversitatibus.
11. DEUS visitat homines cum infirmitate, ut ipsum benedicant, quando sunt sani.
12. Ille benedicit DEUM in sua sanitate, qui illum benedixit in sua infirmitate.
13. DEUS visitat homines cum Justitia, ut ipsum ament.
14. Qui amat Justitiam, non habet timorem de peccato.
15. DEUS visitat cum Spe, ut sua Misericordia recolatur.
16. Inter Spem & Misericordiam non est ulla contrarietas.
17. DEUS visitat peccatores cum Pietate, ut plorent sua peccata.
18. Qui in hoc mundo plorat suum peccatum, in alio ridet.
19. DEUS visitat homines in conscientia, ut vigilent.
20. Qui cum conscientia dormit, cum conscientia moritur.

CAPUT XLVI.

De Consolatione.

1. DEUS facit homines recolere suam Incarnationem, ut consolentur.
2. Nullus potest tantum perdere, quantum per Incarnationem illi est datum.
3. DEUS facit homines recolere suam Passionem, ut sint consolati.
4. Nemo, qui recolit Passionem DEI, potest desperare.
5. DEUS consolatur cum Amore, ut timeatur.
6. Qui timet DEUM, totum ipsum amat.
7. DEUS consolatur cum sua Infinitate, ne res finitæ nimiùm amentur.
8. Ille nescit amare, qui magis amat bonum finitum, quàm infinitum.
9. DEUS consolatur cum Æternitate, ut homo non timeat à laboribus hujus vitæ.
10. Non habet timorem, qui magnum bonum sperat.
11. DEUS consolatur cum dare & parcere.
12. Qui transmittit Spem, sperat donum & veniam.
13. DEUS consolatur homines cum Virtutibus, ut cum illis sint liberi.
14. Qui consolatus est cum Virtute, citò ridet.
15. DEUS consolatur homines, quando illos facit intelligere se ipsum.

16. Qui DEUM intelligit, quo indiget?
17. DEUS consolatur homines cum Veritate.
18. Qui Veritatem amat, quid potest perdere?
19. DEUS consolatur cum sancta vita.
20. Qui sanctus vivit, non moritur.
* In patientia DEI consolantur patientes homines.
* Veruntamen quis potest consolari, quòd DEUS tantùm sit inhonoratus?

CAPUT XLVII.
De Consilio.

1. DEUS consulit hominibus, ut faciant bonum, ut habeat rationem, quòd illis faciat bonum.
2. Qui non credit consilio DEI, credit consilio diaboli.
3. DEUS consulit hominibus, ne faciant malum, quia illos non vult cogere.
4. Qui est consultus cum Libertate, cum Libertate debet se sinere cogi.
5. DEUS consulit amare, ut ametur.
6. Omne consilium, quod est contra DEUM, est malum.
7. Plus valet consilium hominis sapientis, quàm divitis.
8. Qui est humilis & nobilis, dat bonum consilium.
9. Consilium hominis avari est multùm dubitabile.
10. Non petas consilium de sapore à gustu infirmo.
11. Non petas consilium de colore ab homine cæco.
12. Priùs pete consilium, antequàm indigeas.
13. Consilium sinè deliberatione est dubitabile.
14. Respice manus hominis, qui tibi consulit.
15. Non priùs consule cum alio, quàm cum te ipso.
16. Nullum consilium est tam periculosum, quàm consilium factum cum se ipso.
17. Nullus habet Libertatem in consulendo sibi ipsi.
18. Multum dat, qui dat bonum consilium.
19. Ille est proditor, qui dat malum consilium.
20. Nullum consilium est bonum sinè Charitate & Spe.

CAPUT XLVIII.
De Confortatione.

1. DEUS cum sua magna Fortitudine fortificat fortitudinem hominum.
2. DEUS cum sua Bonitate fortificat & confortat bonitatem hominum.
3. DEUS cum suo amare confortat amare bonorum hominum.
4. Confortatio per timorem non tantùm valet, quantum per amorem.
5. Qui vult confortare suum amare, ponat illud in Spe.
6. Homo cum una Virtute fortificat aliam.
7. Non est necessè confortare patientem hominem.
8. Qui plùs amat, scit plus de Confortatione.
9. Non oportet confortare illum, qui plus habet, quàm perdit.
10. Confortatio infirmæ animæ consistit in Contritione, Confessione & Satisfactione.
11. Falsus homo non recipit Confortationē.
12. Confortatio peccatoris magìs consistit in suspiriis & ploratibus, quàm in jejuniis & asperis vestibus.
13. Qui bene consolatur, bene confortatur.
14. Qui perdit DEUM, non habet Confortationem.
15. Confortatio non convenit illi, qui facit injuriam, sed convenit illi, qui illam patitur.
16. In inferno non est ulla Confortatio.
17. Si es desolatus propter timorem, consolare cum amore.
18. Fortifica te cum Potestate DEI, & non vincéris.
19. Qui est legalis, de quo desolatur?
20. Quilibet labor, quem homo sustinet propter DEUM, confortat.

CAPUT XLIX.
De Defensione.

1. SI DEUS non defenderet homines à dæmonibus, omnis homo peccaret.
2. Christus cum sua Morte nos defendit à morte.
3. Divinæ Rationes defendunt nostros actus cum suis actibus.
4. Quælibet similitudo habet appetitum defendendi suam similitudinem.
5. Homo cum majori Bonitate defendit minorem à malo.
6. Stultus est, qui se putat defendere à vitiis sinè Virtute.
7. Ab omni vitio defende te cum suo contrario.

Qui

8. Qui se defendit cum legalitate, non habet timorem.
9. Homo meliùs se defendit cum Veritate, quàm cum juramento.
10. Si te non potes defendere cum una Virtute, defende te cum multis.
11. Si te non potes defendere cum parva Virtute, defende te cum magna.
12. Defensio Virtutis est fortior, quàm defensio gladii.
13. Nemo potest se defendere ab homine patiente.
14. Ab homine, qui tibi minatur, te defende cum tacere.
15. Nemo se defendit cum falsa excusatione.
16. Nemo se benè defendit, quando est iratus.
17. In omni defensione discretio est necessaria.
18. Qui se defendit cum Humilitate, vincit cum Pietate.
19. Homo defendit suum Finem cum Fine DEI.
20. Homo meliùs se defendit à tentatione cum oratione, quàm cum jejunio.

CAPUT L.
De Sanatore.

1. DEUS non sanat homines à peccato sinè amare.
2. Primus Medicus, qui sanat infirmam animam, est DEUS.
3. Secundus Medicus, qui sanat infirmam animam, est Conscientia.
4. Tertius Medicus, qui dat Sanitatem, est Contritio.
5. Quartus Medicus, qui affert Sanitatem, est confessio.
6. Quintus Medicus, qui dat Sanitatem, est Satisfactio.
7. Medicus, qui conservat Sanitatem, est Oratio.
8. Qui sanat actus, sanat potentias.
9. Cum bono amare sanatur infirma voluntas.
10. Stulta est anima, quæ est infirma per corpus.
11. Nullus infirmus homo benè sanat alium.
12. Plùs valet sanare cum amore, quàm cum timore.
13. Stultus est, qui non sæpiùs considerat suam infirmitatem, quàm aliam.
14. Parva infirmitas non indiget magno medico nec multis verbis.
15. Qui se ipsum vult sanare à peccato, magìs amet DEUM, quàm aliquid aliud.
16. DEUS se non sinit amari à parvo amore.
17. Nulla conscientia habet quietem in infirmitate.
18. Difficile est sanare antiquam infirmitatem.
19. Qui se ipsum non scit sanare, malè scit alium sanare.
20. Ille ignorat Bonitatem Sanitatis, qui non fuit infirmus.

CAPUT LI.
De Castigatore.

1. DEUS castigat suum amicum cum Amore, & suum inimicum cum Timore.
2. DEUS castigat unum hominem cum alio per exemplum.
3. DEUS facit homines recolere infernales pœnas, ut se ipsos castigent.
4. Sinè Virtute non potes castigare alium.
5. Si non potes castigare cum dare, castiga cum aufferre.
6. Homo obstinatus non est castigabilis.
7. Potiùs castiga cum curialitate, quàm cum inurbanitate.
8. Non reprehendas alium sinè ratione.
9. Quando es iratus, non castiga alium.
10. Plùs valet castigari per suum amicum, quàm per suum inimicum.
11. Magno delicto magna Castigatio, & parvo parva.
12. Castigatio plùs valet in jejuno, quàm in pranso.
13. Omnis homo, qui castigat, est amabilis.
14. Qui castigat cum Bonitate, non pœniteat.
15. Non castiges ullum sinè deliberatione.
16. Plus valet Castigatio suî, quàm alterius.
17. Castiga tuum amare cum timore.
18. Castiga tuum intelligere cum Humilitate.
19. Castiga tuum os cum jejuniis.
20. Castiga tuam linguam cum silentio.

CAPUT LII.
De Nutritore.

1. DEUS nutrit Finem hominum ad suum Finem.
2. Nutrias tuum recolere cum Memorabilitate DEI.
3. Nutrias tuum intelligere cum Intelligibilitate DEI.
4. Nutrias tuum amare cum Amabilitate DEI.
5. Cum intrinsecis Virtutibus nutrias extrinsecas.

Nutri-

6. Nutritio plùs valet per amorem, quàm per timorem.
7. Nutrimentum, quod eſt in principio, eſt durabile.
8. Intellectus, qui eſt nutritus cum Humilitate, citò intelligit & fatetur Veritatem.
9. Ille eſt dives, qui eſt bene nutritus.
10. Plus valet congregare nutrimenta, quàm denarios.
11. Nutrias tuum amicum cum amore, & tuum inimicum cum timore.
12. Plùs valet ſuum amare nutrire cum Virtute, quàm ſuum corpus cum comedere.
13. Nutrias tuum os cum Veritate & cum pulchris verbis.
14. Non nutrias tuum inimicum in tua domo.
15. Qui ſe ipſum non nutrit, alium disnutrit.
16. Nutrias Verecundiam in tuis oculis.
17. Nutrias tuum cor cum ſpe.
18. Nutrias te cum Patientia, ut habeas Pacem.
19. Nutrias te cum Abſtinentia, ut habeas Deliberationem.
20. Malæ nutritiones ſunt viæ plurium malorum.

CAPUT LIII.

De Directore.

1. DEUS direxit mundum ad bonum Finem, & homo illum deviavit cum peccato.
2. DEUS direxit mundum cum ſua Incarnatione, & homo ipſum indirexit contemnendo illius Adventum.
3. DEUS direxit mundum ad ſuum honorem, & homo indirexit contemnendo illius honorem.
4. DEUS direxit intellectum ad Veritatem, & homo deviavit ipſum cum falſitate.
5. DEUS dirigit bonum recolere, & homo deviat illud cum obliviſci.
6. DEUS dirigit hominem ad Veniam, & homo ab illo deviat cum deſperatione.
7. Si bene vis dirigere tuam Voluntatem, magìs ama DEUM, quàm omnia.
8. Si vis dirigere tuum intellectum, in principio ſuppone verum vel falſum.
9. Cum bono recolere poteris dirigere tuum amare & intelligere.
10. Qui ſe dirigit cum bona cogitatione, declinat à malo.
11. Homo ſe meliùs dirigit cum Virtutibus, quàm cum denariis.
12. Dirige tuum amare cum timore.
13. Non eſt directus, qui diſcredit Veritatem.
14. Dirige tuas manus ad bona opera, & tuos pedes ad bonas vias.
15. Qui ſe dirigit ad Legalitatem, ſe dirigit ad Pacem.
16. Dirige unam Virtutem cum alia.
17. Non poteris dirigere illum, qui tibi non credit, nec te amat.
18. Dirige te ad benè vivendum & ad benè moriendum.
19. Dirige te ad accipiendum judicium.
20. Dirige tuum ſentire, ut poſſis intelligere.

CAPUT LIV.

De Præceptore.

1. DEUS fecit præcepta, ut homines illum timeant.
2. Quia DEUS præcepit facere bonum, non excuſatur, qui non facit bonum.
3. DEUS præcepit tibi, ut cum Obedientia illum honores.
4. DEUS fecit præceptum, quia eſt Dominus, & quia vult honorem.
5. DEUS fecit præceptum toti tuæ poteſtati, ut cum tota tua poteſtate illum honores.
6. DEUS præcepit tibi, & tu præcipe tuo corpori.
7. Non eſt obediens, qui non timet nec amat.
8. Qui non eſt obediens præcepto DEI, habet diabolum ſuum præceptorem.
9. Obedientia plùs valet per amorem, quàm per timorem.
10. Qui eſt obediens propter amorem, obedit cum Libertate.
11. Qui eſt obediens Veritati, eſt honoratus.
12. DEUS tibi facit præceptum propter tuum bonum & propter ſuum honorem.
13. DEO convenit dominium, & tibi ſervitus.
14. DEUS tibi præcepit amare Virtutes, quia ſunt ſuæ viæ.
15. DEUS tibi præcepit ire ad ſuum Finem, ut in illo habeas quietem.
16. DEUS tibi præcepit magìs amare majus bonum, quàm minus.
17. DEUS tibi præcepit dare, quia ipſe tibi dat.
18. DEUS præcepit tibi parcere, ut ipſe tibi parcat.
19. DEUS tibi præcepit pœnitere, ut te non judicet.
20. DEUS tibi præcepit, quòd non ames malum, ne ames hoc, quod ipſe non amat.

CAPUT

CAPUT LV.

De Electore.

1. DEUS cum Libertate & Amore eligit bonos, & relinquit malos.
2. Si DEUS non eligeret cum Libertate, non eligeret cum Amore.
3. Sinè Libertate non poteſt eſſe gratia in electione.
4. In DEO Libertas eſt æquè prima in Electione, ſicut Bonitas.
5. Qui eligit cum Bonitate, eligit cum Juſtitia.
6. Non eſt Juſtitia in Electione mali.
7. Qui eligit honorem, eligit ſibi laborem.
8. Non eligit ſapienter, qui relinquit bonum, & capit malum.
9. Parum ſcit de Electione, qui potiùs capit parvum bonum, quàm magnum.
10. Periculoſa eſt Electio communìs perſonæ.
11. Mundus habet magnam indigentiam de bona Electione.
12. Priùs elige bonum manè, quàm bonum veſperum.
13. Qui eligit ſinè deliberatione, eligit cum confuſione.
14. Plùs valet eligere bonum amare, quàm bonum ſentire.
15. Parum ſcit de Electione, qui capit hunc mundum, & relinquit alium.
16. In Electione antepone tuum intelligere tuo amare.
17. In Electione non bene ſtat credulitas.
18. Pejores inimici Electionis ſunt ignorantia & avaritia.
19. Qui ſe ipſum eligit ad DEUM, eligit ſe ipſum ad ſe ipſum.
20. Potiùs elige dare, quàm accipere.

CAPUT LVI.

De Factore.

1. QUia DEUS facit bonum de bono, non facit bonum de malo.
2. Quia DEUS eſt magnum bonum, non facit de magno bono parvum bonum.
3. DEUS non facit ſinè Amore, & non facit per timorem.
4. DEUS facit de Bonitate bonificare, & de Intellectu intelligere.
5. Si DEUS faceret propter denarios, haberet indigentiam.
6. Non habet magnam Poteſtatem, qui non facit Poteſtatem de Poteſtate.
7. Plus potes facere cum magna Poteſtate, quàm cum parva.
8. Plus potes facere cum libera Voluntate, quàm cum coacta.
9. Plus potes facere ſanus, quàm infirmus.
10. Qui non facit bonum, facit malum.
11. Qui facit malum, deſtruit bonum.
12. Cum facere bonum elongant ſe homines à malo.
13. Plus potes facere cum dare, quàm cum accipere.
14. Plus potes facere manè, quàm veſpere.
15. Solus non potes tantum facere, quantum cum alio.
16. Plus potes facere cum anima, quàm cum corpore.
17. Quando non poteris facere bonum cum manibus, fac illud cum Voluntate.
18. Si unum bonum non potes facere, fac aliud.
19. Si bonum, quod deſideras, non potes facere cum una Virtute, fac illud cum alia.
20. Omne bonum, quod facies, fac propter noſtrum Dominum.

CAPUT LVII.

De Valore.

1. QUia DEUS eſt Valor, vult honorem.
2. Qui in DEO non valet, nihil valet.
3. Bonus homo plùs valet per animam, quàm per corpus.
4. Malus homo minùs valet per animam, quàm per corpus.
5. Qui non valet cum Valore contra dedecus, nihil valet.
6. Homo plùs valet per Virtutes, quàm per honorem.
7. Si vis valere, habeas bonam Voluntatem.
8. Non ames non Valorem loco Valoris.
9. Valor plùs valet per Humilitatem, quàm Rex per coronam.
10. Nulla res plùs valet, quàm Valor.
11. Rex nihil valet in odio populi.
12. Juſtum amare plùs valet, quàm ſol vel luna.
13. Nulla res tam parùm valet, quàm malus homo.
14. Clavus plùs valet, quàm martellus, & homo, quàm aurum.
15. Ille habet plus de Valore, qui magìs amat Valorem.
16. De nulla re eſt tanta indigentia, quanta de Valore.
17. Tantum Valorem habebis, quantum vis habere.

18. Valor eſſet magnus, ſi haberet, in quo eſſet.
19. Multi putant ire ad Valorem, qui vadunt ad dedecus.
20. Si non vales, quando potes, non valebis, quando voles.

CAPUT LVIII.
De Domino.

1. DEUS eſt Dominus omnium, quæ ſunt, quia ipſa creavit.
2. DEUS eſt Dominus illius, quod non eſt, quia ipſum poteſt creare.
3. DEUS eſt Dominus, quia ad illum pertinet dominium.
4. DEUS eſt Dominus cum Bonitate & Virtute.
5. Nulli competit dominium ſinè Bonitate & Virtute.
6. Propter Dominium pertinent ad ſervitutem Bonitas & Virtus.
7. Solus DEUS eſt Dominus ſinè conditione.
8. Plùs valet magna Bonitas in ſubditis, quàm parva in Domino.
9. Fatuus eſt Dominus, qui diminuit ſuam Poteſtatem.
10. Terrenus Dominus eſt imago cœleſtis Domini.
11. Qui habet bonum Dominum, habet pacem.
12. Honor Domini eſt honor ſubditi.
13. Nullus homo eſt tam malus, ſicut malus Dominus.
14. Qui habet malum Dominum, habet indigentiam omnis boni.
15. Domino convenit Amor, & ſubdito timor.
16. Non eſt rectus Dominus, qui naſcitur in ſervitute.
17. Propinquior eſt DEO bonus per bonum Dominium, quàm bonus per ſuum filium.
18. Plùs ama tuum Dominum, quàm tuum fratrem.
19. Bonus Rex non tantum amat ſuum filium, quantum ſuum populum.
20. Sinè Juſtitia & Pietate non convenit eſſe Dominium.

CAPUT LIX.
De Victore.

1. DEUS eſt Victor cum ratione.
2. DEUS tantum vincit cum Bonitate, quantum cum Poteſtate.
3. DEUS non vincit Libertatem ſinè Juſtitia.
4. DEUS non poteſt vincere Bonitatem & Amorem.
5. DEUS non vincit ſuam Similitudinem.
6. Vince te ipſum, & non vincéris.
7. Nulla Virtus vincitur.
8. Tu potes vinci cum vitio.
9. Cum anima vince corpus.
10. Plùs valet vincere ſe ipſum, quàm ſuum inimicum.
11. Cum DEO vinces omnia mala.
12. Sinè DEO es victus in omnibus rebus.
13. Humilitas & Patientia vincunt omnia vitia.
14. Vince, antequam vincaris.
15. Noli vincere tuum amicum.
16. Si non vincis peccatum, vincéris.
17. Quamprimùm tentaris, incipe vincere.
18. Qui per peccatum vincitur, per vilitatem vincitur.
19. Spes & Charitas vincunt DEUM ad Miſericordiam & Pietatem.
20. Si vis vincere malum, ſæpè recole bonum.

CAPUT LX.
De Gratia.

1. DEUS facit Gratiam, cui vult, quia eſt liber.
2. Termini Gratiæ ſunt dare & parcere.
3. Qui dat eſſe humanum, facit magnam Gratiam.
4. Qui dat ſe ipſum, facit magnam Gratiam.
5. Qui multum remittit, facit magnam Gratiam.
6. Electio non eſt prior Gratiâ.
7. Nulla Gratia eſt mala.
8. Plus Gratiæ eſt in illo, qui ipſam facit, quàm in illo, qui ipſam accipit.
9. Malus homo non poteſt accipere Gratiam.
10. Qui habet Gratiam DEI, habet omne bonum.
11. Ille movet DEUM ad faciendum Gratiam, qui ipſum amat.
12. Gratia Bonitatis eſt major, quàm Gratia honoris.
13. Nullus per ſe ipſum eſt dignus Gratiâ.
14. Gratia plùs valet per Patrem, quàm per Matrem.
15. Nulla Gratia eſt per timorem.
16. Qui facit Gratiam, ſperat Gratiam.
17. Gratia non eſt ex neceſſitate.
18. Si non habes Gratiam, non potes facere Gratiam.

Nulla

19. Nulla res eſt prior Gratiâ.
20. Plùs confide in Gratia, quàm in tuis meritis.

CAPUT LXI.
De Miſericordia.

1. DEUS non eſt magìs juſtus, quàm miſericors.
2. DEUS tantum amat homines per parcere, quantum per judicare.
3. DEUS non parcit ſinè judicio.
4. Miſericordia non deficit illi, qui ipſam amat.
5. Qui non petit Miſericordiam, non habebit ipſam.
6. Non petas Miſericordiam cum deceptione.
7. Miſericordia non datur ſinè contritione.
8. Quia Miſericordia eſt magna, magìs amat delere magnum peccatum, quàm parvum.
9. Miſericordia non vult eſſe in homine, qui ipſam tenet otioſam.
10. Non habeat timorem, qui facit Miſericordiam.
11. Qui remittit, lucratur Miſericordiam.
12. Miſericordia conſumit omnia mala.
13. Miſericordia eſt mater omnium bonorum.
14. DEUS eſt multò meliùs diſpoſitus ad remittendum, quàm tu ad precandum.
15. Miſericordia eſt Creator per actionem, & creatura per paſſionem.
16. Bene dat, qui remittit; & qui non dat, non remittit.
17. Nullum peccatum poteſt vincere Miſericordiam.
18. Miſericordia & Juſtitia habent unum Patrem.
19. Nullus vadit ſecurus ad mortem ſinè Miſericordia.
20. Ille te amat, qui tibi remittit.

CAPUT LXII.
De Pietate.

1. DEUS habet Pietatem de te propter Finem, propter quem es creatus.
2. Quia DEUS eſt Dominus, non habet Pietatem propter timorem.
3. Cum Juſtitia & Charitate movebis DEUM ad Pietatem.
4. Quia DEUS eſt juſtus, non habet Pietatem de omnibus hominibus.
5. Si non potes habere Pietatem in opere, habeas illam in tuo corde.
6. Humilis homo eſt veſtitus Pietate.
7. Quære Pietatem in illo, qui honorat DEUM.
8. Non quæras Pietatem in illo, qui te non amat.
9. Non omnes lachrymæ ſunt de Pietate.
10. Habe Pietatem de tua Similitudine.
11. Qui non habet Pietatem, cum crudelitate morietur.
12. Poteris habere meliores amicos per Pietatem, quàm per denarios.
13. Qui habet Pietatem, habet DEUM.
14. Plùs valent ſuſpiria & ploratus propter Pietatem, quàm riſus propter divitias & honores.
15. Si de te ipſo non habes Pietatem, de quo habebis illam?
16. Omnis theſaurus non valet Pietatem unius cordis.
17. Dare & remittere potes miſcere cum Pietate.
18. In homine obſtinato non quæras Pietatem.
19. Qui vivit ſinè Pietate, morietur in inferno.
20. Cum una lachryma Pietatis potes te mundare à peccato.

CAPUT LXIII.
De Abundantia.

1. QUia DEUS eſt æternus & infinitus, eſt perfecta Abundantia.
2. DEUS eſt tam abundans per unam Rationem, ſicut per aliam.
3. DEUS cum ſuo Fine abundat omnibus Finibus.
4. Non poteſt eſſe infinita Abundantia ſinè infinita Poteſtate.
5. Infinita Abundantia non habet Poteſtatem ſinè infinito Actu.
6. Infinitum poſſificare & abundare & infinire convertuntur.
7. Infinita Abundantia non habet indigentiam alicujus extra ſe.
8. Omnis Abundantia, quæ eſt extrà, eſt de illa, quæ eſt intrà.
9. Convenit, quòd infinitum Abundare ſit de infinito Abundante & infinito Abundabili.
10. Sinè eſſentiali Abundante, eſſentiali Abundabili & Abundare Bonitas non poteſt abundare nec abundari.

11. Solus DEUS est infinitus fons Abundantiæ.
12. Finita abundantia non potest esse æterna.
13. Abundantia prosperitatum non valet abundantiam Amoris.
14. In quantum es bonus, abundas Bonitate.
15. In quantum es legalis, abundas Legalitate.
16. Qui est humilis & patiens, habet Abundantiam de omni re.
17. Intellectus non potest abundare voluntati sinè intelligere.
18. Voluntas non potest facere abundare intellectum sinè amare.
19. Voluntas facit abundare intellectum de suo amare, quando amat Veritatem, quam ipse intelligit.
20. Qui non potest dare, non potest abundare.

CAPUT LXIV.
De Rege.

1. QUia DEUS est Rex Creator, creatura est suum regnum.
2. Quia DEUS est Rex Creator, regnat supra cursum naturæ.
3. Quia DEUS regnat cum Bonitate, ille est Rex Bonitatis, qui est bonus.
4. Nullum regnum plùs valet, quàm regnum Bonitatis.
5. Qui vivit cum Virtute, regnat in morte.
6. Quælibet Virtus est regnum virtuosi hominis.
7. Ille, qui facit omne bonum, quod potest, est Rex magni regni.
8. Ille regnat, qui possidet suam Voluntatem.
9. Non potes esse magnus Rex sinè Libertate.
10. Injustus Rex est Rex puerorum.
11. Non potest esse bonus Rex, qui non habet bonum regnum.
12. Bonum consilium facit bonum regnum.
13. Plùs vales, quàm Rex, si es melior.
14. Ille est major Rex, qui amat plus boni.
15. Non velis esse tam magnus Rex extrà, sicut in tua domo.
16. Quia Rex est multis subditus, ad illum pertinet honor.
17. Honor omnium consistit in honore Regis.
18. Qui inhonorat Regem, inhonorat multos homines.
19. In utilitate Regis consistit utilitas sui populi.
20. Major humilitas potest esse in Rege, quàm in Comite.

* Cùm Rex ferat tam magnum pondus, injuriam facit, qui ipsum non adjuvat.

CAPUT LXV.
De Majoritate.

1. QUia DEUS est infinitus & æternus, est major, quàm omne, quod est.
2. DEUS est ita major per Potestatem & Bonitatem, sicut per Infinitatem & Æternitatem.
3. Quia omnes Actus divinarum Rationum sunt æquales, DEUS non habet in se ullam majoritatem.
4. Si vis esse major per Bonitatem, habeas majus bonificare.
5. Si vis esse major per Voluntatem, habeas majus amare.
6. Quia DEUS est major, quàm creatura, voluit esse major Creatura.
7. Sicut DEUS est major per Deitatem, ita voluit esse major per Humanitatem.
8. Si DEUS non esset Creatura, non esset major per creaturam.
9. Nullus potest esse major in humanitate, quin sit homo.
10. Nullus potest esse major in Bonitate, quin sit bonus.
11. Si DEUS non creavisset unam Creaturam majorem, quàm omnes, non amaret majorem creationem.
12. Quia DEUS amat majorem creaturam, quælibet creatura appetit habere majoritatem.
13. DEUS non posset amare majorem creaturam, si illam non creasset in majori Majoritate.
14. Illa creatura, quæ meliùs assimilatur DEO, est major.
15. Qui plùs offendit DEUM in peccato, est major in culpa.
16. Qui est major in peccato, est major in pœna.
17. Nulla Majoritas mali est amabilis.
18. Noli esse major sinè Justitia & Bonitate.
19. Ille est minor in Bonitate, qui vult esse major sinè ipsâ.
20. Omnes Virtutes naturaliter sunt majores, quàm vitia.

)o(

CAPUT

CAPUT LXVI.
De Humilitate.

1. QUia Humilitas est bona, convenit, quòd, quantò majorem Bonitatem DEUS habet, tantò majorem Humilitatem habeat.
2. Major Humilitas non potest haberi sinè majori Patientia.
3. Ut DEUS haberet majorem Humilitatem, convénit illum incarnari.
4. Ut DEUS haberet majorem Humilitatem, voluit esse pauper, venundari, percuti, suspendi & mori in Cruce.
5. Sol ostendit majorem claritatem, & JESUS Christus majorem Humilitatem.
6. Qui est magìs propinquus DEO, debet esse magis humilis.
7. Humilitas est infirma in mundanis hominibus.
8. In nostra Domina & in Apostolis & Sociis JESU Christi Humilitas erat sana.
9. Quia panni, in quibus JESUS Christus fuit involutus, fuerunt magis humiles, fuerunt meliores.
10. Qui se magìs humiliat, facit se meliorẽ.
11. Humilitas facit testimonium, quòd DEUS sit Dominus.
12. Humilitas excusat, & superbia accusat.
13. Humilitas ridet, quando superbia plorat.
14. Si vis esse humilis, considera unde veneris, & quò sis iturus.
15. Quare ille non est humilis, qui ignorat, quamdiu vivet, & quando & ubi morietur?
16. Considera, quòd judicaberis, & eris humilis.
17. Ille est humilis, qui in se ipso non confidit.
18. Non sis superbus propter tuum amicum, quia nescis, quantum te amat.
19. Procura Humilitatem cum Pietate & Charitate.
20. Non vendas Humilitatem pro ullo thesauro.

CAPUT LXVII.
De Suavitate.

1. NUlla potestas est tam suavis humili homini, sicut Potestas DEI.
2. Nulla potestas est tam austera superbo homini, sicut Potestas DEI.
3. Suavitas, quam JESUS Christus habuit in Cruce, fuit in majori gradu Humilitatis.
4. DEUS est suavis, quia se permittit inhonorari.
5. DEUS est suavis in parcendo, & austerus in judicando.
6. DEUS nullam Suavitatem habet in inferno.
7. Cum Suavitate poteris deliberare & benè loqui.
8. Potiùs sis suavis propter amorem, quàm propter timorem.
9. Carcer Suavitatis est carcer quietis.
10. Suavitas & pax sunt germanæ.
11. Habeas Pietatem de homine suavi.
12. Suavitas & Pietas non habent aliquid divisum.
13. Qui est suavis, est remotus à labore.
14. Quis potest vincere hominem suavem?
15. Si vis invenire pacem, quære illam in homine suavi.
16. Suavis homo est hospitium Virtutum.
17. Suavis homo dat, & non auffert.
18. Defensiones suavis hominis sunt benedictiones.
19. Nullus suavis homo dicit vituperia.
20. Qui honorat suavem hominem, honorat DEUM.

CAPUT LXVIII.
De Recolitione.

1. REcolere DEUM est Finis ipsius memoriæ.
2. DEUS habet adeò magnam Recolitionem, quòd nihil oblivisci tur.
3. DEUS recolit bonum cum Amore, & malum cum Justitia.
4. Qui DEUM recolit amando, illum recolet DEUS in morte.
5. DEUS non est dispositus, quòd recolatur sinè Amore.
6. Recole DEUM Sæpiùs propter Amorem, quàm propter timorem.
7. Quando recolis DEUM, recole suas Rationes & illarum Actus.
8. Quantò plus de bono in DEO recoles, tantò plus de bono habebis.
9. Plùs valet in DEO recolere unam Rationem, quàm omnes creaturas.
10. Si vis multum amare & intelligere DEUM, multum in illo recole.
11. De DEO tantum potes recolere, quantum de illo vis amare.
12. Postquam DEUS recolet omnes tuas partes post tuam mortem, quare non recolis illum?

13. Qui DEUM justè recolit, illum DEUS recolit cum Misericordia.
14. DEUS obliviscetur tuum peccatum, si cum Spe recolis illius Misericordiam.
15. DEUS facit tibi magnum honorem, quia te recolit.
16. Da DEO tuum recolere, ut illi des tuum intelligere & amare.
17. Recolere plùs valet in DEO, quàm in alio.
18. Magìs potes extendere tuum recolere in DEO, quàm in alio.
19. Plùs valet recolere DEUM, quàm omnia.
20. Nemo debet irasci, si DEUM recolit.

CAPUT LXIX.
De Laude.

1. DEUS est magìs laudabilis per complementum, quod habet in se ipso, quàm per complementum, quod habet in creaturis.
2. Fac unam Laudem de DEO per unam Rationem, & aliam per aliam.
3. In qualibet divina Ratione lauda suum Actum.
4. Lauda quamlibet divinam Rationem cum alia.
5. Lauda DEUM, quia est incarnatus.
6. Lauda DEUM, quia est Creator.
7. Ille nihil scit de laude, qui laudat hoc, quod non intelligit.
8. Intellige DEUM, ut illum scias laudare.
9. Lauda propter amorem, & non propter timorem.
10. Nulla Laus, quæ est propter timorem, est magna.
11. Lauda omne illud, quod DEUS facit in se ipso & in alio.
12. Nulla laus est bona cum mendaci lingua.
13. Lauda bonos, & vitupera malos.
14. Non confidas in illis, qui injustè te laudant.
15. Multi homines laudant alios, ut illos decipiant.
16. Non plùs laudes tua opera, quàm alia.
17. Quò minùs te laudabis de bono, quod facis, eò magìs eris laudabilis.
18. Hoc, quod laudabis, lauda cum justitia.
19. Non sæpè vitupera tuum amicum de malis, & sæpè lauda illum de bonis.
20. Plùs lauda propter Virtutes, quàm propter prosperitates.

CAPUT LXX.
De Nomine.

1. NIhil tantum nominatur, quantum DEUS.
2. Nullum nomen habet tantam virtutem, quantam habet Nomen DEI.
3. Qui nominat infinitum & æternum, nominat DEUM.
4. Qui nominat perfectum, nominat DEUM.
5. Qui nominat Creatorem, nominat DEUM.
6. In Nomine JESU Christi consistit Nomen Creatoris & creaturæ.
7. In Nomine JESU Christi sunt omnia nomina creaturarum.
8. Sicut peccator est indignus amare DEUM, ita est indignus nominare DEUM.
9. Non nomines DEUM sinè Amore.
10. Cum Humilitate & Reverentia nomina DEUM.
11. Non nomines DEUM propter parvas res.
12. Nomen DEI est inhonoratum in illis, qui illud ignorant & odiunt.
13. Honora Nomen DEI per totum mundum, quantum potes.
14. Tuum nomen sit servus Nominis DEI.
15. Nomen DEI est melius, quàm hoc, propter quod per ipsum juras.
16. Facis injuriam Nomini DEI, si illud non nominas propter se ipsum.
17. Qui inhonorat Nomen DEI, totum DEUM blasphemat.
18. Finis omnium nominum consistit in Nomine DEI.
19. Tua lingua est magìs creata ad nominandum DEUM, quàm ad comedendum.
20. Nulla res est tam similis DEO, sicut suum Nomen.

CAPUT LXXI.
De Honore.

1. OMnia sunt creata ad honorandum DEUM.
2. Qui inhonorat DEUM, inhonorat omnes creaturas.
3. Honora DEUM, & honoraberis.
4. Plùs honora DEUM, quàm omnia reliqua.
5. Principaliter honora DEUM propter se ipsum.
6. Est multùm stultus, qui est honoratus per DEUM, & inhonorat DEUM.
7. Cum omni eo, quod dices & facies, honora DEUM.

Hono-

8. Honora DEUM, ubi non est honoratus, & ubi est inhonoratus.
9. Nullum opus est tam bonum, sicut honorare DEUM.
10. DEUS omnia dedit homini, & ab illo nihil aliud petit, nisi honorem.
11. Ille vult esse DEUS, qui magìs amat honorari se ipsum, quàm DEUM.
12. Honor DEI est centrum omnium honorum.
13. Ille est fur omnium bonorum, qui DEO furatur suum honorem.
14. Qui habet verecundiam honorandi DEUM, non habet verecundiam à vitiis.
15. Qui habet timorem honorandi DEUM, non habet timorem de inferno.
16. Ibi debes plus honorare DEUM, ubi est magìs inhonoratus.
17. Suspira & plora, quia DEUS est tam fortiter inhonoratus.
18. DEUS magìs inhonoratur per illos, quos ipse honoravit, quàm per alios.
19. DEUS habet plures & majores inhonoratores in hoc tempore, quàm tempore suæ Passionis.
20. Qui potest plùs honorare DEUM, & illum non plùs honorat, inhonorat illum.

CAPUT LXXII.
De Invocatione.

1. DEUS est invocatio bonorum hominum.
2. Homo peccator non potest invocare DEUM.
3. Non est vera Invocatio cum illusione.
4. Non debes invocare DEUM, si illum odis.
5. Quando tentaberis, invoca DEUM.
6. In majori Invocatione major amor.
7. Invocatio sinè Spe nihil valet.
8. Bene adjuvatur, qui bene invocat.
9. Majori periculo major Invocatio.
10. Quare invocat, qui non pœnitet de malo?
11. Magìs invoca ad honorandum DEUM, quàm ad salvandum te.
12. Plùs valet invocare propter pericula animæ, quàm corporis.
13. Invoca cum Virtute, & exaudieris.
14. Cum invocatione, quam facis in tua vita, lucraris dispositionem ad invocandum in tua morte.
15. Stultus est, qui sperat invocare suum inimicum.
16. Invocatio hominis humilis ascendit, & superbi descendit.
17. Plùs valet Invocatio hominis sani, quàm infirmi.
18. Injuriosa Invocatio non exauditur.
19. Non invoca DEUM, quando facis malum.
20. Invocatio ad faciendum malum, est invocatio dæmonis.

CAPUT LXXIII.
De Benedictione.

1. BEnedic DEUM, & benedicéris.
2. Benedictio non est sinè Bonitate.
3. Qui benedicit DEUM, benedicit omnia.
4. Benedic DEUM, quia est bonus & facit bonum.
5. Benedic te ipsum in DEO.
6. Frequenter benedic Nomen DEI.
7. Benedic quamlibet Proprietatem DEI.
8. Benedic omnia opera DEI.
9. Benedic DEUM in omnibus tuis adversitatibus.
10. In omnibus tuis prosperitatibus sit DEUS benedictus.
11. In adversitatibus aliorum benedicas DEUM.
12. Multum scit de Benedictione, qui DEUM benedicit in prosperitatibus sui proximi.
13. Non est maledictus, qui benedicit DEUM.
14. Frequenter benedic DEUM, ut illum frequenter ames.
15. Benedictio sinè devotione non ascendit.
16. Benedictio, quam transmittis ad DEUM, tibi adfert suam Benedictionem.
17. Qui benedicit DEUM plorando, benedicat illum amando.
18. Meliora sunt suspiria in Benedictione, quàm saphyrus in annulo Episcopi.
19. Benedic DEUM, quia te creavit hominem.
20. Benedic DEUM, quia est incarnatus, & in carne est mortuus ad salvandum hominem.
* Benedic DEUM in omnibus bonis, quæ facis.

CAPUT LXXIV.
De Servitio.

1. QUia DEUS est bonus Dominus, dignum est, quòd ipsi serviatur à bonis hominibus.
2. Quia DEUS est magnus Dominus, requirit magnum Servitium.

Quia

3. Quia DEUS est perdurabilis Dominus, requirit Servitium omni tempore.
4. Quia DEUS est potens Dominus, potest ipsi multùm serviri.
5. Quia DEUS est sapiens Dominus, requirit Servitium sapientum hominum.
6. Quia DEUS est amabilis Dominus, requirit, quòd ipsi serviatur cum Amore.
7. Quia DEUS est virtuosus Dominus, requirit, quòd ipsi serviatur cum Virtute.
8. Quia DEUS est verus Dominus, vult, quòd ipsi serviatur cum Veritate.
9. Quia DEUS est gloriosus Dominus, dat gloriam omnibus illis, qui ipsi serviunt.
10. Quia DEUS est sanctus Dominus, vult, quòd ipsi serviatur à sanctis hominibus.
11. Servitium DEI est Finis omnium aliorum.
12. Nullus magis servit DEO, quàm ille, qui moritur ad serviendum illi.
13. Si facis Servitium DEO, fac tuum Servitium esse Finem aliorum servitiorum.
14. Qui non servit DEO, servit diabolo.
15. Nullus diabolus servit suis Servitoribus.
16. DEUS servit tibi, in quantum te sustinet, & tibi facit bonum.
17. DEUS tibi servit, in quantum tibi dat Virtutes, ut acquiras merita.
18. DEUS tibi servit, in quantum tibi dat merita, ut tibi det Gloriam.
19. Non potes tantùm servire DEO, quantùm ipse tibi servit.
20. Plùs potes servire DEO cum tua Voluntate, quàm cum tuis manibus & cum tua lingua.

CAPUT LXXV.
De Timore.

1. AMa DEUM, ut ipsum timeas.
2. Time DEUM, ut ipsum ames.
3. Qui timet DEUM, non timet alium.
4. Si non times DEUM, de omnibus rebus habebis timorem.
5. Non es in Amore DEI sinè Timore.
6. Plus time DEUM quàm diabolum.
7. Qui non timet offendere DEUM, timet offendere diabolum.
8. Qui multùm timet, multùm amat.
9. Plùs timeas tuum amicum, quàm tuum inimicum.
10. Qui non timet, non timetur.
11. Non habeas Timorem de adversitatibus, quas DEUS tibi dat.
12. Nulla res, quam DEUS dat, venit cum Timore.
13. Timor est propter amorem boni, & propter odium mali.
14. Magno periculo amoris magnus Timor.
15. Plùs valet timere in sanitate, quàm in infirmitate.
16. Cùm timebis Justitiam DEI, recoles suam Misericordiam.
17. Non habeas majorem Timorem de alio, quàm de te ipso.
18. Qui timet DEUM, securè dormit.
19. Plùs time pericula animæ, quàm corporis.
20. Non habeas Timorem de bono homine.

CAPUT LXXVI.
De Rogatione.

1. DEUS parùm rogatur secundùm quod illi convenit.
2. DEUS deberet rogari ab omnibus hominibus, cùm sit illorum Dominus.
3. Ille non rogat DEUM, qui non rogat propter DEUM.
4. Magnæ offensæ magna deprecatio.
5. Non roges illum, qui te non amat.
6. Ex falso corde falsa deprecatio.
7. Sunt plures rogatores, quàm datores.
8. Plùs roga DEUM propter servitium ipsius, quàm propter tuam salvationem.
9. Plùs roga pro bono publico, quàm pro proprio.
10. Qui sæpè rogat, sæpè indiget.
11. Plùs valet deprecatio, quàm excusatio.
12. Homo dives sæpiùs denegat, quàm pauper.
13. Qualis homo, talis Rogatio.
14. Qualis indigentia, talis Rogatio.
15. Non roga sinè Spe.
16. Roga DEUM pro mortuis, ut in ipsis ames DEUM, & DEUS te & illos amet.
17. Si humiliter rogas, exaudieris.
18. Non est magna Rogatio illius, qui rogat propter timorem.
19. Semper rogas DEUM, quando facis bonum.
20. Plùs valet Rogatio sani hominis, quàm infirmi.

* Si propter DEUM rogas, non oportet rogare propter te ipsum.

CAPUT LXXVII.
De Distinctione.

1. SInè Distinctione divinarum Personarum omnes divinæ Rationes essent otiosæ in Æternitate.

Distinc-

2. Distinctio divinarum Personarum est, ut divinæ Rationes non sint otiosæ de Infinitate.
3. Sinè Distinctionare non posset in DEO esse concordare.
4. Sinè Distinctione non potest esse Productio.
5. Non sequitur ulla operatio de agente & agibili sinè Distinctione amborum.
6. Nullus Finis potest esse sinè Distinctione.
7. Quia DEUS est tantum DEUS per agere, quantum per existere, habet in sua Essentia distinctas Personas.
8. Illa est major Distinctio, in qua multi sunt una eadem essentia & natura.
9. Illa est major Distinctio, in qua multi sunt unæ & eædem Rationes.
10. Nulla Ratio potest esse plena sinè distinctionare.
11. Potestas non potest de ulla re sinè Distinctione.
12. Cum Distinctione inquire Veritates & naturas substantiarum.
13. Si removeres Distinctionem à causa & effectu, remanerent unum & idem in numero.
14. Sinè Distinctione omnia essent unum & idem.
15. Nulla substantia potest esse sinè Distinctione.
16. Sinè Distinctione essentia non haberet, in quo esset.
17. Sinè Distinctione non esset quidquam.
18. Qui privaret Distinctionem, privaret omnia.
19. In nulla substantia est naturalis appetitus contra Distinctionem.
20. Nulla Distinctio est mala in Bonitate.

* Quantò magis Pater est distinctus à Filio, tantò magis est Pater.

CAPUT LXXVIII.
De Concordantia.

1. ILla Concordantia est major, quæ est de Personis infinitis.
2. Nulla Concordantia est major in Bonitate, quàm Concordantia Patris & Filii.
3. In Magnitudine Finis est Magnitudo Concordantiæ.
4. Medium, quod est de Principio & de Fine, est de magna Concordantia.
5. Sicut Pater & Filius habent Concordantiam per Distinctionem, ita habent Concordantiam in Sancto Spiritu per Unionem.
6. Pater & Filius habent tam magnam Concordantiam in Sancto Spiritu, quòd non habent in illo nisi unum Actum.
7. Divinæ Rationes habent tam magnam Concordantiam, quòd omnes habent unum & eundem Actum.
8. In JESU Christo est major Concordantia DEI & Creaturæ.
9. Nulla Concordantia est major, quàm illa, quam habent multi in Unitate Personæ.
10. Ille non habet timorem de vitio, qui concordat unam Virtutem cum alia.
11. Plùs valet Concordantia magnorum bonorum, quàm parvorum.
12. Concordantia multorum bonorum te elongabit à multis malis.
13. Concorda Virtutes intrinsecas cum Virtutibus extrinsecis.
14. Concordantia magni & parvi non semper est bona.
15. Concorda tuum memorare, intelligere & amare in Magnitudine Bonitatis.
16. Concordantia magnorum hominum est timenda.
17. Concorda te cum humilibus hominibus.
18. Concorda multos Fines ad unum Finem.
19. Concorda Concordantiam primæ & secundæ intentionis.
20. Concorda tua verba cum tua conscientia.

CAPUT LXXIX.
De Æqualitate.

1. IN differentibus essentiis non potest esse Æqualitas infinitarum Personarum.
2. Infiniti Actus possunt esse æquales per infinitas Personas.
3. Omnes Proprietates DEI sunt æquales.
4. In omni inæqualitate est majoritas & minoritas.
5. Infinitas & Æternitas omnibus modis habent Æqualitatem.
6. Nulla duratio potest esse æqualis Æternitati.
7. Si Æternitas haberet Æqualitatem cum extranea essentia in durare, haberet Infinitas Æqualitatem cum illa in infinire.
8. Bona Æqualitas Amici & Amati est amabilis.
9. Æqualitas magni Amici & magni Amati est magna.
10. Æqualifica tuas Virtutes, quantum potes.
11. Inæqualitati Virtutum sunt propinqua vitia.

12. Ratione communîs ſenſûs appetunt particulares ſenſus Æqualitatem in ſuis actibus.
13. Potentiæ animæ habent appetitum ad Æqualitatem actuum.
14. Nulla potentia eſt plena ſinè Æqualitate multorum.
15. Noli eſſe æqualis tuo domino in Poteſtate.
16. Omni homini velis eſſe æqualis in Bonitate.
17. Deſidera Æqualitatem potentiæ, objecti & actûs.
18. Nulla Æqualitas Virtutum eſt mala.
19. Grave eſt, æqualia vitia deſtruere.
20. Æqualiter ama Juſtitiam & Miſericordiam DEI.

CAPUT LXXX.
De Altitudine.

1. OMnes Rationes DEI ſunt altiores, quàm aliæ.
2. Altitudines, in quibus DEUS eſt, ſunt ſuæ Rationes & ſuæ Operationes.
3. Nulla Ratio poteſt eſſe alta ſinè alto actu.
4. In DEO nulla Ratio eſt magìs alta, quàm alia.
5. Supra Altitudinem Infinitatis & Æternitatis non eſt alia.
6. Sicut in Deitate ſua Bonitas non poteſt eſſe magìs alta, ita in JESU Chriſto creatura non poteſt eſſe magìs alta.
7. Secundùm quod Bonitas DEI eſt alta, requirit altam Voluntatem, per quam ametur.
8. Altitudo Voluntatis eſt in Magnitudine amandi.
9. Nulla poteſtas poteſt aſcendere in tam magnam magnitudinem operandi, ſicut Poteſtas DEI.
10. Cum depreſſo intelligere non potes tuum intellectum elevare ad Sapientiam DEI.
11. Sinè altis meritis non potes attingere altam gloriam.
12. Nulla res eſt tam depreſſa, ſicut peccatum.
13. Propter peccatum peccatores erunt in inferiori loco mundi.
14. Si vis eſſe altus, habe altas operationes.
15. Virtutes ſunt Altitudines ſanctorum hominum.
16. Sanctus Eremita ſtat altior in Voluntate DEI, quàm Rex in throno.
17. Quò plùs valebis, eò altior eris.
18. Eleva tuum intelligere, & elevabis tuum amare.
19. Cœlum non eſt tam altum, ſicut amare ſancti hominis.
20. Quò magìs laborabis ad aſcendendum, eò magìs aſcendes.

CAPUT LXXXI.
De Significatione.

1. IN nobilitate numeri ternarii ſignificatur divina Trinitas.
2. In complemento creatæ bonitatis ſignificatur complementum increatæ Bonitatis.
3. Complementum Bonitatis eſt per eſſentialem bonificantem, bonificabilem & bonificare.
4. In brachio Regis ſignificatur Poteſtas DEI.
5. In corona Regis ſignificatur Gloria DEI.
6. In Cruce ſignificatur Humilitas DEI.
7. Nulla creatura tam fortiter ſignificat Poteſtatem DEI, ſicut Sacramentum Altaris.
8. Tua patientia ſignificat Patientiam DEI.
9. Quò magìs es patiens, eò magìs ſignificas Patientiam DEI.
10. Nullus malus homo magìs ſignificat Patientiam DEI, quàm malus Prælatus.
11. Per contrarium majus malum ſignificat majus bonum.
12. Per opera extrinſeca ſignificantur opera intrinſeca.
13. Quia habes parvum intelligere, res minores tibi ſignificant majores.
14. Si haberes magnum intelligere, res majores tibi ſignificarent minores.
15. Una Significatio eſt occaſio alterius.
16. Nullus ſenſus ſignificat tam magnam magnitudinem, ſicut affatus.
17. Nulla Potentia ſignificat tam magnam magnitudinem, ſicut imaginatio.
18. Imaginatio non ſignificat tam magnam magnitudinem, ſicut intellectus.
19. Veritas magìs ſignificatur per intellectum, quàm per aliam potentiam.
20. Nulla potentia ſignificat cum tam magno labore ſuum objectum, ſicut intellectus.

CAPUT LXXXII.
De Perſeverantia.

1. IN nullo eſt major Perſeverantia Bonitatis, quàm in ipſâmet Bonitate.
2. Nulla Bonitas perſeverat extra ſe ipſam.
3. Si Bonitas perſeveraret extra ſe ipſam, eſſet extra ſe ipſam.
4. Nulla Bonitas perſeverat in ſe ipſa ſinè bonificare.

Nullus

5. Nullus Theſaurus tantum valet, quantum Perſeverantia in bono.
6. Solus DEUS perſeverat per ſe ipſum.
7. DEUS non poteſt perſeverare ſinè Actu in ſuo Fine.
8. Pater & Filius perſeverant per Generationem.
9. Pater & Filius perſeverant per Spirationẽ.
10. Sanctus Spiritus perſeverat per Objectationem.
11. Quia Perſeverantia DEI eſt in Æternitate, non habet ullam mutationem.
12. Quælibet divina Ratio perſeverat in ſuo Actu.
13. Sinè Productione non poteſt Actus Rationis perſeverare.
14. Sinè Infinitate Poteſtas non poteſt perſeverare in Æternitate.
15. Ille, qui habet majorem Perſeverantiam in bono, eſt magìs ſimilis DEO.
16. Privatio Perſeverantiæ eſt disgregatio Virtutum.
17. Quantò magìs perſeveras in Virtute, tantò fortior es per Virtutem.
18. Sinè perſeverantia non potes attingere ullum Finem.
19. Perſeverantia eſt medium à principio usque ad Finem.
20. Qui perſeverat in vitio, eſt in minoritate.

CAPUT LXXXIII.
De Exemplo.

1. DEUS dedit Exemplum ſuæ Unitatis in unitate creaturarum.
2. DEUS in Singularitate ſolis dedit Exemplum ſuæ Singularitatis.
3. Duæ Naturæ JESU Chriſti, quæ ſunt una Perſona, ſunt Exemplar, quòd in DEO multæ Perſonæ ſint unus DEUS.
4. In Humanitate JESU Chriſti eſt majus Exemplar divinarum Rationum, quàm in aliqua alia creatura.
5. In Bonitate JESU Chriſti habes majus Exemplum, quòd ſis bonus, quàm in alia Bonitate.
6. In Amore JESU Chriſti habes majus Exemplum amandi, quàm in alio amore.
7. In Humilitate JESU Chriſti habes majus Exemplum, quòd ſis humilis, quàm in alia humilitate.
8. In Patientia JESU Chriſti habes majus Exemplum, quòd ſis patiens, quàm in alia patientia.
9. Solus JESUS Chriſtus eſt centrum perfecti Exempli.
10. Sol non eſt tam magnum Exemplar claritatis, ſicut JESUS Chriſtus Pietatis.
11. Cùm JESUS Chriſtus ſit tam magnum Exemplar, quare homines de illo capiunt tam parvum exemplum?
12. Qui de JESU Chriſto non capit Exemplum, capit exemplum de dæmone.
13. Cape Exemplum à bonis per amorem, & à malis per pavorem.
14. Malus homo eſt Exemplum infernalîs pœnæ.
15. Labor alterius eſt Exemplum Prudentiæ.
16. Conſcientia eſt Exemplar peccati & Virtutis.
17. Una Virtus eſt Exemplar alterius.
18. Operatio Potentiæ eſt illius Exemplar.
19. Cape Exemplum de bonis hominibus, quomodo honorantur & recoluntur, & cape exemplum de malis hominibus, quomodo obliviſcuntur.
20. Nullum actuale peccatum eſt magìs generale, quàm malum Exemplum.

CAPUT LXXXIV.
De Motore.

1. DEUS nullam creaturam movet ſinè Bonitate.
2. Quia DEUS eſt infinitus, non movetur movendo creaturam.
3. DEUS cum ſua Voluntate movet creaturas.
4. DEUS vult, quòd creatura moveatur, & movetur.
5. DEUS movet creaturam, ut ipſa ſe moveat.
6. DEUS movet creaturam, ſicut cauſa ſuum effectum, & creatura movet ſe per naturam.
7. Finis movet agentem, & agens formam, & forma materiam.
8. Cum finita poteſtate potes movere infinitam Poteſtatem ad Pietatem.
9. Nullus peccator poteſt movere DEUM ad aliquid.
10. Si peccator poſſet Movere DEUM ad aliquid, poſſet cum illo habere aliquam Concordantiam.
11. Nullus Motus peccatoris ſe movet ad Finem.
12. Cum una Virtute potes movere aliam.
13. Nobilior Motus eſt, quòd forma moveat formam, quàm forma materiam.
14. Move te ipſum ad tuum Finem.
15. Quando tua anima movet tuum corpus, moves te ipſum cum tua parte.

16. Quamprimùm moveberis per vitium, move te ad ſuum contrarium.
17. Tuam liberam Voluntatem non moveas ad ſervitutem.
18. Move omnes tuas Rationes ad bona opera.
19. Qui ſe non movet ad bonum, illum diabolus movet ad malum.
20. Omnes illi, quos dæmon movet, moventur ad infernalem pœnam.

CAPUT LXXXV.

De Aſſumptore ſive Acceptore.

1. IN Incarnatione DEUS aſſumpſit Humanitatem, & non perſonam, quia jam erat Perſona.
2. Humana Natura aſſumpſit Perſonam, in quantum facta eſt divina Perſona.
3. Si humana Natura per ſe ipſam eſſet perſona, Divina Perſona aſſumpſiſſet aliam perſonam.
4. Si divina Natura aſſumpſiſſet aliam perſonam, dimiſiſſet ſuam priorem Perſonam.
5. Perſona æterna non poteſt transmutari in temporalem.
6. Divina Perſona cum omnibus ſuis Rationibus aſſumpſit humanam Naturam.
7. Homo Chriſtus aſſumpſit omnes divinas Rationes in divina Perſona.
8. Divina Perſona aſſumpſit in humana Natura participationem cum tota creatura.
9. Humana Natura in Perſona Filii DEI aſſumpſit participationem cum Perſona DEI Patris & DEI Sancti Spiritûs.
10. Divina Perſona in humana Natura accepit Matrem.
11. Divina Perſona in Cruce aſſumpſit Paſſionem in humana Natura.
12. Aſſume à DEO quantum poteris.
13. Aſſume de Bonitate hoc, quod poteris.
14. Nihil potes à DEO accipere ſinè Virtute.
15. Totum DEUM potes accipere in tua Voluntate.
16. Plus potes accipere à Bonitate, quàm à denariis.
17. Accipe unum bonum, & poſtea aliud.
18. Qui aſſumit bonam vitam, accipiet bonam mortem.
19. Habeas ita magnum placitum propter DEUM accipiendi adverſitates, ſicut proſperitates.
20. Quantò plus boni capies in hac vita, tantò plùs capies in alia.

CAPUT LXXXVI.

De Dignitate.

1. DEUS omnibus modis eſt dignus, quòd honoretur.
2. Quia divinæ Dignitates ſunt infinitæ, DEUS eſt dignus, quòd per totum mundum honoretur.
3. Nullus homo eſt dignus amare DEUM cum peccato.
4. Dignitas JESU Chriſti eſt Finis omnium creatarum dignitatum.
5. Qui eſt contra JESUM Chriſtum, non eſt dignus, quòd utatur ullâ Dignitate.
6. Nulla Dignitas poteſt eſſe niſi in digno.
7. Omnis humilis homo eſt dignus altis rebus.
8. Qui putat eſſe dignus, eſt indignus.
9. Qui non eſt dignus bono, eſt dignus malo.
10. Non eſt ullus Finis ſinè Dignitate.
11. Nullus eſt magis remotus à Dignitate, quàm ſuperbus homo.
12. Omnis Dignitas ſpiritualis eſt altior, quàm corporalis.
13. Potes eſſe dignior per Virtutes, quàm per parentelam.
14. Omnis Dignitas eſt amabilis propter DEUM.
15. Minor Dignitas eſt propter majorem.
16. Communis Dignitas eſt multis ſubdita.
17. Qui eſt contra communem Dignitatem, eſt contra multa.
18. Dignitas Regis non pertinet ad omnes homines.
19. Nullus eſt tam contrarius Dignitati, ſicus malus Prælatus & malus Princeps.
20. Qui habet Dignitatem, debet ipſam tenere valde charam.

* Non potes cuſtodire Dignitates ſinè Virtutibus.

CAPUT LXXXVII.

De Spe.

1. DEUS eſt Spes juſtorum cum Juſtitia, & peccatorum cum Miſericordia.
2. Si vis habere Spem, reſpice in Crucem.
3. Non ſperes bonum propter te, ſed propter DEUM.
4. Spes eſt nuntius doni, auxilii & remiſſionis.
5. Transmitte Spem cum Fortitudine & Charitate.
6. Spes citò vadit & citò revertitur.

Spes

7. Spes non vadit nec revertitur cum peccato.
8. Qualis finis, talis Spes.
9. Omnis Spes dat quietem.
10. Omnis Spes eſt inter Amicum & Amatũ.
11. Qui habet Spem, non habet timorem de aliquo.
12. Spes eſt panis humilium pauperum.
13. Nullus poteſt venire ad ſuum Finem ſinè Spe.
14. DEUS dat ſuis magnis amicis magnas adverſitates, ut hãbeant magnam Spem.
15. In multis proſperitatibus periclitatur Spes.
16. Ille eſt DEO propinquior, qui habet majorem Spem.
17. Spes & liberalitas habent magnam Concordantiam.
18. In homine avaro non habeas Spem.
19. Cum Spe nutrias tuum amare.
20. Non potes exire de magna pugnâ ſinè Spe.

* Priùs transmitte Spem ad DEUM, quàm ad tua merita, & ad viros, quàm ad fœminas.

CAPUT LXXXVIII.

De Majori.

1. DEUS eſt major, quàm quidquid eſt, per Infinitatem.
2. DEUS ita eſt major, quàm quidquid eſt, per Bonitatem, ſicut per Infinitatem.
3. DEUS non eſſet major, quàm omne, quod eſt, per Bonitatem, ſinè bonificante, bonificabili & bonificare.
4. DEUS eſt major, quàm omne, quod eſt, per quamlibet ſuarum Rationum.
5. Humanitas, quam DEUS aſſumpſit, eſt major in Bonitate, quàm totum univerſum creatum.
6. Sicut DEUS voluit eſſe major, quàm tota creatura, per Deitatem, ſic voluit eſſe major, quàm totum univerſum creatum, per Humanitatem, quam aſſumpſit.
7. Majoritas DEI eſt finis omnium majoritatum.
8. DEUS non poteſt eſſe major per exiſtentiam, quàm per agentiam.
9. Si DEUS eſſet major per exiſtere, quàm per agere, Actus divinarum Rationum non eſſent infiniti.
10. Ultra Majoritatem non eſt ulla res.
11. Ita eſt major per Majoritatem, ſicut bonus per Bonitatem.
12. JESUS Chriſtus cum ſuis humanis Rationibus eſt major, quàm omnes aliæ creatæ rationes.
13. Si DEUS non creaviſſet creaturam in majori Majoritate, non amaret eam cum majori Voluntate.
14. Majoritas non eſt bona ſinè Bonitate.
15. Stultus eſt, qui putat eſſe major ſinè majori Bonitate.
16. Majoritas plùs valet per Virtutem, quàm per corpus.
17. Omnes majoritates corporales non valent unum majus recolere, intelligere & amare.
18. Omnes minoritates naturaliter ſunt ſervæ Majoritatum.
19. Cum peccato facis tuam bonitatem minorem, quàm bonitatem aſini.
20. Si es minor per paupertatem, ſis major per ſanctitatem.

CAPUT LXXXIX.

De Amicitia.

1. SI in Æternitate non eſſent Amicus & Amatus, in DEO non eſſet infinita Amicitia.
2. Infinita Amicitia eſt de infinito Amico & Amato.
3. Per finitum Amicum non poteſt eſſe infinitus Amatus.
4. Sicut DEUS vult eſſe major Amicus per Deitatem, ſic vult eſſe major Amicus per Humanitatem.
5. Si DEUS non amaret cum Majoritate, non eſſet amabilis cum Majoritate.
6. Poſtquam DEUS eſt amabilis cum Majoritate, non potes illum amare cum minoritate.
7. Major Amicitia eſt per majorem Bonitatem.
8. Morales Virtutes ſunt nuntii Amici & Amati.
9. Major Amicitia requirit majorem propinquitatem Amici & Amati.
10. Ille eſt bonus Amicus, qui plorat propter dedecus ſui Amati.
11. Ille non eſt bonus Amicus, qui timet mori ad honorandum ſuum Amatum.
12. Ille non eſt bonus Amicus, qui plus loquitur de alio, quàm de ſuo Amato.
13. Parum amat, qui habet verecundiam honorandi ſuum Amatum.
14. Non rideas, ſi tuus Amicus eſt infirmus.
15. Infirmitates, quas Amicus habet propter amare, ſunt medici ſuæ Voluntatis.

Proſpe-

16. Prosperitas Amati est thesaurus Amici.
17. Parum scit de amare, qui defatigatur amando.
18. Sanitas Amati est Sanitas Amici.
19. Infirmitas Amati est infirmitas Amici.
20. Bonum amare est centrum laboris & quietis.

CAPUT XC.

De Desiderio.

1. NIhil tantum desideratur, sicut DEUS.
2. Multùm suspirat, qui DEUM multùm desiderat.
3. Omne aurum non valet unum suspirium boni Desiderii.
4. Qui desiderat infinitam Bonitatem, non potest habere majus Desiderium.
5. Qui plus desiderat, plus scit de vivere.
6. Privatio Desiderii est mori.
7. Ille est magnus, qui habet magnum Desiderium.
8. Qui ponit totam suam potestatem in Desiderio, non est otiosus.
9. Otiositas desiderandi est otiositas vivendi.
10. Desidera, & vives.
11. Desiderare sinè Virtute est inversa figura Desiderii.
12. Non est pauper, qui desiderat.
13. Non est dulcedo in plorando sinè Desiderio.
14. Dulces sunt lachrymæ, quæ veniunt per Desiderium.
15. Amatus non desideratur sinè servire.
16. Allevia grave pondus obedientiæ cum Desiderio.
17. Desiderium, quod non facit languere corpus, non est magnum.
18. Plùs valet suspirium in desiderio, quàm honor in Principe.
19. Qui non desiderat, non attingit.
20. Tristis vivit, qui non desiderat.

* Desiderium est communicabile cuilibet homini.

CAPUT XCI.

De Firmitate.

1. DEUS est tam firmus, quòd non moveatur.
2. DEUS est tam firmus in operando, sicut in existendo.
3. Rationes DEI sunt firmæ cum suis Actibus.
4. Si vis esse firmus, firma te in DEO.
5. Firma tuas Rationes in Rationibus DEI.
6. Firma tuam bonitatem in Bonitate DEI.
7. Firma tuum Finem in Fine DEI.
8. Nulla potentia est firma sinè suo actu.
9. Non est firmus, qui non firmatur.
10. Qui non est firmus in Virtute, est firmatus in vitio.
11. Nullus potest se solvere à vitio, si se non firmat in Virtute.
12. Firma tuam Libertatem cum Virtutibus.
13. Firma tuam Potestatem cum majori Fine.
14. De majori Fine non infirmes tuam Voluntatem.
15. Qui tentatur, requirit firmari in Fine Bonitatis.
16. Antequam respondeas, firma tuum sermonem cum deliberatione intelligendi.
17. Antequam eligas, firma tuam Voluntatem ad intelligendum.
18. Qui est firmus, non habet timorem.
19. Qui non est Firmus, non est securus.
20. Si aliquis te infirmat, magìs te firma.

CAPUT XCII.

De Patientia.

1. QUia DEUS est simplex Forma, non est in illo materialis passio.
2. Filius & Sanctus Spiritus sunt Personæ passivæ, in quantum sunt productæ.
3. In DEO quælibet Passio est Forma, in quantum est de Forma.
4. Divina Justitia habet Patientiam per Misericordiam.
5. Divina Natura in Cruce habuit passionem per humanam.
6. In hac vita DEUS est patiens erga peccatorem, ut se convertat ad Bonitatem.
7. DEUS est patiens erga peccatorem, in quantum illum permittit uti suis creaturis.
8. Secundùm quòd sunt multi peccatores, est magna Patientia DEI.
9. Patientia DEI est Finis omnium patientiarum.
10. Nulla patientia est similior Patientiæ DEI, quàm patientia Regis.
11. Patientia Regis est speculum multarum patientiarum.
12. Patientia Regis est alta, ut multi ipsam videant.
13. Omnis Patientia est per Amorem.
14. Patientia nihil timet.

Adver-

15. Adversitates humilium hominum habent quietem in Patientia.
16. Qui est magìs patiens, est magìs sanctus.
17. Fortitudo & Patientia non habent aliquid divisum.
18. Si es patiens, vinces.
19. Patientia est refugium Virtutum.
20. Patientia est portus sanctorum hominum.

CAPUT XCIII.

De Legalitate.

1. NUllus est ita legalis, sicut DEUS.
2. Omnes Legalitates sunt filiæ Legalitatis DEI.
3. Si omnes Bonitates essent æquales, Legalitas esset æqualis in omnibus hominibus.
4. Legalitas est parva in homine, qui non dat gratis.
5. Legalitas non habet timorem de ulla re.
6. Qui magìs tangit Legalitatem, illam magìs incendit.
7. Bonum hospitium accipit, qui cum Legalitate hospitatur.
8. Legalitas est tristis, quia proditio est in tot hominibus.
9. Si es legalis, eris & dives.
10. Voluntas, quæ amat Legalitatem, non habet indigentiam.
11. Ille habet malum manè, qui non habet legalem vicinum.
12. Nullum scutum est tam forte, sicut Legalitas.
13. Nemo potest nimium habere de Legalitate.
14. Legalitas est figura Pietatis.
15. Qui tangit Legalitatem, tangit conscientiam.
16. Sinè Legalitate non potes habere pacem.
17. Legali Domino legale consilium.
18. Nullus habet tam magnam necessitatem Legalitatis, sicut communis persona.
19. Nullus habet tot proditores, quot communis persona.
20. Legalitas custodit se ipsam.

CAPUT XCIV.

De Præsentia.

1. SOlus DEUS est Præsentia æterna & infinita.
2. DEUS est præsens omni, quod est.
3. Divinæ Possitivitati est præsens infinita Possibilitas.
4. Divinæ Sapientiæ & Voluntati sunt præsentes infinita Potestas & Bonitas.
5. Cuilibet divinarum Rationum est præsens suus Actus.
6. Tuo intellectui est præsens tua possitivitas, ut non sis otiosus de illa.
7. Repræsenta tuæ Voluntati possibilitatem, quam habes ad faciendum bonum.
8. Bonum, quod potes facere, repræsenta tuæ Voluntati cum Spe.
9. Repræsenta tuæ Voluntati cum tua memoria magnas amabilitates.
10. Amativitas naturaliter amat præsentes amabilitates.
11. Si tua Voluntas non amat facere bonum, repræsenta illi pœnam.
12. Cùm tentaberis per vitium, repræsenta tuæ Voluntati Virtutes.
13. In Præsentia Virtutum vitia sunt odibilia.
14. Repræsenta tuis oculis Crucem & humiles vestes.
15. Repræsenta tuis auribus honesta verba.
16. Frequenter repræsenta tuæ imaginationi aliud sæculum.
17. Repræsenta tuæ conscientiæ tua peccata.
18. Repræsenta tuis pedibus securas vias.
19. Repræsenta tuis manibus magna opera.
20. Repræsenta tuæ linguæ Veritatem.

CAPUT XCV.

De Nobilitate.

1. NUllus habet tam antiquam Nobilitatem, sicut DEUS.
2. Quia Potestas DEI est antiqua, Potestas est nobilis per antiquitatem.
3. Perseverantia Bonitatis est fons Nobilitatis.
4. Qui est nobilis per nativitatem, debet esse multùm contrarius vilitati.
5. Omnis bonus homo est nobilis.
6. Nullus est tam nobilis per nativitatem, sicut per Humilitatem.
7. Voluntas non est nobilis sinè nobili amare.
8. Stultus est, qui cum vilibus operibus putat esse nobilis.
9. Qui multiplicat Virtutes, multiplicat Nobilitatem.
10. Nulla vilitas est tam magna, sicut illa, quæ est per vitia.
11. Homo vilis per peccatum non debet ministrare homini nobili.
12. Valde malè stant in nobili homine vilia verba.
13. Nobilitas est multùm injuriata in malo Principe.

In

14. In Nobilitate Finîs consistit Nobilitas operum.
15. Non ædifices Nobilitatem supra vilitatem.
16. Nulla Potestas est tam nobilis per denarios, sicut per se ipsam.
17. Conserva & associa unam Nobilitatem cum alia.
18. Parum scit de Nobilitate, qui ipsam vendit pro denariis.
19. Qui amat majorem Nobilitatem, habet majores divitias.
20. Nulla Nobilitas habet verecundiam.

CAPUT XCVI.

De Prima Intentione.

1. OMne, quod est in DEO, est per primam Intentionem.
2. In DEO una Ratio est propter Intentionem alterius.
3. In DEO tantùm Intentiones sunt æquales.
4. Majores Intentiones sunt de DEO.
5. In DEO prima Intentio non indiget secundâ.
6. Ama DEUM propter suam Bonitatem, & amabis illum per primam Intentionem.
7. Si amas DEUM propter tuam utilitatem, amas illum per secundam intentionem.
8. Qui amat vivere ad serviendum DEO, & comedere propter vivere, ponit Intentionem in ordine.
9. Propter Intentionem es creatus, & secundùm Intentionem judicaberis.
10. Per hypocrisim est Intentio in gravi infirmitate.
11. Qui pervertit suam Intentionem, pervertit suum Finem.
12. Finis est de prima Intentione, & secunda intentio est de prima.
13. Publica utilitas est prima Intentio multorum.
14. Cum falsa Intentione non potes habere salvationem.
15. Passio secundæ intentionis est incrementum primæ.
16. Nemo se potest excusare de prima Intentione.
17. Hæc vita est per secundam intentionem, & alia per primam.
18. Nemo est magìs contrarius intentioni, quàm simoniacus.
19. Cum secunda intentione servias primæ, & custodias ipsam.
20. Qui habet bonam Intentionem, habet omnes excusationes.

CAPUT XCVII.

De Procuratore.

1. DEUS cum sua Incarnatione & Passione procuravit nostram Redemptionem.
2. Quia DEUS procuravit nostram salvationem cum sua Passione, nobis non convenit Procuratio illius cum delectatione.
3. Procura unum bonum cum alio, & unam Virtutem cum alia.
4. Procura amicitiam boni hominis cum Bonitate.
5. Caveas tibi à Procuratore, qui magìs amat suum honorem, quàm tuum.
6. Superbus homo procurat, quòd ipse sit dominus.
7. Qui procurat cum Humilitate, procurat cum Legalitate.
8. Sinè Charitate & Verecundia nemo est bonus Procurator.
9. Procura cum Veritate hoc, quod tibi est commissum.
10. Procura salvationem in tua sanitate.
11. Non omittas Procurationem tui boni propter alienum.
12. Procura honorem DEO super omnia.
13. Procura tuæ Voluntati bonum amare.
14. Procura tuo Intellectui magnum intelligere.
15. Procura tuæ Memoriæ bonum memorare.
16. Procura tuo cordi Patientiam, & tuis manibus Abstinentiam.
17. Procura lachrymas & suspiria in tua oratione.
18. Procura conscientiam contra peccatum.
19. Nullus habet tam parvum & malum Procuratorem, sicut honor DEI.
20. Non confidas in amore mali Procuratoris.

CAPUT XCVIII.

De Invisibilitate.

1. QUia DEUS non habet corpus nec colorem, non potest videri.
2. DEUS est visibilis cum visu spirituali.
3. Quia DEUS est intelligibilis, est visibilis.
4. DEUS est invisibilis peccatoribus.
5. Privato Fine intellectivitatis est privatum suum intelligere.

In

6. In Intellectivitate est unum intelligere propter Finem, & aliud contra Finem.
7. Omne intelligere, quod est propter Finem, est virtuosum.
8. Omne intelligere, quod est contra Finem, est vitiosum.
9. Cum justo intelligere justi vident DEUM.
10. Cum injusto intelligere injusti non vident DEUM.
11. Qui intelligit DEUM cum injurioso intelligere, habet pœnam.
12. Visibilitas DEI non est utilis sinè Sanctitate.
13. Ille non desiderat esse in igne, quem ignis comburit.
14. Nullus peccator desiderat videre DEUM.
15. Nullum desiderium est sinè amare.
16. Si vis videre DEUM, vide suas operationes.
17. Non videt DEUM, qui non videt suas operationes.
18. Nemo habet placitum in videndo operationes sui inimici.
19. Parum amat DEUM, qui plùs intelligit sua opera, quàm opera DEI.
20. Vitium est habitus privativus visionis DEI.

CAPUT XCIX.

De Immortalitate.

1. QUia DEUS est sinè contrarietate, non potest mori.
2. Omnes divinæ Rationes morerentur, si non haberent actus.
3. In Æternitate morerentur Potestas & Voluntas DEI sinè possificare & amare.
4. Voluntas damnati moritur in æviternitate, quia non potest amare.
5. Mors voluntatis est in odiendo bonum.
6. Mors intellectûs est in ignorando Veritatem.
7. Mors memoriæ est in recolendo privationem Finîs.
8. Mors perversi intellectûs est per intelligere Veritatem.
9. Mors animæ durat in æviternitate.
10. Mors animæ est major, quàm mors corporis.
11. Nulla mors est tam magna, sicut privatio Finîs.
12. Ille occidit suam voluntatem, qui à se privat suum amabilem Amatum.
13. Qui moritur propter DEUM, vivit propter DEUM.
14. Qui non moritur propter DEUM, non vivit propter DEUM.
15. Morieris propter DEUM, si vivis propter DEUM.
16. Ille moritur propter DEUM, qui propter illius amorem affligit suum corpus.
17. Ille moritur coram DEO, qui ipsum obliviscitur & ignorat, & qui ipsum non desiderat.
18. Qui suam animam occidit, producit mortalitatem in immortalitate.
19. Omnis mors est bona, quæ procurat vitam.
20. Mors, quæ parum durat, non est timenda.

CAPUT C.

De Infallibilitate sive Indefectione.

1. QUia omnes divinæ Rationes habent suos infinitos & æternos actus, DEUS non potest deficere.
2. Si DEUS posset falli, posset esse non DEUS.
3. Qui, quantum ad se ipsum, non posset deficere, esset DEUS.
4. Tendendo ad tuum Finem non potes deficere.
5. Ille potest deficere, qui potest contra suum Finem.
6. Sicut potes errare per inordinatam potestatem, sic potes errare per inordinatam voluntatem.
7. Memoria deficit per oblivionem, & intellectus per ignorantiam.
8. Intellectus non habet excusationem, quando deficit per ignorantiam.
9. Potes excusare intellectum, qui deficit per oblivionem.
10. Potes excusare voluntatem, quando deficit per ignorantiam.
11. Non potes excusare voluntatem, quando deficit per intelligere.
12. Per nimiùm amare & recolere potes deficere, & non per nimiùm intelligere.
13. Nullus potest nimiùm intelligere.
14. Tu potes deficere per intelligere & amare magis unum, quàm aliud.
15. Æqualiter potes deficere per recolere, intelligere & amare contra finem.
16. Plùs potes deficere per potentias animæ, quàm per potentias corporis.
17. Duabus vicibus deficit, qui facit defectum, & se excusat.

18. Qui deficiendo se excusat, multiplicat contentionem.
19. Qui scienter fallit, est dignus magnâ punitione.
20. Abolitio defectûs consistit per spem & pœnitentiam.

CAPUT CI.

De Principio.

1. DEUS est Principium complementi.
2. Principium non potest esse infinitum sinè Æternitate.
3. Principium non potest esse perfectum sinè essentiali principiante, principiabili & principiare.
4. Principium non potest esse perfectum, si non principiat de Bonitate.
5. Majus bonum potes principiare de majori Bonitate, quàm de parva.
6. Principium non potest esse majus in alio, quàm in se ipso.
7. Nullum bonum principiatur cum peccato.
8. Successio Principii est de uno in aliud.
9. Principia unum bonum cum una Virtute, & aliud bonum cum alia.
10. Non pœnitet eum, qui benè principiat.
11. Antequam aliquid incipias, respice Finem illius.
12. Quando aliquid incipies, respice, quare sis principiatus.
13. Priùs incipe deliberationem, quàm tuam operationem.
14. Priùs benedicas nomen DEI, quàm incipias tuam operationem.
15. Persevera cum Bonitate in hoc, quod principiasti.
16. Multum fecit, qui principiavit.
17. Priùs principia amorem, quàm timorē.
18. A principiando bonum non habeas timorem.
19. Dirige tuum Principium cum suo Fine.
20. Nihil tantum juvat suum Principium, sicut suus Finis.

CAPUT CII.

De primo & ultimo Fine.

1. DEUS per suum Finem est Finis omnîs Finîs.
2. Quia quælibet Ratio DEI est Finis, quælibet suarum Rationum est Finis omnium, quæ sunt.
3. Omnes Fines creati sunt subditi increatis.
4. Omnis Finis creatus sustentatur in Fine increato.
5. Nullus Finis est sinè actu.
6. Si Potestas non posset de se ipsa possificare, non posset in se ipsa quiescere.
7. Nullus Finis attingitur sinè bonificare.
8. Nihil est nobilius, quàm Finis.
9. Nulla pœna est tam magna, sicut privatio Finîs.
10. Qui est magìs propinquus suo Fini, magìs ipsum desiderat.
11. Quia Potestas potest de Fine, sua quies consistit in Fine.
12. Potestas potest multò plus de Fine spirituali, quàm de corporali.
13. Sinè Fine amandi non est quies.
14. Virtutes sunt custodes Finîs.
15. Finis pastoris consistit in Fine ovium.
16. Parum scit de Fine, qui ipsum parum recolit & amat.
17. Qui non vadit ad Finem, vadit ad privationem illius.
18. Qui amat Finem, amat omnia bona.
19. Magnum dedecus facit Fini, qui illum non desiderat.
20. Qui non honorat Finem, inhonorat DEUM.

SECUNDA PARS DE Proverbiis Naturalibus.

CAPUT I.

De Ente.

1. ENs est hoc, quod habet omnia.
2. Qui nominat Ens, nominat omnia.
3. Extra Ens non est aliquid.
4. Ens est centrum omnium rerum.
5. Nulla res est major, quàm Ens.
6. Omne Ens est amabile.
7. Non ens est odibile in Ente.

8. Per non ens privatur Ens suo Fine.
9. Solum peccatum est non Ens, quod est in Ente.
10. Nullum Ens naturaliter est de non ente.
11. Si Ens esset de non ente, non ens esset aliquid.
12. Per creationem tantùm est Ens de non ente.
13. Per peccatum tantùm habet Ens inclinationem ad non ens.
14. Si Ens sinè peccato haberet inclinationem ad non ens, non ens esset aliquid.
15. Omne minus ens est subditum majori.
16. Est Ens, quod est per existere, & est Ens, quod est per agere.
17. Ens, quod est per existere, est per se ipsum, & Ens, quod est per agere, est per aliud.
18. De uno Ente est aliud, & de uno sunt multa.
19. Per compositionem unum Ens est de multis.
20. Omne Ens vel est substantia, vel est accidens.

CAPUT II.

De non Ente.

1. NOn ens est id, quod non habet aliquid.
2. Non ens esset ens, si haberet aliquid.
3. In ente peccatum & non ens convertuntur.
4. Sinè intellectu non ens non esset nominatum.
5. DEUS non considerat non ens.
6. Si DEUS consideraret non ens, non ens esset aliquid.
7. Solus homo considerat non ens.
8. Superflua consideratio est illius, qui considerat hoc, quod non est.
9. Per privationem entis est speciale non ens.
10. Speciale non ens & privatio convertuntur.
11. Generale non ens consistit solùm in consideratione.
12. Ante non ens non est aliquid.
13. Si ante non ens esset aliquid, non Ens esset aliquid.
14. Si non ens esset intelligibile, esset aliquid.
15. Si ens & non ens essent contraria, non ens esset aliquid.
16. In affatu non ens & negatio habent concordantiam.
17. Non ens ita habet concordantiam cum generatione per corruptionem, sicut cum affirmatione per negationem.
18. Per falsitatem tantùm non ens habet concordantiam cum negatione.
19. Ita non ens sustentatur in falsa suppositione, sicut in peccato.
20. Si non ens non converteretur cum hoc, quod habet, esset aliquid.

CAPUT III.

De Bonitate.

1. BOnitas est id, per quod bonum agit bonum, & ideo bonum est esse, & malum non esse.
2. Ita fit bonum per Bonitatem, sicut coloratum per colorem.
3. Quia Bonitas est ratio bono, *esse* illius boni est bonum.
4. Quia Bonitas & malitia sunt contraria, privatio boni est mala.
5. *Esse* mali est malum, & *esse* boni est bonum.
6. Privatio mali est bona.
7. Si bonum esset de malo, privatio mali non esset bona.
8. Si malum esset de bono, privatio boni non esset mala.
9. Si aliquid esset de Bonitate & malitia, suum *esse* esset bonum & malum, & sua privatio similiter.
10. Omne, quod est bonum, est bonum per Bonitatem.
11. Nulla res est in specie Bonitatis, si non est bona.
12. In quantum Bonitas est ratio omni bono, est principium omnis boni.
13. Si nulla Bonitas esset substantialis, substantia esset magìs bona per aliud, quàm per Bonitatem.
14. Bonitas substantialis est naturalis.
15. Bonitas Magnitudinis est accidentalis.
16. Bonitas Justitiæ & Charitatis est moralis.
17. Si Bonitas esset sinè actu, de illa non posset esse ullum bonum.
18. Nullus actus Bonitatis potest esse malus.
19. Convenit, quòd omne illud sit bonum, cum quo Bonitas participat.
20. Quia Bonitas est major in Magnitudine, quàm in parvitate, Magnitudo & parvitas sunt bonæ per Bonitatem.

)o(

CAPUT IV.
De Magnitudine.

1. MAgnitudo est id, per quod Bonitas, Duratio, Potestas & aliæ Rationes sunt magnæ.
2. Magnitudo est Ratio magno, quòd producat magnum.
3. Nullum magnum potest producere sinè magnificare.
4. Nullum magnum potest producere parvum de Magnitudine.
5. Si non esset aliqua Magnitudo substantialis, accidens esset magis magnum, quàm substantia.
6. Omnis Magnitudo substantialis est naturalis.
7. Magnitudo naturalis accidentalis est instrumentum Magnitudinis substantialis.
8. Omnis Magnitudo moralis est accidentalis.
9. Ita disconvenit, quòd magnum non sit de Magnitudine, sicut disconvenit, quòd sit de parvitate.
10. Magnitudo est essentia magni.
11. Si Magnitudo non esset generale Principium, supra illam esset Principium, quod non esset magnum.
12. Sinè naturali magnificante, magnificabili & magnificare nulla Magnitudo esset hoc, quod est.
13. Nulla bona Magnitudo est mala.
14. Omnis Bonitas habet majorem Concordantiam cum Magnitudine, quàm cum parvitate.
15. Nullum magnum malum est de magna Bonitate.
16. Nulla Magnitudo mali est substantialis.
17. Quia omnis pulchritudo est bona, nulla Magnitudo pulchritudinis est occasio mali.
18. Nulla Potestas Magnitudinis est de parvitate.
19. Propter Justitiam aliquod magnum malum est bonum.
20. Omnis Magnitudo peccati est innaturalis.

CAPUT V.
De Duratione.

1. DUratio est id, per quod Bonitas, Magnitudo, Potestas & aliæ Rationes durant.
2. Bonitas sic durat per Durationem, sicut Duratio est bona per Bonitatem.
3. Si Duratio non haberet proprium actum, magis duraret per aliud, quàm per se ipsam.
4. Bonitas, Magnitudo & Potestas non possent durare sinè actu Durationis.
5. Si Potestas non posset de Duratione, non posset durare per se ipsam.
6. Ita Bonitas, Magnitudo, Potestas & alia principia capiunt similitudinem de Duratione, sicut Duratio de illis.
7. Si Duratio non esset Principium substantiale, nulla substantia duraret per se ipsam.
8. Nulla Duratio mali est substantialis.
9. Si Duratio mali esset substantialis, Duratio substantialis esset mala.
10. Corruptio durat, ut duret generatio.
11. Si generatio & corruptio durarent æviternaliter, omnis numerus haberet æviternam revolutionem.
12. Si generatio & corruptio durarent perpetuò, nullum principium attingeret sum Finem.
13. Per Durationem actûs potest attingi Finis.
14. Nullus Finis posset durare, si non posset attingi.
15. Si Finis non posset attingi, nullum principium posset durare.
16. Duratio, quæ non habet Finem, non durat.
17. Duratio, quæ exit de generatione & corruptione, parum durat.
18. Omnis Duratio plùs durat per Concordantiam, quàm per contrarietatem.
19. Duratio magis durat per æquales partes, quàm per inæquales.
20. Substantia, quæ non est de corruptione, semper durat.

CAPUT VI.
De Potestate.

1. POtestas est id, per quod Bonitas, Magnitudo, Duratio & alia principia possunt existere & agere.
2. Bonitas potest esse per Potestatem, in quantum potest esse.
3. Bonitas potest per Potestatem, in quantum potest habere actum.
4. Quia Potestas potest de Magnitudine, potest per se ipsam esse magna.
5. Si Potestas non esset substantialis pars, non posset de substantia.
6. Nulla Potestas posset tantum de Magnitudine, quantum de parvitate, si non esset de substantiali natura.
7. Si omnis Potestas esset accidens, substantia plus posset per accidens, quàm per se ipsam.

Per

8. Per Potestatem potest substantia esse de forma & de materia.
9. Sinè actu Potestatis substantia non posset esse de forma & de materia.
10. Omne possificare melius convenit Rationi Potestatis, quàm alteri Rationi.
11. Omnis Potestas cum suo actu est propinquior suo Fini, quàm cum alio.
12. Omnis Potestas est major per propriam qualitatem, quàm per appropriatam.
13. Potestas errandi non est Potestas; ideo Potestas errandi est per suam privationem.
14. Potestas boni est per suam Durationem.
15. Omnis Potestas est major per actionem, quàm per passionem.
16. Potestas se priùs dat per actionem, quàm per passionem.
17. Nulla Potestas corporis est tam magna, sicut Potestas animæ.
18. Potestas, quæ non potest de se ipsa, non est magna.
19. Omnis possibilitas est materialis.
20. Nulla res potest plus, quàm Potestas.

CAPUT VII.
De Sapientia.

1. SApientia est id, per quod sapiens intelligit.
2. Sapiens non potest intelligere sinè actu Sapientiæ.
3. Si Sapientia est id, per quod sapiens intelligit, sapiens non potest ignorare cum Sapientia.
4. Ignorare est privativus habitus ipsius intelligere.
5. Privativus habitus Sapientiæ est otiositas, quam sapiens facit cum Sapientia.
6. Non est sapiens, qui intelligit cum Sapientia sinè Bonitate.
7. Si sapiens esset Sapientia, non posset ignorare.
8. Si Sapientia non esset substantialis pars sapientis, sapiens plùs desideraret intelligere accidens, quàm substantiam.
9. Sapientia habet unum intelligere, quod est de sua essentia, & aliud, quod est de sua operatione.
10. Accidentalis Sapientia habet accidentale intelligere.
11. Sapientia per majus intelligere est major.
12. Sapientia non intelligit, sed sapiens intelligit cum Sapientia.
13. Sicut homo est Finis animæ & corporis, sic sapiens est Finis Sapientiæ.
14. Nulla Potestas Sapientiæ est mala.
15. Omnis intelligibilitas est bona.
16. Sapientia est lumen actibus partium, cum quibus participat.
17. Sapiens non potest uti Sapientiâ sinè dispositione illius & sui objecti.
18. Dispositio partium, cum quibus Sapientia participat, est via sui intelligere.
19. Intrinsecum intelligere est causa extrinseci intelligere.
20. Extrinsecum intelligere est illud, quod est de multis speciebus.

CAPUT VIII.
De Voluntate.

1. VOluntas est id, per quod Bonitas, Magnitudo, Duratio, Potestas, Sapientia & alia principia sunt amabilia.
2. Voluntas cum sua volitivitate est causa extrinsecæ volibilitatis.
3. Extranea amabilitas est amabilitas Bonitatis, Magnitudinis &c.
4. Voluntas est id, cum quo volens habet velle.
5. Si Voluntas non esset substantialis pars, volens naturaliter magis amaret accidens, quàm substantiam.
6. Voluntas habet unum velle per substantiam, & aliud per accidens.
7. Velle substantiale est incorruptibile.
8. Velle accidentale est imago & impressio velle substantialis.
9. Voluntas cum suo velle substantiali movet suum velle accidentale.
10. Odibilitas non est de essentia Voluntatis, quia essentia Voluntatis non est de contrariis.
11. Voluntas ita acquirit species amabilitatum, sicut intellectus intelligibilitatum.
12. Quò magis intellectus se extendit ad intelligendum Veritatem, eò magis amabilitas Veritatis est dispositа, quòd ametur.
13. Non sequitur, quòd, si omne intelligere est amabile, omne intellectum sit amabile.
14. Illud, propter quod omne intellectum non est amabile, est, quia propter aliqua mala opera est odibile.
15. Intelligibilitates sunt materiæ multiplicationis ipsius amare.
16. Amabilitas propter majorem Bonitatem est magis amabilis.
17. Potestas datur Voluntati, ut possit amare.
18. Si Voluntas non posset amare, omnis amabilitas esset superflua.

Volun-

19. Voluntas se dat Potestati, ut per illam sit amabilis.
20. Magnitudo se dat Voluntati & Potestati, ut Potestas per illam sit multùm amabilis.

CAPUT IX.
De Memoria.

1. MEmoria est potentia, quæ reponit & reddit species, quas intellectus & voluntas acquirunt.
2. Memoria capit unam & eandem speciem per intelligibilitatem & per amabilitatem.
3. Memoria non reddit speciem, quam accepit, sed similitudinem illius.
4. Memoria cum uno & eodem recolere capit multas species.
5. Memoria cum uno & eodem recolere capit & reddit speciem.
6. Si Memoria cum uno recolere caperet speciem, & cum alio illam redderet, non posset illam conservare.
7. Recolere, quod conservat Speciem, est intrinsecum & est substantiale, & illud, quod speciem ducit & mutat, est extrinsecum & accidentale.
8. Si in Memoria non esset substantialis actus, haberet majorem appetitum ad recolendum accidentia, quàm substantias.
9. Sinè substantiali actu Memoria plus recoleret accidentia, quàm substantias.
10. Per accidentale recolere nutritur substantiale.
11. Convenit, quòd omnis substantialis actus sit de essentia substantiæ.
12. Quia inter Memoriam, Intellectum & Voluntatem est differentia, Memoria reddit Intellectui recolitum intellectum, & Voluntati amatum intellectum.
13. Si Memoria & Intellectus essent una potentia, recolere & intelligere essent unus & idem actus.
14. Si recolere & intelligere essent unus & idem actus, postquam potentia intelligeret, non posset oblivisci.
15. Privatio ipsius intelligere est per oblivisci, & privatio ipsius recolere est per ignorare.
16. Sinè differentia non posset esse privatio unius habitûs per alium.
17. Nova scientia est per intelligere, & antiqua per recolere.
18. Nulla Memoria præcedit Voluntatem.
19. Si Memoria præcederet Voluntatem, Voluntas non haberet deliberationem in amando.
20. Potestas recolendi est major per amare, quàm per odire, & per intelligere, quàm per credere.

CAPUT X.
De Virtute.

1. VIrtus est origo unionis Bonitatis, Magnitudinis, Durationis, Potestatis &c.
2. Naturalis virtus est major per substantiam, quàm per acidens.
3. Ex conjunctione multarum bonarum Rationum nascitur bona Virtus.
4. Ex conjunctione multarum magnarum Rationum nascitur magna Virtus.
5. Una Virtus est illa, quæ est singularis, alia est illa, quæ est communis.
6. Singularis Virtus convertitur cum sua specie,
7. Communis Virtus nascitur de multis in communi specie.
8. Ex propria Virtute ignîs exit appropriata virtus in aërem.
9. Ex virtute propria & appropriata nascitur Virtus in planta.
10. Convenit, quòd Virtus, quæ nascitur de multis unitatibus, sit una & communis.
11. Omnis Virtus, quæ nascitur, est substantialis.
12. In creaturis omnis Virtus, quæ exit, est accidentalis.
13. Virtus accidentalis est similitudo substantialîs.
14. Ubi Virtus transit, ibi imprimit suam similitudinem.
15. De magna Virtute magna impressio.
16. Virtus imprimit unam imaginem in Bonitate, & aliam in Magnitudine.
17. Nulla Virtus moralis est substantialis.
18. Virtus vegetativæ nascitur in virtute sensitivæ.
19. Virtus sensitivæ exit in sentire.
20. Si non esset ulla Virtus substantialis, omne accidens haberet majorem Virtutem, quàm ulla substantia.

CAPUT XI.
De Veritate.

1. VEritas est id, quod est verum de Bonitate, Magnitudine, Duratione, Potestate & aliis.

Sinè

2. Sinè Veritate nihil potest esse.
3. Si Veritas non esset, omne, quod est, esset falsum.
4. Si falsitas esset substantia, nulla substantia esset Veritas.
5. Si in substantia nulla Veritas esset substantialis, substantia esset magìs vera per accidens, quàm per se ipsam.
6. Veritas Bonitatis non est Veritas Magnitudinis.
7. Si Bonitas & Magnitudo essent unum & idem, illarum Veritas esset una.
8. Omnis accidentalis Veritas sustentatur in substantiali.
9. Nulla falsitas habet substantiale subjectû.
10. Omnis falsitas est privativus habitus moralis Virtutis.
11. Si falsitas sustentaretur in substantia, Veritas esset subjectum falsitatis.
12. Falsitas ita est privativus habitus Veritatis, sicut cæcitas visionis.
13. Omnis falsitas est falsa similitudo Veritatis.
14. Si non esset intellectus, id, quod est falsum, non haberet nomen.
15. Nihil est contra intellectum, nisi falsitas.
16. Verum nihil esset sinè actu Veritatis.
17. Naturaliter nulla Veritas est vacua.
18. Illa, quæ implent Veritatem, sunt verificans, verificabile & verificare.
19. Veritas est plena de se ipsa.
20. Omnia, in quantum sunt, sunt vera.

CAPUT XII.
De Gloria.

1. GLoria est delectatio, in qua Bonitas, Magnitudo, Duratio, Potestas, Sapientia, Voluntas, Virtus & Veritas habent quietem.
2. Bonitas sinè Gloria non haberet delectationem per bonificare.
3. Magnitudo sinè Gloria non haberet delectationem per magnificare.
4. Bonitas & Magnitudo sinè Gloria non haberent delectationem per participationem.
5. Quælibet Ratio cum Gloria habet delectationem per suum actum.
6. Voluntas cum Gloria habet delectationem per recolere & intelligere.
7. Gloria est quies omnis boni.
8. Qui non habet Gloriam, habet pœnam.
9. Omnis Gloria est desiderabilis.
10. Quò major est Gloria, eò magìs est desiderabilis.
11. Si Gloria non esset substantialis, nulla substantia haberet Gloriam per suam naturam.
12. Per substantialem Gloriam major Gloria est magìs desiderabilis, quàm minor.
13. Quò magìs Gloria est propinqua suo Fini, eò major est.
14. Nulla accidentalis Gloria potest esse Finis substantiæ.
15. Delectatio per vegetare est Gloria plantæ.
16. Delectatio per sentire est Gloria animalis.
17. Delectatio ipsius intelligere est Gloria rationalîs animalis.
18. Nulla Gloria attingitur extra Finem.
19. Nulla Gloria est major, quàm ipsorum recolere, intelligere & amare.
20. Gloria, quæ est per speciem, non est magna.

CAPUT XIII.
De Differentia.

1. DIfferentia est id, per quod Bonitas, Magnitudo, Duratio, Potestas & aliæ sunt Rationes inconfusæ.
2. Differentia est lumen, quod monstrat, qualis sit res.
3. Differentia ita est lumen voluntati ad aliquid eligendum, sicut intellectui ad aliquid intelligendum.
4. Si non esset Differentia, non essent multæ res.
5. DeDifferentia sinè actu nihil sequeretur.
6. Sinè substantiali Differentia nulla differentia esset magna.
7. De majori lumine major claritas.
8. Per substantialem Differentiam in Bonitate est substantialis differentia bonificantis, bonificabilîs & bonificare.
9. Per substantialem Differentiam forma & materia substantialiter sunt differentes.
10. Nullum suppositum posset producere aliud sinè substantiali Differentia.
11. Differentia est generale Principium multitudinis.
12. Differentia est forma, quæ dividit genus in multas species.
13. Differentia trahit de specie multas res.
14. Sinè Differentia Potestas non posset de se ipsa nec de alio.
15. Si Potestas, Sapientia & Voluntas essent sinè Differentia, omnis potestas posset esse DEUS.
16. Si Bonitas, Magnitudo & Veritas essent

sinè

sinè Differentia, omnes veritates essent æquales in Bonitate.
17. Si omnes Veritates essent æquales in Bonitate sinè Differentia, essent æquales & non essent æquales.
18. Nulla Æqualitas potest esse sinè Differentia.
19. Per generalem Differentiam est quælibet substantia differens ab alia per essentiam.
20. Multitudo est subjectum generalîs Differentiæ.

CAPUT XIV.
De Concordantia.

1. COncordantia est id, per quod Bonitas, Magnitudo, Duratio, Potestas & aliæ in uno & in multis concordant.
2. Si Concordantia non esset, omnes res essent contrariæ.
3. Bonitas & Magnitudo concordant in constituendo unum suppositum, quod est bonum & magnum.
4. Bonitas & Magnitudo concordant in constituendo multa supposita bona & magna.
5. Bonitas concordat cum Magnitudine, in quantum illam bonificat, & Magnitudo concordat cum Bonitate, in quantum illam magnificat.
6. Bonitas bonificat magnificare, & Magnitudo magnificat bonificare.
7. Sicut Bonitas habet essentialem bonificantem, bonificabilem & bonificare, ita Magnitudo habet essentialem magnificantem, magnificabilem & magnificare.
8. Concordantia substantiæ & substantiæ est major, quàm substantiæ & accidentis, accidentis & accidentis.
9. Concordantia est substantiale Principium, ut sufficiat ad concordandum unam substantiam cum alia.
10. Est Bonum & magnum ipsi Concordantiæ, quòd sit substantialis.
11. Si Concordantia non est substantiale Principium, deficit illi magna Bonitas.
12. Si Bonitas & Magnitudo deficiunt Concordantiæ, Concordantia deficit illis.
13. Si Concordantia non est substantiale Principium, est major in concordando substantiam cum substantia, quàm in se ipsa.
14. Nullum ens habet majorem essentiam per operationem, quàm per existentiam.
15. Omne ens naturale est majus per suam essentiam, quàm per aliud.
16. Concordantia cum concordare est remota à contrarietate.
17. Concordantia & esse concordant.
18. Quia Concordantia priùs in se ipsa habet naturam concordandi, quàm in alio, est primum & generale principium.
19. Impossibile est, quòd de contrariis sequatur Concordantia.
20. Si de contrariis sequeretur Concordantia, converteretur cum contrarietate.

CAPUT XV.
De Contrarietate.

1. COntrarietas est quorundam mutua resistentia propter diversos Fines.
2. Contrarietas diversorum Finium causat contrarietatem in diversis Principiis & Mediis.
3. Nulla Contrarietas habet Concordantiam cum esse.
4. Nulla Contrarietas est substantiale Principium.
5. Si Contrarietas esset substantiale Principium, non esset contra aliquem Finem.
6. Si Contrarietas non esset contra Finem, converteretur cum Concordantia.
7. Si Contrarietas esset substantiale Principium, non posset esse privativus habitus Concordantiæ.
8. Si Contrarietas esset substantiale Principium, esset in Concordantia Bonitatis & malitiæ, & Bonitatis & Magnitudinis.
9. Si Contrarietas esset in Concordantia Bonitatis & malitiæ, sicut est in Concordantia Bonitatis & Magnitudinis, converteretur cum Concordantia.
10. Contrarietas est generale Principium omnibus specificis contrarietatibus.
11. Si Contrarietas non esset generale Principium, nulla Contrarietas esset sub specie.
12. Contrarietas & privatio non ponunt positivam Concordantiam.
13. Si Contrarietas & privatio ponerent positivam Concordantiam, Contrarietas esset Concordantia.
14. Corruptio est subjectum Contrarietatis.
15. Ita se habent Contrarietas & corruptio, sicut Concordantia & generatio.
16. Solus intellectus facit Concordantiam de Contrarietate & corruptione.
17. Quia Contrarietas est contra Finem, non potest esse tam magna, sicut Concordantia.
18. Nullum Principium habet quietem in Contrarietate.
19. Qui magìs tangit Contrarietatem, illam magis multiplicat.
20. Nulla Contrarietas attingit Finem.

CAPUT XVI.
De Principio.

1. PRincipium est id, quod est ante omnia ratione alicujus prioritatis.
2. Sicut Principium est bonum per Bonitatem, & magnum per Magnitudinem, sic Bonitas & Magnitudo sunt Principia per ipsum.
3. Si non esset substantiale Principium, Finis substantiæ esset accidentalis.
4. Nulla Concordantia est major, quàm Concordantia Principii & Finîs.
5. Si substantia non esset de Principio & Fine, id, de quo esset, non haberet quietem.
6. Si substantia non esset de Fine, Principium non haberet quietem in principiando substantiam.
7. Si substantia non esset de Principio, Principium non haberet quietem in principiando substantiam.
8. Substantia non esset principiabilis sinè substantiali Principio.
9. Quia omne principiare est majus in Principio substantiæ, quàm accidentis, convenit, quòd aliquod Principium sit substantiale.
10. In principiando priùs est Finis, quàm efficiens, & efficiens, quàm forma, & forma, quàm materia.
11. Illud Principium, quod est magìs propinquum Fini, est principium illius, quod ab illo est magìs remotum.
12. Una forma est Principium alterius.
13. Omnis principiabilitas est magìs propinqua principiativitati, quàm alteri.
14. Principiare est magìs propinquum principiabilitati & principiativitati, quàm ipsi bonificare.
15. Nullum Principium attingit Finem sinè medio.
16. Ita est conditio Principii, quòd aliquid sit de sua essentia, sicut sua conditio est, quòd aliquid sit post ipsum.
17. Convenit, quòd illud sit Principium, quod est de Principio.
18. Si illud, quod est de Principio, non esset Principium, clavus, qui est de ferro, non esset ferrum.
19. Quod est principiatum de Principio, est principiatum in genere Principii.
20. Quia principiatum de Principio est principiatum in genere Principii, convenit, quòd Principium sit Ens generale.

CAPUT XVII.
De Medio.

1. MEdium est subjectum, in quo Finis influit Principio suam similitudinem, & Principium illam refluit Fini, & Medium sapit naturam utriusque.
2. Amabilitas influit suam similitudinem amanti, ut ipsum moveat ad amare.
3. Amans refluit in amare amatum, qui est similitudo amabilitatis.
4. Amare est Medium, in quo conjunguntur amans & amabilis.
5. Inter perfectum amicum & amatum est amare in Medio.
6. Medium, quod est de Principio & Fine, consistit in Medio.
7. Principium & Finis sunt per totum Medium, quod est de ipsis.
8. Substantia est Medium formæ & materiæ.
9. Si forma & materia non haberent substantiale Medium, de ipsis non resultaret substantia.
10. Nullum accidentale Medium est tam magnum, sicut substantiale.
11. In Magnitudine extremitatum est Magnitudo Medii.
12. Medium, quod est inter Bonitatem, Magnitudinem & alia Principia, transit in tertium numerum.
13. Magnitudo est magìs remota à parvitate in suo Medio, quàm in suis extremitatibus.
14. Medium, quod est de Principio & Fine, est tam propinquum uni, sicut alteri.
15. Qui Principio impedit Medium, impedit Finem.
16. Per privationem Medii est privatio Finîs.
17. Medium per Principium habet laborem, & per Finem habet quietem.
18. Accidentale Medium est de similitudinibus.
19. Inter intrinsecum & extrinsecum convenit esse Medium.
20. Omnis virtus est in Medio multorum.

CAPUT XVIII.
De Fine.

1. FInis est id, in quo Principium quiescit.
2. Quia Finis est ultima forma, est quies primarum.

3. Nulla res est magis perfecta, quàm Finis.
4. Si Finis non esset substantia, substantia esset magis perfecta, quàm Finis.
5. Si Finis non esset substantia, esset major quies per accidens, quàm per substantiam.
6. Si Finis non esset substantia, potestas plus posset de accidente, quàm de substantia.
7. Nullus Finis est malus.
8. Si aliquis Finis esset malus, Bonitas non posset habere quietem in illo.
9. Malus Finis est privatio boni.
10. Privatio Finîs non est aliquid positivum.
11. Si privatio Finîs esset aliquid, esse & privatio essent unum & idem.
12. Privatio Finîs est vacuitas Principii & Medii.
13. In privatione Finîs consistunt omnia mala.
14. Per magnum Finem magnum Principium.
15. Nullus Finis est major, quàm ille, qui est de Fine.
16. Sicut DEUS est primum Principium, ita est ultimus Finis.
17. Ultra Finem non est ulla Perfectio.
18. Omne illud, quod est ante, conservatur per Finem.
19. In Fine sunt omnes mensuræ.
20. Nihil est propinquius infinito, quàm Finis.

CAPUT XIX.
De Majoritate.

1. MAjoritas est imago infinitæ Bonitatis, Magnitudinis, Æternitatis, Potestatis, Sapientiæ &c. DEI.
2. Omnis Majoritas est magis similis Infinitati, quàm minoritas.
3. Nulla res est major, quàm Majoritas.
4. Omne, quod est majus, est majus per Majoritatem.
5. Bonitas ita est major per Majoritatem, sicut Majoritas est bona per Bonitatem.
6. Omnis Magnitudo habet majorem Concordantiam cum Majoritate, quàm cum minoritate.
7. Majoritas ita habet Concordantiam cum *esse*, sicut minoritas cum *non esse*.
8. Per majorem Bonitatem Magnitudo, Duratio, Potestas & Sapientia sunt majores.
9. Sinè Majoritate omnes res essent æquales.
10. Nullus gradus comparationis est sinè Majoritate.
11. Nullum ens, quod est de Majoritate, potest esse de minoritate.
12. Sinè majorificare nulla res esset major.
13. SiMajoritas non esset substantia, substantia non posset esse major, quàm accidens.
14. Substantia & Majoritas habent Concordantiam, & accidens & minoritas.
15. Si Majoritas non esset substantia, Concordantia non posset esse major.
16. Majoritas accidentalis est similitudo Majoritatis substantialis.
17. Si una substantia potest esse major, quàm alia, per accidentalem Majoritatem, quantò magis per substantialem.
18. Secundùm majorem Finem una substantia est major, quàm alia.
19. Quantò substantia est de pluribus & majoribus rebus, quàm alia, tantò major est, quàm alia.
20. Substantia est major in homine per Bonitatem, quàm in equo per extensitatem.

CAPUT XX.
De Æqualitate.

1. ÆQualitas est subjectum Finîs Concordantiæ, in quo Bonitas, Magnitudo, Duratio &c. habent quietem.
2. Per Æqualitatem concordant multa ad unum & eundem Finem.
3. Æqualitas non requirit Majoritatem nec minoritatem.
4. Æqualitas non posset esse in majori Majoritate sinè substantiali Æqualitate,
5. Major Æqualitas potest esse de majoribus substantiis, quàm de minoribus, & de majoribus accidentibus, quàm de minoribus.
6. Accidentalis Æqualitas est similitudo substantialîs Æqualitatis.
7. In accidentali Æqualitate non possunt substantiæ habere quietem.
8. In substantiali Æqualitate habent substantiæ quietem.
9. Major Æqualitas substantiæ est per formam & materiam.
10. Major Æqualitas Bonitatis est per æqualem bonificantem, bonificabilem & bonificare.
11. Major Æqualitas Bonitatis & Magnitudinis est per illarum substantialitatem.
12. Æqualitas substantiarum est pars illarum.
13. Si Æqualitas substantiarum non esset pars illarum, non essent æquales per omnes suas partes.
14. Sinè substantiali Æqualitate nulla substantia potest habere æquales substantiales partes.

Sinè

15. Sinè accidentali Æqualitate nulla substantia potest habere æquales accidentales partes.
16. Sinè Æqualitate substantialium actuum Æqualitas non potest esse quies Concordantiæ eorum.
17. In substantiali Æqualitate substantiales actus habent quietem.
18. Cum majori Æqualitate substantiarum attingitur major Finis.
19. De majori Æqualitate major Concordantia.
20. Sinè Æqualitate non possent esse genera nec species.

CAPUT XXI.
De Minoritate.

1. MInoritas est ens propè nihil.
2. In minorificando habet substantia inclinationem ad corruptionem.
3. Si Minoritas non esset, nullum ens haberet, cum quo Majoritas esset major.
4. Majoritas & Minoritas habent se relativè.
5. Relatio partium substantialium est major & magis necessaria, quàm partium accidentalium.
6. Si nulla Minoritas esset substantialis pars, nulla substantialis pars esset major.
7. Si non esset Minoritas, omnes res essent æqualiter propè non esse.
8. De minori potentia minor actus.
9. De minori substantia minor Virtus.
10. Retrò Minoritatem sunt Majoritas & Æqualitas.
11. Ante Minoritatem est nihil.
12. Facies Minoritatis est versùs nihil.
13. Nihil est centrum Minoritatis.
14. In Minoritate non potest attingi Finis.
15. Quantò major est Minoritas, tantò minor est.
16. Nulla Minoritas boni est desiderabilis.
17. Nulla res est minor, quàm otiositas.
18. Quò majus est peccatum, eò minus est suum subjectum.
19. Quia Majoritas mali est mala, Minoritas mali est bona.
20. Omnis naturalis Minoritas est bona.

CAPUT XXII.
De Genere.

1. GEnus est Ens, quod non habet nisi generales partes.
2. Genus est id, per quod Principia sunt generalia.
3. Sinè Genere non possent esse species & individua.
4. Sinè Genere Bonitas non posset esse generalis multis.
5. Si non esset generalis Bonitas, multæ Bonitates non possent esse de una.
6. Quia est generalis Bonitas, multæ Bonitates se habent ad communem.
7. Communis Bonitas est in substantia, quæ est de multis Bonitatibus.
8. Sinè generali Bonitate Bonitas non posset esse de Bonitate.
9. In generali Bonitate sunt seminatæ multæ specificæ Bonitates.
10. Si Genus non esset ens substantiale, de illo non possent esse substantiæ.
11. Quia Genus est pars entis, sunt de illo generales partes.
12. Si forma & materia non essent generales partes, non posset esse Genus.
13. Genus est magis altum per formam, quàm per materiam.
14. Sinè Genere in natura non posset esse generalis Finis.
15. Omnis Finis est magis generalis per formam, quàm per materiam.
16. Quia Genus accidentale est sustentatum in substantiali, accidentia sunt sustentata in substantiis.
17. Genus ita est ens confusum, sicut chaos.
18. In Genere sunt seminata corpora, quæ non sunt sub speciebus.
19. Genus est fons specierum.
20. Quia Genus non habet figuram, non potest videri nec tangi.

CAPUT XXIII.
De Specie.

1. SPecies est Ens, quod non habet nisi speciales partes.
2. Individua sunt speciales partes Speciei.
3. Quia differentia est generale Principium, facit de genere multas Species.
4. Quia Species est de genere, est generale Principium.
5. Substantiales Species sunt de substantiali genere, & accidentales de accidentali genere.
6. Omnis Species est propinquior Fini, quàm genus.
7. Si Species non esset, individuum non esset.
8. Species non potest tangi nec videri.
9. Participatio multorum est major per Speciem.

10. Quia Species est generale Principium, nulla Species est de alia.
11. De nobiliori Specie nobiliores partes.
12. Si ens non esset reale in Specie, non haberet, in quo esset.
13. Species, quæ est de similitudinibus, non est ens reale.
14. Imaginatio non haberet actum sinè Specie phantastica.
15. Illam Speciem, cum qua intelligis objectum, ideo intelligis, quia de objecto trahis similitudinem, & de illa facis Speciem.
16. Quia generalis Species non potest sentiri, non potes illam imaginari.
17. Illæ Species, quæ sunt in potentia, sunt innatæ, & quando sunt in actu, sunt acquisitæ.
18. Influentia Specierum consistit in productione ipsarum de potentia in actum.
19. Sola Potestas DEI potest creare Speciem.
20. Species leonis est nobilior per potestatem, & species equi per utilitatem.

* Species artificialis est similitudo naturalis.

CAPUT XXIV.
De Individuo.

1. INdividuum est specialis pars, quæ non potest dividi.
2. Individuum est Finis hìc inferiùs, in quo naturæ abstractæ habent quietem.
3. In Individuo congregantur Fines generalium Principiorum.
4. Quia albedo est indivisibilis in specie, est indivisibilis in Individuo, quod est album.
5. Individuum ita est de multis Individuitatibus, sicut communis pars de multis simplicibus.
6. Individuum non potest dividi, quia est de Individuitatibus.
7. Individuum non potest dividi, quia in illo est ultima forma.
8. Si ultra Individuum esset divisibilitas, omnes naturæ, de quibus est, essent divisibiles.
9. Quia Individuum est ultimus terminus, omne, de quo est, est de primis terminis.
10. Differentia non extendit suum actum ultra Individuum.
11. Individuum incipit superiùs, & est inferiùs.
12. Ultra superius & inferius non est aliquid.
13. In Individuo possidentur omnes naturales Fines.
14. Individuum est complementum omnium rerum.
15. Omnia superiora Principia essent vacua, si Individuum non esset.
16. Ante Individuum extenditur motus, & non retrò.
17. Individuum est centrum omnium naturalium actuum.
18. Nobilitas Individui facit nobilitatem speciei.
19. In qualibet specie sunt individua seminata in potentia.
20. Id, per quod Martinus est nobilius Individuum, quàm suus equus, est, quia in sua specie sunt seminati nobiliores Fines, quàm in specie sui equi.

CAPUT XXV.
De Forma.

1. FOrma est domina materiæ.
2. Forma est potentia, quæ habet propriam motivitatem.
3. Bonitas Formæ principiat per bonificativitatem.
4. Bonificare est actus bonæ Formæ.
5. Naturalis Bonitas est communis Forma per bonificans & bonificabile.
6. Id, per quod Bonitas appellatur Forma, est, quia materia non est tam propinqua Fini, sicut Forma.
7. De pluribus formis abstractis trahit naturale agens unam communem Formam in individuo.
8. Simplex Forma convertitur cum suo ente & cum sua unitate & cum parte suæ speciei.
9. In Bonitate convertuntur bonificativum & suum ens, & sua unitas & sua pars.
10. In communi Forma conjuncta de multis conjungitur ens cum ente, & unitas cum unitate, & pars cum parte.
11. Quia communis Forma est conjunctio activarum partium, in ipsa sunt multæ Rationes activæ.
12. In generibus & speciebus est communis & prima Forma conjuncta de primis generalibus Principiis.
13. In prima & generali Forma sunt seminatæ individuæ Formæ, quæ exspectant naturalia agentia.
14. Reales Rationes primæ Formæ exspectant habere actus in Formis seminatis per naturalia agentia.

In

15. In quantum differentia dividit genus in multas species, seminat in illis multas Formas in potentia.
16. Ideæ movent differentiam ad seminandum naturales Formas, quæ sunt illarum similitudines.
17. Differentia seminat & disponit Formas in prima Forma, & trahit illas ex ipsa, & in ipsa illas dimittit.
18. Ipsum seminare, quod differentia facit de Formis seminatis in potentia, adjuvant ideæ & Rationes generalis Formæ.
19. Forma seminata & producta in potentia est per suam ideam impressa in generali Forma.
20. Instrumenta ideæ, quæ in generali Forma imprimunt suam similitudinem, sunt Differentia & alia Principia *Tabulæ Generalis.*

CAPUT XXVI.
De Materia.

1. MAteria est passivum subjectum, quod possidetur per formam.
2. Materia est potentia, quæ habet propriam mobilitatem.
3. Sola Materia est materiabilis.
4. Principia primæ Materiæ sunt primæ Rationes passivæ.
5. Prima Materia est conjuncta de bonificabilitate, magnificabilitate, durificabilitate & de aliis primis & passivis Rationibus.
6. Generalis Materia est prima, quia est de primis Rationibus.
7. Prima Materia est generalis, quia est de generalibus Rationibus.
8. Tota generalis Materia est passiva sub generali forma.
9. Quia corpus non potest esse sinè Materia, Differentia dividit genus, & ex passione illius facit multas passivas species.
10. In speciebus sunt seminatæ multæ individuæ passiones in potentia.
11. Quælibet idea procurat suæ similitudini Materiam in potentia, ut illa similitudo possit esse.
12. Differentia trahit individuatas Materias de prima Materia, & in illa seminat ipsas in potentia.
13. Ideæ & generales Rationes movent naturale agens ad producendum suppositа de formis & Materiis, quæ sunt seminatæ in potentia.
14. Naturalia agentia movent se ad producendum naturalia suppositа per influentiam idearum, & per naturam generalium Principiorum.
15. Omnis Materia requirit dispositionem & proportionem partium.
16. In unitate Materiæ participant firmamentum & elementa, ut in productione suppositorum sit magna dispositio & proportio.
17. In omni supposito magìs est concordantia per formam, quàm per Materiam.
18. De corruptione Materiæ sequitur corruptio formæ.
19. Quia Materia potest esse sub multis formis, habet magnum appetitum.
20. Intensè est appetitus major per formam, & extensè per Materiam.

CAPUT XXVII.
De Substantia.

1. SUbstantia est ens per se stans, sinè quo accidens non habet, in quo existat.
2. Quia Substantia est ex forma & materia, potest existere per se ipsam.
3. Quia Substantia est Finis accidentis, accidens non potest esse sinè illa.
4. Totus mundus est una generalis Substantia.
5. Substantialis Bonitas & substantialis Magnitudo & aliæ sunt partes & Principia generalis Substantiæ.
6. De generali Substantia sunt multæ speciales Substantiæ.
7. Generalis Substantia est ex grossis partibus, & specialis Substantia ex minutis partibus.
8. Speciales Substantiæ ita sunt in generali, sicut pisces in aqua.
9. Planta est specialis Substantia, & ita vivit de generali, sicut homo de aëre, & piscis de aqua.
10. Illæ Substantiæ, quæ habent magìs parvas partes, sunt magìs parvæ.
11. Omnis corporalis Substantia est de generali Substantia.
12. DEUS, Angeli & animæ rationales sunt incorporeæ Substantiæ.
13. Substantia Angeli & sua species convertuntur.
14. Omnis Substantia est invisibilis.
15. Nullus sensus attingit Substantiam, sed sua accidentia.
16. Sola Substantia est subjectum potentiarum.
17. Nulla potentia habet suum actum extra Substantiam.

18. Accidentia ſunt naturalia veſtimenta & inſtrumenta Subſtantiæ.
19. Nulla Subſtantia creſcit in numero, ſed creſcit per incrementum ſuarum partium.
20. In incremento Subſtantiæ creſcunt ſua accidentia.

CAPUT XXVIII.

De Accidente.

1. ACcidens eſt id, quod in ſe ipſo non habet ſuum eſſe, ſed habet illud in Subſtantia.
2. Si Accidens per ſe ipſum haberet ſuum eſſe, ſuſtentaretur in ſe ipſo.
3. Nullum Accidens eſt propter ſuum Finem.
4. Si Accidens eſſet propter ſuum Finem, haberet quietem in ſe ipſo.
5. Accidens eſt tam propinquum ipſi non eſſe, quòd non habet materiam.
6. Si Accidens haberet materiam, ſuſtentaretur in ſe ipſo.
7. Nulla res eſt tam parva, quàm Accidens.
8. Accidens eſt tam parvum, quòd per ſe non habeat eſſe.
9. Nullum Accidens materialiter eſt de ſubſtantia.
10. Si Accidens eſſet ſubſtantialis pars, Subſtantia ſuſtentaretur in illo.
11. Accidentia ſunt concreata inſtrumenta Subſtantiæ.
12. In creatione Subſtantiæ ſunt concreata ſua Accidentia.
13. Actus Accidentium ſunt concreati in ſubſtantia in potentia.
14. Sola ſubſtantia movet Accidens.
15. Per motum Accidentium movetur ſubſtantia.
16. Naturales actus Accidentium movent artificialia inſtrumenta.
17. Moralia Accidentia ſunt ſimilitudines naturalium.
18. Id, quod accidit, eſt Accidens, & id, in quo accidit, eſt ſubſtantia.
19. Accidens habet tam parum de entitate, quòd de illo eſſentia & eſſe non poſſunt eſſe.
20. Si Accidens haberet eſſentiam & eſſe, eſſet æquale ſubſtantiæ.

CAPUT XXIX.

De Quantitate.

1. QUantitas eſt id, cum quo ſubſtantia ſe extendit, & eſt extenſa.
2. Quantitas ita eſt ſupra extenſitatem, ſicut color ſupra ſuperficiem.
3. Simplex Quantitas eſt de ſimplici ſubſtantia.
4. Compoſita Quantitas eſt de compoſita ſubſtantia.
5. In compoſita ſubſtantia conjunguntur multæ ſimplices Quantitates.
6. Ad componendum ſubſtantiam venit quælibet ſubſtantialis pars cum ſua propria Quantitate.
7. Nulla Quantitas poteſt videri.
8. Si Quantitas eſſet viſibilis, converteretur cum colore.
9. Intellectus cum imaginatione attingit Quantitatem.
10. Nullus actus ſenſûs eſt tam propinquus Quantitati, ſicut tangere.
11. Si tactus attingeret Quantitatem, duricies & Quantitas converterentur.
12. Quantitas non eſt gravis, ſed ſubſtantia eſt gravis cum Quantitate.
13. Quantitas non eſt æqualitas, ſed ſubſtantiæ ſunt æquales cum Quantitate.
14. Quantitas diſcreta eſt numerus unius ſubſtantiæ.
15. Subjectum continuæ Quantitatis eſt extenſitas.
16. Linea eſt figura Quantitatis.
17. Nulla figura eſt tam ſimilis Quantitati, ſicut numerus numeratus.
18. Nullus numerus numeratus convertitur cum naturali Quantitate.
19. Nulla Quantitas ſpiritualis eſt imaginabilis.
20. Nulla ſubſtantia ſpiritualis eſt extenſa cum Quantitate.

CAPUT XXX.

De Qualitate.

1. QUalitas eſt id, per quod numerus & terminus eſt qualis.
2. Bonitas per ſuum numerum eſt qualis, & magnitudo ſimiliter.
3. Termini magnitudinis ſunt quales per Qualitatem.
4. In magnitudine unum quale eſt magnificans, & aliud magnificabile, & aliud magnificare.
5. Eſt una generalis Qualitas ad multas ſpeciales Qualitates.
6. Per generalem Qualitatem generalia principia ſunt qualia.
7. Per ſpecialem Qualitatem ſpecies ſunt quales.

Unum

8. Unum quale eſt per propriam Qualitatem, & aliud per appropriatam.
9. Differentia monſtrat cum Qualitate, qualis ſit res.
10. Ita monſtratur quale cum Qualitate, ſicut numerus numeratus cum quantitate.
11. Nulla Qualitas eſt viſibilis.
12. Si color & Qualitas converterentur, omnia qualia eſſent viſibilia.
13. Nulla propria Qualitas relinquit ſuum proprium ſubjectum.
14. Sicut ſubſtantia menſurat cum quantitate, ita qualificat cum Qualitate.
15. Id, per quod frigiditas & caliditas non convertuntur, eſt, quia frigiditas eſt qualis per Qualitatem, & caliditas ſimiliter.
16. Sicut Bonitas eſt vera per Veritatem, ita calor & frigus ſunt qualia per Qualitatem.
17. Ignis calefacit cum calore, & determinat calefactum cum Qualitate.
18. Finis Qualitatis non eſt calefactum, ſed quale calefactum.
19. Qualitas eſt unum & idem inſtrumentum multis potentiis.
20. Ignis poteſt cum calore calefacere multas res, ſed ſinè Qualitate non poſſent eſſe multæ res.

CAPUT XXXI.

De Relatione.

1. RElatio eſt ſignificata neceſſitas unius per aliud.
2. Omnis Relatio eſt de proprio vel communi.
3. Relatio proprietatum eſt de duobus.
4. Si eſt pater, convenit, quòd ſit filius.
5. Si eſt cauſa, convenit, quòd ſit effectus.
6. Relatio eſt, in quantum unum eſt de alio.
7. Relatio eſt, in quantum unum eſt per aliud.
8. Relatio eſt, in quantum unum non eſt ſinè alio.
9. Amare eſt communis Relatio amantis & amabilis.
10. Æqualitas eſt communis Relatio multorum.
11. Illa Relatio eſt ſubſtantialis, in qua fines æqualiter convertuntur.
12. DEUS Pater eſt per ſuum Filium, & Filius eſt per ſuum Patrem.
13. Subſtantialis Relatio eſt, in quantum unum eſt de alio.
14. DEUS Filius eſt de DEO Patre.
15. Relatio communis eſt ſubſtantialis, quando convertitur in eſſentia cum illis, ex quibus exit.
16. DEUS Sanctus Spiritus convertitur cum Eſſentia Patris & Filii.
17. Bonificare convertitur in eſſentia bonificantis & bonificabilis.
18. Si Relatio non eſſet ens poſitivum, naturalis neceſſitas unius non ſignificaretur per aliud.
19. Similitudo & neceſſitas, quas intellectus trahit de patre & filio, eſt accidentalis Relatio.
20. De bonificativo, quod eſt intrà, & de bonificabili, quod eſt extrà, & de eorum bonificare eſt accidentalis Relatio.

* De æqualitate rerum differentium per eſſentiam eſt accidentalis Relatio.

CAPUT XXXII.

De Actione & Paſſione.

1. ACtio eſt actus agentis, & Paſſio patientis.
2. Subſtantialis Actio eſt illa, in qua agens de ſua eſſentia producit productum.
3. De ſubſtantiali Actione ſubſtantialis Paſſio.
4. De Actione & Paſſione Bonitatis ſequitur bonum.
5. Actio eſt inſtrumentum formæ, & Paſſio eſt inſtrumentum materiæ.
6. Omnis Actio & Paſſio extra eſſentiam agentis & patientis eſt accidentalis.
7. De finito non poteſt eſſe æterna Paſſio.
8. Per dominationem forma eſt paſſiva.
9. Generatio eſt de ſubſtantiali Actione & Paſſione.
10. Convenit, quòd in transmutatione ſpeciei ſit ſubſtantialis Actio & Paſſio.
11. Actio martelli & Paſſio clavi eſt accidentalis.
12. Si martellus de ſe ipſo faceret clavum, ſua Actio & ſua Paſſio in faciendo clavum eſſent ſubſtantiales.
13. Motus eſt figura, in qua apparent Actio & Paſſio.
14. Guſtare attingit Actionem per dulcedinem & Paſſionem per amaritudinem.
15. Potentia trahit de objecto ſimilitudinem, cum qua ſe movet ad Paſſionem vel ad Actionem.
16. Si non eſſet ſenſus, ſubſtantiales Actiones & Paſſiones non deſiderarentur in ſubſtantiis.

Prop-

17. Propter Actionem Finîs sunt multæ Passiones.
18. Per majorem Passionem est major dispositio formæ.
19. Omnis bona Passio est desiderabilis.
20. In amare Actiones & Passiones sunt æquales.
* Malæ Passiones hujus mundi sunt figuræ Passionum inferni.

CAPUT XXXIII.

De Habitu.

1. HAbitus est dispositum vestimentum potentiæ
2. Bonus per Bonitatem habet in Habitu bonificare.
3. Nulla potentia per suam dispositionem sinè dispositione alterius potest habituare.
4. Intellectus sinè dispositione intelligibilis non habet intelligere in Habitu.
5. Intellectus intelligens se induit de intelligere.
6. Intellectus intelligendo colligit Habitus extrà, & ponit illos intrà.
7. Habitus substantiæ est magis desiderabilis, quàm Habitus accidentis.
8. Si non esset substantialis habitus, nulla substantialis pars esset vestita de alia.
9. Artificiales Habitus sunt imagines naturalium.
10. Nullus actus est sinè Habitu.
11. Potentia facit sibi Habitum de similitudine objecti.
12. Si objectum haberet motum potentiæ in habitu, esset objectum & potentia.
13. Sicut activa potentia habet suum Habitum per actionem, ita passiva potentia habet suum Habitum per passionem.
14. Per Finem sunt Habitus activi & passivi.
15. Habitus scientiæ colligitur intrà, & diffunditur extrà.
16. Per ignorantiam privatur intellectus suo Habitu.
17. Habitus voluntatis est per amare, & memoriæ per recolere, & intellectûs per intelligere.
18. Calefacere est Habitus duorum.
19. Planta & Leo habent in Habitu generare.
20. Si intellectus in Habitu haberet ignorare, ignorantia non esset de privatione, & in intellectu converterentur ens & non ens.

CAPUT XXXIV.

De Situ.

1. SItus est situatio, ex qua exit figura.
2. Bonitas est situata in bonificante, bonificabili & bonificare.
3. Ex situatione Bonitatis exit figura trianguli.
4. Bonitas est situata in Magnitudine, in quantum est magna per illam.
5. Bonificare est situatum in bonificante & bonificabili.
6. In potentia elementativa est situata vegetativa, & in vegetativâ sensitiva.
7. Actus potentiarum sunt situati in speciebus.
8. In intelligere sunt situati multi actus potentiarum.
9. In intelligere est una figura, quæ est de intelligere, & alia de verificare, & alia de possificare.
10. Similitudo objecti est situata in potentia, quæ ipsam accipit.
11. De assituatione solis exit circularis figura.
12. Assituatio elementorum est per quadrangularem figuram.
13. Concordantia & contrarietas elementorum sunt situatæ per triangularem figuram.
14. Nulla assituatio est major, quàm assituatio unius partis in alia.
15. Assituatio maximè requirit dispositionem & proportionem.
16. Actus imaginationis capit Situationem per colorem & figuram.
17. Quilibet sensus habet suam propriam Situationem in suo actu.
18. Sapor est assituatus in gustare, & gustare in illo.
19. In perfectione finîs sunt assituatæ perfectiones illorum, qui illum desiderant.
20. In nulla privatione est assituatio

CAPUT XXXV.

De Tempore.

1. TEmpus est figura æternitatis à parte post.
2. Tempus est instrumentum, cum quo substantiæ principiantur & moventur.
3. Omne id, quod in Tempore est principiatum, erit æviternaliter principiatum.
4. Motus non potest principiari nec durare sinè Tempore.
5. Quia Tempus est indivisibile, non movetur.

Omne

6. Omne, quod movetur, movetur in Tempore.
7. Tempus habet in se substantias & accidentia præterita & præsentia.
8. Substantiæ & formæ futuræ sunt concreatæ cum Tempore.
9. Formæ, quæ sunt in potentia, sunt in facie Temporis, & quando sunt in actu, sunt in medio, & quando sunt corruptæ, sunt retrò.
10. Sola æternitas, & hoc, quod habet in se ipsa, est ante Tempus.
11. Omnis possibilitas est in Tempore.
12. Si possibilitas esset antequam Tempus, motus esset in potentia extra Tempus.
13. Ex Tempore non potest esse aliquid.
14. Si ex Tempore posset essè aliquid, Tempus esset substantia.
15. Tempus potest principiare, sed non potest consumere.
16. Si Tempus posset consumere, hoc, quod est principiatum, esset principiatum & non principiatum.
17. Quia nullus sensus attingit Tempus, imaginatio non potest illud imaginari.
18. Præteritum, præsens & futurum sunt figuræ & similitudines Temporis.
19. Sicut extensio est subjectum quantitatis in substantia, ita Tempus in substantia est subjectum motûs.
20. Tempus, quod est una pars mundi, principiat in principio, & principium principiat in illo.

CAPUT XXXVI.

De Loco.

1. LOcus est id, per quod una res potest esse in alia.
2. DEUS creavit Locum, & in illo collocavit omnia.
3. Sicut agens movet cum motu, ita collocat cum loco.
4. Nullus sensus attingit Locum, sed figuram illius.
5. Figura Loci est de continente & contento.
6. Sicut intellectus attingit objectum per speciem, ita attingit Locum per figuram.
7. Locus est instrumentum, cum quo una pars potest esse in alia.
8. Sicut quantitas est extensa per substantiam, ita Locus est extensus per figuram.
9. Substantiæ ita sunt in Loco, sicut individua in specie.
10. Soli substantiæ creatæ est Locus necessarius.
11. Locus non est in se ipso, sed in substantiis.
12. Substantiis existentibus in Loco existit Locus in illis.
13. Sicut corpus est in colore, & color in corpore, ita corpus est in Loco, & Locus in corpore.
14. Locus non crescit, sed corpus crescit in illo.
15. Locus, quantum ad se ipsum, non est divisibilis.
16. Si locus esset divisibilis, sua divisibilitas non esset in Loco.
17. Solus DEUS est in Loco & extra Locum.
18. Sicut est impossibile, quòd creatura sit extra tempus, ita est impossibile, quòd sit extra Locum.
19. Nullus Locus potest esse sinè corpore.
20. Si Locus posset esse sinè corpore, posset esse vacuitas in natura.
* Locus est subjectum in substantia figuræ circuli, trianguli & quadranguli.
* Angelus est in Loco, & Locus est in Angelo.
* Locus continet in se locificans, locificabile, & locificare, quæ non sunt de sua essentia.
* Locus sic est instrumentum ad collocandum, sicut color ad colorandum.
* Locus est instrumentum alterius in se ipso.
* Ille idem locus, in quo martellus percutit clavum, est in martello & in clavo.

CAPUT XXXVII.

De Proprietate.

1. PRoprietas est id, quod pertinet ad unum, & non ad aliud.
2. Sicut calor est Proprietas ignîs, ita & multò meliùs creare est Proprietas DEI.
3. Sicut ignis suum calorem appropriat aëri, ita DEUS cum virtute verborum appropriat suam potestatem Presbytero in Sacramento Altaris & Clavium.
4. Appropriata Proprietas est imago propriæ.
5. Per propriam & appropriatam Proprietatem participant quædam substantiæ cum aliis.
6. Per differentes Proprietates quædam substantiæ differunt ab aliis.
7. Quia calor pertinet ad ignem, & humiditas ad aërem, ideo ignis & aër sunt differentes essentiæ.
8. Quia ignis appropriat suum calorem aëri, insimul habent concordantiam.

9. Quia ignis & aqua ſunt contraria per calorem & frigiditatem, ſunt contraria per ſubſtantias.
10. Sicut ignis definitur per ſuum proprium calorem, ſic homo definitur per ſuum proprium ridere.
11. Proprietas eſt inſtrumentum, cum quo differentia dividit genera in ſpecies.
12. De communi Proprietate deſcendunt multæ ſpeciales Proprietates.
13. Proprietates individuorum derivantur ex Proprietatibus ſpecierum.
14. In propinquitate Proprietatum ſtant naturales propinquitates.
15. Quia ignis dat ſuum calorem aëri, calor eſt propinquus humiditati, quæ eſt Proprietas aëris.
16. Per contrarias qualitates elongantur quædam ſubſtantiæ ab aliis.
17. Conſuetudo eſt ſimilitudo naturalis Proprietatis.
18. In creaturis omnis Proprietas eſt naturalis.
19. Proprium eſt maſculo generare, & fœminæ concipere.
20. De proprio & appropriato eſt communis Proprietas.
* Appropriare eſt communis Proprietas appropriantis & appropriabilis, & calefacere calefacientis & calefactibilis.
* Quælibet naturalis potentia habet ſuum proprium actum.

CAPUT XXXVIII.
De Converſione.

1. COnverſio eſt id, per quod definitio & definitum convertuntur.
2. DEUS convertitur cum infinitate & æternitate.
3. Rationes ſolius DEI convertuntur.
4. Si in DEO Bonitas & Magnitudo non converterentur, Bonitas accidentaliter eſſet magna per Magnitudinem, & Magnitudo accidentaliter bona per Bonitatem.
5. Quia in DEO Poteſtas, Sapientia & Voluntas convertuntur, poteſt omne, quod ſcit & amat, & ſcit omne, quod poteſt & amat, & amat omne, quod poteſt & ſcit.
6. Si in creaturis Poteſtas, Sapientia & Voluntas converterentur, creatura volens eſſe DEUS, poſſet eſſe DEUS.
7. Omnis numerus eſt ſcibilis, & omne bonum eſt amabile, & ſi Poteſtas converteretur cum intellectu & cum Voluntate, tantùm poſſificaret ſcitivitatem, quòd attingeret omnem ſcibilitatem, & tantùm multiplicaret amativitatem, quòd amaret omne id, quod eſt bonum.
8. Si in Converſione Intellectûs & Voluntatis non converteretur Poteſtas, Voluntas non poſſet poſſidere & habere omne id, quod Intellectus ſciret, & eſſent diſtinctæ & non diſtinctæ Rationes.
9. De Converſione Poteſtatis, Intellectûs & Voluntatis ſequuntur infiniti actus.
10. Si Poteſtas, Magnitudo & Duratio converterentur, magnificans magnificaret & produceret magnificatum, quod eſſet Poteſtas ipſius magnificare & magnificabilis, quamdiu duraret Converſio.
11. Si Bonitas & Magnitudo converterentur, nullus actus Bonitatis poſſet eſſe parvus, nec actus Magnitudinis malus.
12. Si Poteſtas & Veritas converterentur, falſitas non poſſet eſſe per Poteſtatem, & eſſet, quamvis non poſſet eſſe.
13. Si potentia & objectum converterentur, non eſſet actus ex ipſis.
14. Si Bonitas & Magnitudo converterentur, & parvitas & Bonitas, una Bonitas eſſet contra aliam, & Magnitudo & parvitas haberent unam eandem ſpeciem.
15. Si Bonitas & Virtus in homine converterentur, nullus homo poſſet participare cum vitio.
16. Si per communem actum multa non converterentur, nec Bonitas nec Magnitudo ſinè actu poſſent converti.
17. Eſſentia & ſuum proprium *eſſe* converturtur.
18. Nulla eſſentia poteſt converti cum *eſſe* compoſito.
19. Ita eſt impoſſibile, quòd res æquales convertantur, ſicut Majoritas & Minoritas.
20. Si concordantes res poſſent converti, contrariæ res poſſent converti.

CAPUT XXXIX.
De Quæſtione.

1. QUæſtio eſt deſideratum ſcire, quod homo quærit.
2. Decem modis poteſt homo quærere hoc, quod deſiderat ſcire: Utrùm res ſit vel non? Quid eſt? De quo eſt? Quare eſt? Quanta eſt? Qualis eſt? Quando fuit? Ubi eſt? Quomodo eſt? Cum quo eſt?
3. Nemo tantùm dubitat, ſicut ille, qui quærit: Utrùm res ſit vel non ſit?

Qui

4. Qui quærit: quid eſt res? deſiderat ſcire entitatem rei.
5. Qui quærit: de quo eſt? conſiderat partem, & quærit de materia.
6. Qui quærit: quare eſt? quærit de exiſtentia & de fine.
7. Qui quærit: quanta eſt? deſiderat ſcire determinatam menſuram.
8. Qui quærit: qualis eſt? deſiderat ſcire propriam qualitatem vel appropriatam.
9. Qui quærit: quando fuit? quærit à memoria; & qui quærit: quando erit? quærit ab intellectu.
10. Qui quærit: ubi eſt? quærit ab oculis.
11. Qui quærit: quomodo eſt? quærit de diſpoſitione, proportione & ordine.
12. Qui quærit: cum quo eſt? deſiderat ſcire inſtrumentum operationis.
13. Ille, qui plus dubitat, poteſt attingere majorem veritatem.
14. Nemo poteſt ſcire, quid ſit res, ſi illius principia ignorat.
15. Nemo poteſt ſcire, de quo ſit pars, ſi non conſiderat paſſivam totalitatem.
16. Homo poteſt per formam & per materiam ſcire exiſtentiam, & per inſtrumentum finem.
17. Per quantitatem poteſt homo ſcire de qualitate, & per qualitatem poteſt homo ſcire certas menſuras.
18. Species, quas memoria reponit, ſunt in tempore præterito, & per illas, quas reddit intellectui, habet intellectus cognitionem illarum, quæ ſunt futuræ.
19. Per colores & figuras, quas oculi attingunt, habent cognitionem de locis, in quibus ſunt ſubſtantiæ.
20. Non habet modum, qui ignorat diſpoſitionem, proportionem & ordinem, nec habet cognitionem operis, qui non cognoſcit inſtrumentum.

CAPUT XL.
De Solutione.

1. SOlutio eſt declaratio dubiorum quæſitorum.
2. Modus Solutionis eſt conſequentia modi quæſtionis.
3. Solutio, quæ eſt de *propter quid*, eſt de primis principiis, & quæ eſt de *quia*, de ultimis.
4. Solutio, quæ eſt per æquiparantiam, eſt per æquales Rationes & actus.
5. Qui declarat *propter quid*, conſiderat proprietates, quæ pertinent ad cauſam; & qui declarat per *quia*, conſiderat proprietates effectûs.
6. Qui declarat cum æquiparantia, declarat cum æqualitate activarum & paſſivarum proprietatum.
7. Si major Bonitas eſt, convenit, quòd ſit minor; & ſi minor eſt, convenit, quòd ſit major.
8. In relatione majoris & minoris Bonitatis eſt major & minor neceſſitas.
9. Nulla major neceſſitas eſt effectus minoris, & omnis minor neceſſitas eſt effectus majoris.
10. Declaratio effectûs eſt per declarationem Finis cauſæ.
11. De ſuperiori declaratione derivatur inferior declaratio.
12. Quantò altior eſt declaratio, tantò clarior eſt.
13. Si Bonitas eſt magna, convenit, quòd ſit Magnitudo, & ſi Magnitudo eſt bona, convenit, quòd ſit Bonitas.
14. In æquiparantia Bonitatis & Magnitudinis non poteſt eſſe cauſa & effectus.
15. Bonificans, qui de Bonitate bonificat bonificabilem, qui cum illo remanet una Bonitas, non eſt cauſa Bonitatis nec bonificabilis.
16. Ut Bonitas ſit plena, ita neceſſarium eſt in illa bonificabile, ſicut bonificans, & bonificare, ſicut ambo.
17. Æqualis neceſſitas æqualificat agens, agibile & actum amborum.
18. Si Bonitas & intellectus ſunt æquales in Poteſtate, Voluntate & Virtute, tam neceſſarium eſt in Bonitate bonificare, ſicut in Intellectu intelligere.
19. De multis entibus æqualibus in Fine & Bonitate inconveniens unius eſſet inconveniens alterius.
20. Nulla demonſtratio eſt tam neceſſaria, ſicut demonſtratio æquiparantiæ.

CAPUT XLI.
De Poſſibilitate.

1. POſſibilitas eſt paſſio paſſivæ potentiæ.
2. De paſſiva potentia ſunt multæ res poſſibiles.
3. Bonitas eſt paſſiva potentia, in quantum de illa poteſt eſſe bonificabile.
4. Poſſibile Bonitatis eſt Perfectio illius & Poteſtatis.
5. Poſſibile Bonitatis in Infinitate & Æternitate, Poteſtate & Perfectione convertitur cum poſſito.

6. Possibilitas, quæ est in Æternitate, sufficit infinitæ Possitivitati.
7. De magna passione Bonitatis magna Possibilitas illius.
8. Omnis Bonitas est major per possitivitatem & Possibilitatem, quàm per unam ambarum.
9. Cum possibili bono est Bonitas remota à possibili malo.
10. Possibile, quod non manet in suo numero, quando convertitur in possitum, non est magnum.
11. Si possibile non esset, omnis Potestas esset otiosa.
12. In Magnitudine dispositionis consistit Magnitudo Possibilitatis.
13. Possibilitas est major per multas Rationes, quàm per unam.
14. Possibilitas est major per causam, quàm per effectum.
15. Possibilitas est major per æquales partes, quàm per inæquales.
16. Possibilitas peccati non est Possibilitas bonæ Potestatis.
17. Possibilitates vitiorum sunt per Possibilitatem privationis habituum.
18. Possibilitas privationis habituum est, quia habitus sunt de nihilo.
19. Possibilitas est per actum Potestatis, & per passionem multarum rerum.
20. Possibile Potestatis non deficit.

CAPUT XLII.
De Impossibilitate.

1. IMpossibilitas est privatio actionis Potestatis.
2. Quia Potestas DEI est infinitus actus, non est illi aliquid impossibile.
3. Quia DEUS est infinitum bonum, in illo est impossibile omne malum.
4. Per privationem Finis est Impossibilitas potentiæ.
5. Impossibilitas magis est per materiam, quàm per formam.
6. Impossibilitas est per disgregationem actuum.
7. Impossibilitas non dicit aliquid positivum.
8. Privatio & Impossibilitas habent Concordantiam.
9. Nemo tam tardè considerat Impossibilitatem, quàm sanguineus homo.
10. In natura omnis minor Impossibilitas est melior.
11. Ille, qui plus facit, sæpiùs attingit Impossibilitatem.
12. Omnes Impossibilitates non sunt permanentes.
13. Aliquæ Impossibilitates sunt bonæ.
14. Non est deceptus, qui cognoscit Impossibilitatem.
15. Impossibilitas est per contrarios Fines.
16. Subjectum Impossibilitatis est Contrarietas.
17. Impossibilitas non est per se desiderabilis.
18. Impossibilitas magis est per corpus, quàm per animam.
19. Impossibilitas unius est major, quàm Impossibilitas multorum.
20. Ille est tristis, qui considerat Impossibilitatem.

CAPUT XLIII.
De Potentia.

1. POtentia est id, quod se habet ad objectum; & est alia Potentia, quæ est subjectum rerum possibilium.
2. Potentia se movet ad objectum, quia desiderat actum.
3. Potentia, per quam potest esse id, quod non est, est subjectum Potentiæ, quæ se movet ad objectum.
4. Potentia movendo aliud movet se ipsam.
5. Bonificativum est Potentia Bonitatis, & magnificativum Magnitudinis.
6. Bonificativum est Potentia per Potestatem, & est activa pars Bonitatis.
7. Potentia, in quantum est instrumentum substantiæ, est passiva.
8. Potentia sinè objecto non est passiva.
9. Calor est activa Potentia per ignem, & passiva per calefactibilitatem aquæ.
10. Vegetativa Potentia est per vegetare, & sensitiva per sentire.
11. Quando vegetare non est, actus vegetativæ est in Potentia.
12. Potentia, quæ est in actu, acquirit suam operationem, quando producit in actum formam, quæ est in Potentia.
13. Potentia, quæ est in actu, est causa Potentiæ, quæ venit in actum.
14. Forma, quæ est in Potentia, est materia Potentiæ, quæ attingit suum objectum.
15. Actiones & passiones Potentiæ, quæ attingit suum objectum, sustentantur in subjecto, quod de Potentia est productum in actum.
16. Intellectus est Potentia, quæ potest de similitudine.

Volun-

17. Voluntas est Potentia, quæ potest amare similitudines.
18. Memoria est Potentia, quæ potest conservare similitudines.
19. Imaginatio est Potentia, quæ mensurat similitudines.
20. Nulla Potentia habet tam magnam Virtutem in extranea specie, sicut in sua.

CAPUT XLIV.
De Objecto.

1. OBjectum est quies potentiæ, quæ illud desiderat.
2. Objectum est materia similitudinis, quam potentia ab illo capit.
3. Objectum est instrumentum potentiæ & Finis.
4. Visibilitas est Objectum, de quo potentia visiva trahit similitudinem illius, quod videtur, & sui ipsius.
5. Objectum gustandi est dulcedo, & Objectum affatûs est declaratio mentis.
6. Objectum imaginationis est similitudo coloris & figurarum.
7. Objectum intellectûs est similitudo intellecti.
8. Intellectus appetit intelligibile, ut intelligat.
9. Intellectus appetit intelligere, ut suus actus recolatur & ametur.
10. Nullum naturale Objectum se defendit à potentia.
11. Objectum naturaliter appetit, ut sumatur.
12. Id, quod Objectum appetit, est per suum proprium Finem.
13. Objectum non appetit cum propria proprietate, sed cum appropriata.
14. Propria proprietas Objecti est appetibilitas.
15. De magno Objecto magna appetibilitas.
16. Nullum objectum est contra suam appetibilitatem.
17. In Voluntate nullum Objectum est majus, quàm amatum.
18. Majori Objecto major potentia.
19. Nulla mixtio est major, quàm mixtio Objecti & potentiæ.
20. Qui cognoscit Objectum, cognoscit potentiam.

CAPUT XLV.
De Actu.

1. UNus actus est ille, qui est exitus potentiæ & objecti, alius est ille, qui erat in potentia.
2. In Actu est participatio objecti & potentiæ.
3. Privato Actu privatur participatio potentiæ & objecti.
4. Nullus Actus est sinè Fine.
5. Omnis Finis movet potentiam ad objectum cum Actu illius.
6. Potentia est passiva per Finem, & est activa per suum proprium Actum.
7. Ignis habet proprium Actum per calorem, & habet appropriatum per siccitatem.
8. Ignis cum aqua calefacta habet Actum in calefaciendo.
9. Homo peccator cum Actu extraneo facit malum.
10. Actus corruptionis est materia Actûs generationis.
11. Omnes Actus accidentales sunt propter substantiales.
12. De finita potentia finitus Actus, & de infinita potentia infinitus Actus.
13. In æternitate non est ullus finitus Actus.
14. Est major necessitas Actûs in Infinitate & Æternitate, quàm in finitate & temporalitate.
15. Majoritati multò meliùs convenit Actus, quàm minoritati.
16. Nullus Actus de contrariis est durabilis.
17. Omnis Actus spiritualis est nobilior, quàm corporalis.
18. Omnes Actus corporales sunt, ut sint spirituales.
19. Nullus Actus est perfectus, quousque sit in Fine.
20. Felicitas potentiæ est per bonum Actum.

CAPUT XLVI.
De Generatione & Corruptione.

1. GEneratio est origo substantiæ in specie, & Corruptio est consummatio substantiæ.
2. Generatio principiat de una substantia per Corruptionem, & de alia per productionem.
3. Corruptio principiat propter Finem Generationis.
4. Corruptio est perditio naturalis numeri, & Generatio est transmutatio novi naturalis numeri.
5. Generatio & Corruptio non possunt dividi, nec in una specie remanere.
6. Corruptio est passio activæ Generationis.
7. Corruptio tendit ad privationem, & Generatio tendit ad esse.

8. Generatio non est Corruptio, sed est de hoc, quod corrumpitur.
9. Quia Generatio est de hoc, quod corrumpitur, remanet in illâ potentia Corruptionis.
10. Generatio crescit in existendo, & Corruptio in privando.
11. Corruptio est de contrariis, & Generatio de concordantiis.
12. Quantum crescit Generatio, tantum crescit Corruptio.
13. Corruptio est principium privativum, & Generatio essentiativum.
14. Corruptio est de formis antiquis, & Generatio de novis.
15. Finem, quem Corruptio perdit, acquirit Generatio.
16. Corruptio est propter infirmitatem materiæ, & Generatio propter sanitatem novæ formæ.
17. Materia, quæ est infirma per Corruptionem, est sana per Generationem.
18. Materia relinquit unam formam per Corruptionem, & capit aliam per Generationem.
19. Corruptio habet indigentiam omnium rerum, & Generatio habet abundantiam omnium rerum.
20. Si materia posset sufficere antiquæ formæ, non posset esse Generatio novæ formæ.

CAPUT XLVII.

De Privatione.

1. PRivatio est terminus ipsius *esse* & *non esse*.
2. Privatio, in quantum est terminus ipsius *non esse*, non est aliquid, & in quantum est terminus ipsius *esse*, est aliquid.
3. Privatio est aliquid, in quantum sinè ipsa non posset esse corruptio.
4. Corruptio exit de *esse* in Privationem, & generatio exit de Privatione in *esse*.
5. Corruptio vadit cum Privatione, & generatio cum *esse*.
6. Privatio non est aliquid positivum per se ipsam, sed per aliud.
7. In quantum tempus præteritum reddit hoc, quod fuit, Privatio est aliquid.
8. Si Privatio per aliud non esset aliquid, nullus homo moreretur.
9. Privatio est mors illorum, qui moriuntur.
10. Privatio est vacuitas Finis.
11. Privatio est ex otiositate potentiæ.
12. Privatio gallinæ est bona homini, qui ipsam comedit.
13. Si Privatio & *non esse* converterentur, nulla Privatio esset bona.
14. Nulla res est tam propinqua ipsi *non esse*, sicut Privatio.
15. Nullum ens desiderat suam Privationem.
16. Potentia, quæ privatur suo actu, est inter *esse* & privationem.
17. Si non esset resurrectio, *esse* hominis esset, ut esset in Privatione.
18. Illud, quod non est Finis ipsius *esse*, non potest esse finis Privationis.
19. Finis Privationis est *esse*.
20. Si *esse* non esset Finis Privationis, generatio non esset Finis corruptionis, nec vita hominis Finis Privationis panis.

CAPUT XLVIII.

De Motu.

1. MOtus est proprietas, cum qua potentia movet se ipsam & aliam.
2. Motus est creatura concreata cum potentia.
3. Motus artificialis est similitudo Motus naturalis.
4. Motus artificialis est creatura concreata cum Motu naturali.
5. Termini Motus sunt Principium, Medium & finis.
6. Motus incipit cum principio, & transit per medium successivè, & in fine habet quietem.
7. Ignis cum calore movet aquam, & aër cum se ipso movet mare.
8. Aër movet vapores, cum quibus movet se ipsum, & cum ipsis movet navem in mari.
9. Tempus est subjectum discretorum Motuum dierum & noctium, & habet continuum Motum per generationem & corruptionem, & per Motum firmamenti.
10. Motus ita est instrumentum ad movendum, sicut martellus ad percutiendum.
11. Communis potentia movet suas partes cum communi Motu.
12. Motus, qui est communis per communem potentiam, se diffundit & dilatat & se specificat in partibus potentiæ.
13. Motus est magis communis proprietas, quàm color.
14. In omni substantia elementata sunt proprietates elementorum moventium & motorum.

Omne

15. Omne elementum movendo suam proprietatem movet se ipsum.
16. In nullo corpore naturalis Motus est otiosus.
17. Discreti Motus sunt partes continui Motûs.
18. Lapis, qui est in uno loco, movetur in suis partibus.
19. Sicut industriæ bestiarum sunt instrumenta ad Motum, sic movere bestiarum est instrumentum ad Motum.
20. Sinè Motu nulla corporalis potentia haberet actum.

CAPUT XLIX.

De Figura.

1. FIgura est impressio substantiæ & suæ operationis.
2. Una Figura est illa, quæ est de substantia, & alia est illa, quæ est de sua operatione.
3. Figura est instrumentum omni significationi.
4. Motus de uno loco in alium est Figura motûs.
5. Sentire est Figura sensûs.
6. Loqui est Figura conceptionis mentis.
7. Amare est Figura voluntatis.
8. Princeps est Figura DEI.
9. Circulus est Figura substantiæ rotundæ.
10. Moralis virtus est Figura naturalis virtutis.
11. Castrum est Figura timoris.
12. Figura extrà significat illud, quod est intrà.
13. Peccatum est Figura inferni.
14. Dies est Figura paradisi.
15. Omnis Figura est creatura, excepto peccato.
16. Species, quam intellectus multiplicat, est Figura objecti.
17. Propria Figura est naturalis, & appropriata est artificialis.
18. Fames est Figura naturalis consummationis, & sitis est Figura caloris & siccitatis.
19. Effectus cum sua Figura significat suam causam.
20. In relatione filius est Figura patris & matris.

CAPUT L.

De Sanitate & Infirmitate.

1. SAnitas est concordantia propriarum & appropriatarum qualitatum.
2. Sanitas est per proportionatam influentiam qualitatum.
3. Infirmitas est contrarium Sanitatis.
4. Inter ignem & aërem est concordantia, in quantum ignis dat aëri suum calorem, & aër illum capit, ut per illum disponat aquam ad recipiendum suam humiditatem.
5. Ignis & aqua habent aliquam concordantiam per aërem.
6. Ignis & aër sunt contrarii per siccitatem & humiditatem.
7. Si concordantia ignis & aëris est major, quàm eorum contrarietas, per illos est Sanitas, & si illorum contrarietas est major, quàm illorum concordantia, per illos est Infirmitas.
8. Una Sanitas est per unam complexionem, & alia per aliam.
9. Omne corpus vegetatum est sanum per unam complexionem, & infirmum per aliam.
10. Omnis Infirmitas, quæ est propter Sanitatem animæ, est bona.
11. Naturales medici sunt sudor, digestio, vomitus, phlebotomia & evacuatio ventris.
12. Infirmus, qui nihil scit de medicina, exponit se magno periculo, si se committit medico.
13. Nulla scientia tam parum scitur, sicut medicina.
14. In omni cura, quæ fit de contrariis, est necessaria aliqua concordantia.
15. Practica Medici, qui non est naturalis, est periculosa.
16. Nulla cura tantum valet contra oppilationes, sicut decoctio ignis.
17. Oppilationes & repletiones sunt majores inimici naturæ.
18. Una repletio est per nimium comedere, & alia per nimium bibere.
19. Magna utilitas esset, si non esset medicus nisi per dietam & phlebotomiam.
20. Ille, qui est sanus, nescit quid sit Infirmitas.

CAPUT LI.

De Naturali Instinctu.

1. INstinctus est scientia naturalis potentiæ.
2. Naturalis Instinctus est declaratio naturalis operationis.
3. Ordo naturæ est naturalis Instinctus.
4. Homini est data discretio ad utendum ratione, & igni Instinctus ad utendum calore.

Nemo

5. Nemo est naturalis, si non habet cognitionem de naturali Instinctu.
6. Ordo, quem planta habet in producendo folia ad conservandum & custodiendum flores & fructus à nimio calore & frigore, est naturalis Instinctus.
7. Ignis habet naturalem Instinctum, in quantum se associat cum aëre, ut cum illo constringat aquam.
8. Per naturalem Instinctum ignis accipit siccitatem à terra, ut constringat aërem cum calefactione.
9. Naturale agens habet Instinctum ad disponendum materiam, ut possit trahere formam, quæ in ipsa est in potentia.
10. Animal agens, cùm generat, loco discretionis habet Instinctum in producendo supercilia supra oculos, & nasum supra os.
11. Ignis habet Instinctum ad desiccandum tegulam cum siccitate, & ad dissolvendum glaciem cum suo calore.
12. Per naturalem Instinctum natura habet appetitum ad res, quibus indiget.
13. Ignis habet Instinctum ad ascendendum per levitatem, & aqua ad descendendum per ponderositatem.
14. Sicut lux est instrumentum ad videndum, sic calor ignis est instrumentum ad suum Instinctum, cum quo discurrit.
15. Omnia naturalia instrumenta sequuntur Instinctum naturæ.
16. Quia sol & ignis habent similitudinem per lucem, habet sol Instinctum habendi majorem concordantiam cum illo, quàm cum aqua.
17. Instinctus ita præcedit appetitum, sicut intellectus præcedit voluntatem.
18. Quælibet planta habet Instinctum ad multiplicandum suam speciem.
19. Nullus est tam contrarius naturali Instinctui, sicut homo.
20. In brutis animalibus associantur naturalis Instinctus & industria, & in animali rationali Instinctus & discretio.

CAPUT LII.
De Appetitu.

1. APpetitus est delectatio, quæ requirit complementum.
2. Omnis potentia appetit habere actum, ut non sit otiosa.
3. Quia plus est esse & agere, quàm esse tantùm, ideo operatio est desiderabilis.
4. Forma appetit magnam materiam, ut in ipsa habeat magnum actum.
5. Forma movet materiam ad habendum magnum Appetitum.
6. Si materia moveret se ipsam sinè forma ad habendum Appetitum, esset forma.
7. Substantiæ habent Appetitum, quòd formas, quas habent in potentia, producant in actum.
8. Omnis forma habet Appetitum ad accipiendum & ad dandum.
9. Ignis habet Appetitum ad accipiendum siccitatem, & ad dandum suum calorem.
10. Ignis calefacit aquam, ut illi det Appetitum calefaciendi.
11. Quo magis ignis calefacit aquam, eò magis aqua appetit destructionem illius.
12. Nulla materia appetit suam contrariam formam.
13. Si materia appeteret suam contrariam formam, haberet Appetitum ad suum contrarium actum.
14. Planta habet Appetitum ad vegetandum, & sensus ad sentiendum.
15. Appetitus, quem planta habet ad faciendum folia & flores, est, ut faciat fructum.
16. Nullus sensus appetit sentire contra suam delectationem.
17. Omnis potentia habet majorem Appetitum per suam speciem, quàm per aliam.
18. Intellectus habet Appetitum ad magnum intelligere, ut habeat magnam potestatem.
19. Intellectus habet Appetitum ad magnum intelligere, ut per intelligere multùm recolatur & ametur.
20. Secundùm nobilitatem objecti ipsum est appetibile à voluntate.

CAPUT LIII.
De Antecedente & Consequente.

1. ANtecedens est id, quod ponit in necessitate id, quod per ipsum sequitur.
2. Consequens est id, quod monstrat necessitatem ante se ipsum.
3. De amante sequitur amare, & de amabili amatum.
4. In amare est amans per formam, & amabile per materiam.
5. Amare est Consequens amantis & amabilis.
6. Illa necessitas est major, quæ in una & eadem specie est ex Antecedente & Consequente.
7. Omnis appropriatio est Consequens proprii.

Ante-

8. Antecedens & Consequens non possunt separari.
9. De majori Antecedente majus Consequens.
10. Ignis per proprium calorem est Antecedens calori aquæ, & aër per appropriatum.
11. In Omni calore sequitur plus de virtute per ignem, quàm per aquam.
12. Illud, quod veritas ponit in vero, per illam est Antecedens illius, quod verificatur.
13. Illud, quod est positum in tempore, per tempus est Antecedens temporificati.
14. Bonitas, quam intellectus intelligit, est per intellectum Antecedens illius, quòd intelligatur.
15. Quia amare non est actus intellectûs, non sequitur, quòd aliquid ideo ametur, quia intelligitur.
16. In quantum hoc, quod pertinet ad intellectum, est Antecedens, in tantum suum intelligere antecedit ipsum amare Bonitatem, postquam illam intelligit.
17. Cùm intellectus & voluntas habeant concordantiam in Bonitate, sequitur, quòd, si Bonitas est intellecta, sit amata.
18. Cùm voluntas sit libera in amando, Antecedentia intellectûs, qui intelligit Bonitatem, non potest ipsam cogere ad amandum.
19. Quando intellectus intelligit peccatum, & voluntas illud amat, intellectus secundùm suam naturam est antecedens conscientiæ.
20. Consequentia peccati, quam intellectus intelligit, & quam voluntas diligit, est conscientia, quæ est in intellectu, & non in voluntate; &, si intellectus parùm intelligit peccatum, conscientia est in ipso in potentia.

CAPUT LIV.
De Necessitate & Contingentia.

1. NEcessarium est imago antecedentis & consequentis existentium in concordantia amborum unius speciei.
2. Contingentia est non coacta consequentia.
3. Omne illud, quod veritas ponit in vero, est necessarium.
4. Veritas, quam intellectus intelligit, est necessaria.
5. Omne ens, postquam est, necessarium est, ipsum esse.
6. Potestas non potest, quòd non fuerit hoc, quod fuit.
7. Omne illud, quod est in libertate, est per Contingentiam.
8. De nulla libertate sequitur coacta Consequentia.
9. Si intellectus intelligit eleemosynam, non sequitur, quòd voluntas illam amet.
10. Quando intellectus intelligit eleemosynam, & voluntas illam amat, voluntas amat illam per Contingentiam.
11. Qui de voluntate privaret libertatem, ab illa privaret electionem.
12. Qui privaret electionem boni vel mali in voluntate, ab illa privaret meritum.
13. Qui de voluntate privaret meritum, privaret justitiam DEI suo judicio.
14. Homo, qui habet prosperitates vel adversitates fortunæ, habet illas per voluntatem DEI, & per suam.
15. Multò meliùs est Contingentia per libertatem DEI, quàm per libertatem hominis.
16. Quia DEUS est justus, per suam libertatem non est ulla Contingentia peccati.
17. Sapientia DEI non potest cogere libertatem suæ voluntatis.
18. In DEO non est Contingentia; sed illud, quod in homine fit, est homini contingens per libertatem DEI.
19. Pluvia est consequentia necessitatis, quæ est suum antecedens; & utilitas, quam facit, est consequentia Contingentiæ.
20. Sol de necessitate multiplicat calorem ignis; sed homo per Contingentiam calefit, quando stat in præsentia solis.

CAPUT LV.
De Colore.

1. COlor est id, per quod corpus est coloratum.
2. Si non esset Color, nihil esset visibile.
3. Color est extensus per quantitatem corporis.
4. Omnis color habet appropriatam quantitatem.
5. In Colore luciditatis participant sol & ignis.
6. Diaphanitas est Color aëris, & albedo aquæ, & nigredo terræ.
7. Per mixtionem elementorum miscentur illorum Colores.
8. De simplicibus conjunctis & mixtis Coloribus sequitur compositus Color.
9. Nullus simplex Color videtur, & solus Color est visibilis.

10. Simplices Colores ita sunt gradati in composito, sicut qualitates in subſtantiis elementatis.
11. In croceo colore habet dominium Color ignîs, & in rubeo Color aëris, & in viridi Color aquæ, & in livido Color terræ.
12. Nullus Color tam intensè recipit Colorem ab alio Colore, sicut diaphanitas.
13. In rubeo Colore est plus de impressionibus Colorum, quàm in alio composito Colore.
14. Diaphanitas cryſtalli plus capit de similitudine rubei Coloris, quàm de alio Colore.
15. Quando pluvia cadit super plantas, magìs multiplicat viridem Colorem, quàm alium Colorem.
16. In livido Colore est major impressio nigredinis, quàm alterius Coloris.
17. Color violæ est extensus Color aëris.
18. Secundùm quòd compositi Colores sunt in majori vel minori quantitate, sunt eorum partes simplices intensæ vel extensæ.
19. Omnes Colores sunt de uno communi Colore.
20. Communis Color fuit concreatus cum communi subſtantia.

CAPUT LVI.

De Similitudine.

1. SImilitudo est imago alterius.
2. Accidentales formæ sunt Similitudines subſtantialium.
3. Bonitas Magnitudinis est Similitudo subſtantialîs Bonitatis.
4. Omnis effectus habet aliquam Similitudinem suæ causæ.
5. Omnis actus est Similitudo suæ potentiæ.
6. Nulla potentia est contra suam Similitudinem.
7. Omnis Similitudo est creatura.
8. Naturaliter omnis potentia delectatur in sua Similitudine.
9. Omnis Similitudo est activa vel passiva.
10. Quò magìs una Similitudo participat cum alia, eò magìs assimilatur cum illa.
11. Similitudines vel sunt concordantes, vel contrariæ.
12. Vestigium pedis est Similitudo pedis.
13. Loquela est Similitudo conceptionis mentis.
14. Una Similitudo est de alia.
15. Literæ ceræ sunt Similitudines sigilli.
16. Omnes Similitudines sustentatæ in corpore sunt de una communi Similitudine.
17. Speciales Similitudines fuerunt concreatæ in communi Similitudine.
18. Omnis impressio est de Similitudinibus.
19. Omnis Similitudo est ens positivum.
20. Influentiæ, quas corpora cœlestia faciunt in inferiora, sunt Similitudines illorum.

CAPUT LVII.

De Dissimilitudine.

1. DIssimilitudo est similitudo, in qua non est ordo.
2. Omnis Dissimilitudo est contrarium similitudinis.
3. Dissimilitudo est privatus habitus similitudinis.
4. Dissimilitudo fuit concreata cum Differentia & cum Contrarietate.
5. Sinè Contrarietate non potest esse Dissimilitudo per Differentiam.
6. Si Dissimilitudo specierum esset per Contrarietatem tantùm, non essent in aliquo similes.
7. Si Dissimilitudo porci & asini esset tantùm per Differentiam, non esset similitudo individuorum in specie per Differentiam.
8. Dissimilitudo porci & asini maximè dependet per Differentiam, & Dissimilitudo caloris & frigoris maximè dependet per Contrarietatem.
9. Dissimilitudo Virtutum & vitiorum simpliciter est per Contrarietatem.
10. Per privatum habitum Humilitatis superbia est illi dissimilis.
11. Similitudo & Dissimilitudo peccati & peccati non est concreata.
12. De nulla Dissimilitudine sequitur amor.
13. Infirmitates Voluntatis sunt Dissimilitudines.
14. Omnis adversitas est per Dissimilitudinem.
15. Oculi plorant propter Dissimilitudines, & rident propter similitudines.
16. In omni participatione similitudinis & Dissimilitudinis est passio.
17. Falsitas non est aliud ens positivum, nisi contraria Dissimilitudo Veritatis.
18. Solus homo & dæmon faciunt Dissimilitudinem de similitudine contra Veritatem.
19. Infirmus gustus cum Veritate trahit Dissimilitudinem de sapore.

Species

20. Species inserti est de similitudine & Dissimilitudine specierum; & hoc idem est de homine & mulo.

CAPUT LVIII.

De Dispositione.

1. DIspositio est ordo possitivitatis & possibilitatis.
2. Per formam, quæ est in potentia, est materia disposita ad passionem.
3. In Dispositione Finîs stat Dispositio formæ.
4. In Dispositione instrumentorum stat Dispositio operationis.
5. Ignis disponit aërem cum Concordantia caloris, & cum Contrarietate siccitatis & humiditatis.
6. Ignis disponit aquam ad calefaciendum cum calore & siccitate.
7. Una potentia disponit actum alterius.
8. In omni Dispositione est ordo.
9. Cum prosperitatibus sunt homines dispositi ad potentiam.
10. Cum adversitatibus sunt homines dispositi ad patientiam.
11. Omnis Dispositio spiritualis est nobilior, quàm corporalis.
12. Intellectus disponit Voluntati amare, in quantum intelligit Bonitatem.
13. Intellectus disponit Voluntati odire, in quantum intelligit peccatum.
14. Voluntas disponit Intellectui intelligere, in quantum illud desiderat amare.
15. Per frequens recolere Intellectus est dispositus ad intelligendum, & Voluntas ad amandum.
16. Recolitio periculi disponit timorem.
17. Magnus amor, quem anima habet ad corpus, disponit ipsam ad peccandum.
18. Omnis superfluitas est contra Dispositionem.
19. Medicus disponit ad sanitatem, & natura illam dat.
20. Justus homo se disponit ad gratiam, & DEUS illam dat.

CAPUT LIX.

De Proportione.

1. PRoportio est pulchritudo ordinis mensurarum.
2. Proportio non sustinet aliquam superfluitatem.
3. In Proportione neque est nimis multum neque nimis parum secundùm Justitiam.
4. Omnes partes sunt æquales in Proportione secundùm Justitiam.
5. Omnis Proportio est pulchra.
6. Sinè Proportione nulla res est pulchra.
7. Magister naturalîs Proportionis est instinctus naturæ.
8. Proportio magìs est per formam, quàm per materiam.
9. Omnis Proportio est de partibus conjunctis.
10. Per Proportionem laudantur magistri.
11. Proportio est de potentiis & actibus.
12. Proportio durat, & suum contrarium deficit.
13. Facies est pulchrior per proportionem suarum partium, quàm per suum colorem.
14. Proportio est magìs necessaria in facie, quàm in aliis partibus corporis.
15. In illo loco, in quo Proportio est magìs necessaria, est major.
16. Ita convenit Proportio in actibus animæ, sicut in actibus corporis.
17. Omnis Proportio est desiderabilis.
18. Artificialis Proportio est similitudo naturalîs.
19. Nulla subſtantia, quæ est ex partibus proportionatis, est turpis.
20. Per nullam rem magister tantùm laudatur, quantùm per proportionare.

CAPUT LX.

De Levitate & Ponderositate.

1. LEvitas est naturale instrumentum ad ascendendum, & Ponderositas est naturale instrumentum ad descendendum.
2. Levitas est proprietas formæ, & forma appropriat illam materiæ.
3. Ponderositas est proprietas materiæ, quam proprietatem inde accipit forma.
4. Ignis per Levitatem, quam habet per se ipsum, ascendit superiùs, & per siccitatem, quam capit à terra, descendit inferiùs.
5. Forma levis attrahens ad se materiam facit illam levem.
6. Ponderosa materia, in quantum forma ab illa accipit proprietatem, descendit ad illam.
7. In elementatis sibi obviant Levitas & Ponderositas.
8. In quantum ignis appetit siccitatem terræ, attrahit illam ad se, & facit terram levem.
9. Quando ignis in sua sphæra non potest

sufferre Ponderositatem grossiorum vaporum, descendit inferiùs cum illis.
10. Terra, quæ est in altis vaporibus, descendit inferiùs cum sua Ponderositate.
11. Sicut se habent ignis & terra per Levitatem & Ponderositatem, sic se habent aër & aqua.
12. Sicut ignis & aqua sunt contraria per calorem & frigus, sic sunt contraria per Levitatem & Ponderositatem.
13. Sicut aër & terra sunt contraria per humiditatem & siccitatem, sic sunt contraria per Levitatem & Ponderositatem.
14. Levitas est una communis proprietas, & sustentatur in igne & aëre.
15. Quia sphæra ignîs est superior, quàm sphæra aëris, ignis habet plus de Levitate, quàm aër.
16. Ponderositas est communis proprietas, & sustentatur in aqua & terra.
17. Omne corpus elementatum est grave & leve.
18. Corpus, quòd est magìs leve, ascendit superiùs, & illud, quod est magis grave, descendit inferiùs.
19. Quia sol adjuvat ignem & aërem, leves vapores maximè ascendunt de die, & graves vapores maximè descendunt de nocte.
20. Vapores, qui descendunt, quantò magìs sunt propinqui illorum centro, tantò graviores sunt, & ideo magìs properant.

CAPUT LXI.

De Attractione.

1. ATtractio est naturalis tractus, qui conjungit naturales appetitus.
2. Ignis attrahit ad se aquam, ut ab ipsa trahat passivum calorem.
3. Ignis attrahit ad se aërem, ut illi det suum calorem.
4. Ignis attrahit ad se terram, ut ab illa recipiat siccitatem.
5. Animal respirando attrahit frigidos vapores, qui sunt extrà, ut intrà temperet vapores nimiùm calefactos.
6. Ille, qui currit, magìs respirat, quàm alius; ut frequenter cum vaporibus ab extrà refrigeret membra ad intrà nimiùm calefacta.
7. Decoctio ignîs, quæ fit in corpore hominis, attrahit ad se vapores calidos, humidos, frigidos & siccos corporis.
8. Ille, qui attrahit, aperit poros, & destruit oppilationes.
9. Appetitiva attrahit cum suo proprio appetibili appetibiles cibos ad nutriendum.
10. Membra attrahunt digestas partes ab hepate ad vivendum.
11. Homo respirans aërem cum fistula, quæ participat cum ore & cum vino, attrahit vinum cum ore, quia partes aëris & vini sunt continuæ per species.
12. Major appetitus attrahit ad se minorem.
13. Quia magnes abundat in magna quantitate terræ, attrahit ad se ferrum, quod est de complexione terræ.
14. Reubarbarum attrahit ad se choleram, quia una similitudo appetit esse cum alia.
15. Voluntas attrahit ad se amatum, quia ipsum amat.
16. Forma attrahit ad se materiam, ut in illa habeat actum.
17. Materia non attrahit, sed habet appetitum, quòd attrahatur.
18. Dispositio objecti est passivum instrumentum attractionis.
19. Attractio est per actionem & passionem.
20. Sicut nullum ens producit se ipsum, ita nullum ens attrahit se ipsum.

CAPUT LXII.

De Duritie & Mollitie.

1. DUrities est id, per quod res sunt duræ, & Mollities est id, per quod res sunt molles.
2. Ignis mollificat ferrum cum calore.
3. Aër mollificat ferrum calefactum cum sua humiditate contra siccitatem.
4. Sicut aqua calefacta recuperat suam frigiditatem in absentia ignîs, ita ferrum recuperat suam Duritiem in absentia ignis.
5. Quia ferrum recuperat suam Duritiem in absentia ignîs, significatur, quòd sua Durities sit per aquam.
6. Ignis trahit aërem & aquam à tegula, quando illam desiccat; & ideo Durities tegulæ est à terra.
7. Durities ferri multiplicatur per frequentem calefactionem, quia ignis frequenter ex illo trahit aquam & aërem.
8. Quantò plus de terra est in ferro, tantò durius est.
9. Sicut aqua appropriat suam frigiditatem terræ, ita terra appropriat suam Duritiem aquæ.
10. Caro est mollis per aërem & per aquam, & os est durum per terram & per aquam.
11. Quia in glacie est plus de aqua, quàm de terra, est magìs dura per aquam, quàm per terram.
12. Ignis cum aëre habet naturam mollificandi, & cum terra indurandi.
13. Aër cum igne & aqua habet naturam mollificandi.
14. Aqua cum terra habet naturam indurandi, & cum aëre mollificandi.
15. Aër, qui est frigidus, indurat carnem & ceram.
16. Quando aqua est passiva, est materia Mollitiei, & quando est activa, Duritiei.
17. Aqua infrigidans aërem facit se ipsam duram in glacie.
18. Aqua recipiens humiditatem ab aëre, facit se ipsam mollem in carne.
19. Omnis aqua calida est magis mollis, quàm frigida.
20. Quia ignis est calidus & diffusivus, est mollis, & quia est siccus & attractivus, est durus.

CAPUT LXIII.

De Dulcedine & Amaritudine.

1. DUlcedo est id, per quod res sunt dulces, & amaritudo est id, per quod res sunt amaræ.
2. Dulcedo est propria qualitas ignîs & aëris, & est appropriata qualitas aquæ & terræ.
3. Quando fructus sunt virides, sunt amari, & quando sunt maturi, sunt dulces.
4. Quando fructus sunt virides, maximè participant cum terra & aqua, & quando sunt maturi, cum igne & aëre.
5. Generatio est per Dulcedinem, & corruptio per Amaritudinem.
6. Omnis fructus putridus est amarus, & habet majorem inclinationem ad aquam & terram, quàm ad ignem vel aërem.
7. Si per corruptionem aëris fructus est amarus, per generationem aëris est dulcis.
8. Dulcedo est digestus sapor in flore.
9. In una & eadem specie sunt fructus, qui sunt dulces & amari.
10. Malum granatum dulce est de complexione calida & humida, & acre de complexione frigida & sicca.
11. Forte vinum & piper sunt dulcia per calorem, & amara per nimiam siccitatem.
12. Quia ignis in pipere habet majorem participationem cum terra, quàm cum aëre, est piper magìs amarum, quàm dulce.
13. Mel est dulce, quia est de pinguedine florum.
14. Propter abundantiam magni caloris habet mel Dulcedinem.
15. Dulcedo est magìs receptiva in melle per calorem, quàm Amaritudo per siccitatem.
16. Quia vita est per calorem & humiditatem, est Dulcedo de eorum natura.
17. Id, propter quod Amaritudo est causa sanitatis, est, quia refrænat nimiam abundantiam Dulcedinis.
18. Aër appropriat suam Dulcedinem aquæ, & ventus in movendo, & sol in attrahendo humiditatem faciunt ipsam amaram in mari.
19. Quia infirmitas est de corruptione, infirmus gustus invenit Amaritudinem in dulcibus rebus.
20. Dulcedo & Amaritudo sunt partes saporis.

CAPUT LXIV.

De Pleno & Vacuo.

1. PLenum est id, quod implet concavitatem vasis cum suis mixtis partibus.
2. Vacuum est id, quod privatur Finibus.
3. Nulla pars potest implere sinè alia.
4. Solæ substantiales partes implent.
5. Materia magìs implet per extensitatem, & forma per intensitatem.
6. Plenum Bonitatis est de bonificante, bonificabili & bonificare, & plenum Voluntatis de amante, amabili & amare.
7. Forma implet materiam, & materia implet formam.
8. Discretæ partes non implent.
9. Si discretæ partes implerent, magìs implerent mixtionem partium, quàm plenum.
10. Si elementa non essent invicem unum in aliis, esset Vacuitas in natura.
11. Illud elementatum, quod est magìs calidum, est magìs plenum per ignem, & illud, quod est magìs siccum, est magìs plenum per terram.
12. Illud, quod corrumpit, est vacuum Fine.
13. Potentia sinè actu est vacua.
14. Ignis evacuat aquam, in quantum illi impedit ejus virtutem.
15. Ille evacuat materiam, qui illi impedit passionem.
16. Forma, quæ est in potentia, est vacua actu.
17. In utre, qui est plenus vento, dilatantur elementa, & quando comprimitur, elementa constringuntur.

18. In rara materia est aër dominus complementi.
19. In privatione Finis corruptio est domina Vacuitatis.
20. Cùm omnia sint propter Finem, quod privatur Fine, est vacuum omnibus rebus.

CAPUT LXV.

De Causa, Effectu & Occasione.

1. CAusa est id, per quod est Effectus.
2. Effectus est opus sui factoris.
3. Occasio est instrumentum Causæ & Effectûs.
4. Ignis est causa calefacti cum calore, & Finis est causa calefacti cum igne.
5. Ultima Causa est Finis.
6. Nullum accidens est Causa.
7. Occasio est accidens, quod est de Causa & causato.
8. Occasio quandoque dependet ex parte Causæ, quandoque ex parte Effectûs.
9. Bonitas est Occasio boni, & bonum, quod agit bonum, est Causa illius.
10. Occasio non compellit Causam, sed disponit illam.
11. Dispositio Effectûs est Occasio illius & Causæ.
12. Voluntas cum Libertate est Causa amandi.
13. DEUS est prima Causa & ultimus Finis.
14. Intellectus est Causa sui intelligere cum Veritate.
15. Memoria est Causa sui memorare cum Occasione.
16. Moralis Virtus est Occasio boni, & vitium est Occasio mali.
17. Sitis est Occasio bibendi, & ille, qui bibit, est Causa bibendi.
18. Pulchritudo est Occasio videndi, & ille, qui videt, est Causa videndi, sed visus, in quantum visus, est Effectus.
19. Libertas est Occasio consilii.
20. Sol cum sua claritate est Causa diei, & cum sua absentia est Occasio noctis.

* Otiositas est Occasio mali, & ille, qui est otiosus, est Causa mali & Occasionis.

CAPUT LXVI.

De Participatione.

1. PArticipatio est vicinitas potentiarum & actuum.
2. Bonitas & Magnitudo insimul participant, in quantum sibi invicem dant suas similitudines.
3. Participante Bonitate & Magnitudine participant illarum actus.
4. In quantum Bonitas habet parvum bonificare, non est vicina Magnitudini.
5. In quantum Magnitudo participat cum malitia, non est vicina Bonitati.
6. Omnes potentiæ & omnes actus participant cum Potestate.
7. Participatio bonarum Concordantiarum est bona.
8. Participatio multarum magnarum similitudinum est valde magna.
9. Participatio est propter Finem.
10. Nulla Participatio est de contrariis.
11. Omnis Participatio est de partibus.
12. In homine participant res spirituales & corporales.
13. Ignis & aër participant in calore.
14. Populus & Rex participant in Justitia.
15. In divitiis participant divites & pauperes.
16. Potentia & objectum participant in actu.
17. Omnes Fines participant in Fine DEI.
18. Participatio hominis virtuosi est multùm desiderabilis.
19. Nulla Participatio est major, quàm Participatio Amoris.
20. Memoria Intellectus & Voluntas participant cum suis actibus.

* Nulla Participatio est plena cum conditione.

CAPUT LXVII.

De Discursiva.

1. POtentia discursiva est illa, quæ inquirit possibilitates suorum actuum.
2. Ignis cum suo calore inquirit calefactibilitates.
3. Ignis inquirit substantias illuminabiles cum sua luce, ut ipsas illuminet.
4. Ignis inquirit in aëre cum sua potestate omnes illas possibilitates, in quibus potest habere actionem.
5. Omnis naturalis potentia habet suum naturalem Discursum, ut habeat naturalem actum.
6. Quælibet potentia cum suis Rationibus inquirit suos actus.
7. Ignis cum sua Bonitate inquirit bonam calefactionem, & cum sua Magnitudine magnam, & cum sua Duratione durabilem.
8. Vegetativa inquirit id, in quo possit vegetare, & sensitiva id, in quo possit sentire.

Vege-

9. Vegetativa inquirit cum sua appetitiva appetibilitates, & cum sua retentiva retentibilitates, & cum digestiva digestibilitates, & cum expulsiva expulsibilitates.
10. Sensitiva inquirit cum sua visitivitate res visibiles, & cum sua auditivitate res audibiles, & sic de aliis potentiis sensitivæ.
11. Imaginativa discurrit per imaginabilitates, & memorativa per memorabilitates, & intellectiva per intelligibilitates, & voluntas per amabilitates.
12. Quod potentia non potest attingere cum una natura, attingit cum alia.
13. Intellectus discurrit cum imaginatione per res corporales, & sinè imaginatione per res spirituales.
14. Quando Intellectus discurrit cum sua Bonitate inquirendo Veritatem Bonitatis, tunc habet ordinatum Discursum.
15. Quando Intellectus discurrit cum sua Bonitate inquirendo Veritatem suæ Magnitudinis, tunc habet ordinatum Discursum.
16. Id, propter quod Intellectus fallit in suo Discursu, est, quia non concordat proprietates activas & passivas.
17. Si Voluntas cum magna amativitate discurrat res parùm amabiles, non facit bonum Discursum.
18. Si Voluntas cum oditivitate discurrat res odibiles, tunc facit bonum Discursum.
19. Si Memoria discurrat per species, quas accepit per Intellectum sub ratione amabilitatis, deficit in suo Discursu.
20. Convenit, quòd in omni Discursu sit ordo formarum activarum & passivarum.

CAPUT LXVIII.

De Deliberativa.

1. DEliberativa est potentia, quæ spectat electionem.
2. Secundùm naturalem instinctum ignis habet Deliberationem in suis operibus.
3. Ignis deliberat in vere operationem, quam habebit in æstate, & ignis deliberat, utrùm consentiat appetitibus aëris vel terræ.
4. Quia aër & terra habent concordantiam cum aqua, quæ illis est contraria, ipsa non consentit omnibus eorum appetitibus.
5. Ignis inquirit, cum quo, scilicet cum aëre vel cum terra plus possit contra aquam.
6. Piper habet naturalem Deliberationem, utrùm magis consentiat ad recipiendum influentiam ignis, quàm solis.
7. Sinè Deliberatione non esset naturalis instinctus.
8. Deliberatio naturalis instinctûs sequitur ordinem.
9. Propter magnum pavorem capra, quæ videt venire lupum, non habet Deliberationem fugiendi.
10. Capra, quæ videt lupum, qui ipsam non videt, habet Deliberationem, utrùm fugiat vel non.
11. Antequam avis volet, habet Deliberationem, versùs quam partem volabit.
12. Homo habet Deliberationem secundùm quod consentit actibus suarum Rationum.
13. Homo, qui videt venire ensem supra suum caput, non habet Deliberationem ponendi suum brachium ante suam faciem, quia jam est facta Deliberatio per naturalem instinctum.
14. Homo luxuriosus, qui imaginatur luxuriam, non habet Deliberationem, utrùm luxuriabitur vel non, quia jam est deliberatum per privatum habitum Castitatis.
15. Quælibet potentiarum animæ cum suis propriis Rationibus habet suam Deliberationem.
16. Intellectus cum sua Bonitate habet suam Deliberationem.
17. Quia fœmina amat suum filium cum magna Voluntate, non habet Deliberationem, an illum amabit vel non.
18. Non oportet, quòd Princeps, qui habet malum consilium, aliquid deliberet, quia jam deliberatum est malum regimen per suum malum consilium.
19. Nulla Deliberatio est tam necessaria, sicut Personæ Communis.
20. DEUS est tam bonus, quòd non oportet, quòd homo habeat Deliberationem, utrùm illi in omnibus rebus serviat, vel non.

CAPUT LXIX.

De Perceptiva.

1. PErceptiva est potentia, cum qua percipiuntur res secretæ.
2. Ignis, qui est diffusus per multas species & per individua illarum, secundùm necessitates specierum percipit influentias solis.
3. Ignis percipit unam influentiam solis per speciem piperis, & aliam per speciem caulis.
4. Quando ignis ex parte sui ipsius habet defectum caloris in pipere, & sentit illum fortificari, percipit influentiam solis.
5. Flos percipit rectitudinem à sole, ad quem se vertit, quia in illa rectitudine plus sentit de calore, quàm in alia.

Planta

6. Planta percipit diem, in quantum illi amplificat ſuos flores, & noctem, in quantum ipſi illos reſtringit.
7. Senſitiva cum ſiti percipit conſumptionem humiditatis & frigiditatis.
8. Viri percipiunt luxuriam in fœmina, quæ in facie ponit colores.
9. Per imaginationem, quæ imaginatur luxuriam, tactus percipit operationem illius.
10. Per congregare denarios, & parum expendere, homo percipit avaritiam.
11. Cum ſermone percipit homo conceptionem mentis.
12. Per mortem mortui hominis percipit vivus homo ſuam mortem.
13. Per malum conſilium percipit populus malum Principem.
14. Quando homo cadit, manus percipiunt tangere in terra.
15. Per nimiam locutionem percipit homo mentiri.
16. Per Phyſiognomiam percipit homo conditiones & naturas hominum.
17. In participationibus hominum percipiuntur conditiones illorum.
18. Cum actibus percipit homo potentias.
19. In nullo loco homo tam bene percipit, quales ſint Voluntates hominum, ſicut in facie.
20. In levatione menſæ percipiuntur homines.

* Cum proſperitatibus & adverſitatibus percipiuntur mores hominum.

CAPUT LXX.

De Doctiva & Apprehenſiva.

1. DOctiva potentia eſt illa, cum qua magiſtri docent, & Apprehenſiva eſt illa, cum qua ſcholares addiſcunt.
2. Affatus eſt inſtrumentum docendi, & auditus addiſcendi.
3. Doctrina incipit in conceptione mentis, & extenditur per affatum, & in illo, qui addiſcit, incipit in auditu, & expanditur per conceptionem mentis.
4. Nulla mechanica Doctrina eſt tam propinqua naturali, ſicut Muſica.
5. Fabrilis Doctrina incipit in oculis & in manibus.
6. Doctiva eſt de activis ſimilitudinibus, & Apprehenſiva de paſſivis.
7. Magiſter, qui trahit ſpecies de Memoria cum Voluntate, docet poſitivè, & ille, qui ipſas trahit cum Intellectu, docet oſtenſivè.
8. Species oſtenſivè traditæ durant.
9. Per ſpecies oſtenſivas ſcholares ſunt ſubtiles, & per poſitivas rudes.
10. Doctrina Juris eſt per recolere, & Doctrina Philoſophiæ per intelligere, & Doctrina Theologiæ per utrumque.
11. Medicus ſupponit per ſuos libros, & demonſtrat per experientiam.
12. Logicus docet in aëre, & Naturalis in cœlo & in terra.
13. Doctrina, quæ non incipit in primis Principiis, non eſt magna.
14. De ſubtili magiſtro ſubtilis ſcholaris.
15. In Doctrina pro denariis docta Intellectus eſt inſtrumentum, & Voluntas domina.
16. Doctrina per timorem edocta non eſt magna.
17. Doctrina propter indigentiam edocta, non amatur propter ſe.
18. Ille habet magnam Doctrinam, qui illam amat propter DEUM.
19. Magna Doctrina traditur cum magnis inſtrumentis.
20. In mundo non eſt tam magna indigentia, ſicut indigentia Doctrinæ.

CAPUT LXXI.

De Opinione.

1. OPinio eſt ſuppoſitio alicujus rei cum dubitatione.
2. Opinio non eſt de neceſſariis ſimilitudinibus.
3. Si opinio non participaret cum dubitatione, converteretur cum fide.
4. Cauda Opinionis eſt dubitatio.
5. Si Opinio haberet æqualem inclinationem cum affirmatione & negatione, converteretur cum dubitatione.
6. Omnis Opinio eſt infirma.
7. Omnis Opinio eſt de affirmatione vel negatione.
8. Omnis Opinio eſt magìs per extrinſecas ſimilitudines, quàm per intrinſecas.
9. Omnis Opinio eſt per virtutem vel per vitium.
10. De magnis ſecretis magnæ Opiniones.
11. Opinio de rebus moralibus non tantùm durat, quantùm Opinio de naturalibus.
12. Stultam Opinionem habet, qui ſinè temperantia habet Opinionem longæ vitæ.
13. Opinio magìs eſt per Voluntatem, quàm per Intellectum.
14. Opinio eſt centrum circumſtantiarum.
15. Major Opinio eſt, quòd homo, qui vadit de nocte, ſit fur & latro, quàm ille, qui vadit de die.
16. Opinio & ſuſpicio in moribus convertuntur.
17. Opinio vanæ gloriæ eſt multum loqui de ſe ipſo.
18. Una Opinio eſt per conſuetudinem, & alia per naturam.
19. Propter juventutem homines habent Opinionem longæ vitæ.
20. Omnis homo habet Opinionem ſalvationis.

CAPUT LXXII.

De Dubitatione.

1. DUbitatio eſt æqualis confuſio affirmationis & negationis.
2. Dubitatio non declarat inter antecedens & conſequens.
3. Omnis Dubitatio dat paſſionem.
4. Dubitatio eſt confuſa materia affirmationis & negationis.
5. Sicut privatio eſt principium corruptionis & generationis, ſic Dubitatio eſt principium affirmationis & negationis.
6. Omne dubium eſt materiale principium.
7. Si Dubitatio eſſet formale principium, non eſſet in medio affirmationis & negationis.
8. Opinio trahit deliberationem de Dubitatione.
9. Per Dubitationem omnes potentiæ animæ ſunt infirmæ.
10. Dubitatio eſt magìs propinqua poſitioni, quàm demonſtrationi.
11. In Dubitatione Intellectus eſt magìs infirmus, quàm alia potentia.
12. Illa potentia, quæ eſt magìs infirma per Dubitationem, eſt illi magìs contraria.
13. Dubitatio eſt conjunctio confuſorum actuum.
14. Ille incipit deſtruere Dubitationem, qui declarat aliquem actum.
15. Nulla res eſt magìs periculoſa, quàm Dubitatio.
16. Dubitatio eſt ita privatus habitus intelligendi, ſicut cæcitas eſt privatus habitus videndi.
17. Per Dubitationem nullus homo habet quietem.
18. Qui ſuum adverſarium inducit ad Dubitationem, appropinquat illum ad Veritatem.
19. In Dubitatione fit primò converſio de errore ad Veritatem.
20. Difficile eſt deſtruere antiquam Dubitationem.

CAPUT LXXIII.

De Affirmatione & Negatione.

1. AFfirmatio eſt vocabulum, quod ſignificat oſtenſivam neceſſitatem, & Negatio eſt vocabulum, quod ſignificat inconveniens & impoſſibile.
2. Quia DEUS eſt, Affirmatio habet majorem neceſſitatem, quàm Negatio.
3. De DEO dicit homo majorem Veritatem affirmando, quàm negando.
4. Major Veritas eſt, dicere: DEUS eſt Æternitas, quàm dicere: DEUS non eſt aſinus.
5. DEUS non eſt DEUS, quia non eſt aſinus, & eſt DEUS, quia eſt Æternitas.
6. De majori Veritate major Affirmatio, & de majori falſitate major Negatio.
7. Omnis Negatio eſt conſequentia Affirmationis, & nulla Affirmatio eſt conſequentia Negationis.
8. Si Affirmatio eſſet conſequentia Negationis, eſſet conſequentia ſuî ipſius.
9. Una Affirmatio eſt per ſenſum, & alia per imaginationem.
10. Nulla Affirmatio eſt tam magna per imaginari, ſicut per intelligere.
11. Affirmatio, quæ eſt per Voluntatem, habet inclinationem ad poſitionem, & Affirmatio, quæ eſt per Intellectum, habet inclinationem ad demonſtrationem.
12. Quia Affirmatio eſt de antecedentibus Principiis, & Negatio de conſequentibus, Intellectus plùs laborat per oſtenſionem, quàm per impoſſibile.
13. Affirmatio oſtenſiva eſt lumen neceſſariæ Negativæ.
14. Dubitatio eſt magìs remota ab Affirmatione, & opinio eſt illi magìs propinqua.
15. Qui affirmat ſinè deliberatione, eſt propinquus Negationi.
16. Affirmatio non participat cum excuſatione.
17. Affirmatio eſt fortior de die, quàm de nocte.
18. Homines magìs lætantur per Affirmationem, quàm per Negationem.
19. Negatio non tranſit ad aliam vitam.

20. Affirmatio est per primam intentionem, & Negatio per secundam.

CAPUT LXXIV.

De Communicatione.

1. COmmunicatio est extrema participatio.
2. Substantia communicans suas proprias proprietates communicat se ipsam.
3. Substantialis Bonitas, quæ Magnitudini communicat suam accidentalem Bonitatem, dat illi se ipsam.
4. Ignis dans suum calorem aëri, se ipsum dat illi.
5. Ignis non communicat suum calorem aquæ, ut sit illius, sed ut ipsam destruat.
6. Sol non communicat suam claritatem igni, sed similitudinem illius.
7. Si sol communicaret suam claritatem igni, misceret suam substantiam cum substantia ignis.
8. Si scientia, quam Magister docet & communicat, esset de essentia Magistri, influendo suam scientiam influeret suam substantiam.
9. Objectum non communicat suam essentiam potentiæ, sed suam similitudinem.
10. Intellectus communicat suum intelligere amabilitati, & Voluntas suum amare intelligibilitati, & Memoria suum recolere ambobus.
11. Sensus communicat suam sensibilitatem imaginabilitati.
12. Imaginatio communicat illud, quod accipit à sensu, potentiis animæ.
13. Una potentia communicat alteri suam Virtutem.
14. Communicatio est in creaturis per appropriationem.
15. Princeps communicat suo hæredi suam Potestatem.
16. Unus peccator communicat alteri suum peccatum.
17. Ex communicatione sequitur communis proprietas.
18. Qui suo amare communicat Bonitatem, non fatigatur.
19. Qui se communicat malo domino, se ipsum magno labori communicat.
20. Communicatio multorum bonorum est valde bona.

) o (

CAPUT LXXV.

De Factiva.

1. FActiva est potentia, quæ facit esse hoc, quod devenit in actum.
2. Ignis habet potentiam factivam, cum qua facit hoc, quod facit.
3. Id, quod factum est, est factum per factivam.
4. Potentia factiva facit, quòd hoc, quod non est, sit.
5. Sol habet potentiam factivam, in quantum facit influentiam, quam transmittit inferiùs.
6. Naturalis Factivitas facit de naturali factibilitate naturale factum.
7. Planta cum sua Factivitate facit folia, flores & fructus de sua naturali factibilitate.
8. Ignis facit aquam calidam, & aër facit ipsam humidam.
9. Factivitas ignis & aëris se habent ad unum finem in calefaciendo aquam.
10. In Factione concurrunt multæ factivitates.
11. Factor facit bonum cum Bonitate, & magnum cum Magnitudine, & durabile cum Duratione, & coloratum cum colore.
12. Factio semper est de aliqua re.
13. Materia est subjectum Factionis, & suum particulare fit in Factione.
14. Vir & fœmina faciunt filium.
15. Fœmina ita facit filium per Factionem viri, sicut aër facit aquam calidam per calorem, quem accipit ab igne.
16. Magister habet artificialem Factionem, cum qua facit artificiale factibile.
17. Faber facit clavum de ferro.
18. Intellectus facit species, de quibus facit scientiam.
19. Intellectus facit species, in quantum illas trahit de potentia in actum.
20. Homines cum Virtutibus se faciunt bonos, & cum vitiis malos.

CAPUT LXXVI.

De Instrumentativa.

1. INstrumentativa est potentia, cum qua factor facit opus.
2. Omne Instrumentum movetur ad operandum.
3. Omne Instrumentum motum ad operandum movet opus.
4. In quantum una potentia se juvat cum alia, facit de illa Instrumentum.

Clari-

5. Claritas solis est Instrumentum ad videndum, & per ignem est Instrumentum ad calefaciendum.
6. Moralis Bonitas est Instrumentum homini, in quantum cum illa se facit bonum.
7. Martellus est Instrumentum clavi, & clavus pedis equi, & pes equi equitis, & eques Regis, & Rex populi, & populus honoris DEI.
8. Quantitas est Instrumentum mensuræ, & qualitas determinationis, & relatio consequentiæ, & actio formæ, & passio materiæ, & habitus doctrinæ, & situs figuræ, & tempus motûs, & locus continentis.
9. Instrumentum est in medio agentis & agibilis.
10. Instrumentum est ita necessarium patienti, sicut factori.
11. In dispositione Instrumenti est dispositio factoris & facturæ.
12. Omni substantiæ sunt necessaria Instrumenta, exceptâ substantiâ DEI.
13. Otiositas est destructio Instrumentorum.
14. Elementare est Instrumentum elementati, & vegetare vegetati, & sentire sentiti, & intelligere intellecti.
15. Moralitates sunt Instrumenta meritorum, & merita judicii, & judicium justitiæ.
16. Intellectus est Voluntati Instrumentum electionis, & Voluntas est Intellectui Instrumentum diligentiæ, & Memoria est Instrumentum ad conservandum operationes amborum.
17. Differentia est Instrumentum intellectûs, & concordantia Voluntatis, & Finis Memoriæ.
18. Imaginatio est Instrumentum Voluntatis per desiderare, & Intellectûs per intelligere, & Memoriæ per memorare.
19. Corpus est Instrumentum animæ, & anima corpori ad serviendum DEO.
20. Omnes corporales substantiæ & illarum accidentia sunt homini Instrumenta ad honorandum DEUM & serviendum illi, & homo similiter est Instrumentum substantiis.

CAPUT LXXVII.

De Juvativa.

1. JUvativa est potentia, cum qua una substantia adjuvat aliam.
2. Bonitas juvat Magnitudinem cum sua similitudine, & Magnitudo Bonitatem cum sua.
3. Omnis substantia indiget Adjutorio exceptâ Substantiâ DEI.
4. Id, propter quod Substantia DEI non indiget Adjutorio, est, quia est æterna & infinita.
5. Id, propter quod creata substantia indiget Adjutorio, est, quia non est per se ipsam.
6. Quia creata substantia non est propter suum Finem, sed propter Finem DEI, indiget Adjutorio.
7. Quælibet substantia naturaliter se juvat cum suis partibus.
8. Planta se juvat cum sua Bonitate, quòd sit bona, & cum sua Magnitudine, quòd sit magna.
9. Omnis homo indiget alio homine.
10. Ad faciendum clavum forfices juvant martellum.
11. Sol juvat ignem ad multiplicandum suum calorem, & luna aquam ad multiplicandum suum frigus.
12. Manus & pedes juvant ventrem, & venter juvat ipsos.
13. Unus pes juvat alium.
14. Equus, gladius & scutum juvant equitem, & eques juvat Regem.
15. Aër cum suo calore & humiditate juvat ignem ad calefaciendum aquam, sed cum sua humiditate non juvat ipsum ad desiccandum illam.
16. Nulla potentia sinè Adjutorio alterius potest habere suum actum.
17. Ille habet majorem actum, qui habet majus Adjutorium.
18. Adjutorium hominum non est tam magnum, sicut Adjutorium DEI.
19. Quilibet homo plus potest juvare se ipsum, quàm alium.
20. Denarii & honores non possunt tantum juvare, sicut homines.

* Quia homo est ex elementis, possunt illum magis juvare, quàm firmamentum.

CAPUT LXXVIII.

De Impeditiva.

1. IMpeditiva est potentia, quæ aliis potentiis impedit suos actus.
2. Quia Fines sunt variabiles, unus Finis impedit alteri suum Principium & Medium.
3. In omni substantia, quæ est de contrariis, sunt Impedimenta.
4. Peccatum tantùm impedit DEUM à faciendo bonum hominibus.
5. Si non esset peccatum, gratia DEI esset in omnibus hominibus.

6. Ignis cum ſua ſiccitate impedit aërem, ne det humiditatem aquæ.
7. Ignis per concordantiam, quam habet cum aëre, in quantum illi dat ſuum calorem, impedit aërem, ne det ſuam humiditatem aquæ.
8. Aër, in quantum habet concordantiam cum aqua, quæ accipit ſuam humiditatem, & in quantum habet contrarietatem cum igne, qui ipſum deſiccat, impedit ignem, ne calefaciat aquam.
9. Planta cum ſuis foliis impedit gelu, ne deſtruat ſuos flores.
10. Tenebræ impediunt oculos, ne videant.
11. Quando intellectus ſe aſſuefcit ad multùm imaginandum res corporales, imaginatio impedit illum ab intelligendo res ſpirituales.
12. Quando voluntas ſe aſſuefcit ad multùm amandum aliquam rem temporalem, impedit intellectum ab intelligendo res alterius vitæ.
13. Qui multùm recolit aliquam rem, impedit voluntatem ab amando aliam rem.
14. Nullus homo tantum impedit alium, quantum ſe ipſum.
15. Malus homo impedit bonum hominem in faciendo bonum.
16. Impedimentum faciliter accidit, & difficulter auffertur.
17. Omnis homo, qui impedit bonum, facit malum.
18. Mali homines impediunt reſurrectionem & diem judicii, ne citò ſint.
19. Avarus homo impedit denarios, ne ſerviant.
20. Nimium comedere & bibere impediunt digeſtionem.

CAPUT LXXIX.
De Elementis.

1. ELementa ſunt ſimplicia corpora, quæ componuntur in tertio corpore, quod eſt ex illis.
2. Elementa ſunt quatuor, ut ex illis ſit quadrangulus, & ut ex quadrangulo ſit triangulus.
3. De elementali quadrangulo ſunt duodecim generales trianguli.
4. De igne, terra & aëre eſt unus triangulus per concordantiam & contrarietatem; de igne & terra, quæ concordant per ſiccitatem; & de igne & aëre, quæ concordant per calorem; & de terra & aëre, qui contrariantur per humiditatem & ſiccitatem.
5. Ignis, aër & aqua faciunt triangulum per concordantiam caliditatis &. humiditatis, & per contrarietatem caloris & frigoris.
6. Ignis, aqua & terra faciunt triangulum per concordantiam & contrarietatem ſiccitatis, caloris & frigoris.
7. Quodlibet Elementum ita habet tres triangulos, ſicut ignis.
8. Si eſſent plura vel pauciora Elementa, naturalis triangulus non poſſet eſſe de naturali quadrangulo.
9. Sinè naturali & corporali triangulo non poſſet eſſe plenus naturalis & corporalis quadrangulus.
10. De corporali & naturali quadrangulo & triangulo eſt plenus naturalis circulus.
11. Quodlibet Elementum habet ſuum proprium locum, qui eſt ſua ſphæra.
12. Quia locus eſt magìs plenus de ſimplicibus & compoſitis, quàm de ſimplicibus tantùm, intrant & exiſtunt quædam Elementa in aliis.
13. Si alia Elementa non eſſent in ſphæra ignîs, non eſſet plena triangulis, nec concordantiâ, contrarietate, motu & aliis generalibus Principiis.
14. Si Elementa ſimplicia non eſſent eſſentialiter in compoſitis elementatis, nullum compoſitum elementatum eſſet plenum naturalibus & corporalibus triangulis.
15. Si terra, & hoc idem de aëre & aqua, non eſſet ſupra in ſphæra ignîs, non aſcenderent in ipſam ad accipiendum influentiam à corporibus cœleſtibus.
16. Si ſphæra aquæ eſſet tota plena ſimplici aquâ ſolidâ, & occuparet locum aliis Elementis, ignis ſuperior non poſſet deſcendere inferiùs, nec iſte, qui eſt inferiùs, poſſet aſcendere ſuperiùs, & in igne perderentur motus, appetitus & levitas.
17. Si Elementum ſimplex eſſet corruptibile, perderentur ſuæ propriæ qualitates, & accidentia eſſent proprietates ſinè propriis ſubjectis, & ſuſtentarentur in ſe ipſis.
18. Si aliqua pars ſimplicis aëris converteretur in ſimplicem ignem, aliqua pars humiditatis converteretur in calorem & ſiccitatem.
19. Nullum generale accidens eſt corruptibile in ſuo proprio ſubjecto.
20. Si ignis converteret aërem in ſua ſphæra, in ſua ſphæra eſſet vegetatio.

CAPUT

CAPUT LXXX.
De Calore & Frigore.

1. CAlor eſt inſtrumentum calefaciendi, & Frigus frigefaciendi.
2. Ignis & aqua cum ſuis inſtrumentis contrariantur.
3. Calefactibilitas aquæ eſt contra ſuam ſubſtantiam, & frigibilitas ignîs eſt contra ignem.
4. Calefactibilitas aquæ eſt paſſiva qualitas appropriata per calefactibilitatem aëris, quæ habet concordantiam cum ipſa.
5. Si calefactibilitas eſſet appropriata aquæ, aqua naturaliter eſſet contra ſuam frigibilitatem.
6. Sola materia aquæ eſt calefactibilis.
7. Materia aquæ calidæ eſt ſubjectum igni & aëri calefaciendi id, quod participat cum aqua.
8. Forma aquæ reſiſtit calefactibilitati ſuæ materiæ.
9. Ignis calefaciens materiam terræ calefacit aquam.
10. Qui calefacit ſubjectum Frigoris, privat de illo actum Frigoris.
11. In quantum aqua habet concordantiam cum aëre, eſt magìs calida per calorem aëris, quàm ignîs.
12. Appetitus, quem aqua habet ad humiditatem aëris, disponit aquam ad magnam calefactibilitatem.
13. Ignis ſinè medio non poſſet calefacere aquam.
14. Ignis magìs calefacit aquam in cholerico, quàm in phlegmatico.
15. Ignis magìs calefacit aquam per naturam, quàm per artificium.
16. Aqua eſt magìs calida in pipere, quàm in calido ferro.
17. Calor aquæ magìs durat in pipere, quàm in calido ferro.
18. Aqua eſt magìs frigida in aurora, quàm in media nocte.
19. Quia ignis magìs depurat aquam in æſtate, quàm in hyeme, aqua eſt magìs frigida in æſtate, quàm in hyeme.
20. Id, propter quod ignis eſt magìs calidus in vino, quàm in racemo, eſt, quia aqua eſt magìs frigida in racemo, quàm in vino.

CAPUT LXXXI.
De Humiditate & Siccitate.

1. HUmiditas eſt id, per quod ſubſtantiæ ſunt humidæ: & Siccitas eſt id, per quod ſubſtantiæ ſunt ſiccæ.
2. Terra conſumens Humiditatem facit naturalem appetitum deſiderare humiditatem contra ſuam ſiccitatem.
3. Linea, quæ eſt de Humiditate & Siccitate, eſt ſubjecta corruptioni, & linea, quæ eſt de Humiditate & frigiditate, eſt ſubjecta generationi.
4. Humiditas eſt major in nocte, & Siccitas in die.
5. Humiditas & Siccitas ſunt magìs paſſibiles qualitates, quàm calor & frigus.
6. Quia ſphæra ignîs & ſphæra aquæ ſunt magis remotæ una ab alia, quàm ſphæra aëris & ſphæra terræ, calor & frigus ſunt magìs contrariæ qualitates, quàm Humiditas & Siccitas.
7. Homines, qui habent tuſſim per Humiditatem, magìs tuſſiunt de nocte, quàm de die.
8. Quia Humiditas ſe extendit, eſt occaſio lætitiæ, & quia Siccitas ſe reſtringit, eſt occaſio triſtitiæ.
9. Quia Humiditas ſe magìs extendit, quàm Siccitas, requirit majorem motum.
10. Aër non motus eſt major occaſio corruptionis, quàm terra non mota.
11. Nullus ſenſus attingit Humiditatem nec Siccitatem.
12. Sitis eſt figura Siccitatis, & ſpuere ſinè ſiti eſt figura Humiditatis
13. Ignis & aër ſunt contraria per Siccitatem & Humiditatem, & terra & ignis per frigiditatem & calorem.
14. Ignis habet majorem concordantiam cum aëre per calorem, quàm cum terra per Siccitatem.
15. Aër habet majorem concordantiam cum aqua per Humiditatem, quàm cum igne per calorem.
16. Aër habet majorem contrarietatem cum terra per aquam, quàm per ignem.
17. Plantæ nutriuntur cum Humiditate, & ſunt maturæ cum Siccitate.
18. Quia fructus ſunt maturi cum Siccitate, colliguntur in æſtate.
19. Sicci fructus meliùs conſervantur, quàm humidi.
20. Sicut generatio priùs incipit cum Humiditate, quàm cum Siccitate, ſic corruptio priùs incipit cum Siccitate, quàm cum Humiditate.

CAPUT LXXXII.

De Vapore.

1. Vapor est congregatio corporum tam subtilium, quòd non habet determinatum colorem & figuram.
2. Pluvia est aqua, quæ exit de Vaporibus, & descendit de aëre in terram.
3. Vapores sunt partes minutæ, quæ exeunt & intrant per poros elementatorum corporum.
4. Elementa elevant & deprimunt Vapores, in quibus sunt impressæ influentiæ, quas corpora cœlestia transmittunt ad terrena.
5. De Vaporibus fiunt nubes, & de dissolutione illarum fit pluvia.
6. De Vaporibus calidis & siccis fit ventus, qui est aër motus per ponderositatem nubium, quæ sunt graves, & descendunt inferiùs.
7. De Vaporibus frigidis & humidis fit pluvia, &, si Vapores sunt multùm frigidi, de illis fit nix.
8. Nix est aqua congelata in aëre per abundantiam frigidorum Vaporum.
9. Lapides (vel grando) qui cadunt ex aëre, sunt nix diffusa in illis, & illi sunt ex partibus nivis, quæ conjunguntur, & se invicem percutiunt in descensu, quem faciunt.
10. Vapores calidi & humidi ascendunt sursum, si non deprimuntur à nubibus; &, si deprimuntur, ex illis fit ros; &, si transeunt per frigidum aërem, ros convertitur in gelu.
11. Si Vapores sunt multùm frigidi & sicci, congelantur in aëre, & ex illis fit grando, quæ descendit, sed in aqua Vapores multùm frigidi & sicci convertuntur in glaciem.
12. Vapores, qui exeunt de mari, sunt calidi & sicci per mare, quod est calidum, salsum & siccum; & ex aquis dulcibus exeunt Vapores humidi & calidi, qui fugiunt à frigiditate & humiditate aquæ.
13. Vapores calidi & sicci, qui exeunt de mari, depurantur in aëre, qui aquæ reddit suam complexionem, quæ est frigida & humida, & ideo salsi Vapores convertuntur in dulcem aquam.
14. Vapores, qui sunt magis calidi & humidi, ascendunt ratione ignis & aëris, qui sunt leves; & Vapores, qui sunt magis frigidi & sicci, descendunt ratione aquæ & terræ, quæ sunt graves.
15. Vapores humidi & frigidi, qui cadunt in terram, convertuntur in aquam, quæ exit de fontibus, & transit per venas terræ, in qua est, & de illa exit per illos, qui illam ponunt in puteis.
16. Fontes, qui sunt in capitibus montium, sunt maximè de Vaporibus, qui ascendunt ex mari, quod est in cavernis terræ.
17. Aqua fontium, qui sunt in capitibus montium, & quæ est de revolutione Vaporum, qui sunt in cavernis & concavitatibus montium, & venit de mari, est magis frigida, quàm aqua, quæ venit de pluvia, quam sol calefecit in aëre.
18. Vapores, qui exeunt in fumum, sunt calidi & sicci, si illa, quæ ignis comburit, sunt de complexione calida & sicca; & sunt frigidi & humidi, si id, quod ignis comburit, est de complexione frigida & humida.
19. Vapores, de quibus est fumus, ascendunt, quia ignis illos trahit sursùm, & quando sunt elevati in altum, se dilatant, & convertuntur cum aliis Vaporibus, ex quibus fiunt nubes.
20. Vapores, qui exeunt de nubibus sole attrahente humiditatem aëris & aquæ, quæ cum terra participat, si sunt multùm frigidi & humidi, descendunt, & faciunt tenebras & caliginem.

CAPUT LXXXIII.

De Fulmine & Tonitru.

1. Fulmen est ignis, qui incenditur in sua sphæra in subjecto valde calidæ & siccæ complexionis, & illud comburit.
2. Est alius modus Fulminis, qui ita est ignis egressus de obviatione ventorum, qui sunt de vaporibus calidis & siccis, sicut ignis exit de lapide, quem homo percutit cum ferro.
3. Tonitru est mugitus ebullitionis aquæ; quam Fulmen comburit, quando incenditur in sua sphæra.
4. Est alius modus Tonitrui, qui est mugitus, qui exit de obviatione ventorum.
5. Si Fulmen, quod incenditur, habet continuatum subjectum usque in terram, descendit inferiùs in terram.
6. Secundùm quòd subjectum, in quo Fulmen incenditur, est longum vel breve, est flamma ignis longa vel brevis.
7. Si subjectum Fulminis est directum vel obliquum, descendit Fulmen per lineam rectam vel obliquam.

Id,

8. Id, propter quod Fulmen descendit per lineam strictam, & non amplam, est, quia vapores fugiunt ab illo, & remanent illi, qui ipsi sunt magis simplex subjectum.
9. Linea, quam Fulmen comburit, est ex continuis vaporibus, &, si aliquod suppositum est in illa, comburit illud, & transit ad alios vapores, qui cum suppositio sunt contigui.
10. Secundùm quod Fulmen se movet per lineam rectam vel obliquam, Tonitru se movet per illam.
11. Quantò magis Fulmen appropinquat terræ, tantò magis tonitru illi appropinquat.
12. Fulmen priùs est objectum oculorum, antequàm Tonitru sit objectum aurium.
13. Fulmen & Tonitru sunt in uno & eodem tempore, sed oculi priùs attingunt objectum, quàm aures.
14. Fulmen facit timorem oculis, & Tonitru auribus.
15. Fulmen comburens vapores calidos & siccos in hyeme generat pluviam, quæ est spuma illius ebullitionis, de qua est Tonitru.
16. In æstate, in qua sunt pauci vapores frigidi & humidi, non sequitur pluvia per Fulmen nec per Tonitru.
17. Sicut per ebullitionem vaporum, quos Fulmen comburit, fit motus aëris, qui est Tonitru, ita fit terræ motus per obviationem aquarum & aëris, qui sunt in cavernis.
18. Sicut Fulmen findit homines, arbores & turres, ita terræ motus findit terras, & dirruit ædes.
19. Quando aër inclusus in cavernis non potest resistere aquæ, quæ intrat in cavernas, dirrumpit & findit terram, & fugit, & ideo terra tremit.
20. Antiquitùs erant plures terræ motus quàm modò, quia de terra, quam aquæ ducunt in mare, implentur cavernæ, quæ sunt sub terra participantes cum mari.

CAPUT LXXXIV.

De Sono & Voce.

1. Sonus est objectum auditûs, & Vox est subjectum significatæ conceptionis.
2. Sonus est creata proprietas, quæ exit ex percussione, & sua figura exit de illa in aures.
3. Figura Soni non posset esse in actu sinè auditu.
4. Sonus est confusum ens, & sua declaratio est per vocales, quæ sunt simplices partes illius.
5. Literæ consonantes sunt de confusione soni & de suis simplicibus partibus.
6. Sonus in literis consonantibus est ex una parte per se ipsum confusus, & ex alia parte clarus per suas simplices partes.
7. Vox est de Sono, & habet multa diversa instrumenta.
8. Vox habet unum instrumentum per linguam, aliud per cytharam, aliud per campanam, aliud per organum.
9. Instrumentum ascendit & descendit ad Sonum per literas vocales, & Sonus est in medio per literas consonantes.
10. Vox est de Sono, qui ascendit & descendit, & est in medio.
11. Declaratio Soni est Vox, quæ habet suum complementum in ascendendo & descendendo & in sustentando.
12. Vox declarat appetitus animalium secundùm quòd est diffusa per differentes species.
13. Sonus sinè Voce non esset utilis ad aliquid.
14. Per ictus durorum corporum est magnus Sonus, & maximè, si sunt concava.
15. Sonus est magis per frigidum & per siccum, vel per calidum & per siccum, quàm per aliam complexionem.
16. Sonus est major in cisternis, quàm in aliis locis, quia ibi est plus de incluso aëre.
17. Confusio variarum Vocum in uno loco est reductio illarum ad simplicem Sonum.
18. Sonus transit partes, quia tangitur in aëre, qui est continua linea, quæ intrà & extrà continet partes.
19. Quia Sonus non habet colorem, non potest videri.
20. Per nullum instrumentum Vox est ita imitabilis, sicut per linguam.

CAPUT LXXXV.

De Extensione & Restrictione.

1. Extensio est actus potentiæ, quæ se vel aliud extendit per longum & latum consumendo profunditatem.
2. Restrictio est actus potentiæ, quæ fluit & refluit de longo & lato, multiplicando profunditatem.
3. Ignis extenditur per calorem, & restringitur per siccitatem.
4. Aër extenditur per humiditatem, dando illam aquæ, & restringitur per siccitatem,

quia

quia ignis illi dat suum calorem cum siccitate, quam accipit à terra.

5. Extensio fit per appetitum, & Restrictio per contrarium.

6. Extensio est per influentiam, & Restrictio per refluentiam.

7. Forma, quæ extenditur, deducit in actum longum & latum, quæ sunt in potentia, & reducit illa in potentiam, quando restringit suam materiam.

8. Extensio maximè fit per calidum & humidum, & Restrictio per frigidum & siccum.

9. Quando caro tangitur, se extendit, & nervus se restringit.

10. Quia aurum est de igne & de sole, & argentum de aqua & luna, aurum est magis extensibile, quàm argentum.

11. Illud, propter quod aurum est magis grave, quàm argentum, est, quia in illo est plus de Extensione in potentia, quàm in argento.

12. Per lætitiam cor extendit suam virtutem, & per tristitiam restringit illam.

13. Concordantia est subjectum Extensionis, & contrarietas Restrictionis.

14. Verax homo extendit suam faciem, quando loquitur, & falsus homo restringit illam.

15. Audacia extendit sanguinem, & timor restringit ipsum.

16. Hyems restringit poros, & æstas amplificat illos.

17. Avaritia restringit manus, & charitas amplificat illas.

18. Voluntas extendit sanguinem per affirmationem, & restringit illum per negationem.

19. Ignis extendit ceram cum calore, & restringit mel cum siccitate.

20. Gustus extendit suam virtutem per dulcedinem, & restringit ipsam per amaritudinem.

* Actus imaginationis se extendit vel restringit secundùm quantitatem objecti, quod capit.

CAPUT LXXXVI.

De Tremore & Amorticatione.

1. TRemor est impulsio aëris, qui movet partes corporis, in quo est inclusus, & de quibus appetit exire.

2. Amorticatio (aliàs Syncopis) est nuntius mortis.

3. Tremor est de contrariis partibus, ex quibus est compositus, quæ se invicem percutiunt.

4. Tremor est ex inordinato motu, qui sæpe est per extensionem & restrictionem.

5. Tremor flammæ est de partibus, quæ in illa se ab invicem dividunt.

6. Gallus & bestia se excutiunt, ut aër exeat per poros, qui est inclusus, & per quem accidit Tremor.

7. Homines aliquoties subitò tremunt propter percussionem partium, sicut aër, qui tremit propter tonitru, & domus propter terræ motum.

8. Frigus claudit poros, & aër, qui non potest exire de corpore, facit corpus tremere.

9. Homines, qui tremunt, & habent febrem, tremunt, quia in corpore ebullit aqua, quæ movet aërem, qui movet corpus.

10. Homo tremit propter timorem, quia partes corporis restringuntur, & propter illam restrictionem tremunt.

11. Homines paralytici tremunt propter indigestas partes, de quibus aër non potest exire, & ipsæ bulliunt.

12. Homines tremunt in morte, quia quædam partes impelluntur, & aliæ restringuntur.

13. Oculi tremunt propter verecundiam, & cor propter suspiria & propter currere, & caput propter restrictionem nervorum.

14. Tremor est ex minuto motu partium conjunctarum per diversas rectitudines.

15. Propter debilitatem & famem tremit corpus, quia partes illius appetunt cibos.

16. Homo tremit propter ridere, quia sanguis bullit propter lætitiam, ubi calefit naturalis calor.

17. Amorticatio sive syncopis est appropinquatio mortis, quam partes corporis per naturalem instinctum abhorrent.

18. Amorticatio est naturalis deliberatio moriendi vel vivendi.

19. Amorticatio est ex dormitione vivarum partium.

20. Homines, qui habent Amorticationem, habent croceum colorem, quia naturalis calor exit extrà.

CAPUT LXXXVII.

De Linea & Puncto.

1. LInea est extensa & stricta mensura determinata inter duo Puncta.

2. Punctus est simplex pars Lineæ, quæ est indivisibilis.

In

3. In Bonitate bonificativum est unus Punctus, & bonificabile alius, & ipsa est Linea extensa in omnibus.

4. Bonificativum non potest dividi in essentia Bonitatis, quia, si posset dividi, esset hoc, quod est, & esset bonificabile.

5. Si in essentia Bonitatis bonificativum posset dividi in bonificabile, vel in bonificare, vel in aliud bonificativum, quod esset de sua essentia, bonificativum esset Punctus & Linea; quod est impossibile.

6. Linea naturalis est composita ex multis simplicibus corporalibus Punctis, existentibus quibusdam Punctis in aliis per continuam quantitatem.

7. Quidam Puncti sunt substantiales, & quidam accidentales.

8. Punctus substantialis est simplex pars corporalis, & Punctus accidentalis est instrumentum illius partis.

9. Ex substantialibus Punctis est substantialis Linea, & ex accidentalibus Punctis accidentalis Linea.

10. In essentia ignîs ignificativum est substantialis Punctus, & quantitas, qualitas & actio illius sunt accidentales Puncti, qui sunt sua instrumenta, & in illo sustentata.

11. Sicut de multis simplicibus Lineis est una composita & communis, sic ex multis simplicibus Punctis una composita & communis Linea.

12. Sicut simplex Punctus non potest dividi, ita simplex Linea non potest dividi.

13. Sola composita Linea est divisibilis, & compositus Punctus similiter.

14. Corpus auri, quod est unum in floreno, potest dividi in duas vel plures partes, sed sua essentia non potest dividi.

15. De essentia auri non potest esse plus in majori parte, quàm in minori.

16. Si minor pars auri, quæ potest esse, esset divisibilis, esset tantum de essentia auri, & de sua forma & materia & suo pondere, & de actione & passione & colore in minori parte, quantum in majori.

17. Quia naturalis simplex Punctus non potest esse sinè alio naturali Puncto, non potest esse divisibilis, & hoc idem de simplici naturali Linea.

18. Artificialis Punctus est figura naturalîs Puncti, & artificialis Linea est figura naturalîs Lineæ.

19. Calor est accidentalis & naturalis Linea, & non est de Punctis, sed determinatur inter calefactivum & calefactibile.

20. Quia calor est propria qualitas ignîs, & appropriata aëris, est Linea composita ex extraneis Punctis per extranea subjecta.

CAPUT LXXXVIII.

De Alteratione.

1. ALteratio est potentia, per quam de uno devenitur ad aliud.

2. Calor ignîs est unus, & est alius, in quantum est aëris.

3. In omni communitate est Alteratio.

4. In generatione & corruptione est Alteratio de uno in aliud.

5. Panis conversus in carnem non est aliud, sed quando ipse est corruptus, suæ naturales partes sunt sub alio.

6. Naturale principium panîs corrupto pane est aliud in carne.

7. Quia panis habet unam Bonitatem, & caro, in quam est conversus, aliam, ideo Bonitas panîs est alia in carne.

8. Omnis Alteratio fit propter Alterationem finîs.

9. Omnes partes panîs sunt ad suum Finem, & quando panis transmutatur in aliam speciem, se habent ad Finem illius speciei.

10. Omnis Alteratio est per differentiam.

11. Una alteratio est per concordantiam, & alia per contrarietatem.

12. Alteratio, quæ est per concordantiam, est per similitudinem, & quæ est per contrarietatem, est per dissimilitudinem.

13. Fructus viridis Alteratus in maturum, est alteratus per concordantiam.

14. Per mores unus & idem homo quandoque potest esse alius.

15. Ille idem homo, qui est justus, est alius, quando est injustus.

16. Justus homo, quando fit injustus, non est alius in numero.

17. Potentia habet unum actum per unam Rationem, & alium per aliam Rationem.

18. Homo habet unum actum per Intellectum, & alium per Voluntatem, & alium per sentire.

19. Potestas ignîs per unum modum se tradit potestati calefaciendi, & per alium potestati illuminandi, & per alium potestati desiccandi.

20. Generalis potestas quantum ad suam speciem semper est una, sed habet unam partem in una specie, & aliam in alia.

CAPUT LXXXIX.
De Vegetativa.

1. VEgetatio est potentia, per quam fit transmutatio de una substantia in aliam.
2. Partes Vegetativæ sunt *appetitiva, retentiva, digestiva* & *expulsiva.*
3. Per *appetitivam* quædam substantiæ habent appetitum ad alias, & per *retentivam* retinetur illud, quod quædam substantiæ habent de aliis, & per *digestivam* digeritur, & fit transmutatio unius substantiæ in aliam, & per *expulsivam* exspuunt & sudant homines, & folia cadunt de arboribus.
4. Quia Vegetatio materialiter est de elementis, & formaliter de se ipsa, est à generante, & non à creante.
5. Embryo ita est in Vegetatione in fœmina, sicut semen in terra.
6. Quia in vegetando una planta est de alia, convenit, quòd Vegetatio sit generata.
7. Si Vegetatio non esset generata, sub specie unius Vegetationis non esset alia vegetatio.
8. Si Vegetatio non esset de planta in plantam, & de animali in animal, nulla planta nec corpus animatum haberet appetitum ad multiplicandum suam speciem, quia non posset illam multiplicare.
9. Vegetatio est creatura generalis & substantialis ad particulares Vegetationes, in quibus est diffusa.
10. Rationes & principia elementorum sunt naturalia instrumenta Vegetationis.
11. Vegetatio ita est inserta in elementatione, sicut olea in oleastro.
12. Vegetatio ita convertit in suam speciem id, quod venit de elementis, sicut olea id, quod venit de oleastro.
13. Pluvia est elementata, & etiam terra, in qua est planta; & Vegetatio plantæ convertit pluviam & terram in speciem plantæ.
14. Una Vegetatio est Vegetatio oleæ, & alia est Vegetatio ficulneæ, & quælibet convertit unam & eandem aquam & terram in suam speciem.
15. Homo & canis, qui comedunt unam ovem, cujuslibet Vegetatio transmutat in suam speciem carnem ovis.
16. Vegetatio ita imprimit & dat suam essentiam in vegetato, sicut ignis ignificato & calefacto.
17. Vegetatio non potest esse sinè generatione, nec generatio sinè illa.
18. Per Vegetationem filius est filius sui patris & suæ matris & frater sui fratris.
19. Vegetatio in planta habet appetitum ad folia, flores & fructus, & ignis ad calefaciendum illa.
20. Naturalis instinctus & appetitus Vegetationis movet in planta & in corpore animato instinctum & appetitum cujuslibet elementi & alia principia ipsorum.

CAPUT XC.
De Sensitiva.

1. SEnsitiva est illa substantia, de qua est sensitivum, & proprium sensibile & sentire.
2. Sensitiva est generalis anima, quæ est diffusa in multas substantias de ipsa animatas & sensatas.
3. Si sensitiva non esset generata, non esset de una substantia in aliam, & nullus filius esset filius sui patris & suæ matris.
4. Sensitiva habet sex potentias, *visum, auditum, odoratum, gustum, tactum & affatum.*
5. Sensitiva per visum sentit *colorem*, per auditum *sonum*, per odoratum *odorem*, per gustum *saporem*, per tactum *calorem, famem, sitim & dolorem*, & per affatum *delectationem & tristitiam.*
6. Quia Sensitiva est inserta in vegetativa, & vegetativa in elementativa, Sensitiva attrahit ad sentiendum virtutem elementativæ & vegetativæ.
7. Sensitivum per ignem habet calorem, & per se ipsum sentit illum.
8. Sensitiva per vegetativam habet saporem in gustu, & per se ipsam sentit illum.
9. Sicut vegetativa non convertit in suam speciem simplex elementum, sed compositum, ita sensitiva non convertit in suam speciem simplex elementum, neque vegetatum simplex, sed compositum elementum & compositum vegetatum.
10. Quia Sensitiva convertit in suam speciem compositum elementum, & compositum vegetatum, in illa sunt essentialiter elementa simplicia, & composita, & vegetata.
11. Sicut compositum elementum est de simplicibus, & compositum vegetatum est de simplicibus vegetationibus specialibus, ita communis Sensitiva est de suis simplicibus partibus, quæ sunt sex sensus.
12. Sensitivum in suo proprio sensibili attingit extraneum sensibile.

Color

13. Color plantæ est extrinseca sensibilitas, & sensibilitas, quæ est de Essentia sensûs, est propria & intrinseca.
14. Sensitiva in sentiendo dulcedinem facit instrumentum de vegetativa, quia ipsam non potest sentire sinè vegetare.
15. Sensitiva in sentiendo calorem facit instrumentum de elementativa, quia illam non potest sentire sinè calefacere.
16. Sensitiva movet vegetativam ad vegetandum, & elementativam ad elementandum, ut ipsas moveat ad sentiendum.
17. Motus, quem vegetativa & elementativa habent per sensitivam, est appropriatus, & ille, quem habent per se ipsas, est proprius.
18. Una & eadem potestas per speciem est illa, quæ est sensitivæ, vegetativæ & elementativæ, sed est distincta, in quantum ipsæ sunt distinctæ.
19. Vegetativa in vegetando & elementativa in elementando fortificant Sensitivam.
20. Sensitiva fortificando & multiplicando suum sentire fortificat vegetare vegetativæ, & elementare elementativæ, cum qua participat.

CAPUT XCI.
De Imaginativa.

1. IMaginativa est potentia ex similitudinibus corporalibus & abstractis.
2. Imaginativa est generalis creatura & principium, & est diffusa in substantiis animatis.
3. Imaginativa est inserta in sensitiva, & de ipsa trahit similitudines, & hoc idem de vegetativa & elementativa.
4. Similitudines substantiarum sensatarum, vegetatarum & elementatarum imaginativa attrahit & imprimit sibi ipsi, & in se ipsa illas attingit.
5. Sicut ignis sibi ipsi assimilat substantiam calefactam, & aqua sibi ipsi assimilat substantiam frigefactam, ita imaginativa sibi assimilat substantiam imaginatam.
6. Imaginari est actus imaginativæ, & est actus impressionum similitudinum abstractarum.
7. Oculi vident colorem & figuram determinatam substantiæ objectatæ, & quando relinquunt illud objectum, Imaginativa retinet similitudinem illius objectationis oculorum.
8. Imaginativa in sensitiva colligit similitudines vegetativæ & elementativæ.
9. Sicut speculum est instrumentum similitudinum præsentium, sic Imaginatio est speculum similitudinum absentium à corporalibus sensibus.
10. Rationativa in Imaginativa accipit similitudines corporalium substantiarum.
11. Secundùm quòd Imaginativa est disposita ad accipiendum substantias, est rationativa disposita ad accipiendum illas.
12. Imaginativa est libera potentia ad multiplicandum phantasticas similitudines, & ad trahendum quasdam similitudines ex aliis.
13. Sicut Voluntas est libera in electione, ita Imaginatio est libera in assimilatione.
14. Imaginatio est generale & primum instrumentum operis artificialis, & de illa derivantur artes mechanicæ.
15. Imaginatio ita est causa & primum principium industriis brutorum animalium, sicut discretio est primum principium ipsi modo vivendi, quem habent homines.
16. Imaginatio non potest sentiri, quia est similitudo, quæ attingit sensum assimilatum & imaginatum.
17. Imaginatio attingit discretionem per recolere, intelligere & amare.
18. Sicut calor non calefacit imaginationem, ita vegetatio non vegetat Imaginationem.
19. Sicut olea inserta in oleastro attrahit ad suam speciem naturam illius, ita Imaginativa attrahit ad suam similitudinem similitudines inferiorum potentiarum.
20. Imaginativa est de multis positivis similitudinibus creatis, & illa est generale speculum ad accipiendum concreatas similitudines de corporalibus substantiis.

CAPUT XCII.
De Rationativa.

1. RAtionativa est illa Anima, quæ est pars hominis, cum qua recolit, intelligit & amat.
2. Memoria, Intellectus & Voluntas sunt substantiales partes Animæ rationalis.
3. Anima rationalis est creata, & non generata, cùm sit spiritualis substantia.
4. Anima informat corpus hominis, quod est de elementativa, vegetativa, sensitiva & imaginativa, quæ omnes sunt corporales potentiæ.
5. Justa Anima ita movet suum corpus ad

ſuum finem moraliter, ſicut olea movet oleaſtrum naturaliter, in quo eſt inſerta.

6. Anima non eſt mortalis, quia non eſt de contrariis.

7. Anima eſt inſtrumentum, cum quo corporales ſubſtantiæ attingunt ſuum Finem in DEO.

8. In illo tempore, quo embryo eſt diſpoſitus ad eſſe animatus Animâ rationali, creatur Anima.

9. Si Anima eſſet creata, antequam eſſet embryo, potentia eſſet in aliqua ſubſtantia, vel eſſet otioſa.

10. Nec ſenſitiva nec imaginativa poſſunt attingere rationalem Animam.

11. Per Animam eſt corpus pars hominis.

12. Si corpus faceret, quòd Anima per illud eſſet pars hominis, informaret ipſam.

13. Quando Anima eſt conjuncta cum corpore, movet omnes partes corporis ad eſſe hoc, quod ſunt.

14. Separatio, quam Anima facit à corpore, eſt mors illius.

15. Quia memorabilitas, intelligibilitas & amabilitas DEI eſt durabilis in Æternitate, ideo Anima eſt durabilis in æviternitate.

16. Quia Anima non eſt generata, nulla anima eſt parens alterius.

17. Anima non comedit nec bibit, ſed eſt corpori inſtrumentum ad comedendum & bibendum.

18. DEUS creavit omnes corporales ſubſtantias ad ſerviendum Animæ.

19. Omnes corporales ſubſtantiæ non valent unam rationalem Animam ſecundùm naturam.

20. Nulla creata poteſtas participat cum tot rebus, ſicut poteſtas Animæ rationalis conjunctæ cum partibus corporalibus.

CAPUT XCIII.

De Corpore.

1. CORpus eſt ſubſtantia conjuncta ex corporalibus partibus.

2. Partes Corporis ſunt corporalis forma & materia.

3. Forma & materia Corporis ſunt ex minutis partibus corporalibus.

4. Minuta pars corporalis eſt linea ſubſtantialis.

5. Magìs minuta pars corporalis eſt punctus corporalis, qui eſt pars corporalîs lineæ.

6. Subſtantialis Bonitas, quæ eſt natura & pars corporalitatis, eſt naturalis punctus de corporali linea.

7. Magnitudo ſubſtantialis & Corporalitatis eſt minutus punctus corporalîs lineæ.

8. Ex multis corporalibus punctis fit linea Corporis.

9. Ex multis lineis unâ longâ, aliâ latâ & aliâ profundâ fit Corpus.

10. Quia quælibet pars corporalîs lineæ eſt diſpoſitio trianguli, eſt Corpus de naturalibus lineis per longum, latum & profundum.

11. Superficies non eſt corporalis pars Corporis, ſed eſt terminus illius.

12. Omne Corpus rotundum per triangulum habet longum, latum & profundum.

13. Omne Corpus rotundum & ſphæricum per circulum habet obliquas partes.

14. Obliquæ partes circuli ſunt de rectis partibus quadranguli & trianguli.

15. Poſito triangulo in quadrangulo exeunt de ambobus obliquæ partes terminatæ in circulo.

16. Nullum Corpus eſt extra circulum, quadrangulum & triangulum.

17. Sinè circulo, quadrangulo & triangulo Corpus non haberet, de quo eſſet.

18. Omne Corpus habens figuram occupat alteri locum.

19. In compoſito eſt unum Corpus confuſum in alio.

20. Sinè fuſione & perditione ſitûs & figuræ ſpecialîs in denario ex argento & auro non poſſet unum Corpus eſſe in alio.

CAPUT XCIV.

De Homine.

1. HOmo eſt eſſe, quod eſt actus Humanitatis.

2. Homo eſt hæres corporalium ſubſtantiarum.

3. Homo eſt homo per Humanitatem.

4. Id, quod ſequitur de Humanitate, eſt ſuus actus.

5. In quantum Homo eſt conſequentia Humanitatis, eſt per accidens, & in quantum eſt de Humanitate, eſt ſubſtantia.

6. Homo eſt de anima rationali & de corpore poſitus in tertio numero.

7. Homo eſt imago DEI incarnati.

8. DEUS incarnatus eſt Homo per Humanitatem, & eſt DEUS in Deitate.

9. DEUS reliquit Homini Fines corporalium ſubſtantiarum.

Omnes

10. Omnes corporales ſubſtantiæ ſunt creatæ ad ſerviendum Homini, ut Homo habeat multas res, cum quibus poſſit ſervire DEO.

11. Homo peccator deſtruit hæreditatem, quam DEUS illi reliquit.

12. Homo intelligit & amat, imaginatur & ſentit, vegetat & calefacit ſuum corpus, & Homo movet ſuas Rationes ad ſuos actus.

13. In quantum Homo movet ſuam Voluntatem ad amandum, eſt Voluntas inſtrumentum ad amandum.

14. Amare eſt per unum modum actus Hominis, & per alium Voluntatis.

15. Percuſſio, quam Homo facit cum martello in clavo, eſt primò de Homine, qui movet martellum, & ultimò eſt de martello.

16. In bono Homine exaltantur omnes corporales ſubſtantiæ, & in malo Homine deprimuntur & vilipenduntur.

17. In quolibet Homine eſt de omnibus creaturis, & quilibet Homo poteſt de omnibus creaturis.

18. Homo poteſt de ſole, in quantum ab illo poteſt accipere calorem; & poteſt de aqua, in quantum de illa poteſt bibere; & poteſt de planta, in quantum de illa poteſt comedere; & poteſt de oculis, in quantum cum illis poteſt videre; & poteſt de imaginatione, in quantum cum illa poteſt imaginari; & poteſt de rationativa, in quantum cum illa poteſt ratiocinari; & poteſt de DEO, in quantum illum poteſt recolere, intelligere & amare.

19. Nobilitates, quæ ſunt in Homine per creationem, nullus Homo in hac vita poteſt dicere nec ſcribere.

20. DEUS non tantum amat firmamentum nec elementa nec elementata, quantum amat unum bonum Hominem.

CAPUT XCV.

De Vigilare & Dormire.

1. VIgilare eſt diſcurſus ſenſûs, & Dormire eſt ejus quies.

2. In animato corpore elementativa non ceſſat elementare, nec vegetativa vegetare, ſed ſenſitiva ceſſat per Dormire.

3. Vigilatio imaginativæ & rationativæ eſt conſequentia Vigilationis ſenſitivæ.

4. Quia ſenſitiva non poteſt ſuſtinere magnum appetitum, quem ſuæ partes habent in ſentiendo, eſt illi data quies per Dormire.

5. Senſitiva dormit, quia non poteſt ſuſtinere magnum appetitum, quem imaginativa & rationativa habent in accipiendo ſimilitudines & ſpecies ſui ſentire.

6. Senſitiva dormit, ut ſuum ſentire non impediat actus elementativæ & vegetativæ.

7. Sicut per magnam abundantiam imaginandi & rationandi eſt impeditum ſentire, ita per magnam abundantiam ſentiendi eſt impeditum calefacere & digerere.

8. Dormire eſt per reſtrictionem actuum potentiarum, quæ in ſe ipſis reſtringunt ſuos actus, & Vigilatio eſt per extenſionem illorum actuum.

9. Vigilatio eſt per apertionem pororum factam cum vaporibus frigidis & ſiccis, & calidis & ſiccis, qui excitant ſenſitivam ad ſentiendum, & in cerebro imaginativam ad imaginandum; & ideo homines cholerici & melancholici plùs vigilant, quàm alii.

10. Quia ſicci vapores claudunt poros contra humidos vapores, qui aſcendunt ad excitandum imaginativam in cerebro, quod eſt humidum, ideo dormiunt animalia; & hoc idem de frigidis vaporibus, qui claudunt poros contra calidos vapores in corde, quod excitat voluntatem ad amandum.

11. Multùm amare procurat Vigilare, & parùm amare procurat Dormire.

12. Id, propter quod homines, qui nimìs jejunárunt, non poſſunt Dormire, eſt, quia naturales inſtinctus & appetitus requirunt procurationem ciborum.

13. Id, propter quod homines, qui nimium comederunt & biberunt, non poſſunt Dormire, eſt, quia natura requirit vacuitatem repletionis per vomitum vel ſudorem in balneo vel in eundo vel in laborando.

14. Excitare eſt per tangere & clamare, vel per malum odorem ad ſentiendum, & Dormire eſt per contrarium.

15. Dormire eſt imago mortis, & Vigilare eſt imago vitæ.

16. Ille, qui vigilat, ponit in tempore multas res; & ille, qui dormit, nihil ponit.

17. Dormire ita eſt quies naturalîs corporis, ſicut ſtatio eſt quies curſûs.

18. Quia natura infirmórum hominum multùm laboravit, habet magnum placitum in dormiendo.

19. Quia Vigilare eſt finis ipſius Dormire, homo non deberet nimium Dormire.

20. Quia dies eſt ad vigilandum, & nox ad

dormiendum, ideo Vigilare est per complexionem calidam & siccam, & Dormire per complexionem humidam & frigidam.

CAPUT XCVI.
De Somniare.

1. SOmniare est confusus actus ex vigilare & dormire.
2. Sicut mulus est in tertia specie speciei equi & asinæ, ita Somniare est in tertia specie ipsorum vigilare & dormire.
3. Somniare est secundùm differentes actus potentiarum.
4. Si in homine una complexio magìs abundat, quàm alia, magìs somniabit similitudines illius complexionis.
5. Qui est cholericus, sæpe somniat res calidas & croceas, & qui est sanguineus, res humidas & rubeas, & qui est phlegmaticus, aquas & res frigidas & albas, & qui est melancholicus, domos & res nigras & siccas.
6. Per vegetativam somniant homines influentias & refluentias necessarias ad vegetandum, & ad multiplicandum humanam speciem.
7. Per sensitivam somniant homines similitudines appetituum particularium sensuum.
8. Si oculi sunt in magna abundantia videndi, appetunt videre colores, & per illum appetitum homines, maximè si sint complexionis sanguineæ, somniant propè vigilationem pulchras res; sed, si oculi magis participant cum complexione melancholicâ, homines somniant circa profundam noctem videre turpes res.
9. Si homo de die audivit multa verba, propter consuetudinem audiendi, cùm dormiet, somniabit aliquas similitudines illorum verborum; &, si in ipso regnat sanguis, somniabit cum placito, &, si in ipso regnat melancholia, somniabit cum tædio.
10. Si in loco, in quo homo somniat, unus odor plùs regnat, quàm alius, si aër est purus aut corruptus, somniabit secundùm dispositionem illius aëris res odorabiles boni vel mali odoris.
11. Si homo, qui somniat, habet indigentiam comedendi vel bibendi, vel, si una complexio est magìs repleta, quàm alia, somniabit cibos, aquas, vomitum vel sudorem, & sic de aliis rebus similibus ad gustandum per dulcedinem aut amaritudinem.
12. Si corpus hominis, qui dormit, sentit frigus, somniabit res frigidas, &, si jacet in duro lecto, duras res, & sic de aliis rebus similibus ad tangendum.
13. Si homo habet appetitum dicendi verba, in somniando habebit appetitum ad loquendum & ad dicendum verba, quæ habeant aliquam declarationem conceptionis, quam desiderat manifestare per verba.
14. Imaginativa est centrum somniandi, quia in ipsa multiplicantur species, per quas animalia somniant.
15. Si memoria plus retinet aliquas similitudines quarundam specierum, quàm aliarum, imaginativa se convertit ad imaginandum illas confusè per Somniare.
16. Secundùm quòd intellectus est magìs propinquus in Somnio ad plùs intelligendum unum objectum, quàm aliud, inducit imaginativam ad imaginandum illud.
17. Voluntas est illa potentia, quæ homines maximè inducit ad somniandum, quia ipsa habet magìs subitaneum, velociorem & magis acutum appetitum, quàm aliæ potentiæ; &, secundùm quòd Voluntas vigilando habuerit majorem appetitum ad unam rem, quàm ad aliam, procurabit sibi Somnium ad similitudinem illius.
18. Bonus Angelus aliquando facit homines Somniare ad faciendum aliqua bona opera, ut illa procurent facere, quando vigilabunt.
19. Malus angelus facit homines somniare ad faciendum malum, ut illud faciant, quando vigilabunt.
20. DEUS in somniis revelat multas veritates hominibus, quia in dormiendo sunt magìs innocentes, quàm in vigilando; & ideo bonus Angelus meliùs potest participare cum hominibus in dormiendo, quàm in vigilando, & illis revelare veritatem ex parte DEI.

CAPUT XCVII.
De Firmamento.

1. FIrmamentum est ultimum & majus corpus, & quod in se ipso continet omnia corpora.
2. Firmamentum est animatum de circulari motu, ut moveat se ipsum sinè ponderositate & levitate.
3. Ita pertinet firmamento anima per movere, sicut vegetativæ per vegetare.
4. Firmamentum est ex minutis partibus, quæ circulariter sunt motivæ & mobiles.

Quia

5. Quia Aries se movet ad Taurum, & Taurus ad Geminos, & Gemini ad Cancrum, & Cancer ad Leonem, & Leo ad Virginem, & Virgo ad Libram, & Libra ad Scorpionem, & Scorpio ad Sagittarium, & Sagittarius ad Capricornum, & Capricornus ad Aquarium, & Aquarius ad Pisces, & Pisces ad Arietem, & Aries ad firmamentum, ideo firmamentum se movet per se ipsum & ad se ipsum, & habet circularem motum.
6. In illa rectitudine, in qua Pisces se movent ad Arietem, se movet Saturnus ad Arietem, & alii planetæ sequuntur rectitudinem Saturni in motu.
7. Ex motu signorum & planetarum accidit obviatio cœlestium corporum, & ex illa obviatione exit influentia & virtus & temperatus motus ad inferiora corpora.
8. Sicut Aries se movet ad Taurum, & Taurus ad Geminos, ita circulariter se movent partes Solis, quia punctualis pars, quæ est in medio corporis Solis, se movet ad consequentem partem, & sic de parte in partem usque ad superficiem rotæ Solis.
9. Sol in movendo se ipsum movet totam suam sphæram ad se ipsum.
10. Sicut rotundum corpus, quod descendit de monte in planities, movet se ipsum cum sua rotunditate & ponderositate, ita Sol movet se ipsum cum sua rotunditate & cum appetitu circularìs partis in circulum.
11. Sol, quantum ad se ipsum, semper est in meridie.
12. Stella fixa est aggregatio lucis in aliquo loco circuli firmamenti.
13. Stella errans est pars divisa à firmamento, & est incensa & colorata à luce firmamenti.
14. In Stellis errantibus, quæ sunt planetæ, fit digestio & dispositio influentiarum, quas stellæ fixæ transmittunt in inferiora.
15. Influentia virtutis, quam signa transmittunt in inferiora, traditur Saturno, & Saturnus tradit illam Jovi, & Jupiter tradit ipsam Marti, & Mars Soli, & Sol Veneri, & Venus Mercurio, & Mercurius tradit ipsam Lunæ, & sic ignis & cœtera elementa accipiunt influentiam à luna in suis sphæris secundùm dispositionem cujuslibet.
16. Corpora cœlestia non sunt de complexionibus elementorum, sed habent dominium & actionem in ipsis.
17. Sol & Luna disponunt, quando in sphæra ignìs traditur influentia corporum cœlestium, quæ venit ad corpora inferiora.
18. Id, propter quod Sol & Luna sunt majores stellæ, quàm aliæ, est, quia habent commune officium.
19. Sol & Luna ita habent proprium & commune officium, sicut communis Persona.
20. Astrologia respicit superiores naturas cœlestium corporum, & secundùm illas facit judicium de terrenis.

CAPUT XCVIII.
De Umbra.

1. UMbra est pars tenebræ, quæ est confusus color partium quibusdam existentibus in aliis.
2. Sicut calor aquæ calefactæ privat actum frigoris, ita Umbra in aëre privat actum lucis.
3. Sicut lux privat Umbram, ita Umbra privat lucem.
4. Sicut lux est instrumentum Solis & ignìs ad illuminandum, ita Umbra est instrumentum terræ & chàos ad obscurandum.
5. Sol & ignis faciunt de Umbra discretas partes.
6. Unum & idem lumen facit multas Umbras in pariete vel terra.
7. Secundùm quòd sol illuminat arborem ex una parte, facit de Umbra suam figuram in terra.
8. Si Umbra non esset ens positivum, Sol de ipsa non faceret figuram arboris in terra.
9. Quia in locis, in quibus est Umbra, est remedium à calore, significatur, quòd Umbra sit per confusum colorem spissum de aqua & terra.
10. Aër in absentia lucis est obumbratus, & in præsentia lucis est clarificatus.
11. Sicut extraneus color, quem crystallus accipit à nigro corpore, quando supra illud est positus, est Umbra, ita Umbra in aëre est extraneus color, quando in illo stant grossi & spissi vapores, & ex confuso colore terræ & aquæ.
12. Sicut crystallus propter suam diaphanitatem recipit omnes colores, ita aër propter suam diaphanitatem recipit colorem lucis & Umbræ.
13. Si non esset ignis & stellæ, omnia essent in tenebris.
14. Fumus, caligo & nubes faciunt Umbram in aëre.
15. Sicut dies est centrum lucis, ita nox est centrum Umbræ.
16. Sicut ignis de ligno ejicit fumum, qui est Umbra, ut illum illuminet, sic sol de aëre ejicit nubes, quæ sunt Umbra, ut illum illuminet.

Id,

17. Id, propter quod oculi, qui sunt in camera, in quam non intrat claritas, non vident, est, quia sunt in Umbra.
18. Quia in Umbra non est lux, & oculi non possunt videre sinè luce, non possunt videre in Umbra non terminata per lucem.
19. Id, propter quod homo, qui est in Umbra arboris, videt, est, quia illa Umbra participat cum luce.
20. Supra lunam non est aliqua Umbra.

CAPUT XCIX.
De Metallis.

1. METallum est compositum, in quo elementum est magìs depuratum.
2. Sicut pinguedo est propter magnam abundantiam nutrimenti, ita Metallum est propter magnam abundantiam procuratæ simplicitatis elementi.
3. In nullo composito est elementum ita propinquum suæ simplicitati, sicut in Metallo.
4. Aqua & aër sunt magìs propinqui in crystallo, quàm terra & ignis in pipere.
5. Ignis & terra sunt magìs propinqua in ferro per siccitatem, quàm in pipere.
6. Ferrum in fornace est magìs calidum, quàm carbo, quia terra & ignis in illo habent majorem siccitatem, quàm in carbone.
7. Elementa sunt magìs mixta in corporibus vegetatis, quàm in non vegetatis.
8. Sal est Metallum ex aqua salsa, & crystallus ex dulci.
9. Smaragdus & marmor sunt Metalla ex *aqua*, & magnes & saphyrus ex *terra*, & pyropus & granatus ex *aëre*, & calcedonius & topasius ex *igne*.
10. Plumbum est de saturno & de die sabbati & de terra.
11. Stannum est de jove & de die jovis & de aëre.
12. Ferrum est de marte & de die martis & de igne.
13. Aurum est de sole & de die dominica & de igne.
14. Cuprum est de venere & de die veneris & de aëre.
15. Argentum vivum est de mercurio & de die mercurii & veneris, & tenet de auro & plumbo per ponderositatem, & de argento & stanno per colorem & mollitiem, & est dispositum ad omnia quatuor elementa.
16. Argentum est de luna & de die lunæ & de aqua.
17. Omne Metallum naturaliter est productum & generatum, & per instinctum & appetitum & locum & tempus naturale.
18. Ferrum est in potentia in lapide, & productum in actum per artificium.
19. Nullum Metallum est in potentia in alio Metallo.
20. Species Metallorum priùs sunt per naturam, quàm per artificium.

CAPUT C.
De Angelo.

1. ANgelus est illa substantia, quæ est magìs similis DEO.
2. Nullus Angelus est pars totius.
3. Omnis Angelus convertitur cum sua specie.
4. Si Angelus non converteretur cum sua specie, esset per corruptionem & per generationem.
5. Angeli ita assimilantur per species, sicut homines assimilantur per speciem.
6. Quidquid Angelus habet in potentia, producit in suum actum.
7. Quia Angelus non habet corpus, totus se convertit ad recolendum, intelligendum & amandum.
8. Quia Angelus non habet corpus, non occupat locum, nec successio temporis est necessaria suo motui.
9. Angelus non habet scientiam per successionem nec per acquisitionem, sed in instanti & per influentiam.
10. Quia Angelus non habet corpus, sensus & imaginatio non possunt illum attingere.
11. Bonus Angelus intelligit & amat DEUM supra suam naturam, & intelligit & amat se ipsum per suam naturam.
12. Angelus, qui amat alium in DEO, intelligit illum in DEO.
13. Angelus, qui attingit alium, attingit illum cum sua natura.
14. Intellectus Angeli est speculum, in quo apparent veritates, quæ illi sunt permissæ ad intelligendum.
15. Voluntas Angeli est dulcedo, in qua attingit amabilitates, quæ illi sunt permissæ ad amandum.
16. Angelus non dubitat nec credit nec curat de negatione.
17. Quidquid malus angelus in DEO intelligit, odit.
18. Malus angelus est perversus per perversionem suæ voluntatis in omnibus actibus suarum Rationum.
19. Omnes actus dæmonis sunt deviati à finibus suarum Rationum.
20. Boni Angeli sunt nuncii, quos DEUS transmittit ad conscientias bonorum hominum.

TERTIA PARS DE Proverbiis Moralibus.

CAPUT I.
De Incarnatione Filii DEI.

1. INcarnatio Filii DEI est Unio divinæ & humanæ Naturæ in una Persona.
2. DEUS Pater misit suum Filium ad assumendum Carnem, & Filius illam assumpsit, & Sanctus Spiritus illum Carne vestivit.
3. Quia nostra Domina consensit Sancto Spiritui, per illum concepit Filium DEUM & Hominem.
4. Sanctus Spiritus induit Filium Humanitate, & in Filio Humanitas fuit facta Homo.
5. Pater misit suum Filium, ut esset Homo, ut participaret cum omnibus creaturis.
6. Sanctus Spiritus induit Filium Humanitate, ut amaret omnes homines.
7. Per Humanitatem, quam Filius DEI assumpsit, naturaliter amat omnes homines.
8. In Humanitate, quam Filius assumpsit, disposuit reparationem omnium hominum.
9. Sanctus Gabriel à Patre fuit nuncius missus ad nostram Dominam, & Sanctus Spiritus perfecit illam nunciationem illâ concipiente.
10. Quia Pater producit Filium, ad illum pertinebat missio, & quia Sanctus Spiritus est productus à Patre & Filio, ad illum pertinebat unitio divinæ & humanæ Naturæ.
11. Quia creatura est filia DEI per creationem, pertinebat ad Filium esse Homo, qui est creatura.
12. DEUS cum tam magna Virtute, Bonitate, Fine & Veritate se habet ad suum effectum per Voluntatem, sicut per Potestatem & Sapientiam.
13. Quia DEUS est incarnatus, plùs potest intelligi & amari ab homine.
14. Si DEUS non diligeret id, per quod plùs potest intelligi & amari, plùs diligeret hoc, per quod non multùm posset intelligi & amari.
15. DEUS plùs potest exaltare hominem per Incarnationem, quàm per creationem.
16. DEUS potest magìs exaltare creaturam in se ipso, quàm in ipsâmet.
17. Quia DEUS est unus, potest magìs in se ipso exaltare unum hominem, quàm multos.
18. Nostra Domina in Incarnatione quantùm ad suam naturam considerabat impossibilitatem, & quantùm ad divinam humilitatem & naturam considerabat Possibilitatem.
19. Quia nostra Domina humiliavit suam Naturam divinæ Naturæ, ideo divina Natura in se exaltavit ipsam Naturam nostræ Dominæ.
20. Sicut DEUS per generare & spirare habet majorem operationem, quam potest habere in se, ita per Incarnationem habet majorem operationem, quam potest habere in creatura.

CAPUT II.
Quòd JESUS Christus sit natus ex Muliere Virgine.

1. QUia JESUS Christus fuit conceptus in Muliere Virgine, convénit eum nasci ex Muliere Virgine.
2. Cùm Homo sit natus ex Muliere, & DEUS fuérit ille Homo, DEUS natus est ex Muliere.
3. Sicut Homo fuit conceptus supra humanam naturam, ita natus est supra cursum naturæ.
4. Ad significandum Potestatem, quam DEUS habet supra naturam, transivit in Nativitate corpus per corpus sinè corruptione corporis.
5. Nostra Domina mirabatur, quando vidit suum Filium, & se sensit Virginem.

6. Quia JESUS Christus natus est ex Virgine, non habuit appetitum multiplicandi suam speciem.
7. Naturaliter JESUS Christus amat esse Virgo, quia natus est ex Virgine.
8. DEUS est natus in humana specie, in quantùm est natus ex Muliere.
9. Nostra Domina fuit tota in Sanctitate, quia ex ipsa est nata Sanctitas.
10. Nostra Domina non habuit dolorem in pariendo Filium, quia Filius est Gloria.
11. Omnes nativitates non sunt tam bonæ, sicut Nativitas DEI & Hominis.
12. Infinitus Natus est natus in finito homine.
13. Æternus Natus est natus in tempore ab Homine.
14. Qui est infinitum bonum & infinita Virtus, est natus de finito bono & de finita Virtute.
15. Natus est, de quo nascitur omnis Misericordia & Pietas.
16. Nativitas JESU Christi est Finis omnium nativitatum.
17. Gaudium nostræ Dominæ fuit magnum secundùm Magnitudinem Nativitatis sui Filii.
18. JESUS Christus est natus ex humili Muliere & in humili loco.
19. JESUS Christus est natus inter animalia, quæ sunt magìs humiliata ad servitutem.
20. JESUS Christus est natus in palea, quæ est magìs humilis, quàm sericum & purpura.

CAPUT III.

De Passione JESU Christi.

1. JESUS Christus est mortuus, ut humana Natura honoraret divinam Naturam.
2. JESUS Christus est mortuus ex amore hominis, ut homo desideraret mori pro illius amore.
3. JESUS Christus cum sua gravi morte multùm obligavit homines.
4. DEUS perdidit homines per originale peccatum, & JESUS Christus per suam gravem mortem illos recuperavit DEO.
5. DEUS voluit mori in homine, ut participaret cum malis pœnæ, quæ sunt creaturæ.
6. Si JESUS Christus non moreretur, DEUS non haberet experientiam in homine de malis, quæ homines sustinent.
7. Propter pœnam, quam DEUS sustinuit in homine, est excitatus ad Pietatem & Misericordiam.
8. Secundùm quòd JESUS Christus cum sua morte delevit magnum peccatum, ipsi convénit in Cruce sustinere magnam pœnam.
9. Quia JESUS Christus voluit habere experientiam de magna pœna, voluit sustinere magnam pœnam.
10. Quantò magìs Corpus JESU Christi fuit innocens, quàm aliud corpus, tantò magìs fuit patiens in Cruce, quàm aliud corpus.
11. Sicut JESUS Christus sustinuit majorem pœnam, ita sustinuit majus vituperium.
12. JESUS Christus habuit pœnam per suam gravem mortem, & propter gravem dolorem, quem nostra Domina sustinuit.
13. JESUS Christus habuit pœnam in Cruce, quia sciebat, quòd illi, qui ipsum tormentabant, habituri essent pœnam sempiternam.
14. Tota humana Natura JESU Christi habuit pœnam, & tota divina Natura in illa sensit pœnam.
15. Cùm JESUS Christus pro homine voluerit sustinere tam gravem mortem, quis est ille, qui magìs deberet amare vitam, quàm pro illo sustinere mortem?
16. JESUS Christus tradidit se morti, ut meliùs se daret DEO Patri.
17. Nemo se potest meliùs dare DEO, quàm ille, qui se dat ad moriendum pro suo amore.
18. Ha! quàm benè vivit, qui propter DEUM desiderat mori.
19. Plùs valet propter DEUM mori, quàm propter omnia alia vivere.
20. Magnam injuriam facit DEO, qui propter illius amorem timet sustinere mortem.

CAPUT IV.

Quòd JESUS Christus descenderit ad Inferos.

1. PRopter originale peccatum Adam, Abraham, Isaac & Jacob & alii Sancti erant in inferis.
2. JESUS Christus cum sua morte vicit diabolum; & sua Anima descendit ad inferos ad liberandum sanctos, qui ibi erant.
3. Considera, quàm magnum placitum habuerit Adam, quando vidit Dominum, & se cognovit liberatum & salvatum.
4. Pulchrum fuit videre Dominum in tam magna majestate, & videre illum vincere tot dæmones.
5. Quia JESUS Christus multùm amavit recreationem, ipsémet illam protinùs denunciavit.
6. Magna lætitia fuit videre Dominum exire de tam magna pœna, & ire ad tam magnam gloriam.
7. Damnati habuerunt magnum timorem, qui remanserunt in inferno, videndo iram Domini, qui illis denunciavit æviternam pœnam.
8. Dæmones mirabantur, quando viderunt Animam JESU Christi habere tam magnam victoriam.
9. Dixit Lucifer: quis est iste, qui rumpit tam magnas catenas?
10. O quàm magnam visionem pacis viderunt Sancti videndo JESUM Christum.
11. O quàm magnam visionem pœnæ viderunt damnati videndo JESUM Christum.
12. Sicut nostra Domina Maria filia David summè doluit in morte Christi, ita summè gavisus est David suus Parens, quando vidit se liberatum per illum.
13. Dixit Abraham ad David: bona est nostra filia, quæ tam bonum & tam potentem filium nobis genuit.
14. Abraham, dixit David: consolata est nostra filia, quia nos scit liberatos de tam magnis catenis.
15. Dixit Abraham ad David: nostra filia fuisset mortua videndo suum Filium mortuum, si non præscivisset nostram liberationem.
16. JESUS Christus eripuit Sanctos de pœna, & transmisit illos ad Patrem in cœlum ad habendum beatitudinem.
17. David, dixit Abraham: utinam nobiscum esset nostra filia, per quam nobis evénit tanta lætitia.
18. Abraham, dixit David: est valde magna translatio de tam magna pœna ad tam magnam beatitudinem.
19. Abraham dixit ad Davidem: nostra filia est, quæ nobis peperit tantam felicitatem, quòd sit proxima ad summam beatitudinem.
20. Gabriel, dixit sanctus Michaël: quis nobis dedit talem societatem?

CAPUT V.

De Resurrectione JESU Christi.

1. JESUS Christus resurrexit tertiâ die, ad significandam Sanctam Trinitatem, ad cujus honorem voluit crucifigi.
2. Anima JESU Christi voluit, quòd Corpus resurgeret, postquam vicerat diabolum.
3. Deitas complevit Voluntatem Animæ, & reddidit illi Corpus vivum & resuscitatum.
4. Postquam JESUS Christus complevit id, propter quod fuit mortuus, accepisset injuriam, si non resurrexisset.
5. JESUS Christus sustinuit mortem propter Amorem, & apparuit Magdalenæ propter Amorem.
6. Considera, quàm magnum placitum nostra Domina habuerit videndo suum Filium resuscitatum.
7. Nostra Domina quæsivit à suo Filio: an iterum posset mori? dixit JESUS Christus, quòd ipsi non competeret iterùm complere hoc, quod jam compleverat.
8. Fili, dixit nostra Domina: tua mors me multùm afflixit: Mater, dixit JESUS Christus: multùm læteris, quia me modò vides resuscitatum.
9. Fili, dixit nostra Domina: estnè verum, quòd resurrexisti? Mater, dixit JESUS Christus: da mihi comedere, & poteris hoc cognoscere.
10. JESUS Christus monstravit suum Latus Sancto Thomæ ad significandum, quòd ipse, qui erat mortuus, verè resurrexerat.
11. Dubium, quod habuit Sanctus Thomas, fuit exemplum, quòd homo inquirat Veritatem de DEO & de suis operibus.
12. *Exemplum, quod JESUS Christus dedit in comedendo favum & mel, fuit signum, quòd ipse haberet placitum, si cognosceretur per necessarias Rationes.*
13. Exemplum, quod JESUS Christus dedit de sua Resurrectione, est signum, quòd erit generalis Resurrectio.
14. Cùm Apostoli viderunt JESUM Christum resuscitatum, si plorarunt, bene potuerunt ridere.
15. JESUS Christus resurrexit in corpore, & nostra Domina & Apostoli habuerunt quietem resurgentes in mente.
16. Nostra Domina obliviscebatur suum dolorem, & habebat majus placitum & solatium, quàm solebat habere.
17. Post Resurrectionem JESU Christi Apo-

ſtoli fuerunt magis obedientes noſtræ Dominæ, quàm ſolebant.
18. Reſurrectio JESU Chriſti eſt exemplum omnis complementi.
19. Quando Sanctus Petrus vidit JESUM Chriſtum reſurrexiſſe, habuit valde magnam verecundiam, quia illum negaverat.
20. JESUS Chriſtus tradidit Sancto Petro Eccleſiam ad ſignificationem veniæ, quia ipſum negavit, & illi remiſit.

CAPUT VI.

De Aſcenſione JESU Chriſti.

1. JESUS Chriſtus aſcendit ad cœlos, & ſedet ad dextram partem ſui Patris ratione victoriæ, quam habuit in Cruce.
2. Pater cum dextra parte eſt fortis, & facit judicium, & cum ſiniſtra parte eſt humilis & remittit.
3. Filius cum Humanitate, quam aſſumpſit, aſcendit ad dextram partem Patris, ut ibi eſſet Humilitas & Pietas.
4. Quia Filius eſt humiliatus ad Incarnationem & Paſſionem, eſt ad dextram Patris exaltatus.
5. Convenit, quòd Pater habens talem Filium, ſit omnibus modis pius & clemens.
6. JESUS Chriſtus aſcendit ad Cœlum empyreum, quia illud eſt locus beatitudinis.
7. Si JESUS Chriſtus, qui procuravit & acquiſivit beatitudinem, non aſcendiſſet ad locum, ubi datur beatitudo, ſuus Pater illi feciſſet injuriam.
8. Quia iſte inferior locus eſt de corruptione, non eſt locus pro tam nobili Domino, ſicut eſt JESUS Chriſtus.
9. Quando JESUS Chriſtus fuit in Cœlo empyreo, Curia ſui Patris erat plena.
10. Angeli mirabantur de multiplicatione gloriæ, quam ſentiebant per repræſentationem JESU Chriſti.
11. Sol non tantum complet hunc mundum claritate, ſicut JESUS Chriſtus complevit Cœlum empyreum ſuâ Humanitate.
12. In Cœlo empyreo JESUS Chriſtus fuit ſupremus Dominus ſuper omnes Angelos.
13. Sanctus Michaël dixit ad ſanctum Gabrielem, quòd bona fuiſſet ſua nunciatio ad Virginem Mariam de tanto Rege.
14. Per præſentiam throni JESU Chriſti ſedes Sanctorum fuerunt poſitæ in ordine.
15. O! dixit Abraham ad Sanctum Joannem: quàm vera eſt denunciatio, quam feciſti de Domino.
16. Sancti laudarunt JESUM Chriſtum, & JESUS Chriſtus monſtravit Patri, quot animas lucratus eſſet.
17. Dixit Pater ad Filium: O quot animæ per te lucrabuntur & ſalvabuntur!
18. Sanctus Spiritus inamoravit omnes animas & omnes Angelos de JESU Chriſto.
19. JESUS Chriſtus in quantum Homo cantavit & laudavit divinam & Sanctam Trinitatem.
20. Vox JESU Chriſti præcedebat, & ſequebantur illam Angeli & ſanctæ Animæ cantando.

* O! dixerunt Angeli, quomodo noſter cantus eſt multiplicatus in Magnitudine Bonitatis, Sanctitatis & Virtutis.

CAPUT VII.

De Die Judicii.

1. JESUS Chriſtus in Die judicii judicabit bonos & malos.
2. In fine mundi ceſſabit generatio & corruptio hominum, ut ſit ultimum & generale judicium.
3. Quilibet homo reſuſcitabitur idem in ſuo numero, ut ille, qui fecerit bonum vel malum, judicetur ſecundùm ſuum meritum.
4. In Die judicii non erit Remiſſio & Pietas in divina Majeſtate.
5. Convenit, quòd Judex ſit DEUS & Homo, ut judicium credatur audito & viſo judice.
6. Viſio Judicis ſalvatos faciet lætos, & damnatos faciet triſtes.
7. In Die judicii promittetur æviterna gloria ſalvatis, & æviterna pœna damnatis.
8. JESUS Chriſtus dicet ad ſalvatos: videte quem amaſtis; & dicet ad damnatos: videte contra quem erraſtis.
9. JESUS Chriſtus monſtrabit Crucem, cum qua vicit dæmonem, & cum qua procuravit ſalvationem ſanctorum hominum.
10. Omnes Rationes & opera JESU Chriſti facient Teſtimonium, & nullus homo dubitabit in illius judicio.
11. Omnes homines ſalvati erunt Reges, & omnes damnati erunt ſervi dæmonum.
12. In illa die dividetur in perpetuum participatio bonorum & malorum hominum.
13. Benedicti erunt ſalvati, & maledicti erunt damnati.
14. Omnia peccata damnatorum revelabuntur cum verecundia: & omnia peccata ſalvatorum tradentur oblivioni.
15. De bonis, quæ fecerunt damnati, non fiet

fiet mentio, & omne bonum, quod fecerint ſalvati, omnibus monſtrabitur.
16. In illa die non erit tempus pœnitendi, nec excuſationis, nec petendi veniam.
17. In illa die peccatores non poterunt fugere à DEO nec à dæmonibus.
18. In illa die finietur opus, quod natura habet inferiùs, & finietur numerus hominum.
19. Illa dies non habebit poſt ſe aliam diem, & erit dies laudis & ploratûs.
20. Multùm mihi videtur ſtultus, qui ab illa die non habet timorem.

CAPUT VIII.

De decem Præceptis,
Et primò:
Non adorabis Deos alienos.

1. DEUS præcepit hominibus: ne habeant extraneum DEUM.
2. DEUS præcepit hominibus: ne credant in Idola.
3. Ille credit in Idola, qui aliquid plùs amat, quàm DEUM.
4. Ille credit in alienum DEUM, qui negat hoc, quod eſt in DEO, & affirmat in DEO hoc, quod non eſt in eo.
5. Præceptum meliùs pertinet ad Dominum, qui eſt DEUS, quàm ad alium Dominum.
6. Vaſallus meliùs debet obedire DEO, quàm ulli alteri Domino.
7. Præceptum DEI eſt principium omnium aliorum præceptorum.
8. Obedientia, quam homo debet habere erga DEUM, eſt principium omnium aliarum obedientiarum.
9. Antequam obedias alteri, obedi DEO.
10. Non potes errare, ſi priùs obedias DEO, quàm ulli alteri.
11. Nullum præceptum te obligat contra Præceptum DEI.
12. DEUS eſt tam nobilis, quòd ſua Præcepta ſunt facilia.
13. DEUS tibi facit majorem Amorem, in quantum tibi facit Præceptum, quàm tu illi, in quantum illi es obediens.
14. In omni præcepto conſidera conditionem, excepto divino.
15. Quia DEUS tibi facit Præceptum cum Amore, non potes illi obedire, ſi ipſum non amas.
16. DEO facis injuriam, niſi ſæpe recolas ſuum Præceptum, quod eſt Præceptum Amoris.
17. Præceptum, quod DEUS fecit, facit homines liberos, & omne aliud præceptum illos captivat.
18. Omne præceptum eſt extraneum, excepto divino.
19. Omnia Præcepta DEI ſunt cum Juſtitia.
20. DEUS tibi fecit Præceptum pro tua utilitate, & non pro ſuâ.

CAPUT IX.

Sabbathum coles.

1. DEUS fecit Præceptum, quòd homo faciat feſtum, quia ipſe eſt Feſtum.
2. DEUS eſt Feſtum quietis.
3. DEUS eſt Feſtum lætitiæ, quia eſt Gloria.
4. DEUS vult, quòd homo de illo faciat Feſtum.
5. Fac Feſtum de memorare, intelligere & amare DEUM.
6. DEUS vult, quòd unâ die de ſeptimana non labores, ut in illa die non habeas impedimentum in cogitando & amando DEUM, & ſuum honorem.
7. Feſtum ſpirituale non eſt in corporali comedere & bibere.
8. Fac Feſtum, ut poſſis recolere & intelligere tua peccata.
9. Ille facit majus Feſtum, qui ſuam Voluntatem veſtit Amore DEI, quàm ille, qui ſuum corpus veſtit ſerico & purpura.
10. Qui non facit Feſtum DEO, facit feſtum diabolo.
11. Plùs valet Feſtum per orationem, quàm per comedere pavones & gallinas.
12. Plùs valent in Feſto ſuſpiria & ploratus, quàm in Rege ſamitum & corona.
13. Humilis mulier facit DEO majus Feſtum cum ſuo paupere mantello, quàm pulchra ſuperba mulier cum ſuo divite mantello.
14. Feſtum eſt ad honorandum DEUM, & ad ſatiandum pauperes.
15. Talis putat facere Feſtum DEO, qui illi facit ignominiam.
16. Majus Feſtum facies DEO per orationem & bonam cogitationem, quàm per pulchram vocem.
17. Qui non facit Feſtum DEO in hac vita, illi DEUS non faciet Feſtum in alia vita.
18. Feſtum requirit ſanctitatem & bonam conſcientiam.
19. Fac Feſtum tuis oculis de Cruce, & tuis auribus de verbis DEI.
20. Illud Feſtum eſt malum, quod eſt occaſio pœnæ & verecundiæ.

CAPUT X.

Non accipias Nomen DEI in vanum.

1. QUi jurat per DEUM, & perjurat, accipit Nomen DEI in vanum.
2. Verbum in nullo nomine est tam nobile, sicut in Nomine DEI.
3. Qui Nomen DEI jurat, comparat Nomen DEI illi rei, propter quam jurat.
4. DEUS fecit tibi præceptum, ne perjures cum suo Nomine, ne ipsum inhonores.
5. Instrumentum facis de Nomine DEI, cùm per illud juras, & magis amas hoc, propter quod juras, quàm instrumentum.
6. Qui cum Nomine DEI perjurat, vendit Nomen DEI.
7. DEUS præcepit tibi, ne vendas aliquid, quod ad ipsum pertinet, quia ipse plùs valet, quàm omnia.
8. DEUS est Finis omnium rerum, &, qui de ipso loquitur vana verba, ponit in vanum omnia, quæ sunt.
9. De DEO non potes sentire nisi suum Nomen; &, si per illud perjuras, ponis Finem tui sentire in vanum.
10. Tu accipis Nomen DEI in vanum, quando cum illo vadis contra Finem.
11. Sicut cum Nomine DEI dicis plus de Veritate, si non mentiris, ita cum illo dicis plus de falsitate, si mentiris.
12. Sicut in Nomine DEI est major Virtus, quàm in alio, sic habes majus vitium, quàm in alio, si cum illo mentiris.
13. Quia Nomen DEI est melius, quàm omne aliud nomen, ideo facis majus malum, si cum illo mentiris, quàm cum alio.
14. Magis honora Nomen DEI, quàm Regem & omnia.
15. In verbo est Nomen DEI suum Verbum.
16. Plùs valet nominare Nomen DEI cum reverentia, quàm habere omnes denarios.
17. Qui nominat Nomen DEI cum Veritate, participat cum DEO.
18. Qui falsè jurat, blasphemat DEUM.
19. Nomina DEUM pro suo Amore, & non pro alia re.
20. Omnis diabolus habet pavorem, quando audit DEUM nominari ab hominibus.

CAPUT XI.

Non facias falsum Testimonium.

1. ILle facit falsum Testimonium de DEO, qui in ipso affirmat hoc, quod in illo non est, & qui negat de illo hoc, quod in illo est.
2. Negare de DEO Veritatem est majus mendacium.
3. Bonam famam, quam auffers à sancto homine per falsum testimonium, non potes illi restituere cum mendacio.
4. Qui facit falsum Testimonium, denegat Veritatem DEI.
5. Falsum Testimonium est Testimonium dæmonis.
6. Finis Testimonii est Veritas.
7. Qui facit falsum Testimonium, privat Finem de suo verbo.
8. Nullus dæmon facit verum Testimonium.
9. Qui facit falsum Testimonium, est socius diaboli.
10. Qui facit falsum Testimonium, facit falsam cogitationem.
11. Qui facit falsum Testimonium, faceret omne malum opus.
12. Nulla res est magis remota à Charitate, quàm falsum Testimonium.
13. Qui facit falsum Testimonium, evacuat suum os à fine.
14. Falsum Testimonium facit multos homines errare & dubitare.
15. De falso Testimonio venit magnum malum.
16. Falsum Testimonium non potes celare.
17. Falsum Testimonium destruit finem veri Testimonii.
18. Falsum Testimonium communis personæ est magis malum, quàm alterius particularis.
19. Falsum Testimonium procurat multos inimicos.
20. In die judicii revelabitur omne falsum Testimonium.

CAPUT XII.

Honora Patrem & Matrem.

1. HOnora DEUM, qui est tuus Pater per creationem & per beneficia.
2. Honora sanctam Ecclesiam, quæ est tua Mater per viam salutis.
3. Honora tuum Patrem & tuam Matrem, qui te genuerunt.
4. Honora Patrem & Matrem, qui te nutriverunt.
5. Qui non honorat suum Patrem & suam Matrem, inhonorat sua Principia.
6. De inhonorato Patre & inhonorata Matre inhonoratus filius.

Inho-

7. Inhonorat se ipsum, qui inhonorat suum Patrem & suam Matrem.
8. Qui se ipsum inhonorat, nullum honorat.
9. Si DEUS amat honorem tui Patris hominis, quantò magis amat honorem sui ipsius?
10. Qui amat honorem in parvis rebus, multò magis deberet illum amare in magnis.
11. Major honor pertinet ad DEUM, quàm ad omnes res.
12. Qui DEUM non plùs honorat, quàm omnia, in nulla re illum honorat.
13. DEUS non honoratur cum malitia.
14. DEUS non honoratur cum parvitate.
15. Si parùm honoras tuum Patrem & tuam Matrem, inhonoras DEUM, qui tibi dedit tua principia per *esse*.
16. Qui alium inhonorat, non potest se ipsum honorare.
17. Virtus honorat, & vitium inhonorat.
18. Honora te ipsum & tuum amicum cum Virtutibus.
19. Qui inhonorat suum terrenum Dominum, inhonorat se ipsum.
20. Qui se ipsum honorat cum Patientia & Humilitate, non potest inhonorari.

CAPUT XIII.

Non facias Furtum.

1. DEUS vult, quòd non facias Furtum, ut in illo habeas Spem, & ad tuum proximum Charitatem.
2. Qui sibi ipsi attribuit bonum, quod DEUS facit, furatur DEO illud bonum.
3. Da te DEO, & furare te diabolo.
4. Non fureris alicui suam bonam famam.
5. Otiosos denarios non fureris pauperibus.
6. Panem, quem non potes comedere, non fureris pauperibus.
7. Bonum, quod potes facere, noli furari DEO.
8. Non fureris alicui suum honorem.
9. Majus Furtum facit, qui furatur bonam famam, quàm qui furatur thesaurum.
10. Non fureris tibi id, quod est tuum.
11. DEO furatur, qui suo proximo furatur.
12. Non fureris tuæ Memoriæ bonum recolere.
13. Non fureris tuo Intellectui verum intelligere.
14. Non fureris tuæ Voluntati bonum & justum amare.
15. Furare tuis oculis pulchras res, & tuis auribus vana verba.
16. Furare tuis manibus mala opera, & tuis pedibus falsas vias, & tuæ linguæ dulces cibos.
17. Furare tuæ imaginationi vanitates.
18. Non fureris, quia DEUS semper habet, quod det.
19. Quando vis furari, memorare patibula.
20. Tuo Domino non fureris suum honorem.

CAPUT XIV.

Non occides.

1. DEUS tibi præcepit, ne occidas hominem, quia ille ipsum facit vivere.
2. Solus Princeps habet licentiam occidendi hominem ad faciendum Justitiam.
3. Occidere unum hominem, ut ipse non occidat multos, non est malum.
4. Non occidas te ipsum, quia non es judex tui ipsius.
5. Qui occidit hominem, non potest reddere hominem.
6. Non occidas tuam Animam cum peccato.
7. Non occidas tuum Corpus pro denariis.
8. Non occidas pauperes cum denariis.
9. De malo malum, & de homicida homicidium.
10. Vive, ut non moriaris.
11. Non occidas asinum, qui te juvat ad vivendum.
12. Non occidas canem, qui te custodit.
13. Occidas serpentem, quia habet venenum.
14. Non occidas DEO suos amicos.
15. Occide superbiam cum Humilitate.
16. Non occidas tuo proximo suam bonam famam.
17. Occide tuæ sensitivæ suas magnas delectationes.
18. Non occidas tuam Bonitatem cum malitia.
19. Nulli est licitum occidere Virtutes.
20. Occide, qui te injustè vult occidere.

CAPUT XV.

Non mœchaberis.

1. DEUS vult, quòd non facias luxuriam, ut ames Matrimonium.
2. Non facias luxuriam, ut sis sanctus.
3. Non facias luxuriam, ut sis legalis.
5. Non facias luxuriam, ut diu vivas.

Non

5. Non facias luxuriam, ut habeas filium legitimum.
6. Non facias luxuriam, ut ames castitatem.
7. Nulla delectatio tantùm valet in luxuria, quantùm castitas in Voluntate.
8. Non facias luxuriam, ut sis dominus tui corporis.
9. De luxuria sequitur luxuria.
10. Frequentiùs cogita turpitudines luxuriæ, quàm delectationes.
11. Non utitur ratione, qui est luxuriosus.
12. Luxuria facit homines similes bestiis.
13. Qui facit luxuriam bis facit illam.
14. Quò magìs cogitabis amando luxuriam, eò magìs amabis illam.
15. Quò magìs cogitabis odiendo luxuriam, eò magìs odies illam.
16. Exemplum luxuriæ facit multa mala.
17. Si non es luxuriosus, non portes signa Luxuriæ.
18. Vita hominis luxurioſi est multùm contraria Vitæ Angelorum.
19. Homo luxuriosus non habet quietem.
20. Qui senescit in luxuria, moritur cum illa.

CAPUT XVI.

Non invideas Uxorem tui Proximi.

1. DEUS non vult, quòd concupiscas uxorem tui vicini, ut illi sis legalis.
2. Omnis homo est tuus vicinus per speciem
3. Non habeas invidiam de hoc, quod DEUS dat.
4. Si concupiscas uxorem tui vicini, tua uxor concupiscet maritum tuæ vicinæ.
5. Invidia dividit amicitias hominum.
6. Sæpe ponit suspicionem in suo vicino, qui concupiscit illius uxorem.
7. Plùs potest te juvare tuus vicinus, quàm ejus uxor.
8. Si concupiscis uxorem tui vicini, omnes alios tuos vicinos ponis in suspicionem.
9. Qui habet malum vicinum, est vicinus dæmonis.
10. Malum vesperem & malum mane habebis per malum vicinum.
11. Invidia vicini quotidie crescit.
12. Cùm videbis uxorem tui vicini, claude oculos, si est pulchra.
13. Nimiùm affligit suum vicinum, qui illum facit zelotypum.
14. Nulla guerra est deterior, quàm guerra vicini.
15. De malo vicino habeas timorem die & nocte.
16. Dona, aut vende tuas domos, & fuge à malo vicino.
17. Tuo vicino non laudes ejus uxorem.
18. Tuæ uxori non laudes tuum vicinum.
19. Non loquaris cum tuo vicino de tua uxore.
20. Magìs caveas tibi de tuo vicino, quàm ab alio homine.

CAPUT XVII.

Non habeas Invidiam de rebus tui Proximi.

1. DEUS vult, quòd non concupiscas possessiones tui vicini, quia DEUS ipsas illi dedit.
2. Si concupiscis bona tui vicini, reprehendis DEUM, quia ipsi illa dedit.
3. Si DEUS non haberet, quod daret, tunc posses habere invidiam.
4. Quare concupiscis, si nescis, quamdiu vivas?
5. Non procures, quòd aliquis concupiscat id, quod habes.
6. Inimicos procurat, qui facit sua bona concupisci.
7. Invidus non dormit.
8. Non laudes tuo vicino tuas divitias.
9. Invidiam procuras, si tuo vicino laudas tuas divitias.
10. Occide invidiam cum Charitate.
11. Invidus non habet Justitiam nec Spem.
12. De homine invido & pigro non habeas timorem.
13. Invido nihil commenda de tuo.
14. Nimium est invidus, qui habet invidiam de Rege.
15. Omnis invidia dat tristitiam.
16. Pauper invidus non habet quietem.
17. Potes desiderare similes divitias, sed non illas, quas concupiscis.
18. Invidia est nuncius proditionis.
19. Invidia tollit, & non parcit.
20. Non habeas consilium cum invido homine.

CAPUT XVIII.

De septem Sacramentis, Et primò: De Matrimonio.

1. MAtrimonium est Sacramentum, quod DEUS fecit in terrestri Paradiso de Adam & Eva.

DEUS

2. DEUS vult Matrimonium, ut habeas proles cum sua licentia.
3. DEUS non vult, quòd homo utatur suis bonis sinè sua licentia.
4. Homo est tam nobilis, quòd DEUS non vult, quòd generetur sinè ordine.
5. DEUS voluit Matrimonium, ut possit communicare suam Potestatem Presbytero, qui illud ministrat.
6. Matrimonium est legalis societas viri & mulieris.
7. Matrimonium ligat virum & fœminam ad unum Finem.
8. Matrimonium te ligat, quòd non debeas accedere ad tuam uxorem, nisi propter intentionem prolis.
9. Matrimonium est unio duorum in una carne.
10. Matrimonium est primus & major ordo.
11. Qui peccat contra Matrimonium, peccat contra magnum ordinem.
12. Qui peccat contra magnum ordinem, facit magnum peccatum.
13. Matrimonium est regula Castitatis.
14. In Matrimonio generatur homo cum Sanctitate.
15. Matrimonium est per conceptionem mentis, & per verbum, quod manifestat mentem.
16. Per Matrimonium est filius legitimus.
17. De ordine Matrimonii exeunt alii ordines.
18. Qui facit contra Matrimonium, est inobediens DEO.
19. Matrimonium est ordo parentum.
20. Mulieres non habent verecundiam de Matrimonio.

CAPUT XIX.

De Baptismo.

1. BAptismus est ablutio originalis peccati.
2. Baptismus est introitus Fidei.
3. De Baptismo JESU Christi sunt alii.
4. JESUS Christus non suscepit Baptismum propter suam necessitatem, sed propter nostram necessitatem.
5. DEUS & Presbyter participant in Potestate per Baptismum.
6. Baptismus Ignis est mentis.
7. Baptismus Sanguinis est Martyrii.
8. Baptismus Aquæ est communis Baptismus.
9. Baptismus est prima porta Paradisi.
10. Magnum bonum facit, qui procurat Baptismum.
11. Qui non est baptizatus, non potest salvari.
12. Qui inhonorat Baptismum, inhonorat DEUM.
13. Omne aurum mundi non valet Baptismum.
14. Ad procurandum tuum Baptismum DEUS voluit incarnari.
15. Propter tuum Baptismum JESUS Christus suscepit Baptismum Aquæ in Fluvio Jordanis, & Baptismum Sanguinis in Cruce.
16. Immundus Presbyter facit Baptismo magnam injuriam.
17. Baptismus est ex Sanctitate.
18. Qui baptizat, nominatur procurator DEI.
19. Non incepisti ire ad Paradisum, quousque fuisti baptizatus.
20. Nihil valuisti, quousque suscepisti Baptismum.

CAPUT XX.

De Confirmatione.

1. COnfirmatio est confessio Baptismi.
2. Confirmatio est necessarium Sacramentum, ut puer fortiter fateatur, se esse baptizatum.
3. Si non esset Confirmatio, esset dubitatio de Baptismo.
4. Si non es baptizatus, & es confirmatus, restauras tuum Baptismum in tua Voluntate.
5. Qui est confirmatus, dupliciter est mundatus.
6. Baptismus est per ablutionem, & Confirmatio per conceptionem mentis & per unctionem Episcopi.
7. Quando es confirmatus, confiteris, quòd sis baptizatus.
8. Suscipere Confirmationem est bis se confiteri Christianum.
9. Multùm es obligatus illi, qui te baptizavit & confirmavit.
10. Qui confirmat, refirmat.
11. JESUS Christus confirmavit suum Baptismum in Cruce.
12. Confirmatus fuisti cum gaudio, & JESUS Christus cum morte & dolore.
13. Tu es confirmatus propter timorem, & JESUS Christus propter Amorem.
14. Confirmatio JESU Christi est generalis mater omnium.
15. Si es confirmatus propter timorem, confirma te in Amore.

16. Confirmatio est testis Baptismi.
17. Confirmatio est medium, quod est inter Baptismum & Extremam Unctionem.
18. In illa die, quâ fuisti confirmatus, lucratus es magnam veniam.
19. Cùm volueris peccare, memento, quòd es fortiter firmatus, in quantum es confirmatus.
20. Confirmatus, qui facit peccatum, bis abnegat DEUM.
* Confirmatio non potest reiterari.
* Confirmatio fit per Episcopum solùm.

CAPUT XXI.

De Sacramento Altaris.

1. SAcramentum Altaris est majus donum, quod DEUS potest dare in hac vita.
2. Sicut DEUS dat majus donum, quod potest dare in alia vita, sic dat illud in hac vita.
3. In DEO Potestas & Libertas habent æqualem Magnitudinem.
4. DEUS dat Potestatem Presbytero, quòd possit uti Potestate supra naturam, & supra naturam frui JESU Christo.
5. Presbyter facit, quòd JESUS Christus, qui est in uno loco, sit in multis locis.
6. In Sacramento Altaris DEUS cum sua Voluntate facit de Pane Carnem, & de Vino Sanguinem, & Presbyter cum suis verbis.
7. Presbyter cum suis verbis movet Voluntatem DEI ad volendum in uno momento Carnem de Pane, & Sanguinem de Vino.
8. Presbyter cum Potestate DEI facit, quòd Vinum, quod est in Calice, fiat Sanguis Christi, & Panis, qui est in Hostia, fiat Caro Christi.
9. Presbyter cum Potestate DEI facit, Sanguinem, qui est in Calice, esse in Carne, quæ est in Hostia.
10. Presbyter dat hominibus JESUM Christum, qui est DEUS & Homo.
11. Presbyter cum Potestate DEI, quam DEUS illi dedit, facit accidentia esse sinè substantia.
12. In Sacramento Altaris facit Presbyter de DEO, quod vult.
13. Presbyter, qui facit, quòd Panis transsubstantietur in substantiam Corporis JESU Christi, non addit aliquid in illa, & generalis materia Panis non perditur, sed transmateriatur in materiam Corporis Christi.
14. Presbyter facit, quòd de Corpore JESU Christi vivat corpus hominis, qui illud recipit in figura panis, & quòd anima hominis vivat de illo in Anima JESU Christi.
15. In Sacramento Altaris Presbyter vincit naturam temporis, loci, quantitatis, coloris, saporis, ponderositatis & motûs, & facit de natura, quod vult.
16. Sacramentum Altaris est speculum sanctæ Trinitatis DEI & suæ Incarnationis.
17. Sicut Pater non addit aliquid Filio generando ipsum æternaliter & infinitè, sic Presbyter non addit aliquid JESU Christo, uniendo illi substantiam, quam panis & sua accidentia dimittunt.
18. Sicut Filius DEI non accipit augmentum per *esse* hominis, ita Sanguis, quem JESUS Christus assumpsit à nostra Domina, non accipit augmentum per Sanguinem, qui fit à Presbytero in Calice.
19. Presbyter portat JESUM Christum, quò vult, & deponit illum, ubi vult.
20. Cùm DEUS det suam Potestatem Presbytero, quòd de illo faciat ad suam Voluntatem, Presbyter facit magnam injuriam DEO, si est immundus & malus.

CAPUT XXII.

De Ordine.

1. ORdo Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi & Acolythi est Sacramentum ad serviendum DEO.
2. Ordo est necessarium Sacramentum in Sancta Ecclesia, ut Presbyter sit ordinatus ad ordinandum homines.
3. Quia DEUS est multùm pius & misericors, voluit ordinare homines, quibus daret potestatem remittendi & faciendi indulgentias, & audiendi confessiones.
4. Quia homo non potest tantùm peccare, quantùm DEUS remittere, voluit, quòd esset Ordo Presbyteri, qui daret veniam.
5. Si non esset Ordo Presbyteri, DEUS posset plus remittere, quàm homo peccare, & non esset, per quem daret veniam.
6. DEUS est invisibilis, & non respondet homini petenti veniam.
7. Presbyter est testis Pietatis & Misericordiæ DEI.
8. Sinè Ordine nullus homo esset dignus, quòd esset Vicarius DEI.
9. Sinè Vicario DEI homo non haberet securitatem, utrùm peccata, de quibus petit veniam, illi essent remissa.
10. Homo offendit DEUM, & Presbyter remittit.

DEUS

11. DEUS dat suam Potestatem ad remittendum, ut homo non desperet.
12. Presbyter habet majorem Ordinem, quàm alius homo.
13. Nullus Ordo habet tam magnam Potestatem, sicut Ordo Presbyteri.
14. Presbyter habet Potestatem baptizandi, confirmandi, faciendi Matrimonium, conficiendi ex Pane Corpus JESU Christi in Altari, audiendi confessiones, remittendi, excommunicandi, dandi pœnitentias hominibus.
15. Nulli homini magna Bonitas, Sapientia & Amor sunt tam necessarii, sicut Presbytero.
16. Nullus facit DEO tam magnam injuriam, sicut perversus Presbyter.
17. Presbyter fungitur officio DEI.
18. Presbyter potest, quod non potest Angelus.
19. Presbyter, qui tenet otiosam magnam Potestatem DEI, est multùm culpabilis.
20. Nullus homo dat tam magnum exemplum boni vel mali, sicut Presbyter.
* Si omnes Presbyteri essent boni, totus mundus esset bonus.
* Bonus Presbyter ita est in terra, sicut sol est in cœlo.

CAPUT XXIII.

De Pœnitentia.

1. PŒnitentia est Sacramentum, quod hominem obligat ad jejunandum, satisfaciendum & ad dicendum orationes.
2. Si non esset ordo Pœnitentiæ, non esset ordo Satisfactionis.
3. Pœnitentia est actus Justitiæ.
4. Pœnitentia est nuncius suspiriorum & ploratuum.
5. Pœnitentia est nuncius Misericordiæ.
6. Pœnitentia est consilium Salvationis.
7. Pœnitentia dat Fortitudinem passionis.
8. Pœnitere est operatio Pœnitentiæ.
9. Pœnitentia derivatur à contritione & conscientia.
10. Plus valent lachrymæ in Pœnitentia, quàm risus in Rege.
11. Pœnitentia aperit manus DEI ad parcendum.
12. Pœnitentia facit DEUM oblivisci peccata.
13. Pœnitentia dat veniam malis operibus.
14. Pœnitentia est porta Paradisi.
15. Pœnitentia claudit portas inferni.
16. Nullus homo est pauper, qui agit Pœnitentiam.
17. Pœnitentia hujus sæculi est levis, & Pœnitentia alterius sæculi est gravis.
18. Pœnitentia lætificat Angelos, & contristat dæmones.
19. Qui agit Pœnitentiam, est obediens & humilis.
20. Pœnitentia est dominium, quod anima habet supra corpus.
* Nullum exemplum est magis utile, quàm exemplum Pœnitentiæ.

CAPUT XXIV.

De Extrema Unctione.

1. EXtrema Unctio est ultima confessio Fidei, quam homo facit.
2. Extrema Unctio est summaria confessio suorum peccatorum, quam homo facit.
3. Extrema Unctio est ultima Pœnitentia, quam homines habent de suis peccatis.
4. Extrema Unctio est confirmatio primæ Unctionis.
5. Sicut Baptismus est necessarium testimonium in principio, ita Extrema Unctio est necessarium testimonium in fine.
6. Si non esset extrema Unctio, in exitu è mundo non esset Ordo.
7. Extrema Unctio est nuncius alterius sæculi.
8. Extrema Unctio est ordinatus commeatus ex hoc mundo.
9. Extrema Unctio est testimonium aliorum Sacramentorum.
10. Extrema Unctio JESU Christi fuit facta in Cruce cum Sanguine, aqua & sudore.
11. Martyrium est extrema Unctio.
12. Nulla Extrema Unctio est tam nobilis, sicut Martyrii.
13. Omnia merita renovantur in extrema Unctione.
14. In Extrema Unctione sigillantur opera, quæ homo fecit.
15. Extrema Unctio est ultima victoria Virtutum.
16. Extrema Unctio consolatur homines in morte.
17. Extrema Unctio est valde bonum exemplum.
18. Extrema Unctio est actus indulgentiæ.
19. Extrema Unctio est via pacis.
20. Extrema Unctio facit accedere Angelos, & fugere dæmones.

CAPUT XXV.

De Virtutibus, Et primò: De Prudentia.

1. PRudentia est Virtus, quæ consulit, quòd homo relinquat malum, & capiat bonum.
2. Prudentia comparat unum bonum cum alio, & unum malum cum alio.
3. Prudentia non facit electionem sinè deliberatione.
4. Quando Prudentiæ deficit Potestas, adjuvat se cum industria.
5. Prudentia declarat possibilitates & impossibilitates.
6. Prudentia non confidit in omnibus hominibus.
7. Prudentia priùs considerat finem, quàm aliquid incipiat.
8. Prudentia eligit majus bonum, & fugit à majori malo.
9. Prudentia evitat tenebras.
10. Prudentia dat consilium de die.
11. Prudentia non confidit in se ipsa.
12. Prudentia non vadit sola.
13. Qui habet Prudentiam, habet divitias.
14. Prudentia omnia tentat.
15. Prudentia non facit aliquid propter juramentum.
16. Nemo potest decipere Prudentiam, nec potest decipi.
17. Prudentia loquitur cum conditione.
18. Prudentia non citò affirmat nec negat.
19. Prudentia est remedium infortunii.
20. Prudentia plus credit manibus, quàm verbis.

CAPUT XXVI.

De Fortitudine.

1. FOrtitudo est vigor cordis contra malitiam.
2. Fortitudo est robur Voluntatis.
3. Fortitudo non vincitur per aliud, nisi per Voluntatem.
4. Fortitudo non habet pavorem.
5. Fortitudo non quærit astutias.
6. Fortitudo non claudit oculos.
7. Fortitudo non tenet manus clausas & securas.
8. Fortitudo non fugit.
9. Fortitudo non suspirat nec plorat.
10. Fortitudo non trepidat.
11. Fortitudo non petit consilium.
12. Fortitudo non mutat colorem.
13. Fortitudo non desperat.
14. Fortitudo non se reprehendit.
15. Fortitudo non facilè consentit.
16. Humilitas, Patientia & Pietas vincunt Fortitudinem.
17. Solùm Verecundia facit timorem Fortitudini.
18. Fortitudo diffundit sanguinem cordis per omnia membra.
19. Fortitudo est castrum Virtutum.
20. Fortitudo non confidit tantùm in alio, quantùm in se ipsa.

CAPUT XXVII.

De Temperantia.

1. TEmperantia est Virtus, quæ plus valet ad Sanitatem, quàm aliqua alia res.
2. Per Temperantiam est Justitia in vegetativa.
3. Per Temperantiam sunt homines urbani ad mensam.
4. Temperantia monstrat suos amicos post mensam.
5. Non habet magnam Temperantiam, qui per illam habet passionem.
6. Temperantia non timet infirmitatem.
7. Temperantia non timet paupertatem.
8. Temperantia sæpiùs est hominibus necessaria, quàm alia Virtus.
9. Nulla Virtus tam sæpe lucratur merita, sicut Temperantia.
10. Temperantia torâ die ridet.
11. Temperantia non habet notitiam boni vel mali vini.
12. Temperantia non facit differentiam inter dulcem & amarum saporem.
13. Temperantia est conditio religionis.
14. Temperantia expendit parum, & lucratur multum.
15. Temperantia est capitale mercatoris.
16. Temperantia tenet corpus hominis leve.
17. Temperantia non timet calorem nec frigus.
18. Temperantia non habet multas ollas.
19. Temperantia non habet multos clientes.
20. Temperantia non habet Verecundiam.

CAPUT XXVIII.

De Fide.

1. FIdes est Virtus, quæ constringit intellectum ad credendum de DEO res veras, quas homo non intelligit per necessarias rationes.

Fides

2. Fides est Virtus, quæ ita restaurat Veritatem, quam intellectus non potest intelligere, sicut imaginativa, quæ restaurat Veritatem rerum sensibilium, quando sunt absentes à sensibus.
3. Sicut imaginaris hoc, quod vidisti, ita credis de DEO per Fidem quatuordecim Articulos, & septem Sacramenta Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quos non intelligis per demonstrationes.
4. Sicut frigus aquæ calefactæ remanet in potentia, ita remanet habitus Fidei in potentia, quando Intellectus per necessarias rationes intelligit aliquam Veritatem Articulorum & Sacramentorum.
5. Si Veritatem, quam intelligis, aliquando ignoras, remanet tibi in habitu per Fidem, in quantum illam credis.
6. Sicut Bonitas est Ratio ad agendum bonum, ita Fides est Ratio ad credendum res veras.
7. Quantò major est Veritas, quam credis, tantò majorem Fidem habes.
8. Sicut sol est instrumentum ad videndum, ita Fides est instrumentum ad credendum.
9. In quantum supponis, quòd intelliges veritatem, quam non intelligis, uteris Fide.
10. Priùs te convenit credere, quàm possis intelligere.
11. *Sicut oleum stat supra aquam, ita Fides stat supra Intellectum.*
12. Quia non potes tantum intelligere, quantum credere, stat Fides supra intellectum.
13. Qui de DEO intelligit Veritatem, bis habet meritum.
14. Unum meritum habes credendo, & aliud habes intelligendo.
15. Virtus Principii non perditur per Virtutem Finis.
16. Qui magis credit, magis potest intelligere.
17. Fides est de rebus spiritualibus, & non de rebus corporalibus, de quibus datur experientia sensibus.
18. Fides non timet argumentum, quia ipsa est suum principium.
19. Qui multùm amat DEUM, suspirat & plorat, quia Fides tantùm inhonoratur in mundo.
20. Fides est inhonorata in omni homine, qui ipsam non habet, & est inhonorata in illis, qui ipsam habent & inhonorant.

) o (

CAPUT XXIX.

De Charitate.

1. CHaritas te ligat ad amandum DEUM, te ipsum, & tuum proximum.
2. Charitas non ligat te coactè, sed cum libertate.
3. Charitas est tam nobilis Virtus, quòd illi non convenit coactio.
4. Charitas ipsamet constringit ad amandum, non quòd ipsa sit constricta.
5. Omnes aliæ Virtutes serviunt Charitati, & ipsa est domina.
6. Id, quod justitia de divitiis ponit in speciali, Charitas ponit in communi.
7. Propter magnam Charitatem Prudentia non habet modum in dando consilium.
8. Charitas fortificat suum amare de Fortitudine.
9. Charitas procurat Temperantiam, ut possit esse magna in amando.
10. Charitas tantùm multiplicat credentiam, quòd non timet argumentum.
11. Charitas tantùm multiplicat spem, quòd non timet indigentiam.
12. Charitas humiliat Reges ad salutandum pauperes.
13. Charitas facit, quòd Reges habeant Pietatem de pauperibus, & facit ipsos procuratores pauperum.
14. Charitas facit Regem patientem & refrænantem suas manus.
15. Charitas procurat pacem, & vincit guerram.
16. Charitas est major in corde, quàm splendor in sole.
17. Charitas se non excusat.
18. Charitas non mentitur, & habet suum complementum in se ipsa.
19. Charitas est medicina peccati.
20. Charitas parcit, & est Regina omnium Virtutum.

CAPUT XXX.

De Humilitate.

1. HUmilitas est illa Virtus, quæ est magis remota à superbia.
2. Humilitas est instrumentum descendendi, ut aliæ Virtutes ascendant.
3. Quò magis Humilitas descendit, eò magis exaltat alias Virtutes.
4. Rex, qui se magis potest humiliare, quàm rusticus, potest habere plus Charitatis, quàm rusticus.

Humi-

5. Humilitas non timet derisiones.
6. In magnitudine Humilitatis Patientia est magna.
7. Humilitas facit homines urbanos.
8. Quantò major est Humilitas in inferioribus, tantò altior est in superioribus.
9. Nulla Virtus potest ascendere sinè Humilitate.
10. Humilitas non facit differentiam inter honorem Regis & vilitatem rustici.
11. Humilitas domini consolatur servitutem subditorum.
12. Humilitas non habet fel.
13. Humilitas semper spernit mel.
14. Humilitas non habet guerram.
15. Humilitas non habet mensuram.
16. Humilitas non habet aures.
17. Humilitas claudit oculos.
18. Humilitas calceat pauperes.
19. Humilitas inclinat caput, & parat collum.
20. Humilitas ascendit ad cœlum.

CAPUT XXXI.
De Castitate.

1. CAstitas est posse contra luxuriam.
2. Castitas conservat finem matrimonii.
3. Per Castitatem est Filius legitimus.
4. De matrimonio sinè Castitate non exit filius legitimus in Bonitate.
5. Generatio hominis non est licita sinè Castitate.
6. Castitas est thesaurus bonarum dominarum.
7. Omnis casta mulier est domina.
8. Omnis Castitas est alba.
9. Castitas non habet timorem de infamia.
10. Qui est castus, procurat Castitatem suæ uxoris.
11. Castitas vivit de Fortitudine.
12. Quando Castitas moritur, nascitur luxuria.
13. Castitas non facit in suo scuto signum luxuriæ.
14. Castitas non vadit de nocte.
15. Castitas non currit huc & illuc.
16. Castitas parum se excusat.
17. Castitas multum vigilat.
18. Castitas se non offert alicui.
19. Castitati plùs placent breves fabulationes, quàm longæ.
20. Casta mulier procurat suæ filiæ bonam famam.

CAPUT XXXII.
De Abstinentia.

1. ABstinentia est refrænatio Voluntatis.
2. Abstinentia est, ut sit deliberatio.
3. Quia intellectus non vadit citò, dicit Voluntati, quòd vadat spatiosè & pacificè.
4. Qui vult habere Abstinentiam, convenit, quòd illam nutriat.
5. Abstinentiam potes nutrire cum Humilitate & Patientia.
6. Si vis habere Abstinentiam, respice Finem consequentiæ furiositatis.
7. Abstinentia in Principio est serva, & in Fine domina.
8. Qui abstinet, ridet, & qui non abstinet, plorat.
9. Abstinentia est Virtus valde communis.
10. Quia furiositas venit in capite Voluntatis, si vis habere Abstinentiam, convenit, quòd illam habeas in capite Voluntatis.
11. Abstinentia & furiositas in capite Voluntatis tantùm sunt contrariæ.
12. Caput Voluntatis est Principium sui velle.
13. Nisi furiositas vincatur in Principio, non vincetur in Medio.
14. Quia abstinentia plus vincit de die, quàm de nocte, ideo est fortior de die, quàm de nocte.
15. Abstinentia est consequentia Prudentiæ.
16. Abstinentia est scutum Prudentiæ.
17. Fortitudo est scutum Abstinentiæ.
18. Qui habet abstinentiam, non reprehenditur.
19. Abstinentia & Temperantia sunt sorores.
20. Abstinentia considerat hoc, quod est futurum.

CAPUT XXXIII.
De Verecundia.

1. VErecundia est naturalis nuncius, qui denunciat res illicitas.
2. Omnis naturalis Verecundia est licita.
3. Si non esset defectus Virtutis, Verecundia nihil esset.
4. Quia peccatum est, Virtus procurat Verecundiam.
5. Verecundia impedit verbum propter timorem errandi.
6. Audacia & Fortitudo refrænant Verecundiam.
7. Charitas ignorat, quid sit Verecundia.
8. Verecundia timet reprehensionem, & charitas non.

Vere-

9. Verecundia est data mulieribus, quia non habent fortem Voluntatem.
10. Verecundia minatur cum deficere.
11. Qui timet Verecundiam, timet peccare.
12. Non omnis Verecundia est Virtus.
13. Non est sapiens, qui habet Verecundiam rogandi DEUM.
14. Non est humilis, qui habet Verecundiam loquendi cum pauperibus.
15. Verecundia sinè forma non habet Virtutem.
16. Qui habet magnam famem, & parum comedit propter Verecundiam, habet fatuam Verecundiam.
17. Qui habet Verecundiam peccandi, habet discretam Verecundiam.
18. Verecundia revelat defectus, quos homines faciunt, qui habent discretionem.
19. Verecundia habet pulchros oculos, pulchrum os & mundas manus.
20. Verecundia claudit os & aures, & inclinat oculos in terram, & mutat colorem in facie.

CAPUT XXXIV.
De Oratione.

1. ORatio est petitio, quam homo facit DEO.
2. Pete à DEO, quòd tibi det, & parcat.
3. Melius convenit DEO dare, & parcere, quàm tibi petere.
4. Si à DEO petis bonum, ama suam Bonitatem.
5. Si à DEO petis magnum bonum, habe ad suam Bonitatem magnum amorem.
6. Si desideras, quòd bonum, quod petis, duret, fac durare tuam Orationem.
7. Vide, an DEUS possit dare illud bonum, quod petis.
8. DEUS non potest dare bonum contra suam Bonitatem.
9. DEUS daret contra suam Bonitatem, si homini daret, quod est malum.
10. Sis bonus, si vis, quòd DEUS tibi faciat bonum.
11. Si vis, quòd DEUS tibi parcat, habe contritionem de tuis peccatis.
12. DEUS non parcit sinè Pœnitentia.
13. Si vis, quòd DEUS tibi remittat magnum peccatum, habe magnam contritionem.
14. Si vis, quòd DEUS tibi det, da te ipsum illi.
15. DEUS non dat homini, qui est diaboli.
16. Si DEUS daret homini, qui non est suus, donum, quod daret, non esset suum.
17. DEUS non vult perdere, quod dat.
18. Si desideras, quòd DEUS tibi parcat, parce tuo inimico.
19. Quando DEUM offendis, es illius inimicus.
20. Si vis, quòd DEUS tibi det, da hominibus, qui propter illius amorem à te petunt.

CAPUT XXXV.
De Contemplatione.

1. COntemplatio est actus mentis, quæ cogitat in DEUM.
2. Contemplari est loqui cum DEO de suis Rationibus, & actibus earum.
3. Contemplari est considerare Essentiam DEI & divinas Personas.
4. Considera, quomodo divina Bonitas sit Ratio DEO Patri cum omnibus aliis Rationibus in producendo bonum Filium, & ambobus in producendo bonum Sanctum Spiritum.
5. Sicut divina Bonitas cum omnibus aliis Dignitatibus est Ratio ad generandum bonum Filium, ita Magnitudo cum omnibus aliis est Ratio Patri in generando magnum Filium, & quòd ambo spirent magnum Sanctum Spiritum.
6. Cogita, quomodo Patri sit magnum bonum infinire, æternificare, possificare, scientificare, inamorare, virtuificare, verificare & glorificare Filium, & ambobus Sanctum Spiritum.
7. Dum ita cogitas, inamora tuam Voluntatem de hoc, quod contemplaris, & pone de Contemplatione, quantum poteris, in tuo intelligere & recolere.
8. Si vis altè contemplari, accipe totum tuum posse, quod potes habere, in recolendo, intelligendo & amando id, quod de DEO potes amare, recolere & intelligere.
9. In contemplari impende totum tuum posse cum tota tua Bonitate, Magnitudine, Veritate & Virtute, & da illud Voluntati ad contemplandum, & hoc idem tuæ Memoriæ & Intellectui.
10. In contemplatione pone insimul totum hoc, quod in illa poteris ponere, de Bonitate, Magnitudine, Duratione, Potestate & de aliis divinis Rationibus.
11. Sta in altùm considerando actus divi-

narum

natum Rationum, qui sunt bonificare, infinire, æternare, possificare intelligere, amare, virtuificare, verificare, glorificare & contemplari, & collige omnes istos actus in tuo recolere, intelligere & amare.

12. Cogita, quomodo de hoc, quod colligis, sequatur bonificatum, infinitatum, æternatum, possificatum, scientificatum, amatum, virtuificatum, verificatum, glorificatum & completum.
13. Considera, quomodo per hoc, quod colligis, intelligas bonificantem, infinientem, æternantem, possificantem, scientificantem, amantem, virtuificantem, verificantem, glorificantem & complentem.
14. Considera, quomodo omnia ista sunt unus DEUS Pater, qui de se ipso, & de tota sua essentia & natura producit & generat unum Filium DEUM, qui ab ipso accipit omnes dictas passiones, & quomodo de ambobus sit unus Sanctus Spiritus DEUS, qui est illæ passiones.
15. Cogita, quomodo divinæ Rationes sint reales per suos actus, & quomodo una sit alia per essentiam & naturam.
16. Id, propter quod divinæ Rationes sunt reales, est, quia Pater per Bonitatem producit bonum Filium, & per Magnitudinem magnum, & per Æternitatem æternum, & per Potestatem potentem, & sic de aliis, & hoc idem faciunt Pater & Filius de Sancto Spiritu.
17. Id, propter quod divinæ Rationes una est alia, est, quia omnes insimul sunt unus DEUS, una Essentia, una Natura, unus Pater, unus Filius, unus Sanctus Spiritus.
18. Considera, quomodo quælibet divinarum Rationum requirebat à DEO Patre & à DEO Sancto Spiritu Incarnationem Filii DEI, & quælibet, quantùm potuit, exaltavit Incarnationem illius.
19. Considera, quomodo una Persona est DEUS & Homo sinè mutatione divinæ & humanæ Naturæ, & quomodo in humana Natura habeant quietem per creationem omnes divinæ Rationes, & quomodo humana Natura sit Finis & complementum omnium creaturarum.
20. Considera, quomodo DEUS Pater in Cruce dederit suum Filium JESUM Christum hominibus, qui est Dominus & Finis hominum; & cogita, quomodo in cœlo stet honoratè super Angelos, & quomodo omnes Sancti illum laudent cantando & benedicendo, & faciendo illi reverentiam & honorem.

CAPUT XXXVI.

De Devotione.

1. DEvotio est actus inflammatus de Charitate.
2. Devotio est consequentia in Voluntate de antecedente, quod intellectus habet in attingendo supremam Bonitatem.
3. Devotio incipit in recolere & intelligere nobiles altas res de DEO, & nascitur in amare.
4. Devotio est thesaurus sanctorum hominum.
5. Omne aurum mundi non valet Devotionem.
6. Devotio est consolatio pauperum hominum.
7. Nullus homo, qui habet Devotionem, est pauper.
8. Nullus homo est dives sinè devotione.
9. Devotio est nuncius, qui vadit & venit inter DEUM & homines.
10. Devotio adfert nova de DEO, & enarrat DEO nostras necessitates & miserias.
11. Plus valet plorare propter Devotionem, quàm ridere propter regnare.
12. Devotio non facit differentiam inter vigilare & dormire, jejunare & comedere.
13. Devotio credit cuilibet homini de bono.
14. Falsi homines facilè decipiunt devotos homines.
15. Devotio non habet suspicionem.
16. Devotio confidit in quemlibet hominem.
17. Devotio non jurat.
18. Devotio dat, & non tollit.
19. Devotio rogat & parcit.
20. Devotio non habet pavorem, & trepidat præ amore.

CAPUT XXXVII.

De Obedientia.

1. OBedientia est carcer Voluntatis subditi.
2. Qui est incarceratus in Obedientia, est multùm subditus.
3. Non habet magnum carcerem, qui est obediens cum amore.
4. Ille habet nimìs magnum carcerem, qui est obediens contra suam Voluntatem.
5. Omnis Obedientia est propter aliquem Finem.
6. Qui multùm amat Finem, multùm amat obedire.
7. Finis consolatur, confortat & visitat homines, qui sunt incarcerati in Obedientia.

Cùm

8. Cùm DEUS sit tam magnus, tam potens, tam bonus & nobilis, facilè est illi obedire.
9. Qui obedit Domino pro sua utilitate, rider.
10. Qui obedit Domino contra suam utilitatem, plorat.
11. Coacta Obedientia non est amabilis.
12. Consule tibi cum tuo Intellectu, antequàm obedias tuæ Voluntati.
13. Consule tibi cum Bonitate, Potestate, Veritate & Virtute, antequàm obedias tuo Intellectui.
14. Non obedias sensibus sinè consilio Virtutum.
15. Non obedias uni Virtuti sinè consilio alterius.
16. Obedìas malo domino coactus, & bono domino gratìs.
17. Non obedias ulli contra DEUM.
18. Sis obediens omnibus amicis DEI.
19. Sis obediens bono Angelo, qui te custodit.
20. Non sæpè obedias tuæ uxori & tuo patri, si DEO non obediunt.

CAPUT XXXVIII.

De Contritione.

1. COntritio est pœnitentia, quam homo habet de offensa, quam fecit DEO.
2. Si habes Contritionem, habeas illam cum devotione, quæ in illa facit plorare homines.
3. DEUS non potest se defendere, quin parcat Contritioni & ploratui hominum.
4. In Contritione pone orationem, quia ipsa adjuvat ad plorandum.
5. De magna Contritione magna venia.
6. DEUS faceret injuriam suæ Justitiæ, si amaret magnam veniam propter parvam contritionem.
7. Si desideras habere magnam Contritionem, considera, quòd pro parvis rebus peccasti contra æternum & infinitum Bonum.
8. Multùm considera Nobilitatem DEI & offensam, ut Voluntas assuescat amare Dominum, & odire offensam.
9. Assuesce tantùm pœnitere, quousque in illo possint radicari suspirare & plorare.
10. Habeas Contritionem cum Humilitate & Pietate, quia multum juvant ad pœnitendum.
11. Non potes habere Contritionem, si proponis redire in offensam.
12. Frequenter imaginare magnas pœnas inferni, & habebis de te ipso Pietatem.
13. Habeas Contritionem cum Spe & Charitate, quia sunt viæ remissionis.
14. Judica te ad Pœnitentiam, ut Justitia te adjuvet ad pœnitendum.
15. Si vis Contritionem, projice vanitatem à tuis oculis, & respice in Crucem.
16. Si es obstinatus, & non potes plorare & suspirare, jejuna, & fac eleëmosynam, & sis familiaris cum pauperibus, qui sæpe plorant & suspirant.
17. Per jejunium habet homo Pietatem de se ipso, & per societatem pauperum habet Humilitatem.
18. Postquam non habuisti verecundiam peccandi, non habeas verecundiam plorandi.
19. Quando non habes Contritionem, minare tuis oculis, quomodo videbunt dracones in inferno, & aures audient verba dæmonum, & tuæ Memoriæ, quòd recolat, quòd damnati perpetuò erunt in inferno.
20. „ Si vis habere magnam Contritionem, „ vade in locum solitarium habitare ad- „ instar Eremitæ, nam societas hominum „ in Contritione impedit suspirare & plo- „ rare.

CAPUT XXXIX.

De Confessione.

1. COnfessio est enarratio peccatorum factorum Presbytero cum contritione.
2. Confessio, quæ est cum contritione, est vera.
3. Confessio, quæ est cum contritione, petit consilium & veniam.
4. Corona non stat tam bene in Capite Regis, sicut suspirare & plorare in Confessione.
5. Qui sæpe confitetur, nutrit contritionem.
6. Confessio nutrit Verecundiam, & Verecundia contritionem.
7. Confessio vult Veritatem & Humilitatem, ut Presbyter habeat Pietatem.
8. In pietate, quam Presbyter habet, qui audit Confessionem, excitatur DEUS ad parcendum.
9. Devotio Presbyteri excitat confitentem ad contritionem.
10. Malus Presbyter impedit contritionem in Confessione.
11. Confessio requirit sapientem Presbyterum, ut det sapiens consilium.

12. Qui confitetur cum contritione, loquitur cum DEO; & qui audit Confessionem sinè devotione, loquitur cum dæmone.
13. Vera Confessio affert veniam, & falsa confessio maledictionem.
14. In Confessione juvenis Presbyteri, & juvenis mulieris non est proportio.
15. Anhelitus Presbyteri & mulieris confitentis non debent conjungi.
16. Risus & rubeus color non habent locum in Confessione.
17. In Confessione bonus Presbyter est Vicarius DEI, & malus est vicarius diaboli.
18. Noli, quòd Confessarius tuæ uxoris frequenter veniat ad tuam domum.
19. Qui confitetur malo Presbytero, ponit se in magno periculo.
20. Multùm est culpabilis, qui in Confessione promittit hoc, quod in corde non cogitat complere.

CAPUT XL.

De Satisfactione.

1. SAtisfactio est judicium, quod homo facit de se ipso & de suis bonis.
2. Secundùm quòd offensa est magna, convenit, quòd Satisfactio sit magna.
3. Si nimium comedisti & bibisti, satisfac cum jejuniis & parum bibere.
4. *Si peccasti cum nobilibus vestimentis, porta humiles vestes.*
5. Superfluitati cujuslibet sensûs satisfac cum suo contrario.
6. Si habuisti malas cogitationes, satisfac cum bonis.
7. Contra nimium ridere & lætari satisfac cum contritione & cum suspirare & plorare.
8. Si nimium dormivisti vel fuisti otiosus, satisfac cum vigilare, & cum esse diligens in tractando honorem DEI.
9. Si offendisti cum mentiri, satisfac dicendo verum.
10. Si parum rogasti DEUM, roga illum multùm.
11. Contra malas imaginationes satisfac cum bonis.
12. Satisfac DEO cum bono recolere, intelligere & amare.
13. Si de bono homine dixisti malum, dic de illo bonum.
14. Satisfac tuis Rationibus cum bonis actibus.
15. Si habes alienum, redde illud.
16. Si dedisti damnum, da utilitatem.
17. Si non potes facere Satisfactionem de denariis vel possessionibus, satisfac pœnitentiâ & desiderio Satisfactionis.
18. Satisfac tuo proximo unum pro uno, & DEO duo pro uno.
19. DEO non potes satisfacere nisi secundùm proportionem.
20. Si fecisti contra te ipsum, satisfac tibi de te ipso.

CAPUT XLI.

De Conscientia.

1. COnscientia est verum consilium determinans Voluntati, quòd timeat facere malum, & amet facere bonum.
2. Conscientia facit lumen Voluntati cum timore, quòd non amet peccatum, quod vult amare.
3. Conscientia incipit in Intellectu, & est deliberata in Voluntate.
4. Voluntas facit, & Conscientia minatur.
5. Conscientia refrænat Libertatem Voluntatis.
6. Conscientia est secura via Voluntatis.
7. Omnis Voluntas, quæ facit contra Conscientiam, est infirma.
8. Conscientia contristat Voluntatem.
9. Sinè Conscientia Voluntas vadit in periculum.
10. Absentia Conscientiæ est excusatio Voluntatis.
11. Intellectus ita deficit, si non dat Conscientiam, sicut Voluntas deficit, si facit contra Conscientiam.
12. Conscientia monstrat Voluntati, qualis sit Finis.
13. Antequàm Voluntas fecerit electionem, Conscientia est domina, & post electionem peccati est ancilla.
14. Conscientia est instrumentum Voluntatis, quomodo ordinatè se habeat ad amandum vel odiendum.
15. Homo ita potest deficere per nimis magnam Conscientiam, sicut per parvam.
16. Homo, qui peccat ex certa scientia sinè Conscientia, est magnus peccator.
17. Sinè Conscientia & Verecundia non est discretio.
18. Conscientia est nuncius Prudentiæ & Justitiæ.
19. Conscientia contradicit cum timore.
20. Homo, qui habet Conscientiam, petit consilium.

CAPUT

CAPUT XLII.

De Discretione.

1. DIscretio est ordinatus actus amandi & intelligendi.
2. Discretio refrænat nimium amare & intelligere.
3. Discretio primò refrænat Voluntatem, & postea Intellectum.
4. Discretio est consilium stabilitum per Virtutes.
5. Discretio disponit actus Rationum ad ordinatum Finem.
6. Homo discretus est dives & lætus.
7. Qui est discretus, stat & vadit securus.
8. Discretus Homo est dominus suî ipsius & alterius.
9. Nullus homo est magìs secretus, quàm discretus.
10. Discretus homo difficulter potest decipi.
11. Homo, qui habet discretionem, non habet de omnibus hominibus bonam opinionem.
12. Discretus homo lucratur, quando alii perdunt.
13. Quia discretus homo multùm considerat, non sæpe ridet.
14. Discretus homo non citò credit.
15. Discretus homo cogitat multum, & loquitur parum.
16. Discretio magìs est per Intellectum, quàm per Voluntatem.
17. Discretus homo castigatur alieno malo.
18. Discretus homo non sæpe laudat.
19. Qui est discretus, non pœnitet.
20. Discretus homo attingit suum Finem.

CAPUT XLIII.

De Modo.

1. MOdus est communis ordo actuum Rationum.
2. Bonitas simpliciter habet Modum bonificandi, & Magnitudo magnificandi, & Duratio durandi, & sic de aliis.
3. De simplicibus Modis est communis & compositus Modus.
4. Quando deficit unus simplex Modus, deficit compositus.
5. Qui non habet Modum, nullum bonum habet.
6. Modus est communis Potestas ordinata ad multa.
7. Modus plus valet, quàm vis.
8. Sola Charitas transcendit Modum.
9. Devotio cum discretione est pars Modi.
10. Modus est genus; & Justitia, Prudentia & aliæ Virtutes sunt suæ species.
11. Modus non habet indigentiam alicujus.
12. Modus est bonus in omnibus rebus.
13. Nullus homo vadit securus sinè Modo.
14. De Modo est Finis, & de suo contrario privatio Finîs.
15. Quia mercatores habent Modum in lucrando & expendendo, ideo sunt ditiores, quàm alii homines.
16. Si ignis non haberet Modum in calefaciendo, non calefaceret.
17. De nulla re potest esse supra Modum in esse.
18. Per Modum est generatio, & per suum contrarium privatio.
19. De majori Modo majus bonum & major Virtus.
20. Princeps, qui non habet Modum, est multùm culpabilis.

CAPUT XLIV.

De Curialitate.

1. CUrialitas est modus lucrandi amicitiam.
2. Habeas curialia verba, & eris gratus.
3. Quia curialia verba sunt amabilia, ideo ille est amabilis, qui dicit ipsa.
4. Qui nominat turpia verba, est turpis intrà & extrà.
5. Bonitas & pulchra verba concordant, & malitia & turpia verba.
6. Turpia verba faciunt hominem rusticum.
7. Tam citò dixeris pulchra verba, sicut inurbana.
8. Quando loquéris, da amorosam similitudinem, & prætende pulchrum aspectum.
9. Humilia verba sunt pulchra per Humilitatem.
10. Qui vadit humiliter, vadit doctè.
11. Qui doctè comedit, amatur propter temperantiam.
12. Pulchræ vestes in homine superbo sunt turpes.
13. Non rideas cum aperto ore.
14. Turpe est ridere & comedere.
15. Non potes esse curialis sinè Humilitate.
16. Proportionatè habeas doctrinam.
17. Doctrina est imago legalitatis.
18. Doctus homo habet multos laudatores.
19. Doctrina est multùm necessaria communi personæ.

20. Qui dicit vituperia & turpia verba, facit illos viles, qui illa audiunt.

CAPUT XLV.

De Audacia.

1. AUdacia est fortitudo animi, qui desiderat honorem.
2. Prudentia & Fortitudo faciunt hominem audacem.
3. Qui cum discretione se ponit in periculo & fortunâ, est audax.
4. Secundùm quòd amas Finem, es audax.
5. Per legalitatem sunt homines audaces.
6. Legalis homo est audax de die, & illegalis homo de nocte.
7. Pusillanimitas communis personæ est communis.
8. Audacia nascitur cum lætitia, & timiditas cum tristitia.
9. Audacia aperit oculos, & pusillanimitas claudit illos.
10. Veritas est consilium audacis hominis, & falsitas pusillanimis.
11. Audacia non respicit avantagium, sive prærogativam.
12. Verecundia & Spes faciunt homines audaces.
13. Magnificentia disponit Audaciam.
14. Quia avaritia restringit sanguinem, disponit pusillanimitatem & desperationem.
15. Largitas & Audacia sunt sorores.
16. Audax homo priùs considerat honorem, quàm periculum.
17. Omnis homo mendax est pusillanimis.
18. Illi, qui minus loquuntur, sunt magìs audaces.
19. Audacia nascitur de Amore, & pusillanimitas de timore.
20. Amor fugat, & timor fugit.

CAPUT XLVI.

De Magnificentia.

1. MAgnificentia est actus Magnitudinis, qui magnificat actus aliarum Rationum.
2. Magnificentia facit homines desiderare magnas res.
3. Magnificus loquitur de magnis rebus.
4. Magnificus habet nobilem animum.
5. Magnificus non consolatur de parvis rebus.
6. Magnificus magìs amat dare, quàm accipere.
7. In dare est Dominium, & in accipere servitus.
8. Magnificus de magnis rebus facit magnum amare.
9. Magnificus habet magnam Spem.
10. Quia Magnificentia ascendit cum Humilitate, est contra superbiam.
11. Superbia ita est falsa similitudo Magnificentiæ, sicut magnæ divitiæ hominis avari.
12. Magnificentia, quæ est Virtus, non est sinè nobilitate.
13. Magnificentia se non laudat, sed laudat hoc, quod desiderat.
14. Magnificentia plus est per opus, quàm per verbum.
15. Magnificentia non est de parva Potestate.
16. Memoria & Intellectus disponunt Voluntati Magnificationem in attingendo magna.
17. Magnificentia sinè discretione non habet formam.
18. Magnificus non conqueritur.
19. Magnificus non mentitur.
20. Quia magnificus habet magnum animum, non habet pavorem nec indigentiam.

CAPUT XLVII.

De Prædicatione.

1. PRædicatio est doctrina ad serviendum DEO.
2. Prædicator debet suam sententiam & intentionem concordare cum auditoribus in serviendo DEO.
3. Prædicator debet tradere doctrinam secundùm naturalia opera, de quibus sumus locuti in *Arbore Scientiæ*.
4. Ignis cum siccitate mortificat aërem, qui est humidus, ut illum possit domare ad accipiendum calorem.
5. Ignis habet Concordantiam cum aëre in calore, ut cum illo possit calefacere aquam, quæ est frigida.
6. Ut ignis possit abundare in dando suam Virtutem, accipit virtutem de sole in luce & calore, & de terra in siccitate.
7. Planta in omni eo, quod facit, sequitur Finem, propter quem est, & omnia facit propter fructum.
8. Planta ponit ordinem in successione temporis, ut possit fructificare.
9. Planta cum sua intrinseca virtute convertit

vertit in suam speciem naturalem virtutem, quæ illi venit de extrinseco.
10. Sensitiva habet appetitum ad sentiendum utilia sensibilia.
11. Quando particularis sensus deficit, restauratur sua virtus in sensu communi.
12. Imaginativa est obediens ad imaginandum hoc, quod Voluntas desiderat.
13. Voluntas naturaliter vadit retro Intellectum, ut illi ostendat, quæ sint licita, ut amentur, & quæ sint illicita, ut odiantur.
14. Intellectus colligit Species, & ponit eas in Memoria, ut aliâ vice illas possit meliùs cognoscere.
15. Illas Species, quas Memoria accipit, conservat & reddit illi, de quo illas accipit.
16. Intellectus depurat Species in Memoria, & dat eas Voluntati.
17. Moralis Virtus est imago naturalis virtutis, & morale vitium est imago privationis Finìs.
18. Bonus Angelus totus est conversus in Finem serviendi DEO, & malus angelus totus est perversus ad disserviendum DEO.
19. DEUS voluit esse Homo, ut naturaliter amaret hominem, & naturaliter amaretur ab homine.
20. Bonus Prædicator prædicat cum exemplo & cum doctrina, & magìs stat ad utilitatem auditorum, quàm ad suam.

CAPUT XLVIII.

De Disputatione.

1. DIsputatio est spiritualis Contrarietas, quæ per verba manifestat conceptionem, quam unus intellectus habet contra alium.
2. Disputatio requirit artificialem ordinem, qui sit imago naturalis ordinis potentiarum corporis & animæ.
3. Disputatio, quæ est per Auctoritatem, requirit Sanctitatem, & quæ est per Necessitatem, requirit Rationem.
4. Nulla Auctoritas Sancti est contra Rationem, & nulla Ratio est contra aliam.
5. *Disputare per Auctoritates non habet quietem.*
6. Ratio attingit naturales res per naturam, & illas, quæ sunt supra naturam, per divinum cursum.
7. In Disputatione convenit consentire primis Principiis, & sequi consequentiam illorum.
8. Prima Principia sunt illa, quæ sunt magìs similia DEO.
9. In Disputatione convenit esse communem amicitiam, quæ refrænet particularem contrarietatem.
10. Noli disputare cum homine obstinato in errore.
11. Noli disputare cum homine, qui habeat superbum Intellectum, quia non vult, quòd tua Veritas intelligatur.
12. Qui in Disputatione concedit Veritatem, non est victus, sed accipit doctrinam.
13. Qui in Disputatione mutat terminos, fugit Veritatem, & qui fugit, est victus.
14. In Disputatione magìs laudabilis est ille, qui concedit Veritatem, quàm ille, qui ipsam monstrat, quia habet plus Humilitatis.
15. Qui disputat ad tentandum, debet consentire Veritati, quam invénit.
16. In Disputatione debet homo stare ad Finem, propter quem est.
17. Finis Disputationis est vitare falsitatem, & concedere Veritatem.
18. In Disputatione debet homo breviter proponere & respondere.
19. In Disputatione cave tibi ab ira, quæ Intellectum facit infirmum.
20. Curialiter loqui conservat amicitiam in Disputatione.

CAPUT XLIX.

De Reprehensione.

1. REprehensio est redargutio mali facti.
2. Moralis Reprehensio debet esse imago naturalis Reprehensionis.
3. Quare ignis, postquam aër accipit suam naturam per calorem, illi est contrarius per siccitatem?
4. Quare aër, postquam aqua est sua amica per humiditatem, est amicus ignìs, qui est suum contrarium?
5. Quare aër insimul est amicus & inimicus ignìs?
6. Quare aqua reprehendit ignem in pipere propter nimium calefacere, postquam ipse est suus dominus in pipere?
7. Quare aqua reprehendit ignem, quia piper facit nigri coloris, qui est per naturam siccitatis?
8. Planta, quæ reprehendit pluviam, quia non venit, reprehendit dominum pluviæ.
9. Muto, qui reprehendit hominem, quia illum occidit, reprehendit Finem, propter quem est.
10. Quare infirmus gustus reprehendit pomum,

mum, quod per naturam habet dulcem saporem?

11. Quare Vir, qui reprehendit suos oculos, qui vident pulchras fœminas, non reprehendit se ipsum, quia illos non claudit, vel quia non amat Castitatem?

12. Quare homo reprehendit suam imaginationem, si nescit imaginari?

13. Quare eques reprehendit rusticum, qui totâ die vadit, quia habet grossos calceos, cum quibus procurat avenam suo equo?

14. Quare Voluntas, quæ errat, reprehendit Intellectum, cum quo non consulit?

15. Quando homo, qui habet duos oculos, reprehendit illum, qui non habet nisi unum, reprehendit dominum naturæ.

16. Quare communis persona reprehenditur, si aliquando errat?

17. Quare reprehendis vinum, quod habet naturam inebriandi, quando te inebriat?

18. Qui deficit, & credit facere bonum, non est multùm reprehendendus.

19. Omnis homo meliùs potest reprehendere se ipsum, quàm alium.

20. *Quare reprehendis Infideles, qui ignorant Veritatem DEI, quia illam non amant; & non reprehendis te ipsum, qui illam scis, & illam non prædicas?*

CAPUT L.

De Possessione.

1. POssessio est actus dominii.
2. Moralis Possessio est imago naturalis.
3. Omnis Possessio requirit Finem, propter quem est.
4. Est una Possessio, quæ est gratis, & alia, quæ est per contrarium.
5. Ignis possidet aërem cum Concordantia, & aquam cum contrarietate.
6. Ignis possidet piper & omnia, quæ sunt in illo.
7. Ignis possidet terram generaliter, quia illi dat siccitatem, & possidet terram in pipere specialiter, quia in illo est dominus.
8. Fructus possidet omnes partes arboris, in quantum est Finis illius.
9. Oculi non possident objectum, sed ille, cujus sunt.
10. Intellectus possidet imaginationem, in quantum de illa facit instrumentum ad imaginandum corporales naturas.
11. Voluntas, Intellectus & imaginatio possident manum, quæ movet martellum, & manus possidet martellum, & martellus clavum.
12. Voluntas est domina in Possessione clavi propter Finem, & Intellectus est dominus per operationem.
13. Generatio possidet corruptionem propter Finem, & affirmatio negationem.
14. Finis DEI possidet omnes Fines.
15. Anima possessa à corpore est infirma.
16. Quælibet potentia animæ possidet aliam secundùm Finem sui officii.
17. Plus valet bonus possessus, quàm malus possessor.
18. Omnis malus possessor possidet contra Finem Possessionis.
19. Dives avarus non possidet suas divitias, sed ipse possidetur ab eis.
20. Ille possidet panem, qui illum comedit, & alium facit comedere; & ille possidet denarium, qui de illo trahit utilitatem.

CAPUT LI.

De Vita Activa & Contemplativa.

1. VIta activa est doctrina vivendi, & contemplativa recolendi, intelligendi & amandi DEUM.
2. Vita activa est ancilla contemplativæ, & contemplativa est ancilla DEI.
3. Vita contemplativa est antecedens Vitæ activæ.
4. Omnis Vita contemplativa non est melior, quàm omnis Vita activa.
5. „ Nullus Eremita facit tantum bonum, „ sicut bonus Prædicator, qui habet Vitam „ contemplativam in se ipso, & activam „ in prædicando.
6. Vita est melior per doctrinam, quàm per jejunium.
7. Melior Vita est per majorem utilitatem.
8. Non capitur tantum de utilitate in uno, sicut in multis
9. In contemplativa Vita Voluntas est domina, & in activa Intellectus est dominus.
10. In Vita contemplativa Voluntas magis desiderat amare DEUM, quàm Memoria illum potest recolere, & Intellectus intelligere.
11. Contemplativus non sentit famem, sitim, frigus & dolorem.
12. Contemplativus non timet indigentiam nec dedecus.
13. Contemplativus habet magnam conceptionem, & pauca verba.
14. Contemplativus habet parvum lectum & parvam scutellam.

Con-

15. Contemplativus respicit in cœlum, & non in terram.
16. Vita activa est vicina prosperitatum & adversitatum.
17. Equus, qui nimis vel parùm comedit, non potest currere.
18. Vita activa loquitur cum Prudentia & Charitate, & contemplativa cum Spe & Charitate.
19. Vita contemplativa non plorat nec ridet, & activa plorat & ridet.
20. Vita contemplativa est suprà corpus, & activa intrà.

CAPUT LII.

De Prosperitatibus & Adversitatibus.

1. PRosperitates sunt placentes res ad serviendum.
2. Adversitates sunt difficiles res ad serviendum.
3. Servus est magis obligatus per Prosperitatem, quàm per Adversitatem.
4. Facile est servire cum Prosperitatibus, & difficile cum Adversitatibus.
5. Servus meliùs potest servire cum Prosperitate, quàm cum Adversitate.
6. Qui servit cum Prosperitate, servit cum devotione, & qui servit cum Adversitate, servit cum patientia.
7. Plus valet servire cum magna patientia, quàm cum parva devotione.
8. Ille habet magnum animum, quem Prosperitates non vincunt.
9. Qui relinquit Prosperitatem ad serviendum DEO, habet timorem de illis.
10. Ille est fortis, qui est propè ignem, & non sentit calorem.
11. Ignis citiùs calefacit carnem, quàm lapidem.
12. Fortis animus non impeditur per Prosperitates, nec per Adversitates.
13. De homine, qui DEO servit habens magnas Adversitates, debet DEUS habere magnam pietatem.
14. Qui non defatigatur servire DEO cum Adversitate, est magis justus, quàm ille, qui defatigatur cum Prosperitate.
15. Ille est magis sapiens, qui fugit à Prosperitate, quàm ille, qui non fugit ab Adversitate.
16. Prosperitas facit homines lætari, & Adversitas contristari.
17. Adversitates corporis sunt Prosperitates animæ.
18. Prosperitates corporis sunt Adversitates animæ.
19. Ille est sapiens, qui facit pacem de Adversitatibus & Prosperitatibus.
20. Omnis Adversitas, quæ venit propter servitium DEI, est Prosperitas.

CAPUT LIII.

De Pace & Bello.

1. PAx est participatio bonorum sinè labore, & Bellum est contrarium.
2. Justitia procurat Pacem, & injuria Bellum.
3. Si non potes pacificare cum æqualitate, pacifica cum proportione.
4. Si ponis actus Rationum in Concordantia, habebis Pacem, & si illos ponis in contrarietate, habebis Bellum.
5. Si habes magnum animum, & amas magnum bonum, habebis Pacem per amare, & si amas parvum bonum, habebis Bellum.
6. Si oculi tibi movent Bellum in videndo pulchras res, & vis habere Pacem, considera Finem illarum.
7. Humilia verba sunt nuncii Pacis, & superba Belli.
8. Procura Pacem tui cordis cum jejunio & cum oratione.
9. Magnitudo est bona in Pace, & est mala in Bello.
10. De magno Bello magna Pax, & de parva Pace magnum Bellum.
11. De tuo vicino aut major Pax aut majus Bellum.
12. De tua Voluntate, quæ odit Veritatem, & de tuo Intellectu, qui illam intelligit, habebis Bellum.
13. De potentiis, quæ concordant in objectis, habebis Pacem.
14. Majorem Pacem vel majus Bellum potes habere cum te ipso, quàm cum alio.
15. Anima, quæ est serva corporis, non habet Pacem, & corpus, quod est servus animæ, non habet Bellum.
16. Pax est propter Finem, & Bellum propter contrarium.
17. Cum DEO potes habere majorem Pacem, quàm cum alio, vel majus Bellum.
18. In conscientia major Pax vel majus Bellum.
19. In hoc mundo parva Pax vel parvum Bellum, & in alio majus.
20. In Charitate non est Bellum, & in crudelitate non est Pax.

CAPUT

CAPUT LIV.

De primo & ſecundo Motu.

1. PRimus Motus eſt actus potentiæ, qui incipit ſinè deliberatione.
2. Secundus Motus eſt actus potentiæ, in quo fit deliberatio & conſenſus.
3. Primus Motus, quem ignis habet in aëre, eſt per calefacere, & ſecundus per deſiccare.
4. Quia aër habet placitum in accipiendo calorem ab igne, non habet deliberationem in accipiendo calorem per primum Motum, &, quia habet tædium in accipiendo ſiccitatem à terra, habet deliberationem cum ſua poteſtate in ſecundo Motu contra ſiccitatem.
5. Appetitus plantæ non habet appetitum in primo Motu, ſed habet illum per ordinem naturalîs inſtinctûs in ſecundo Motu.
6. Oculi non habent deliberationem ad videndum per primum Motum videndi, ſed per ſecundum, in quantum habent poteſtatem non videndi per clauſionem.
7. Imaginatio ſe non multiplicat in primo Motu, ſed in ſecundo.
8. Voluntas habet deliberationem in ſecundo Motu per multiplicationem vel diminutionem.
9. Intellectus in primo Motu intelligit, & in ſecundo Motu multiplicat ſuum intelligere.
10. Memoria in primo Motu capit ſpeciem, & in ſecundo reddit illam.
11. Intellectus inveſtigativus in primo Motu ſupponit, & in ſecundo intelligit.
12. Omnis ignorantia incipit in ſecundo Motu.
13. Si ignorare inciperet in primo Motu, ignorare & intelligere inciperent in uno & eodem tempore.
14. Intellectus infuſus attingit in primo Motu, & practicus in ſecundo.
15. Scientia incipit in primo Motu per dubitationem, & traditur in ſecundo per intelligere.
16. Quælibet potentia ſe habet ad primum Motum & ad ſecundum.
17. In Motu Voluntatis Intellectus non eſt tam velox, ſicut illa.
18. Illa potentia, quæ priùs eſt in primo Motu, eſt priùs in ſecundo.
19. Una potentia eſt inſtrumentum alteri, quòd de primo Motu ſe transferat ad alium.
20. De inordinato inſtrumento inordinatus actus.

CAPUT LV.

De morali Inſtinctu.

1. MOralis Inſtinctus eſt imago & figura naturalîs.
2. Actus moralîs Inſtinctûs incipit in primo motu.
3. Prudentia, quæ eſt in primo motu, eſt per moralem Inſtinctum.
4. Perſeverantia ordinati intelligere eſt cauſa moralîs Inſtinctûs.
5. Moralis Inſtinctus eſt ſubtile inſtrumentum ipſius intelligere.
6. Homines per moralem Inſtinctum percipiunt Veritatem ſinè acquiſitione.
7. Intellectus, qui intelligit Veritatem, per moralem Inſtinctum excitat Voluntatem ad amandum hoc, quod intelligit.
8. Quando Intellectus non intelligit, habet moralem Inſtinctum ad movendum Memoriam, quòd illi reddat aliquam ſpeciem, per quam intelligat.
9. Sicut oculi, quando vident pulchras figuras, habent naturalem Inſtinctum ad movendum Voluntatem ad placitum, ita Intellectus habet moralem Inſtinctum ad contriſtandum Voluntatem, quæ odit Virtutes.
10. Sicut Voluntas per moralem appetitum movet Intellectum ad intelligendum, ita Intellectus movet Voluntatem ad amandum vel ad odiendum per moralem Inſtinctum.
11. Quando Memoria nimiùm continuat in recolendo aliquod objectum, cum ſuo morali Inſtinctu ligat ad illud objectum moralem Inſtinctum Intellectûs, & moralem appetitum Intellectûs.
12. Moralis Inſtinctus ſinè morali Virtute habet inclinationem ad malum.
13. Imaginatio hominis non habet ſubtile imaginari ſinè morali Inſtinctu.
14. Moralis Inſtinctus bruti animalis eſt imago & figura naturalîs Inſtinctûs ſuæ imaginationis.
15. Homo ſtultus vel phantaſticus habet moralem Inſtinctum per recolere & imaginari, & non per intelligere.
16. Ira, forte vinum, & nimius timor vel verecundia deſtruunt Intellectui moralitatem ſui Intelligere.
17. Imaginatio tradit moralem Inſtinctum ſenſûs morali Inſtinctui Intellectûs.

Intel-

18. Intellectus & imaginatio participant in Inſtinctu per moralitatem.
19. Nulla potentia participat cum alia extra moralitatem.
20. Sicut ignis & aër participant per calorem, ita participant potentiæ per moralitates.

CAPUT LVI.

De Conſenſu.

1. COnſenſus eſt actus potentiæ, qui concordat in conſequente cum antecedente.
2. Primus motus eſt per antecedens, & ſecundus eſt per conſequens, in quo fit deliberatio Conſenſûs.
3. Per oculos habebis primum motum ad placitum, & in ſecundo motu multiplicabis placitum cum Conſenſu, vel mortificabis ipſum cum diſſenſu.
4. In nullo primo motu poteſt fieri deliberatio Conſenſûs.
5. Conſenſus Intellectûs eſt per ſecundum motum.
6. Quia Voluntas eſt magìs facilis, quàm Intellectus, ſuus Conſenſus eſt propinquior primo motui, quàm Conſenſus Intellectûs.
7. In ſecundo motu habet Memoria deliberationem conſentiendi per recolere vel oblivîſci.
8. Potentia, in quantum eſt inſtrumentum, non habet deliberationem in Conſenſu.
9. Martellus, qui percutit clavum, non habet deliberationem ad conſentiendum.
10. Poſtquam Voluntas amat peccatum in ſecundo motu, non habet deliberationem ad conſentiendum.
11. Poſtquam conſentire eſt principiatum, non eſt principiandum.
12. Magna Charitas facit citò conſentire, & magna Prudentia tardè.
13. Unus Conſenſus eſt antè per Sapientiam, & alius per Voluntatem, & alius per Bonitatem, & alius per Magnitudinem.
14. Antequam conſentias, reſpice Finem.
15. Omne meritum incipit per Conſenſum.
16. Princeps, qui conſentit ſinè conſilio, non eſt ſapiens.
17. Conſilium Principis eſt antecedens ſui Conſenſûs.
18. Frequenter conſentias tuo amico, ſed non tuæ uxori.
19. Antequam conſentias, frequenter conſidera, an conſenties.
20. Conſentire, poſtquam conſenſiſti, eſt ſicut verbum, quod dixiſti, vel lapis, quem projeciſti.

CAPUT LVII.

De Viſu.

1. VIſus eſt illa potentia, quæ primò attingit colorem.
2. Facilè potes tuos oculos aſſueſcere ad videndum pulchas res, & difficulter ad videndum turpes res.
3. Per pulchrum colorem & figuram eſt objectum placens ad videndum.
4. Tu non vides ſubſtantiam, ſed ſuam figuram.
5. Cum figurâ, quam attingunt tui oculi, attingit imaginatio ſubjectum figuræ.
6. Si imaginatio non attingeret ſubjectum coloris, capra non haberet timorem de lupo.
7. Id, quod imaginatio accipit per oculos, & per ſe ipſam, tradit Intellectui.
8. Id, quod Intellectus accipit de imaginatione per oculos, tradit Memoriæ & Voluntati.
9. Si reſpicis cum tuis oculis in terram, eris triſtis, & ſi in cœlum, eris lætus.
10. Id, quod vides cum tuis oculis, vides in illis.
11. Nulla Viſitivitas relinquit ſuum proprium ſubjectum.
12. Solem non potes bene videre propter nimiam lucem, nec nivem propter nimiam albedinem.
13. Objectum non venit ad tuos oculos, ſed ſua ſimilitudo.
14. Viſitivitas attrahit ſimilitudinem objecti cum morali viſibilitate in naturali.
15. Videre eſt inſtrumentum lucidum, quod dat lumen tuis manibus ad operandum, & tuis pedibus ad eundum.
16. Melius eſſet tibi, quòd non haberes oculos, ſi cum illis facis peccatum.
17. Nullum objectum eſt tam pulchrum ad videndum, ſicut objectum Crucis.
18. Priùs reſpice tuas manus, quàm alienas.
19. In omni panno priùs conſidera utilitatem, quàm colorem.
20. Cum dextro oculo rideas propter tuam Virtutem, & cum ſiniſtro oculo plures tuum peccatum.

):(o):(

CAPUT LVIII.
De Auditu.

1. AUditus est illa potentia, quæ sentit sonum.
2. Imaginatio non attingit sonum, sed suam similitudinem.
3. Per naturam auditivitatis & audibilitatis est audire.
4. Martellus, qui facit sonum in percutiendo clavum, percutit aërem in clavo, & ille aër retinet sonum in tuis auribus, cum quibus participat.
5. Quia aër percussus in cisterna est captus, retinet magnum sonum.
6. Qui audit Veritatem, debet esse lætus per naturam.
7. Qui audit nominare DEUM, priùs debet ipsum amare, quàm timere.
8. Audi nominare DEUM cum reverentia.
9. Claude tuas aures ad turpia verba, & aperi illas ad honesta.
10. Frequenter audias loqui de tuo amico, & rarò de tuo inimico.
11. Non audias sinè aliqua utilitate.
12. Meliùs audis de die, quàm de nocte, quia aër est magìs spissus de nocte, quàm de die.
13. Postquam non venderes tuum Auditum, non submittas illum ad audiendum vilia verba.
14. Qui non intelligit id, quod audit, frustra habet audire.
15. Finis ipsius audire est intelligere.
16. Ter recole hoc, quod audivisti, ut illud retineas.
17. Nullum dormire valet bonum audire.
18. Audire loqui de DEO est melius audire.
19. Fugias, si de DEO audias malum dicere.
20. Audias tuum amicum, & non tuum inimicum.

CAPUT LIX.
De Odoratu.

1. ODoratus est illa potentia, quæ tantùm sentit odorem.
2. Odorare est, ut corpus habeat placitum & utilitatem in sentiendo odores.
3. Sicut pomum juvat ad vivendum per saporem, ita juvat ad vivendum per odorem.
4. Gustus excitat appetitivam per saporem, & Odoratus per odorem.
5. Odoratus abhorret odorare malum odorem, quia est de corruptione.
6. Si non esset odorare, odor esset superfluus in natura.
7. Sicut oculi attingunt colorem cum luce, ita Odoratus attingit odorem cum aëre.
8. Quia est odorativum, est odorabile.
9. Si odorativum esset propter odorabile, Finis passivæ potentiæ esset nobilior, quàm Finis activæ potentiæ.
10. Scire modum, quomodo Odoratus attingat odorem, est difficile.
11. Sicut aures attingunt sonum per aërem percussum, ita Odoratus attingit odorem per aërem vestitum odore.
12. Non odores odorem, qui te moveat ad luxuriam.
13. Quia Odoratus est instrumentum, non habet culpam.
14. Odor, in quo Odoratus sentit placitum, est nutritivus.
15. Sicut oculi afferunt placitum cordi videndo pulchros colores & figuras, ita Odoratus affert placitum cordi odorando placentes odores ad odorandum.
16. Omnes sensus sunt mercatores, quos cor transmittit ad lucrandum lætitiam.
17. Odoratus ita eligit species cum odore, sicut oculi cum colore.
18. Aures non accipiunt sonum tubæ, sed similitudinem illius soni, & odoratus accipit eodem modo odorem à rosa.
19. Quia auditus magìs participat cum fine animæ, quàm Odoratus, ideo est nobilior potentia.
20. Homo, qui non sentit odorem, non est multùm hilaris.

CAPUT LX.
De Gustu.

1. GUstus est potentia, quæ attingit saporem.
2. Gustus attingit gustabile cum sapore.
3. Quia differentia est pars Gustûs, Gustus per differentiam attingit differentes sapores.
4. Differentia Gustûs & differentia multorum saporum sunt vicinæ.
5. Gustus generaliter appetit dulcedinem in sapore.
6. Gustus per naturalem instinctum appetit acidum saporem aceti.
7. Secundùm quòd est naturalis instinctus, movetur Gustus.
8. Sicut per fidem potes meliùs intelligere in hoc, quod intelligis, ita per Gustum potes meliùs gustare in hoc, quod gustas.
9. Id, propter quod non potes magìs gustare, quando es saturatus, est ex parte potentiæ passivæ, quæ est plena.

Non

10. Non potes gustare, quando es infirmus, quia appetitiva non habet naturalem instinctum.
11. Appetitiva ita in Gustu vadit post naturalem instinctum, sicut Voluntas in prudentia vadit post Intellectum.
12. Sicut non habes Voluntatem eundi, quando es in tenebris, ita non habes appetitum gustandi, quando naturalis instinctus est infirmus.
13. Quia tuus Intellectus & tuus naturalis instinctus participant per similitudinem, ideo Intellectus est magìs sapiens in gustare, quàm Voluntas.
14. Si in gustando non recolis temperantiam, non es sapiens.
15. Plùs gusta propter vivere, quàm propter saporem.
16. Qui vivit, ut comedat, plùs amat saporem, quàm vitam.
17. Quando comedis, parum bibe, & multum, quando non comedis.
18. Nimiùm amat saporem, qui frequenter comedit.
19. Sapor est, ut sit gustare, & Gustus est, ut sit vivere.
20. Qui ignorat complexionem illius, quod comedit, non est sapiens.

* Si habes famem, non habeas verecundiam comedendi, & si es saturatus, & comedis, de te ipso habeas verecundiam.

CAPUT LXI.
De Tactu.

1. TActus est potentia, quæ attingit duritiem & mollitiem, ponderositatem & alia sua objecta.
2. Nullus sensus est ita communis, sicut Tactus.
3. Tactus priùs habet suum actum, quàm alius sensus.
4. Per nullum sensum tantum sentis, quantum per Tactum.
5. Tactus sentit ignem cum calore.
6. Tactus sentit calorem & frigus sinè medio.
7. Similitudo caloris non potest esse calida.
8. Tactus attingit tangibile cum tangere.
9. Inter tangibile & tactivum non est aliud medium, nisi tangere.
10. Si inter tactivum & tangibile esset aliud medium, quàm tangere, tangere non esset id, quod est.
11. Tactus magìs est propter necessitatem, quàm propter delectationem.
12. In nullo sensu est tanta vigilatio, sicut in Tactu.
13. Tactum non potes effugere, nisi per dormire, ebrietatem vel amentiam.
14. Id, quod Tactus multiplicat, est sua figura.
15. Tactus est antecedens ipsius sentire.
16. Per Tactum sentis famem & sitim.
17. Gustus est servus Tactûs.
18. Sinè tangere & gustare non potes vivere.
19. In Tactu, qui requirit electionem, sis sapiens.
20. Cor per nullum sensum est tam lætum vel triste, sicut per Tactum.

CAPUT LXII.
De Affatu.

1. AFfatus est sensus incognitus.
2. Affatus est potentia, quæ manifestat conceptionem mentis.
3. Objectum Affatûs est manifestatio mentis, & suum instrumentum est lingua.
4. Lingua est commune instrumentum ad affandum & gustandum, sicut sonus ad audiendum & loquendum.
5. Per affari magìs participas cum rationali anima, quàm per alium sensum.
6. Affatus est inter conceptionem mentis & auditûs.
7. Per nullum sensum unus homo tantum participat cum alio, sicut per affari.
8. Nullus sensus significat tot res, sicut Affatus.
9. Auditus audit sonum, & Affatus producit illum.
10. Affatus producit nomen DEI in sono, & auditus accipit ipsum.
11. Per affatum potes magìs amari vel odiri, quàm per alium sensum.
12. Affatus tradit scientiam auditui.
13. Affatus est figura Intellectûs, & auditus Memoriæ.
14. Odoratus non est tam necessarius sensus, sicut Affatus.
15. In hoc mundo non potes participare cum DEO sinè affari.
16. Cùm Affatus sit tam nobilis potentia, & tam magnæ utilitatis, Dominus naturæ illi feciſſet injuriam, si non esset sensus.
17. Cum nullo actu sensûs habet Filius DEI tam magnam Concordantiam, sicut cum affari.
18. Affari & loqui convertuntur.
19. Affatus & locutio verbi sunt vocabula synonima.

20. Artes mechanicæ magis oſtenduntur cum Affatu, quàm cum alio ſenſu.

CAPUT LXIII.

De Emptione & Venditione.

1. EMptio & Venditio ſunt morales permutationes divitiarum.
2. Ille eſt mercator, qui emit, ut vendat.
3. In Emptione & Venditione traditur minus bonum pro majori.
4. In Emptione & Venditione eſt unum & idem bonum majus & minus.
5. Clavus eſt majus bonum illi, qui ipſum emit, quàm denarius, & denarius illi, qui vendit clavum.
6. In Emptione & Venditione juramentum facit teſtimonium.
7. Qui in Emptione & Venditione facit falſum teſtimonium, falsè emit & vendit.
8. In Emptione & Venditione non facias inſtrumentum de hoc, quod plus valet, quàm res, quam emis vel vendis.
9. Emptio & Venditio ſunt conſequentiæ utilitatis.
10. Frequenter emere & vendere faciunt divites mercatores.
11. Prudentia, Veritas & Legalitas ſunt adminiſtratores Emptionis & Venditionis.
12. Nemo habet tam magnam ſpem in Emptione & Venditione, ſicut mercator.
13. Qui emit, ponit proportionem inter hoc, quod accipit, & hoc, quod tradit.
14. Emptio & Venditio ſunt æquales partes Juſtitiæ.
15. Qui emit vel vendit cum deceptione, vendit Legalitatem & Charitatem.
16. Plus potes lucrari per Virtutes in emendo vel vendendo, quàm per illud, quod emis vel vendis.
17. Non potes emere DEUM, niſi des te ipſum.
18. Qui vendit ſe ipſum, non habet, cum quo poſſit emere DEUM.
19. Cum nocte emas diem.
20. Eleemoſyna eſt nuncius, qui à DEO quærit: an ſe permittat vendi?

CAPUT LXIV.

De Divitiis & Paupertate.

1. DIvitiæ ſunt copioſitates Voluntatis.
2. Paupertas eſt indigentia bonorum neceſſariorum.
3. Divitiæ animæ ſunt Virtutes.
4. Paupertas animæ ſunt vitia.
5. Divitiæ corporis ſunt poſſeſſiones & denarii.
6. Nullum corpus poteſt eſſe tam dives, ſicut anima.
7. Anima poteſt eſſe magis pauper, quàm corpus.
8. Nobilitas finis eſt Magnitudo Divitiarum.
9. Secundùm differentiam Divitiarum & Paupertatis, Divitiarum & Divitiarum, Paupertatis & Paupertatis ſunt homines pauperes & divites.
10. Non ſis dives nec pauper propter tuum filium, nec propter tuam filiam.
11. Qui eſt pauper propter honorem, bis eſt pauper.
12. Qui eſt pauper propter DEUM, bis eſt dives.
13. Divitiæ, quæ non ſunt per Virtutes, non ſunt laudabiles, & Paupertas, quæ non eſt per vitia, eſt verecundia.
14. Homo pauper plus valet per Spem, quàm homo dives ſinè Spe.
15. Homo pauper ſæpiùs habet Spem, quàm dives.
16. Humilitas eſt magis vicina Paupertati, quàm Divitiæ.
17. Divitiæ corporales habent ſuum finem in guſtando & tangendo.
18. Divitiæ congregatæ ad honorandum DEUM ſunt bonæ.
19. Qui renuntiat Divitiis ad honorandum DEUM, & ad illas redit ex amore ad honorandum ſe ipſum, inhonorat DEUM.
20. Poſtquam homo elegit Paupertatem temporalium bonorum, non debet illam relinquere.

CAPUT LXV.

De Servire & non Servire.

1. SErvire eſt gratum juvamen, & non ſervire eſt contrarium.
2. Qui ſervit DEO, illi ſervitur ab omnibus Finibus.
3. Servire eſt actus Charitatis.
4. Servire eſt per Bonitatem, & non ſervire per malitiam.
5. Non frequenter accipias ſervitium de tuo amico.
6. Servito, ſi vis, quòd tibi ſerviatur.
7. Prudentia & Juſtitia monſtrant vias ſerviendi.
8. Fatuè ſervit, qui ſinè Prudentia ſervit.
9. Quale ſervitium, talis remuneratio.

Sapiens

10. Sapiens eſt, qui propter modicum Servitium habet magnum Servitium.
11. In Servitio quodlibet inſtrumentum habet ſuum locum.
12. Inſtrumentum, quod non ſervit, corrumpitur.
13. In Servitio corpus ſit ſubditum, & anima ſit domina.
14. DEUS dedit omnes corporales creaturas ad ſerviendum homini.
15. Omnia, quæ tibi ſunt data ad tuum Servitium, ſunt tibi data, ut cum ipſis ſervias DEO.
16. Secundùm comparationem nulli tam parum ſervitur, ſicut DEO, & tantùm diſſervitur.
17. Nullus tantum ſervit, ſicut DEUS.
18. DEUS nulli facit diſſervitium.
19. Sinè Bonitate & Virtute nullus eſt dignus Servitio.
20. Quilibet homo exiſtens in peccato, ſervit diabolo & illi ſervitur à diabolo.

CAPUT LXVI.

De Lucrari & Perdere.

1. LUcrari eſt multiplicare bonum, & perdere eſt ſuum contrarium.
2. Qui lucratur DEUM, lucratur omne bonum.
3. Qui perdit DEUM, omnia perdit.
4. Homines cum lucrari attingunt ſuum Finem, & cum perdere perdunt illum.
5. Qui lucratur Virtutes, multum lucratur.
6. Qui perdit Virtutes, non poteſt plus perdere.
7. Si perdis parentes vel denarios, & lucraris Patientiam, non perdis tantùm, quantùm lucraris.
8. De DEO plus potes lucrari, quàm perdere.
9. DEUS adjuvat ad lucrandum Virtutes, & non ad perdendum.
10. Plus potes lucrari per DEUM, quàm per te ipſum.
11. Plus potes perdere in te, quàm in alio.
12. Qui lucratur, ridet, & qui perdit, plorat.
13. Nemo fatigatur de lucrari.
14. Nemo tam frequenter lucratur & perdit, ſicut mercator.
15. Qui magis ſe exponit, poteſt plus lucrari vel perdere.
16. Nulla Virtus toties lucratur, ſicut Temperantia & Patientia.
17. Lucrari divitias, & tenere illas otioſas, eſt perdere.
18. Per nullum peccatum perduntur tot res, ſicut per avaritiam.
19. Qui aliam vitam lucratur, nihil perdit.
20. Sapiens homo ſæpè lucratur, & rarò perdit.

CAPUT LXVII.

De Arte Morali.

1. ARs moralis eſt ordinare potentias, & illas applicare ad Virtutes ad multiplicandum illarum actus, & ad mortificandum vitia.
2. Artificiare moralitates eſt inquirere propria objecta potentiarum, & præſentare quodlibet objectum ſuæ propriæ potentiæ.
3. Duratio eſt proprium objectum Memoriæ, & Veritas Intellectûs, & Bonitas Voluntatis.
4. Quando recoles Veritatem, fac durare illam recolitionem, ut Intellectus illam poſſit multùm intelligere.
5. Quando recoles Bonitatem, fac durare illam recolitionem, ut Voluntas illam poſſit multùm amare.
6. Intellige & ama Durationem Bonitatis & Veritatis, ut duret tuum amare & intelligere.
7. Intellige Durationem Bonitatis, ut Voluntas amet Durationem Veritatis.
8. Ama Durationem Veritatis, ut Intellectus intelligat Durationem Bonitatis.
9. Quælibet potentia habet placitum, quando alia accipit ſuum objectum.
10. Intellectus habet appetitum, quòd Voluntas amet ſuam Poteſtatem; & Voluntas habet appetitum, quòd Intellectus intelligat ſuam Poteſtatem.
11. Quando recoles Juſtitiam vel aliam Virtutem, recole in illa ſuam Durationem, Veritatem, & Bonitatem.
12. Sicut intelligis & amas Virtutem, ſic dura in recolendo ipſam.
13. Objectum Juſtitiæ trade aliis Virtutibus, ut ipſum cuſtodiant & multiplicent.
14. Objectum cujuslibet vitii præſenta cuilibet Virtuti, ut illud deſtruant.
15. Objecta tuorum ſenſuum præſenta cum Virtutibus potentiis tuæ animæ.
16. In objecto oculorum recole Finem ipſius videre ſecundùm Bonitatem, Veritatem & Juſtitiam & alias Virtutes.
17. Concorda Virtutem cum Virtute, & pone contratietatem inter Virtutem & vitium.

18. Pone ordinem in concordantia potentiarum Virtutum, & in contrarietate Virtutis & vitii.
19. Multiplica Durationem in recolendo, intelligendo & amando Virtutes, & in odiendo vitia.
20. In tua investigatione priùs pone Intellectum, & postea Voluntatem, & Memoriam in medio, & habeas spem in auxilio DEI.

CAPUT LXVIII.

De Prædestinatione & libero Arbitrio.

1. PRædestinatio est scire DEI, qui scit, quinam homines salvabuntur.
2. Liberum Arbitrium est electio Voluntatis, quæ supponit facere bonum vel malum.
3. Prædestinatio hominis est consequentia perfecti scire, quod habet Sapientia DEI.
4. Liberum Arbitrium hominis est subjectum perfectæ Justitiæ DEI.
5. Sicut scire DEI non potest mutari, sic objectum Justitiæ DEI non potest destrui.
6. Quia Justitia DEI est tam perfecta, sicut sua Sapientia; ideo ita necessaria est consequentia, quæ sequitur ex sua Perfectione Justitiæ, sicut consequentia, quæ sequitur ex Perfectione Perfectionis Sapientiæ.
7. Difficile est intelligere, quòd Prædestinatio & liberum Arbitrium possint insimul stare secundùm fragilitatem humanæ rationis.
8. Per has duas affirmativas & negativas consequentes possunt meliùs declarari Prædestinatio & liberum Arbitrium.
9. Si Martinus est prædestinatus, non potest damnari; quia si posset damnari, Sapientia DEI non esset perfecta in sciendo.
10. Ex affirmativa, quæ est consequentia perfectæ Sapientiæ, sequitur negativa, quæ negat Perfectionem Justitiæ DEI, in quantum condemnat liberum Arbitrium.
11. Si Martinus est perfectum subjectum Justitiæ DEI, quòd illo possit uti per judicium, convenit, quòd possit eligere bonum vel malum, ut propter bonum Justitia illi faciat bonum, & propter malum Justitia ipsum puniat.
12. Ex affirmativa, quæ est consequentia perfectæ Justitiæ DEI, sequitur negativa, quæ condemnat Prædestinationem, in quantum Justitia DEI potest salvare Martinum propter bonum agere, vel illum punire propter malum agere.
13. Convenit, quòd duæ affirmativæ sint veræ, quia concordant cum Perfectione Sapientiæ & Justitiæ.
14. Convenit, quòd duæ negativæ sint falsæ, quia sunt contra Perfectionem Sapientiæ & Justitiæ.
15. Quia affirmativæ sunt antecedentes, & negativæ sunt consequentes, est major Veritas per affirmativas, quàm per negativas.
16. Quia affirmatio prædicat de esse, & negatio de non esse, naturaliter est major Veritas per affirmationem, quàm per negationem.
17. Ille dicit majorem Veritatem, qui dicit: DEUS est Æternitas, quàm ille, qui dicit: DEUS non est lapis.
18. Omnis negatio est consequentia affirmationis.
19. DEUS non considerat negationem, quæ sequitur ex sua affirmatione, quia sua Perfectio est in pura affirmatione.
20. Sola humana ratio considerat contrarietatem per negationem inter liberum Arbitrium & Prædestinationem.

CAPUT LXIX.

De Afflictione.

1. AFflictio est libera coactio, quam anima facit corpori ad serviendum DEO.
2. Afflictio domat corpus, ut sit obediens animæ.
3. Afflictio, quæ consumit corpus, non est licita.
4. Secundùm quòd equus laborat, vult eques, quòd comedat.
5. Corpus nimìs afflictum non est dispositum ad vitam activam, nec ad vitam contemplativam.
6. Ita potes tibi ipsi injuriam facere per nimis modicum comedere, sicut tuo vicino per avaritiam.
7. Debes habere Afflictionem contra nimium comedere & bibere.
8. Afflictio, quæ est ad desiderandum DEUM, est bona.
9. Afflictio est bona, quando est propter Justitiam.
10. Afflictio, quæ est per contritionem, est virtuosa.
11. Non facias Afflictionem sinè Virtute.
12. Afflictio, quæ est per Patientiam, est laudanda.
13. Propter nimiam Afflictionem est anima tristis.

Ita

14. Ita eris homicida, si te lentè occidas, sicut si subitò.
15. DEUS non dat homini bona temporalia frustrà.
16. Postquam debes comedere, ut vivas, non debes jejunare, ut moriaris.
17. Afflictio, in qua est proportio, est vindicta corporis.
18. Non comedere carnem, & nimium comedere de ovis vel piscibus, non est Afflictio.
19. Hypocrisis circuit illos, qui faciunt nimìs magnam Afflictionem.
20. Ita facis injuriam Humilitati, si propter Afflictionem vis laudari, sicut Temperantiæ, si nimium comedis.

CAPUT LXX.

De Eleemosyna.

1. ELeemosyna est facere bonum homini, qui habet indigentiam boni.
2. Eleemosyna est figura communìs boni.
3. Si peccatum non esset, omnia temporalia bona essent communia.
4. Bono homini fac magnam Eleemosynam, & malo homini parvam.
5. Bono homini fac Eleemosynam propter Charitatem, & malo homini propter Pietatem.
6. Bona, quæ habes per Eleemosynam, furaris, si non facis Eleemosynam.
7. Omne id, quod est per Eleemosynam, est capitale pauperum.
8. Ille est avarus, qui destruit successionem Eleemosynæ.
9. Quia Eleemosyna & Humilitas conveniunt, non facias Eleemosynam propter laudem.
10. Omnes denarii Eleemosynæ sunt scripti in libro Eleemosynæ.
11. De denario Eleemosynæ, qui est propter indigentiam, non facias superfluitatem.
12. Majus placitum habeas in faciendo Eleemosynam, quàm in accipiendo.
13. Qui accipit Eleemosynam, & non facit Eleemosynam, non est justus.
14. Ille facit majorem Eleemosynam, qui illam facit de se ipso.
15. Multùm se humiliat & se obligat, qui accipit Eleemosynam.
16. Eleemosyna est oratio cordis.
17. Inimici Eleemosynæ sunt multi.
18. Procurator Eleemosynæ est procurator DEI.
19. Homines, qui accipiunt Eleemosynam, frequentiùs laudant & nominant DEUM, quàm illi, qui ipsam faciunt.
20. Cum denario, quem das pauperi, qui illum à te petit propter amorem DEI, emis amorem DEI.

CAPUT LXXI.

De Societate.

1. SOcietas est vicinitas, in qua homines habent Concordantiam propter aliquem Finem.
2. Societas est participatio multorum Finium.
3. Societas Bonitatum est bona.
4. Societas magnarum Bonitatum est magna.
5. Societas magnæ Bonitatis & parvæ est proportionata in Fine.
6. Societas domini & vasalli sinè proportionato Fine non est bona.
7. Caveas tibi à falso socio.
8. Si participas cum homine, qui non est de tua Lege, non dormias.
9. Qui participat cum perverso socio, participat cum labore.
10. Societas sinè Virtute est vitiosa.
11. Participa cum homine sapiente propter suam doctrinam.
12. Participa cum pauperibus, ut audias loqui de DEO.
13. Societas hominis crudelis & avari est nimìs periculosa.
14. Qui participat cum homine iracundo, frequenter habet laborem.
15. Qui participat cum homine superbo, frequenter vilipenditur.
16. Societas pauperis parentis sæpe est tædiosa.
17. Associa unam Virtutem cum alia, & dormies securus.
18. Sequere bonum socium, & fuge à malo.
19. Societas honorati parentis tibi non dabit laborem.
20. Societas hominis, qui amat honorem, non sinit hominem dormire.

CAPUT LXXII.

De Lætitia.

1. LÆtitia est actus Voluntatis cum placito.
2. Placita, quæ sensus habent in accipiendo sua objecta, sunt figuræ placitorum, quæ Voluntas habet in accipiendo sua objecta amabilia.

Imagi-

3. Imaginatio accipit placita ſenſuum, & repræſentat illa Voluntati, ut inde lætetur.
4. Intellectus ſignificat Voluntati, de quibus placitis ſenſuum debeat lætari vel contriſtari.
5. Voluntas, quæ habet Lætitiam per placita ſenſuum ſinè licentia Intellectûs, eſt beſtialis.
6. Senſus accipiunt placitum in primo motu, & ſapiens Voluntas accipit cum Prudentia de illis placitum in ſecundo motu.
7. De placito, quod oculi habent in videndo pulchros flores, Voluntas poteſt habere placitum in primo motu.
8. De placito, quod oculi habent in videndo pulchras mulieres, Voluntas non debet habere placitum ſinè placito habendi Virtutes.
9. Bona & ordinata Voluntas habet majus placitum per amare Caſtitatem, quàm per placitum, quod illi venit, quia oculi vident pulchras mulieres.
10. Homo ſapiens non frequenter lætatur.
11. Quis deberet lætari exiſtens in tam magno periculo in hoc mundo?
12. Cùm DEUS ſit tam inhonoratus & incognitus in hoc mundo, quare dormis?
13. Quare rides, poſtquam neſcis, quando morieris, & quem Finem facies?
14. Lætare propter Bonitatem DEI, & non propter tuam.
15. Recole tua peccata, & enarra cum triſtitia.
16. Non ſis lætus propter tuum filium, qui eſt pulcher, quia ignoras, utrùm ſit in gratia DEI.
17. Si tuus filius intrat in infernum, plus tibi valeret, quòd illum non habuiſſes, quia te ſemper maledicet & habebit pœnam.
18. Non læteris propter divitias, quia ignoras, quamdiu illas poſſidebis.
19. Non læteris propter honorem, quo non es dignus.
20. Ride, ſi habes Virtutes; & plora, ſi habes vitia.

CAPUT LXXIII.
De Perſona communi.

1. PErſona communis eſt homo, cui ordo multorum hominum eſt commiſſus.
2. Sicut aſinus eſt oneratus multis lapidibus, ita communis Perſona eſt onerata multis neceſſitatibus hominum.
3. Homo onerat aſinum quocunque vult, & Perſonam communem ſimiliter.
4. Aſinus, qui eſt multùm oneratus, eſt fatuus, ſi vult currere.
5. Officium communîs Perſonæ eſt illi valde periculoſum.
6. Candela, quæ conſumit ſe ipſam ad faciendum ſervitium, eſt figura bonæ Perſonæ communîs.
7. Fatua eſt candela, quæ vult, ut ipſi ſerviatur, ſi ipſa non faciat lumen.
8. Bona Perſona communis eſt centrum Virtutum, & mala vitiorum.
9. Bona Perſona communis eſt imago DEI, & mala Luciferi.
10. Qui reſiſtit Perſonæ communi, reſiſtit multis.
11. Fuge malam terram & malum dominum.
12. Qui facit honorem Perſonæ communi, facit honorem multis.
13. Perſonæ communi non laudes aliquid de tuo, nec de tuo vicino.
14. Non laudes Perſonam communem propter ſuum.
15. Cum Perſona communi potes lucrari multos amicos vel inimicos.
16. Amicitia Perſonæ communîs non dormit ſecura.
17. De Perſona communi multum boni vel multum mali.
18. Oculi Perſonæ communîs vident à longè.
19. Aures Perſonæ communîs audiunt ultra muros.
20. Famulus Perſonæ communîs eſt tuus dominus.

CAPUT LXXIV.
De Clerico.

1. CLericus eſt homo, qui procurat ſalvationem hominum.
2. Procuratio ſalvationis eſt nobilius officium.
3. Nobiliori officio perfectior homo.
4. Sicut ſol eſt dominus lucis, ita Clericus debet eſſe dominus boni exempli.
5. Qui de cœlo eſt, de cœlo loquitur.
6. Quantò nobilius eſt officium, tantò majorem Humilitatem requirit.
7. Clericus eſt judex animæ.
8. Mare eſt de multis aquis, & multæ aquæ ſunt de illo.
9. PoſtquamSaturnus eſt ſupra Jovem, malè facit, quia non eſt de meliori complexione, quàm Jupiter.
10. Ignis accipit, & dat.
11. Ignis non facit aliquod donum in tenebris.

12. Sol illuminat diem, & ignis noctem.
13. Nullus homo eſt melior, quàm bonus Clericus.
14. Sol & Clericus participant in luce.
15. Nullus homo accipit à DEO tantam Poteſtatem, quantam Clericus.
16. Ille furatur DEO ſuum filium, qui illum facit Clericum propter denarios.
17. Non facias tuum filium Clericum, niſi ad ſerviendum DEO.
18. Ille homo eſt religioſus, qui renuntiat proſperitatibus hujus mundi.
19. Religioſus homo eſt in medio loco Clerimoniæ.
20. Nullus homo eſt in tam magno judicio DEI & hominum, ſicut perverſus religioſus & ſuperbus Sacerdos.

CAPUT LXXV.
De Militia.

1. MIles eſt homo, qui procurat pacem per vim.
2. Miles eſt homo antiquitùs electus, ut ſit melior homo, quàm alius.
3. Miles habet gladium propter Juſtitiam, & equum propter dominium.
4. Quia Humilitas eſt ſupra vim, miles debet eſſe humilis.
5. Miles eſt benè veſtitus, quia eſt honoratus.
6. Veſtimenta ex panno non ſunt tam nobilia, ſicut veſtimenta ex Virtutibus.
7. Miles facit ſignum, ut homo illum cognoſcat.
8. Malus homo non debet aſcendere in altum, ut homo illum cognoſcat.
9. Omnis homo eſt abjectus per ſuperbiam.
10. Qui ad honorem aſcendit ſinè Virtute, cadit per vitium.
11. Ruſticus, qui ſe facit militem, facit injuriam equo.
12. Vilis Miles debet equitare ſupra aſinum.
13. Ad Militem pertinent honor & divitiæ.
14. Mundus eſſet in bono ſtatu, ſi unus bonus Clericus & unus bonus Miles in illo eſſent domini.
15. De bono Clerico & bono Milite bona ſocietas.
16. Nullus homo eſt magìs vilis, quàm Miles puſillanimis.
17. Ille eſt inferior, qui cadit de altiore Virtute.
18. Habeas timorem de humili Milite, & non de ſuperbo.
19. Miles eſt fortior per Virtutem, quàm per lignum vel ferrum.
20. Propter laborem hujus mundi ſunt Milites in judicio.

CAPUT LXXVI.
De Theologia.

1. THeologia eſt ſermo ordinatus ad loquendum de DEO.
2. Theologia poſitiva eſt per Voluntatem, & demonſtrativa per Intellectum.
3. Theologia ita requirit hominem ſapientem, ſicut bonum.
4. Omnes Scientiæ ſunt propter Theologiam.
5. Si Theologia non eſſet Scientia, aliæ Scientiæ non eſſent propter illam.
6. Per nullam ſcientiam eſt intellectus tam nobilis, ſicut per Theologiam.
7. Nullus Intellectus eſt tam nobilis per credere, ſicut per intelligere.
8. Sicut ſol eſt magìs remotus à tenebris, quàm luna, ita Theologia eſt magìs remota ab errore, quàm alia Scientia.
9. Si Intellectus non eſſet creatus ad intelligendum Theologiam, non veniret per ipſam ad beatitudinem.
10. Declaratio Theologiæ magìs conſiſtit per intelligere, quàm per credere.
11. Si Theologia non eſſet argumentativa, deſtructio infidelitatis non eſſet poſſibilis.
12. Generalia Principia Theologiæ ſunt Actus divinarum Rationum.
13. Quia actus divinarum Rationum ſunt majores, quàm alii, ideo Theologia eſt majus ſubjectum, quàm alia Scientia.
14. Nulla ſcientia habet tot inimicos, quot habet Theologia.
15. Omnis infidelitas eſt contra Theologiam.
16. Scientiæ lucrativæ magìs amantur, quàm Theologia.
17. Sicut Miles eſt propter militiam, & faber propter ferrariam, ita Clericus eſt propter Theologiam.
18. Si Theologia haberet multos bonos amicos, totus mundus eſſet in Veritate.
19. Subjectum Theologiæ eſt Philoſophia.
20. Philoſophia disponit declarationem Theologiæ.

CAPUT LXXVII.
De Philoſophia.

1. PHiloſophia eſt objectum appetitûs intellectûs, qui deſiderat ſcire Veritatem naturalium rerum.

2. Quia Philoſophia eſt ſubjectum Intellectûs, eſt per ſe ipſam deſiderabilis.
3. Quilibet particularium ſenſuum eſt Philoſopus.
4. Voluntas & Memoria disponunt Philoſophiam Intellectui.
5. Imaginatio repræſentat corporalem Philoſophiam ſpirituali.
6. Intellectus eſt major Philoſophus.
7. Philoſophia eſt moralis Veritas Intellectûs.
8. Philoſophia eſt figura naturalium Veritatum.
9. Nullus Intellectus poteſt habere magnam ſubtilitatem ſinè Philoſophia.
10. Philoſophia ita eſt lumen in veritate, ſicut ſol in die.
11. Philoſophia eſt tam nobilis ſcientia, quòd non abit poſt denarios.
12. Principia Philoſophiæ ſunt primæ cauſæ in natura.
13. Teſtimonia Philoſophiæ ſunt naturales actus primarum cauſarum.
14. Philoſophus ſemper eſt lætus.
15. Nullus Philoſophus per denarios eſt dives vel pauper.
16. Philoſophus per unam Veritatem attingit mille Veritates.
17. Omnis Philoſophus eſt curialis.
18. Philoſophus non facit honorem Regi.
19. Unus Philoſophus valet mille.
20. Philoſophus non mentitur propter amorem nec propter timorem.

CAPUT LXXVIII.
De Jure.

1. JUs eſt actus juſtitiæ, ut ſit pax.
2. Actus juſtitiæ eſt defenſio rationis.
3. Defenſio rationis eſt conſervare vel reddere cuilibet, quod ſuum eſt.
4. Conſervare vel reddere cuilibet, quod ſuum eſt, eſt juſta conſuetudo.
5. Juſta conſuetudo eſt antiqua ordinatio bonorum temporalium.
6. Antiqua ordinatio bonorum temporalium eſt ſucceſſio pacis.
7. Succeſſio pacis eſt conſtitutio Legislatorum ſcripta in Libris eorum.
8. In Libris conſtitutionis Legislatorum Memoria eſt domina, quæ recolit Jus ſcriptum.
9. Id, propter quod Memoria eſt domina in Scientia Juris, eſt, quia ipſa reddit antiquas conſtitutiones & conſuetudines Juris Intellectui & Voluntati.
10. Argumentum Juris eſt antiquum ſtatutum & conſenſus domini & populi.
11. Jus poſitivum eſt de tempore præterito, & Jus naturale de præſenti.
12. Totum Jus naturale non poteſt ſcribi.
13. Sunt plures caſus, quàm ſcriptores.
14. Injuria fit Scientiæ Juris, quia non eſt reducta ad Principia generalia.
15. Si Scientia Juris eſſet applicata ad generalia Principia, citò addiſceretur.
16. Si Scientia Juris eſſet ordinata ſub generalibus Principiis, eſſet moralis Philoſophia.
17. Quia Scientia Juris non eſt moralis Philoſophia, eſt confuſa.
18. Scientia Juris eſt de Memoria per antiquitatem, & eſt de Voluntate per denarios & ad habendum honorem.
19. Mirabile eſt, quòd in Scientia Juris Intellectus ſit injuriatus.
20. Qui facit injuriam Intellectui, facit injuriam ſibi ipſi.

CAPUT LXXIX.
De Medicina.

1. MEdicina eſt adjutorium, quod fit ad ſanitatem.
2. Medicina eſt ars ſanandi corpus, quod eſt infirmum.
3. Medicina per naturam eſt una ſpecies Philoſophiæ.
4. Medicus inquirit ſuperfluitates & indigentias naturales.
5. Medicus laborat ad temperandum contrarias complexiones.
6. Medicus disponit, & natura operatur.
7. Subjectum Medicinæ eſt ſanitas.
8. Medicina non eſt propter honorem & denarios.
9. Subjectum Medicinæ eſt compoſitum ex potentia elementativa, vegetativa & ſenſitiva.
10. Qui non cognoſcit principia, non cognoſcit illorum actus.
11. Corpus patientis requirit beneficium de hoc, de quo eſt.
12. Beneficium, quod corpus hominis accipit de elementis, tranſit per vegetativam ad ſenſitivam.
13. Sapiens Medicus juvat vegetativam cum ſanis fructibus.
14. Id, propter quod infirmus vult comedere fructum, & non poteſt comedere panem, eſt, quia vegetativa magìs amat ſuam ſimilitudinem in naturali ſubjecto, quàm in artificiato.
15. Vegetativa infirmi habet majorem appetitum ad fructum, quàm ad carnem.
16. Senſitiva non eſſet infirma, ſi vegetativa eſſet ſana.
17. Caro magìs confortat, quàm fructus, quia habet triplicatam Virtutem.
18. In ſenſitiva eſt virtus elementandi, vegetandi & ſenſandi.
19. Infirmitas fugat ſanitatem per elementativam, vegetativam & ſenſitivam.
20. Sanitas fugit ab infirmitate in illa potentia, in qua virtus eſt magìs reſtaurata.

CAPUT LXXX.
De Mercatura.

1. MErcatura eſt ordo lucrandi divitias per emere vel per vendere.
2. Mercator ducit bona temporalia de una terra in aliam propter lucrum.
3. Sapiens Mercator cognoſcit id, quod vendit, & quod emit.
4. Mercator frequenter conſiderat id, quod poteſt accidere.
5. Sapiens Mercator ſemper ponit Intellectum ante Voluntatem.
6. Subjectum Mercaturæ ſunt honor & divitiæ.
7. Augur & Mercator frequenter mentiuntur.
8. Sex ſenſus ſunt capitalia ſapientis Mercatoris.
9. Non eſt ſapiens Mercator, qui vendit Veritatem pro denariis.
10. Qui vendit Veritatem pro denariis, vendit ſuam linguam.
11. Qui vendit linguam, vendit animam.
12. Sapiens Mercator non committit magnum capitale uni homini.
13. Sapiens Mercator non emit magnam poſſeſſionem.
14. Sapiens Mercator non emit nec vendit cum riſu.
15. Sapiens Mercator non facit magnam portam.
16. Sapiens Mercator habet albas mappas & mantilia.
17. Sapiens Mercator non eſt familiaris militis.
18. Sapiens Mercator libenter ſolvit.
19. Ruſticus & Mercator ſunt magìs neceſſarii ad vivendum, quàm alii homines.
20. Nulli homini tam ſæpe fit injuria, ſicut ruſtico & Mercatori.

CAPUT LXXXI.
De Vitiis,
Et primò
De Peccato.

1. PEccatum eſt illicita operatio hominis rationalis.
2. Peccatum & culpa convertuntur.
3. Peccatum eſt inordinatus actus ſpiritualis potentiæ.
4. Peccatum eſt inordinatus actus ſenſûs contra moralem Virtutem.
5. Peccatum ideo eſt nihil, quia eſt contra Finem.
6. Peccatum eſt nihil, quia non eſt creatura.
7. Peccatum veniale eſt in primo motu, & mortale in ſecundo.
8. Peccatum actuale eſt illud, quod homo facit, & originale eſt illud, quod homo habet per primos Parentes.
9. Si primus homo non peccaſſet, omnia opera hominum eſſent ordinata, ſicut opera plantarum & brutorum animalium.
10. Peccatum eſt antecedens pœnæ.
11. Per Peccatum eſt privatio Finîs.
12. Per Peccatum perdit homo DEUM, & æviternaliter habet pœnam.
13. Peccatum non habet eſſentiam nec eſſe, ut cum DEO nullam ſimilitudinem habeat.
14. Peccatum eſt contra omnem eſſentiam & eſſe.
15. Peccatum reducit eſſe ad non eſſe.
16. Peccatum requirit ponere in eſſe hoc, cui non convenit eſſe.
17. Quia Peccatum non habet eſſe, non poteſt contra eſſe.
18. Peccatum cum eſſe eſt contra eſſe.
19. Peccatum eſt privatio habituum Virtutum.
20. Id, quod eſt per Peccatum, poteſt imaginari & ſentiri, ſed Peccatum non.

CAPUT LXXXII.
De Gula.

1. GUla eſt illud peccatum, quod eſt magìs contra ſanitatem.
2. Gula eſt privatio temperantiæ.
3. Guloſus homo eſt triſtis, quando non comedit, & quando comédit.
4. Nullum peccatum eſt tam frequens, ſicut Gula.
5. Per Gulam ſunt plures homines pauperes, quàm per aliud peccatum.

6. Gula habet multas scutellas.
7. Gula non parcit paupertati.
8. Gula occidit suos amicos.
9. Gula facit derideri suos servos.
10. Gula est antecedens famis & sitis æviternalis.
11. Gula non habet verecundiam.
12. De Gula mors vel longa infirmitas.
13. Gulosus homo est piger, & habet multa verba.
14. Gulosus homo se vendit propter comedere.
15. Gulosus homo desiderat habere longum collum & magnum ventrem.
16. Gulosus homo in mensa suum socium occupat in verbis, ut possit multum comedere.
17. Gulosus homo frequenter loquitur de bonis cibis.
18. Nullus gulosus homo habet longam vitam.
19. Gula & acedia sunt peccata, quæ habent minus de conscientia.
20. Gulosus homo vivit, ut comedat.
* Nullus homo est tam pusillanimis, sicut gulosus homo.

CAPUT LXXXIII.

De Luxuria.

1. LUxuria est peccatum, quod est magis contra ordinem Matrimonii, quàm aliud.
2. In Luxuria habet corpus majorem consensum, quàm in alio peccato.
3. Luxuria est actuale peccatum duorum.
4. Luxuria consumit corpus & denarios.
5. Per Luxuriam nascuntur homines de peccato.
6. Dispositio Luxuriæ est per primum motum, & actus Luxuriæ per secundum.
7. Mortificabis Luxuriam, si consideras hoc, quod inde nascitur.
8. Oculi ponunt dispositionem Luxuriæ in primo motu.
9. Luxuria transit ad secundum motum per consensum Voluntatis.
10. Medium, per quod Luxuria de dispositione transit in actum, est naturalis calor.
11. Imaginatio est instrumentum, cum quo Luxuria de dispositione transit in actum.
12. Cum imaginatione potes multiplicare vel mortificare dispositionem Luxuriæ.
13. Imaginare æviternam pœnam, quando imaginaberis placita Luxuriæ.
14. Fuge à circumstantiis Luxuriæ.
15. Quamprimùm recolis placita Luxuriæ, obliviscere illa.
16. Juva ad obliviscendum placita Luxuriæ recolendo iram DEI.
17. Pulchritudo faciei mulieris est antecedens in Luxuria turpium rerum.
18. Tam turpes res sunt in Luxuria, quòd illas non audeo nominare nec scribere.
19. Mala est pulchritudo, quæ hominem inducit ad valde magnam turpitudinem.
20. Si actus Luxuriæ deturpant verba, quantò magis deturpant animam, quæ illos desiderat.

CAPUT LXXXIV.

De Avaritia.

1. AVaritia est peccatum, per quod homo auffert divitias à pauperibus.
2. Avaritia destruit Finem divitiarum.
3. Quia Avaritia est contra finem, non potest saturari.
4. Avaritia dat afflictionem corpori, & occidit animam in peccato.
5. Avaritia submittit avarum hominem omnibus rebus.
6. Avaritia facit crudele cor, & nemini parcit.
7. Avaritia facit homines esse in tristitia.
8. Avarus homo auffert bona, quæ possidet, DEO & sibi ipsi.
9. Avarus homo non facit gratias DEO.
10. Avarus homo tenet oculos & cor in terram.
11. Avarus homo habet debile cor & animum.
12. Avarus homo non auscultat rationem.
13. Avarus homo non habet contritionem nec conscientiam, & non facit satisfactionem.
14. Avarus homo non habet Spem nec Charitatem.
15. Avarus homo parum vivit, ut suas divitias non teneat otiosas.
16. Avarus homo habet indigentiam omnium rerum.
17. Non confidas in avaro homine de aliquo, quod tibi promittit.
18. Omnis avarus homo est malus vicinus.
19. De avaro homine non facias tutorem.
20. Societas avari hominis est periculosa.

CAPUT

CAPUT LXXXV.

De Superbia.

1. SUperbia est peccatum, per quod homo desiderat stare altus in honore, & stat inferiùs in ignominia.
2. Superbia descendit, & Humilitas ascendit.
3. Superbus desiderat esse similis DEO.
4. Superbus homo non considerat, quomodo est natus, nec de quo est generatus.
5. Superbus non considerat, quid habeat in ventre.
6. Superbus non considerat mortem.
7. Superbus homo neminem laudat.
8. Nullus Superbus homo amatur nec laudatur.
9. Superbus homo tenet cor in terram, & oculos ad cœlum.
10. Superbus homo speculatur suum pedem, & non respicit, ubi illum ponat.
11. Superbus vult esse doctus, ut laudetur.
12. Superbus homo non facit aliquid propter amorem, sed propter laudem.
13. Superbus homo cogitat, quòd omnis homo de ipso dicat bonum.
14. Superbus homo facit malum, & vult, quòd homo de ipso dicat bonum.
15. Superbus homo laudat sua vitia.
16. Superbus homo vituperat Virtutes humilium.
17. Duo Superbi homines non benè morantur in una domo.
18. Superbus homo scribit literas in aëre, quas homo non potest legere.
19. Verba superbi hominis magis sunt in vento, quàm alæ gruis.
20. Superbus homo frequenter loquitur de se ipso, & habet superba verba & debilem animum.

CAPUT LXXXVI.

De Acedia.

1. ACedia est negligentia faciendi bonum, & per quod homo habet placitum de malo alterius.
2. Acedios us est, qui fugit laborem acquirendi Virtutes.
3. Acedia est peccatum parum cognitum.
4. Multi homines habent Acediam, qui illam non putant habere.
5. Acedia est peccatum multùm oblitum in confessione.
6. Acedia est Principium detractionis.
7. Acedios us homo ridet, quando videt facere malum.
8. Acedios us reprehendit omne bonum.
9. Acedios us parum reprehendit malum.
10. Acedios us non tenet secretum.
11. Acedios us homo odit magnitudinem in omni bono.
12. Acedios us non potest audire verba de bono.
13. Acedios us homo mentitur cum placito.
14. Acedia, invidia & superbia sunt sorores.
15. Vinces Acediam, si amas finem boni.
16. Vincas acediam cum suo contrario.
17. Adjuva contrarium Acediæ cum aliis Virtutibus.
18. Quæras ab homine acedioso, quò ibit homo, qui plorat propter bonum, & ridet propter malum.
19. Acedios us homo est in omni bono otios us.
20. Quæras ab acedioso homine, de quo bono reddet rationem DEO.

CAPUT LXXXVII.

De Invidia.

1. INvidia est illud peccatum, per quod homo desiderat habere bonum sui proximi contra justitiam.
2. Per Invidiam desideras habere bonum sinè labore.
3. Nullum peccatum actuale est tam generale, sicut Invidia.
4. Filius invidet bona sui Patris & sui Fratris.
5. Invidia est mala, & per illam desiderant homines habere bonum.
6. Invidia est contra gratiam & Justitiam.
7. Invidia est antecedens proditionis & fraudis.
8. Omnis invidia dat passionem animæ & corpori.
9. Pugna contra Invidiam cum Humilitate & Charitate.
10. Invidia facit obliviscì omne beneficium.
11. Invido homini non laudes tuum equum.
12. Invidia est primum peccatum.
13. Invidia non considerat proportionem nec Æqualitatem.
14. Invidia plorat, quando gratia & Justitia rident.
15. Invidia incipit cum avaritia & superbia.
16. Non aperias tuum animum invido homini.

17. Liga linguam invidi hominis cum dare, & honorare.
18. Invidus homo non quærit paritatem.
19. Invidus non habet Spem in DEO.
20. Invidia moritur sinè Charitate & Pietate.

CAPUT LXXXVIII.
De Ira.

1. IRa est tristis passio in volendo contra electionem relinquendi malum, & accipiendi bonum.
2. Ira privat libertatem, & cogit hominem ad faciendum malum.
3. Iratus homo non considerat, quid faciat.
4. Qui est Iratus, non timet periculum.
5. Iratus homo non intelligit rationem.
6. Irato homini non respondeas.
7. Irato homini non rideas nec læteris.
8. Non respicias iratum hominem in facie.
9. Ira de primo & secundo motu facit unum motum.
10. Ira perturbat omnes potentias animæ, & movet totum sanguinem cordis.
11. Ira miscet cerebrum, & auffert ab imaginatione suum actum.
12. Omnis homo est fatuus, quamdiu est iratus.
13. Cum Humilitate & Patientia vinces iratum hominem.
14. Ira est tenebræ Intellectûs.
15. Stultus est, qui propter iram alterius est iratus.
16. Non roges iratum hominem, quòd tibi det, sed roga illum, quòd tibi parcat.
17. Quò magis reprehendes iratum hominem, eò magis accendes illum ad Iram.
18. Irato homini muta sua verba.
19. Iratus homo non habet amicum.
20. Non te excûses irato homini, sed concede illi id, quod dicit.

CAPUT LXXXIX.
De Infidelitate.

1. INfidelitas est actus animæ, quæ credit & amat contra divinam Veritatem.
2. Nullum peccatum est majus, quàm Infidelitas.
3. Omnis infidelis habet Deum alienum.
4. Non credit in verum Deum, qui in ipso negat vera.
5. Fidelitas plorat, & Infidelitas ridet.
6. Pro uno Fideli mille Infideles.
7. Parum amat DEUM, qui sustinet Infidelem.
8. Otiositas Fidelîs est scandalum Infidelitatis.
9. Quia Veritas plus potest, quàm falsitas, ideo fidelitas est potens ad destruendum falsitatem.
10. Fidelitas plorat, quia habet tam paucos amicos.
11. Infidelitas ridet, quia habet multos amicos.
12. Miratur Fidelitas, quia Infidelis plus diligit publicum bonum, quàm Fidelis.
13. Fidelis spoliat Infidelem, ut fiat Christianus, & Infidelis vestit Christianum, qui fit Saracenus.
14. Fidelitas conqueritur, quia suâ Dominicâ laboratur, & Sabbatho Judæi fit festum.
15. Fidelitas conqueritur, quia tot terras amisit.
16. Fidelitas plorat, quia Infideles possident Sanctum Sepulchrum, quod est suum centrum.
17. Fidelitas conqueritur & quærit, quò ivit Charitas & Devotio.
18. Infidelitas ridet, quia Fidelitas tam parum honoratur & appretiatur.
19. Fidelitas minatur cum DEO, & Infidelitas minatur cum mundo & cum Diabolo.
20. Fidelitas plorat, quia per Infidelitatem dies judicii tantùm retardatur.

CAPUT XC.
De Proditione.

1. PRoditio est contrarius actus legalitatis.
2. Proditio est contra conventionem amicitiæ.
3. Qui se dat diabolo & mundo, prodit DEO suum castrum.
4. Qui prodit DEUM, prodit se ipsum.
5. Qui prodit bonitatem pro denariis, magis amat denarios, quàm Bonitatem.
6. Qui amat vitia, prodit Virtutem.
7. Omnis homo peccator est Proditor DEI.
8. Peccator prodit DEUM in hoc, quod illi commisit.
9. Proditio & illegalitas convertuntur.
10. Nemo potest prodere suum inimicum.
11. De Proditione mors vel magna pœna.
12. Sunt multi Proditores, & pauci nominantur.
13. Qui adulteratur cum uxore sui Domini, facit duplicem Proditionem.

Qui

14. Qui prodit suum amicum, prodit Charitatem.
15. Omnis Proditio est cum fraude.
16. Homo Proditor deberet portare signum Proditionis.
17. Nemo potest se defendere à Proditore.
18. Tui oculi non faciunt Proditionem, quando aspiciunt pulchram fœminam, sed tu facis illis Proditionem, quia ipsos non claudis.
19. Nullus habet tot Proditores, sicut DEUS.
20. Qui prodit majorem & meliorem Dominum, facit majorem Proditionem.

CAPUT XCI.
De Crudelitate.

1. CRudelitas est contrarius actus Charitatis.
2. Crudelis homo non habet Pietatem nec Humilitatem.
3. Qui est crudelis, non sequitur naturam suæ speciei.
4. Crudelis homo magìs amat denarios, quàm homines.
5. DEUS non habet Pietatem de crudeli homine.
6. Crudelitas facit suam voluntatem.
7. Crudelis homo percutit & blasphemat se ipsum, quando est iratus.
8. In crudelem hominem non habeas Spem.
9. Avaritia & ira sunt Dominæ crudelis hominis.
10. Patientia & humilitas juvant Charitatem contra crudelitatem.
11. A crudeli homine plus habebis per vim, quàm gratìs.
12. Crudelis homo habet perversam vim fortitudinis.
13. Sicut Veritas est fortior, quàm falsitas, ita Fortitudo est fortior, quàm perversa vis Crudelitatis.
14. Crudelis homo non ridet.
15. Crudelis homo non habet placentia verba.
16. Crudelitas est imago homicidii.
17. Nullus crudelis homo est bonus Socius.
18. Fuge à crudeli homine, quando est iratus.
19. Si castigas crudelem hominem, habebis passionem.
20. Crudelis homo est figura dæmonis.

CAPUT XCII.
De Maledictione.

1. MAledictio (detractio) est accusatio contra Veritatem.
2. Maledictio procurat infamiam.
3. De infamia non potes facere restitutionem.
4. Qui dicit malum, habet passionem, & qui dicit bonum, habet lætitiam.
5. Tam citò potes dicere bonum, quàm malum.
6. Qui dicit malum de suo Patre & de sua uxore, dicit malum de se ipso.
7. Periculosè loquitur, qui dicit malum de suo Domino.
8. Plus mali potes dicere de te ipso, quàm de alio.
9. Nemo scit tantum mali in alio, quantum in se ipso.
10. Qui dicit magnum malum, procurat sibi ipsi magnam pœnam.
11. Qui dicit malum de se ipso, lucratur amicitiam.
12. Non dicas malum de te ipso, ut laudèris.
13. Qui injuriosè dicit malum, non dormit securus.
14. Qui est malus, & dicit bonum de se ipso, est nimìs superbus.
15. Bonus homo non dicit bonum de se ipso, ut non sit superbus.
16. Qui dicit malum contra conscientiam, peccat mortaliter.
17. Qui ridet, quando audit dicere malum, consentit ipsi dicere malum.
18. Quando audies dicere malum, excusa illum, de quo audies dici malum.
19. Habeas Pietatem de Homine, cui injustè detrahitur.
20. Nullus homo habet tot inimicos, quot homo detractor.

CAPUT XCIII.
De Hypocrisi.

1. HYpocrisis est contraversa figura sanctitatis.
2. Hypocrita desiderat Sanctitatem per famam.
3. Hypocrita intùs ridet, & extrà plorat.
4. Hypocrita est superbus in anima, & humilis in corpore.
5. Hypocrita jejunat ad lucrandam famam.

Hypo-

6. Hypocrita decipit tuos oculos cum humilibus veſtimentis.
7. Hypocrita dicit multa *Pater noſter*, ut illi facias reverentiam.
8. Hypocrita habet iniquam voluntatem.
9. Hypocrita citò iraſcitur.
10. Ira Hypocritæ multùm durat.
11. Hypocrita habet humilia verba & ſuperbum animum.
12. Hypocrita ſecretè comedit bona cibaria.
13. Hypocrita dicit bonum, & facit malum.
14. Nullus habitus Hypocritæ eſt verax.
15. Hypocrita eſt centrum fraudis.
16. Non potes tibi cavere ab hypocrita.
17. Hypocrita fruſtra habet malum lectum.
18. Hypocrita eſt Dominus Regis.
19. Hypocrita fingit devotionem ad decipiendum.
20. De Hypocrita falſa ſuſpiria & falſæ lachrymæ.

CAPUT XCIV.
De Tentatione.

1. TEntatio eſt diſpone re ſecundum motum cum primo, ut habeat hoc, quod deſiderat.
2. Quando vides pulchram fœminam, tui oculi diſponunt, quòd conſentias carnali delectationi.
3. Imaginatio accipit Tentationem, quam tibi faciunt tui oculi, quæ disponit motum naturalis caloris, ut tua anima conſentiat conſequentiæ illius motûs.
4. Si Intellectus accipit Tentationem, quæ venit per imaginationem, cum deliberatione conſentiendi per Virtutem vel per vitium, Voluntas tentatur per electionem accipiendi Virtutem vel vitium.
5. Si intellectus eſt coactus per Voluntatem, quæ ſubitò ſe inclinat ad Tentationem imaginationis, Voluntas eligit amare carnales delectationes, & eſt ſicut beſtia, quæ ſinè diſcretione ſe movet ad delectationem, quæ illi venit per imaginationem.
6. Sicut tui oculi tentant tuam imaginationem, ita dæmon tentat tuam Voluntatem ad deſiderandum placitum imaginatum & ſentitum.
7. Sicut fur fugit lucem, quando vult facere furtum, ita diabolus fugit tuum Intellectum, quando tentat tuam Voluntatem.
8. Dæmon tentat Voluntatem cum Memoria, quando ipſam diſponit ad recolendum aliquam delectationem volitam, ut Intellectus habeat placitum in accipiendo illam ſpeciem à Memoria.
9. Dæmon tentat intellectum cum repræſentatione, quam illi facit de placitis corporis, ut ignoret placita animæ.
10. Dæmon ſpiritualiter loquitur cum anima repræſentando illi ſimilitudines ſpirituales, cum quibus diſponit peccata.
11. Quando conſideras aliquam vanitatem, de qua non ſequitur aliqua utilitas, tunc tentaris.
12. Quando ſupponis aliquid facere, & non conſideras, an ſit poſſibile, nec ne, tentaris, ut non conſideres bona, quæ tibi ſunt poſſibilia ad faciendum.
13. Quando vilipenderis & illuderis, bonus Angelus te tentat ad electionem Patientiæ & Humilitatis, & diabolus te tentat ad impatientiam & Superbiam.
14. Quando homo te laudat, tentaris, ut ſis ſuperbus, & quando te vituperat, tentaris, ut ſis humilis.
15. Quando comedis delicatos cibos, tentaris ad multum comedendum, & quando jaces in bono lecto, ad multum dormiendum.
16. Nullus tantùm te tentat ad faciendum bonum vel malum, ſicut tu ipſemet.
17. Tu tentaris in diſpoſitione boni vel mali.
18. Juva te contra Tentationem cum Oratione & Conſilio Virtutum & ſapientis viri.
19. Major inimicus Tentationis eſt deliberatio.
20. De tali re ſæpe tentaris, quòd illam facias, quam pro nulla re faceres, cùm habueris deliberationem.

CAPUT XCV.
De Vana Gloria.

1. VAna Gloria eſt placitum, de quo non ſequitur utilitas.
2. Nullum placitum eſt licitum ſinè bono Fine.
3. Vana gloria & ventus habent ſimilitudinem.
4. Vana Gloria intrat per ſenſum, & venit ad animam, quæ delectatur in placito illius.
5. Vana Gloria eſt perverſa figura utilis Gloriæ.

Habes

6. Habes vanam Gloriam, quando comedis delicatos cibos, & habes utilem Gloriam, quando amas temperantiam.
7. Habes vanam Gloriam, quando habes divitias, & habes utilem Gloriam, quando facis eleemoſynam.
8. Habes vanam Gloriam per pulchras veſtes, & habes utilem Gloriam per humiles veſtes.
9. Vana Gloria vadit per ſuperbum honorem, & utilis Gloria vadit per humilem honorem.
10. Hypocrita habet vanam Gloriam, quando vadit diſcalceatus, & jacet in duro lecto.
11. Hypocrita habet vanam Gloriam, quia eſt familiaris Regis.
12. Non habeas vanam Gloriam, quia habes pulchrum filium, quia neſcis, quamdiu vivet, & an erit bonus homo, qui intret Paradiſum.
13. Stultus eſt, qui habet vanam Gloriam propter pulchritudinem ſuæ uxoris, quia neſcit, utrùm ſit caſta.
14. Non habeas vanam Gloriam propter illum, qui deſiderat tuam mortem.
15. Non habeas vanam Gloriam propter familiaritatem, quam habes cum Rege, quia neſcis, quamdiu te amabit.
16. Qui habet vanam Gloriam propter ſcientiam, habet ſcientiam ſinè Virtute.
17. Non habeas vanam Gloriam propter annulum tui digiti, quia non eſt de tua eſſentia.
18. Non habeas vanam Gloriam, quia habes pulchras manus, quia vermes illas comedent.
19. Qui habet vanam Gloriam in faciendo malum, non debet habere gloriam per facere bonum.
20. In uno ſubjecto non poſſunt capi vana Gloria & utilis Gloria.

CAPUT XCVI.
De Obſtinatione.

1. OBſtinatio eſt perverſus actus animæ rationalis ſinè deliberatione.
2. Obſtinatus homo non reſpondet ad rationem.
3. Obſtinatus homo non petit conſilium.
4. Non caſtiges obſtinatum hominem.
5. Per nimiam Voluntatem homo eſt obſtinatus.
6. Obſtinatio eſt per ſuperbum intellectum.
7. Omnis homo phantaſticus eſt obſtinatus.
8. Obſtinatio eſt contra rationem.
9. Ex Obſtinatione oritur ſtultitia.
10. Nullus obſtinatus eſt in gratia.
11. Obſtinatus facit judicium per primum motum.
12. Obſtinatio eſt peccatum parum cognitum.
13. Obſtinatio eſt peccatum, quod homo non confitetur.
14. Obſtinatus non habet contritionem nec conſcientiam.
15. Obſtinatus homo & dæmon ſunt fratres.
16. Obſtinatus homo non petit veniam.
17. Cum obſtinato homine non facias ſocietatem.
18. Rationalis homo & obſtinatus homo non poſſunt participare.
19. Nullus labor eſt major, quàm participare cum obſtinato homine.
20. In obſtinato homine non habeas ſpem.

CAPUT XCVII.
De Mendacio.

1. MEntiri eſt contra manifeſtationem mentis.
2. Mentiri eſt contra finem verbi.
3. Omne Mendacium eſt malum.
4. Qui mentitur de DEO, facit magnum Mendacium.
5. Homo mendax eſt incaſtigabilis.
6. Mentiri eſt propter decipere.
7. Mentiri eſt contra verum dicere.
8. Poteſtas mentiendi eſt Poteſtas fallendi.
9. Mendacium non durat.
10. Omnis homo mendax eſt falſus.
11. Caveas tibi à mendace homine.
12. Omnis mendax homo vendit Veritatem.
13. Mendax homo furatur Veritatem illis, qui illam auſcultant.
14. Ita deberet homo puniri propter Mendacium, ſicut propter furtum.
15. Unus Mendax facit alium.
16. Unus homo mendax facit multos homines dicere falſa verba.
17. Homo mendax eſt magis vilis, quàm aſinus, qui non mentitur.
18. Qui mentitur propter timorem, non amat Veritatem propter Amorem.
19. Omne, quod lucraris per mentiri, eſt de peccato.
20. Pauci homines habent conſcientiam de Mendacio.

CAPUT XCVIII.

De Hebetudine.

1. HEbetudo est contrarius actus discretionis.
2. Hebetudo est propter modicum exercitium naturalium potentiarum.
3. Omnis novus homo est hebes.
4. In omni novitate homines habent Hebetudinem.
5. Hebetudo non est magnum peccatum.
6. Hebes homo non facit Hebetudinem ex certa scientia.
7. Hebes homo non putat errare.
8. Hebes homo putat facere placitum, & facit tædium.
9. Hebes homo non habet deliberationem, & sequitur primum motum.
10. Talis homo est hebes in una consuetudine, qui est sapiens in alia.
11. Homo potest esse tam hebes per nimiam doctrinam, sicut per parvam.
12. Excusa hebetem hominem, & lauda illum de sua bona intentione.
13. Talis homo, qui deridet hebetem hominem in una re, est magìs hebes in alia re, quàm ille.
14. Hebes homo habet multas excusationes.
15. Unus hebes homo deridet alium.
16. Propter nimiam Voluntatem faciunt homines Hebetudines.
17. Participatio hebetis hominis dat laborem.
18. Sicut conscientia est de intellectu, ita Hebetudo est de privatione illius.
19. Hebetudo magìs est per superbiam, quàm per humilitatem.
20. Per inordinatam humilitatem faciunt homines Hebetudines.

CAPUT XCIX.

De Phantasia.

1. PHantasia est imago imaginationis.
2. Phantasia ita est imago imaginationis, sicut figura corporis.
3. Phantasia est potentia, de qua producuntur phantasticæ species.
4. Phantasia est pura potentia, de qua Intellectus & imaginatio faciunt species.
5. Phantasia est passiva potentia, de qua potest fieri vera vel falsa similitudo.
6. Illi homines appellantur phantastici, qui de phantasia trahunt falsas similitudines.
7. Per perversam phantasiam est homo fatuus.
8. Fatuus homo ita utitur Phantasiâ, sicut malus homo naturali bonitate.
9. Per perversam Phantasiam sunt homines furiosi.
10. Phantasia est materia ad imaginandum Chymæram.
11. Sicut superficies est subjectum coloris, ita Phantasia est subjectum imaginationis.
12. Fatuus homo ita utitur Phantasiâ, sicut homo, qui non est faber, utitur martello.
13. Omnis homo est fatuus, qui plus sequitur imaginationem, quàm Intellectum.
14. Phantasticus homo ita submittit suum Intellectum imaginationi, sicut luxuriosus homo submittit suam animam corpori.
15. Phantasticus homo putat esse magìs sapiens, quàm alius.
16. Phantasticus homo putat, quòd imaginari sit intelligere.
17. Sicut infans putat, quòd quælibet fœmina sit sua mater, ita phantasticus homo putat, quòd omnis imaginatio sit vera.
18. Quia homo non potest nimium intelligere, & potest nimium imaginari, potest esse fatuus per imaginari, & non per intelligere.
19. Intellectus cum imaginatione colligit Phantasiam, & memoria custodit ipsam, & Voluntas desiderat ipsam.
20. Fatuus homo est nimìs phantasticus.

CAPUT C.

De Pœna.

1. POena est consequentia peccati.
2. Pœna est contra potentiam animæ & corporis.
3. Habes Pœnam, cùm non potes recolere & intelligere id, quod desideras.
4. Pœna animæ facit languere corpus.
5. Propter Pœnam corporis est anima tristis.
6. Per nullum sensum habes tam magnam Pœnam, sicut per tactum.
7. Pœna spiritualis est maximè propter privationem finìs.
8. Pœna corporalis est maximè per contrarias complexiones.
9. In hac vita major Pœna est per mortem.
10. Nulla Pœna est tam magna, sicut Pœna inferni.

Infer-

11. Infernus est centrum omnium Pœnarum.
12. Frequenter cogita infernales Pœnas, ut ipsas timeas.
13. Ille fugit à Pœna, qui ipsam imaginatur.
14. Insequere gloriam, & fuge à Pœna.
15. Quò majorem Pœnam imaginaberis, eò majorem timorem habebis ab illa.
16. Non faceres peccatum, si imaginareris magnam Pœnam inferni.
17. Non imaginare Pœnam, quam non potes evitare.
18. Qui imaginatur Pœnam, quam non potest evitare, bis habet Pœnam.
19. Qui habet Pœnam & dat Pœnam, multiplicat suam Pœnam.
20. Pro Pœna, quam sustines propter justitiam, laudes & benedicas nostrum Dominum DEUM.

De Fine hujus Libri.

FInivit Raymundus sua Proverbia in Civitate Romana ad Gloriam & laudem nostri Domini DEI, in cujus custodia commendat hunc Tractatum & omnes alios, quos fecit propter illius amorem.

BEATI RAYMUNDI LULLI DOCTORIS ILLUMINATI ET MARTYRIS LIBER DE ANIMA RATIONALI.

DEUS cum tua Virtute incipimus *novum Librum de Anima Rationali.*

DE PROLOGO.

QUoniam Anima Rationalis est substantia invisibilis, sunt multi homines, qui de illa non habent cognitionem, & quia illam non cognoscunt, nesciunt ipsâ uti, nec sciunt ipsam ordinare ad finem, ad quem est creata, qui finis est recolere, cognoscere & amare DEUM; quapropter breviter volumus dare notitiam de Anima Rationali & de ejus naturalibus Principiis, & de ejus Operationibus naturalibus & moralibus, & facimus ejus Inquisitionem secundùm Regulas *Tabulæ Generalis.*

De Divisione hujus Libri.

HIc Liber est divisus in *decem Partes,* scilicet in decem Modos Quæstionum.

1. *Prima Pars* vel Modus est de *Utrùm,* scilicet quòd fiat quæstio, utrùm sit; & hæc prima Pars habet *tres Species:* per *primam Speciem* investigabimus, utrùm Anima rationalis sit, vel non; in *secunda Specie* investigabimus, utrùm sit à Creante, vel à Generante; in *tertia Specie* investigabimus, utrùm sit immortalis.
2. *Secunda Pars* est de Definitionibus, quia inquirit, *Quid* sit Anima; & hæc Pars est divisa in *quatuor Species:* in *prima Specie* quæritur, quid est Anima in se ipsa; in *secunda Specie* quæritur, quid habet Anima in se ipsa; in *tertia Specie* quæritur, quid est Anima in alio; in *quarta Specie* quæritur, quid habet Anima in alio.
3. In *tertia Parte* inquiritur, *De quo* est Anima, & hæc inquisitio est in *tribus Speciebus:* in *prima Specie* quæritur, utrùm de se ipsa sit liberè substantialiter; in *secunda Specie* quæritur, utrùm sit de alio materialiter; in *tertia Specie* quæritur, utrùm sit de alio possessivè.
4. In *quarta Parte* inquiritur, *Quare* est Anima; & hæc inquisitio fit sub *duabus*

bus Speciebus: prima Species est per existentiam, sicut quando quæritur, quare est homo? & respondetur: homo est, quia est compositus ex anima rationali & corpore. *Secunda Species* est per agentiam, scilicet per finem, sicut quando quæritur, quare est homo? & respondetur: homo est, ut recolat, intelligat & amet DEUM.

5. *Quinta Pars* quærit *de Quantitate* Animæ, & est in *duabus Speciebus: prima Species* quærit de simplici Quantitate, & *secunda Species* quærit de composita Quantitate.

6. *Sexta Pars* quærit *de Qualitate* Animæ, & est in *duabus Speciebus:* in *prima Specie* quæritur de Qualitate propria, & in *secunda Specie* de Qualitate appropriata.

7. *Septima Pars* quærit *de Tempore*, & est in *duabus Speciebus: prima Species* quærit de instanti & *nunc;* & *secunda Species* quærit de Successione.

8. *Octava Pars* quærit *de Loco*, & est in *duabus Speciebus: prima Species* quærit de Collocato, & *secunda Species* quærit de Collocante.

9. *Nona Pars* quærit *de Modo*, sicut quando quæritur, *quomodo* Anima intelligit, & hæc est in *duabus Speciebus: prima Species* quærit de Modo, quem Anima habet in se ipsa; *secunda Species* quærit de Modo, quem Anima habet in alio.

10. *Decima Pars* hujus Libri quærit de hoc, *Cum quo* Anima est agens vel patiens, & ponit actionem per *unam Speciem*, & passionem per *aliam*.

11. In his decem Modis Quæstionum generalium potest homo inquirere de omni totalitate Animæ, & potest respondere ad illam inquisitionem, secundùm quòd humanus intellectus est dispositus ad attingendum illas inquisitiones; & *secundùm quòd damus modum inquirendi Essentiam & Naturam Animæ, & ejus Actiones & Passiones per decem supradictas Partes, potest haberi modus & doctrina inquirendi Essentias & Naturas aliarum Creaturarum: & ideo iste Liber est multùm utilis omnibus illis, qui amant Scientiam.*

PARS I.

De Utrùm.

Prima Species primæ Partis.

QUæritur: *Utrùm Anima rationalis sit, vel non?* &, quòd Anima rationalis sit, volumus probare per *decem Rationes*, quarum hæc est prima.

1. DEUS ad imaginem Sanctæ Divinæ Trinitatis est objectabilis creaturæ tribus modis tantùm, scilicet per recolere, intelligere & amare DEUM, quia DEUS non potest videri nec tangi, cùm sit Substantia invisibilis & infinita; nec per ullam creaturam potest DEUS bonificari, æternari, possificari, & sic de aliis ejus Dignitatibus & Proprietatibus; & quia DEUS est memorabilis, creavit creaturam memorativam; & quia DEUS est intelligibilis, creavit creaturam intellectivam; & quia DEUS est amabilis, creavit creaturam amativam; & convenit, quòd hæ tres potentiæ activæ sint creatæ, ne DEUS faciat injuriam suæ memorabilitati, intelligibilitati & amabilitati, quibus feciſset injuriam, si non creaviſſet tres prædictas potentias activas, quia non esset, qui illas objectaret nec attingeret extra ejus Essentiam, id est, per creaturam. Sunt ergo tres potentiæ activæ, & illæ sunt Animæ rationalis, quæ est probata per necessitatem illarum, quæ sunt necessariæ, ût probavimus.

Et si aliquis dicit, quòd Angeli habeant illas tres prædictas potentias activas, & non oporteat, quòd Anima rationalis sit creata, postquam illi ipsas habent: respondemus ad hoc & dicimus, quòd conveniat, Animam rationalem esse creatam, & quòd habeat illas potentias, ut ipsa sit medium & instrumentum, per quod creaturæ corporales possint attingere suum finem in DEO, & in illo quiescere, cùm DEUS illas principaliter creaverit ad se ipsum, ut illarum finis sit magis nobilis; & quia Anima rationalis est conjuncta humano corpori, quod participat cum omnibus creaturis, attingente Animâ suum finem in DEO per memorare, intelligere & amare, attingit corpus suum finem in DEO, & in corpore illius hominis, qui suum finem attingit in DEO per beatitudinem, attingunt aliæ corporales creaturæ suum finem in DEO per illud corpus humanum

manum beatum & glorificatum, sicut corpora cœlestia & quatuor substantiæ mundi, videlicet quatuor elementa & illorum qualitates, & metalla, plantæ & animalia irrationalia; igitur convenit, quòd sit substantia spiritualis conjuncta humano corpori, quam appellamus Animam rationalem, ut corporales creaturæ habeant finem, in quo possint habere quietem.

2. Per experientiam scimus, quòd sint corporales substantiæ, quia ipsas sentimus per videre & tangere & per alios sensus: sicut lapis, qui est visibilis & tangibilis, & sic de aliis substantiis; & in his substantiis corporalibus DEUS posuit similitudines suarum Rationum: sicut corpus hominis, quod naturaliter est bonum, & ignis, & equus, & planta, & sic de aliis; & quia DEUS est bonus, Bonitas corporis est similitudo in specie Bonitatis DEI, & sic de aliis similitudinibus; unde, cùm DEUS sit substantia spiritualis, si ipse posuit suas similitudines in substantiis corporalibus, quantò magis secundùm suam ordinationem & suas Rationes convenit, quòd ipsas posuerit in substantiis spiritualibus, quæ meliùs possunt recipere similitudines illius, quàm corporales substantiæ; igitur probatum est, quòd sint spirituales substantiæ, quas appellamus Animas rationales.

3. Quidquid DEUS creavit, ordinatè creavit sinè ulla vacuitate ordinis, & quia ipse est magnus per suam Magnitudinem, & bonus per suam Bonitatem, & in se habet nullam parvitatem nec malitiam, meliùs ad ipsum pertinet producere magna bona, quàm parva; & quia ipse produxit substantias corporales per creationem, & Angelos, qui sunt substantiæ spirituales, si non produxisset substantiam compositam & conjunctam de essentia corporali & spirituali, quæ esset homo, esset vacuitas in ordine productionis, & essent duæ extremitates sinè medio, videlicet substantiæ corporales & substantiæ Angelorum, & non esset substantia in medio composita ex substantia spirituali & corporali, & DEUS haberet majorem proprietatem in producendo parvas substantias in Bonitate, quàm magnas, quod est impossibile & contra magnam operationem, quam habet in Bonitate suî ipsius per Generationem & Spirationem Divinarum Personarum.

4. Si Anima rationalis non est, omne, quod est in homine, est corporale vel accidens corporis, & illa potentia, quæ est magis propinqua spiritualitati, est Imaginatio hominis, quia ipsa est altior, quàm Elementativa, Vegetativa & Sensitiva; & homo, qui imaginatur antipodes, secundùm naturam imaginationis judicat, quòd antipodes debeant cadere deorsum; veruntamen homo sapiens considerat, quòd illud cadere esset ascendere, & corpora illorum, quæ sunt gravia, ascenderent sursum contra naturam; igitur convenit, quòd in homine sit aliqua potentia spiritualis, cum qua transcendat imaginationem, quæ falsè judicat, quæ potentia spiritualis judicet secundùm veritatem; igitur illa potentia est Anima rationalis, cum qua homo transcendenter intelligit veritatem supra falsum judicium imaginationis.

5. Solus homo agit contra naturam, quia nullum animal irrationale occidit se ipsum, & aliqui homines occidunt se ipsos, & solus homo est sodomita, & solus homo jejunat, & solus homo habet verecundiam mingendi coram alio, & habet verecundiam intrandi ad mulierem coram alio, & sic de aliis rebus similibus istis; igitur convenit, quòd in homine sit aliqua substantia altior, quàm substantia irrationalium, & quæ non sit de essentia corporali: quia si non esset, sequeretur naturam & modum irrationalium; & hanc substantiam appellamus Animam rationalem, cum qua homo constringit naturam corporis, ût diximus.

6. Solus homo habet libertatem faciendi bonum, & faciendi malum, & illam libertatem habet secundùm comparationem corporis principaliter & primariò in voluntate; & si in homine non est Anima rationalis, voluntas est de essentia corporis & de ejus natura, & per consequens ejus libertas; & quia omne, quod est in corpore, est naturale, & libertas est supra naturam corporalem, sequitur, quòd libertas sit naturalis & non naturalis, & hoc est contradictio, quæ non potest stare; igitur Anima rationalis est, quæ est substantia spiritualis, de qua est voluntas, quæ supra naturam corporalem habet libertatem.

7. Solus homo considerat genus & speciem, & facit scientiam discurrendo, secundùm quòd habemus experientiam; hoc homo non posset facere sinè Anima rationali,

nali, quæ considerat substantias in abstracto, & de universalibus, quæ considerat, trahit particularia, & hoc facit per modum intellectûs; hoc non possunt facere irrationalia, quia non faciunt Libros, nec computant, nec habent martellum nec acum, nec ollam nec scutellam, & sic de aliis, quæ pertinent ad alias Artes mechanicas; igitur Anima rationalis est in homine, cum qua transcendit irrationalia, ût diximus.

8. Solus homo habet morales virtutes & vitia, & per virtutes est dignus bono, & per vitia malo, & sic est subjectus Justitiæ DEI; hæc non habet ullum animal irrationale, nec homo posset illa habere sinè Anima rationali; igitur Anima rationalis est, ratione cujus homo lucratur virtutes, vel habet habitus vitiorum, & est subjectus Judicio DEI.

9. Si in homine non est Anima rationalis, homo non est creatus ad finem spiritualem, sed ad corporalem, & omne id, quod considerat de fine spirituali, est falsum, per quam falsitatem acquirit virtutes, & fugit à vitiis, & per realem veritatem acquirit vitia, & fugit à virtutibus, quod est impossibile & contra intelligibilitatem; igitur in homine est Anima rationalis, cum qua se habet ad finem spiritualem.

10. Si in homine non est Anima rationalis, suus intellectus est de naturâ corporali, & sequitur, quòd homo intelligat per naturam, sicut videt & audit per naturam, quod est impossibile & contra experientiam, quam habemus; nam multi homines vident & audiunt multa per naturam, quæ non intelligunt, sed intelligunt illa supra naturam, sicut miracula, creationem, resurrectionem, & alia his similia; & homo, qui tenet oculos clausos, & nihil audit, intelligit, vel potest intelligere; igitur intelligere est alterius naturæ & altioris, quàm natura corporis, & illam appellamus Animam rationalem. *Omnem quæstionem, quam facimus de Anima, intendimus facere de Anima rationali.*

1. Quæritur: *Utrùm, postquam Anima rationalis est, possit non esse?* Solutio: Anima est ad amandum & cognoscendum DEUM, & ideo secundùm finem non habet à sua natura libertatem, quòd possit non esse, quia finis, propter quem est, sustinet ipsam in esse; sed quia est de *non esse*, secundùm suam naturalem existentiam potest non esse: sicut scyphus vini, quem homo tenet in manu, ut ipsum bibat, qui secundùm finem non potest cadere in terram, sed in quantum est ponderosus, si homo dimitteret scyphum, posset cadere in terram.

2. Quæritur: *Utrùm Anima sit magìs propter suum finem, quàm propter finem alterius?* Solutio: Si Anima rationalis magìs esset propter hoc, ut esset, quàm propter amare & cognoscere DEUM, suum *esse* esset magìs nobile, quàm actus, quem haberet in amare & cognoscere DEUM, & haberet in se ipsa quietem, & non in DEO, quod est impossibile; quia nulla substantia, quæ est de *non esse*, potest in se ipsa simpliciter habere quietem; igitur Anima rationalis principaliter est ratione finîs DEI, & non ratione sui proprii finîs: sicut martellus, qui est propter finem clavi, & non propter suum proprium finem.

3. Quæritur: *Utrùm DEO sit necessarium, quòd Anima rationalis sit?* Solutio: DEUS est tam perfectus in seipso, quòd extra se non habet ullam necessitatem, ita, & multò meliùs, sicut sol, qui est tam plenus luce, quòd non habet necessitatem ullius lucis, quæ sit extra illum; sed quia est dignum, quòd DEUS monstret suas Perfectiones, secundùm quòd quælibet dignitas requirit, *esse* Animæ est necessarium, ut attingat illas Dignitates memorando, cognoscendo & amando, sicut est necessarium, quòd inferiora corpora habeant passiones, ratione quarum possint recipere beneficium à Sole, qui habet naturam & proprietates, quòd in inferiora influat virtutes & impressiones.

4. Quæritur: *Utrùm DEUS posset creare substantias corporales, si non creasset Animas rationales?* Solutio: Cùm DEUS sit totus perfectus, & ipse sit Concordantia suarum Rationum sinè aliqua Contrarietate, quæ Rationes sunt sua Bonitas, Magnitudo, Æternitas, Potestas, Sapientia, Voluntas, Virtus, Veritas, Gloria, Finis & aliæ similes istis, non posset creare substantias corporales, si non creasset Animas rationales; nam in illo non concordarent suæ Rationes in creando illas substantias corporales, quia crearet illas ad finem alterius, & non ad finem suî ipsius, quod est impossibile, & contra hoc, quod suprà probavimus, in quantum diximus,

mus, quòd conveniat, Animam rationalem esse, ut per ipsam corporales substantiæ attingant finem in DEO, propter quem sunt: sicut Rex, qui est justus, qui utendo suâ justitiâ non potest esse contra finem illius.

5. Quæritur: *Utrùm de* esse *Animæ sequatur major finis, quàm de* esse *Angeli?* Solutio: *Intensivè* substantia Angeli est magìs nobilis, quàm substantia Animæ; & hoc est ideo, quia Angelus est, ut ipse sit, & Anima est, ut sit homo; quare, in quantum ad hoc, habet Angelus nobiliorem finem, quàm Anima; sed *extensivè* per Animam sequitur major finis, quàm per Angelum; nam per Animam corporales substantiæ possunt habere quietem, ût jam superiùs diximus, supposito, quòd Angelus non esset: *sicut aurum, quod intensivè est magìs nobile metallum, quàm ferrum, sed quia ferrum servit pluribus rebus, quàm aurum, finis ferri est magìs necessarius, quàm finis auri.*

6. Quæritur: *Utrùm Anima sit magìs principaliter propter suam essentiam, quàm propter suum finem?* Solutio: In quantum Anima est de suis naturalibus principiis, est propter essentiam, & in quantum suus finis est supra sua naturalia principia, scilicet DEUS, in quo Anima beata habet finem, est magìs propter suum finem, quàm propter suam essentiam: sicut camera, quæ est magìs propter finem habitandi, quàm propter suam essentiam; nam priùs in intentione hominis & in suo desiderio fuit habitatio, quàm camera, cùm ipse magìs participet cum habitatione, quàm cum camera.

7. Quæritur: *Utrùm Anima possit esse æterna, scilicet, quòd sit in Duratione, quæ non habet principium nec finem?* Solutio: Nulla Anima potest habere infinitam Potestatem, nam si illam posset habere, posset esse æqualis Potestati DEI, quæ est infinita; quare, postquam potestas Animæ secundùm suam speciem non potest esse simpliciter infinita in se ipsa, non potest esse potentia infinitæ Durationi, quæ per ipsam possit esse infinita sinè principio & sinè fine; nam si posset esse, Potestas posset esse magìs perfecta in alia specie, quàm in sua propria specie, quod est impossibile: sicut est impossibile, quòd Bonitas habeat majorem Potestatem in esse ratio boni secundùm speciem Durationis, quàm secundùm se ipsam; igitur Anima non potest esse æterna.

8. Quæritur: *Utrùm per hoc, quia Anima rationalis est, sequatur aliquod inconveniens?* Solutio: De nulla re producta à DEO potest sequi aliquod inconveniens; & hoc est, quia, quidquid DEUS producit, producit secundùm finem, qui est perfectio illius productionis; & quia DEUS producit Animam, non potest sequi inconveniens de *esse* Animæ; sed hoc, de quo sequitur inconveniens, est ideo, quia illud *esse* est perversum contra finem, propter quem est: sicut homo, de cujus *esse* sequitur inconveniens, si est amator mali, & osor boni, cùm ipse sit creatus ad faciendum bonum, & non ad faciendum malum.

9. Quæritur: *Utrùm de præsentia Animæ sequatur major perfectio, quàm de ejus absentia imperfectio, supposito, quòd esset in privatione?* Solutio: Esse & Perfectio conveniunt, & Imperfectio & Privatio; & quia habitus sunt de majori positione, quàm privationes, sequitur per illos plus de Perfectione per ens positivum, quod est Anima, quàm sequeretur de Imperfectione per privationem illius entis: sicut de Anima beata, de qua sequitur major Perfectio, quàm de Anima damnata Imperfectio.

10. Quæritur: *Utrùm aliqua Anima possit desiderare privationem sui esse?* Solutio: Anima habet majorem actum in amando, quàm in odiendo, & hoc est ideo, quia amare est nobilior actus, quàm odire; & ideo Anima ordinata & non perversa non potest odire suum *esse*, sed Anima perversa, quæ est contra finem sui *esse*, potest plùs odire quàm amare; nam si non posset plùs odire, quàm amare, ejus actus non essent contrarii actibus Animæ ordinatæ; igitur illa Anima perversa potest odire suum *esse*, sicut homo, qui habet tantam iram, quòd occidat se ipsum, vel percutiat se ipsum, vel blasphemet se ipsum.

Secunda Species primæ Partis.

Quæritur: *Utrùm Anima rationalis sit à Creante, vel à Generante?* Per *decem Rationes* volumus probare, quòd Anima rationalis sit à Creante, & non à Generante, scilicet, quòd sit creata, & non generata; quarum decem Rationum hæc est prima.

1. Anima est libera secundùm suam naturam, & hoc apparet in voluntate Martini vel alterius, nam nullus alius homo potest constringere voluntatem Martini, quòd non amet hoc, quod vult amare, nec ullus homo potest intellectum illius constringere, quòd non intelligat hoc, quod voluntas vult, quòd intelligat; & hoc idem est de memoria, quam alius homo non potest constringere, quòd non recolat hoc, quod voluntas vult, quòd recolat; igitur manifestum est, quòd Anima sit libera in suis simplicibus potentiis; ergo est creata, & non generata; nam, si esset generata, non haberet libertatem in suis simplicibus potentiis, quia naturaliter se haberet ad objecta, quæ caperet, & non liberè: sicut Sensitiva, quæ naturaliter se habet ad objecta, quæ capiunt sui particulares sensus: sicut oculi, qui naturaliter attingunt colorem, & aures sonum, & sic de aliis sensibus; & hoc est ideo, quia est generata, & capit naturam à suis parentibus, de quibus nascitur & procedit.

2. Si Anima esset generata, nasceretur de corruptione, & senescceret; quia nulla res generata in his inferioribus potest nasci nec esse sinè corruptione illorum, de quibus est; sed Anima rationalis non senescit, nec per senectutem corporis est senex; & hoc apparet in homine sapiente, qui est senex, qui habet plus scientiæ, quàm quando erat juvenis; igitur Anima illius hominis sapientis non est generata, sed est creata.

3. Si Anima esset generata, & non creata, haberet suum finem in hoc mundo, sicut Sensitiva, quæ habet suum finem in sentiendo, & Vegetativa in vegetando; sed Anima rationalis non habet suum finem in hoc mundo, nam iste mundus non potest illam satiare, quia semper vult magìs (quàm sensus, qui objectum suum sentit) amare, intelligere & memorare hoc, quod amat, intelligit & memorat, vel aliam rem: sicut homo, qui est saturatus comedendo, & non desiderat plus comedere in illa hora; & hoc idem est de voce, de qua est saturatus, quia non vult ampliùs audire; & hoc est ideo, quia Sensitiva habet parentes, qui illi dant certos terminos sentiendi & terminatas potentias: hoc idem fecissent primi Parentes Animæ rationali, si esset generata, quæ quiescceret in terminis & in potentiis, quas primi Parentes illi dedissent; & ita illi sufficeret unum ens in mundo ad amandum, intelligendum & memorandùm, sicut sensui sufficit unum sensibile objectum; igitur probatum est, quòd Anima sit à Creante, & non à Generante.

4. Si Anima esset generata, & non creata, omnia sua opera essent naturalia, & non posset habere ullum opus morale, scilicet justitiam, prudentiam, & sic de aliis virtutibus, quæ non acquiruntur secundùm naturalem cursum; nam si acquirerentur secundùm naturalem cursum, pater ita in filium transmitteret justitiam & prudentiam, sicut in illum transmittit colorem & os, & omnes homines essent sapientes & justi, quod est impossibile, secundùm quòd habemus experientiam; nam sunt multi homines, qui non sunt justi nec sapientes; igitur Anima rationalis non est à Generante, sed à Creante.

5. Si Anima esset per generationem, & non per creationem, esset cum successione & cum motu, & esset substantia corporalis; quia convenit, quòd omnis substantia, in qua est successio & motus, sit corporalis, & nos probavimus, quòd sit Anima rationalis, quæ est substantia spiritualis; igitur Anima est per creationem, & non per generationem.

6. Si Anima esset generata, esset generata per divisiones partium, & per transmutationem partium specierum veterum in novas: sicut de pane, de quo generatur caro, dimittentibus partibus panîs speciem panîs, capiendo sustentationem in alia specie, & species panîs non habet subjectum, in quo possit remanere; & secundùm hoc sequeretur, quòd partes spirituales possent dimittere quasdam species, & accipere alias species per divisionem partium in partes, quod est impossibile; igitur Anima rationalis est per creationem.

7. Si Anima rationalis esset per generationem, haberet parentes, & naturaliter non odiret aliquem de suis parentibus, nec plùs diligeret alium, quàm suos parentes; & de hoc videmus contrarium, quia multi homines odiunt suos parentes, & magìs amant alios, quàm suum patrem & suum fratrem; igitur Anima non est generata, sed creata.

8. Si Anima esset generata, semper plùs diligeret suas perfectiones, quàm perfectiones corporis, sicut Sensitiva, quæ habet majorem appetitum ad sentiendum, quàm ad vegetandum; & quia multæ Animæ magìs amant perfectionem corporis, cum quo sunt conjunctæ, quàm suam perfectionem: sicut homo, qui magìs amat comedere & bibere & videre placentes figuras, quàm justum memorare, intelligere & amare; igitur Anima non est generata.

9. Si Anima esset generata, non posset vivere per suas intrinsecas perfectiones, nisi illi veniret extrinsecum nutrimentum ab aliis partibus non conjunctis cum illa: sicut sensitiva hominis, quæ non potest vivere, nisi homo comedat & bibat res, quæ veniunt ab extra, quas ponit ad intrà, & de quibus capit nutritionem & sustentationem, & hoc facit, quia est generata; igitur Anima moreretur, si esset generata, vel conveniret, quòd viveret de aliis partibus corruptibilibus, transmutando illas in suam speciem spiritualem; & si moreretur, non posset redire in suómet numero, quia partes spirituales privatæ non habent, in quo sustententur; & si Anima moreretur, non remuneraretur, si fecisset bonum, nec puniretur, si fecisset malum, post suam mortem, quia nihil esset; & DEUS in hac vita esset injustus erga multas Animas, quæ in hac vita habent multas adversitates, & ipsæ sunt justæ; & si DEUS illas vellet reproducere post mortem illarum, non posset illas reproducere in illo eodem numero, nam creatio unius & ejusdem substantiæ esset bis, quod est impossibile; igitur Anima rationalis non moritur, sed vivit per suam vitam, quæ est una suarum partium simplicium, & est spiritualis, quæ non convertit partes corporales in speciem spiritualem, quæ Anima ita vivit per suam vitam, sicut amat per suam voluntatem.

10. Si Anima, quæ est substantia spiritualis, esset generata, esset substantia spiritualis de spirituali substantia, sicut corporalis substantia Martini, quæ est de corporali substantia sui patris, & substantia clavi, quæ est de substantia ferri; & esset substantia generabilis, quæ esset corruptibilis cum voluntate generantis, sicut substantia corporis, quæ est corruptibilis cum quatuor generalibus qualitatibus, scilicet calore &c.; quod est impossibile, quòd voluntas generantis velit, quòd aliqua suarum partium sit in privatione, quia naturaliter vellet contra suam propriam essentiam, quod est impossibile.

1. Quæritur: *Utrùm DEUS creaverit Animam cum motu?* Solutio: Probavimus, quòd Anima sit, & quòd sit ens spirituale, & motus non pertinet, nisi ad substantiam corporalem, quæ in movendo sit occupans unum locum, & postea alium; quare in creatione substantiæ spiritualis non est necessarius motus, sicut homini non est necessarius motus, quando vult recolere, intelligere & amare aliquod objectum; quapropter, quando DEUS vult creare animam, vult, quòd Anima, quæ non erat, sit sinè motu, cùm de *non esse* ad *esse* non sit motus; sed *esse* creatum est statim, quando hoc vult Creator.

2. Quæritur: *Utrùm DEUS posset facere, quòd Anima rationalis esset generata?* Solutio: Quælibet creatura secundùm suam speciem requirit suas proprias & naturales conditiones, sicut piscis requirit habitationem in aqua, & salamandra in igne, & talpa in terra, & chamæleon in aëre; unde, sicut DEUS non posset facere, quòd piscis viveret sinè aqua, & salamandra sinè igne, & talpa sinè terra, & chamæleon sinè aëre; ita vult DEUS, quòd quodlibet istorum vivat secundùm suas conditiones & suum proprium locum, quia aliter sequeretur contradictio; ita DEUS non posset facere, quòd Anima rationalis, quæ non est ens corporale, posset corporaliter generari, nam haberet corpus & non corpus, quod esset contradictio in Anima, & etiam in Voluntate DEI, quæ vellet, quòd esset de natura corporali, & quòd non esset de natura corporali.

3. Quæritur: *Utrùm homo possit generare Animam rationalem generando alium hominem in humana natura, cùm DEUS Pater generet DEUM Filium in Divina Natura, qui Filius est Substantia spiritualis?* Solutio: Quia DEUS Pater generat DEUM Filium de se ipso, & non de alio, & DEUS Pater est Substantia spiritualis, potest generare Filium in Divina Natura, quæ est Substantia spiritualis; veruntamen non posset illum generare, si Pater esset una Substantia, & Filius alia, quia essent differentes substantiæ & multæ, & DEUS non esset Unus tantùm, sed essent multi dii, quod est impossibile; ût probavimus in *Libro de Articulis*. Simili modo homo non potest generare Animam rationalem, nam non generaret ipsam de sua humanitate; quia, si

si homo illam generaret, Anima rationalis esset homo, quod est impossibile, in quantum pars non potest esse suum totum.

4. Quæritur: *Utrùm unus intellectus possit generare alium intellectum, postquam generat intelligere?* Solutio: Sicut in essentia Bonitatis sunt tria concreta realia, quæ sunt de sua specie, videlicet bonificans, bonificabile & bonificare, ita in essentia humani intellectûs sunt tria concreta realia, quæ sunt de sua essentia, quæ sustentatur in illis, & omnia illa concreta realia sunt necessaria, ut sit unus intellectus specialis, scilicet unus intellectus Martini, vel alius intellectus alterius hominis; & quia intellectus non multiplicatur ab alio, de quo capiat augmentum, sicut planta, quæ capit augmentum de hoc, quod illi venit ab extra per nutrimentum, & etiam quia intellectus est terminatus & finitus; idcirco non potest generare nec multiplicare alium intellectum de se ipso; & intelligere, quod generat, est species phantastica, quam facit de similitudinibus objecti & de suis propriis, quod intelligere non est de sua essentia.

5. Quæritur: *Utrùm Angelus possit producere Animam?* Solutio: Secundùm quòd jam diximus de intellectu hominis, qui non potest generare alium intellectum, sequitur, quòd Angelus non possit producere Animam de sua essentia, cùm sit terminatus & finitus, & non recipiat multiplicationem ab alio, nec etiam possit producere Animam de alia essentia, cùm sit probatum, quòd Anima sit à Creante, & non à generante; nec de nihilo potest illam producere, quia esset illius creator, & essent multi creatores, scilicet DEUS & Angeli, quod est impossibile & contra supremas Perfectiones & Proprietates DEI.

6. Quæritur: *Utrùm Anima possit producere se ipsam?* Solutio: Nullum ens potest producere se ipsum, cùm illud in uno & eodem tempore non possit esse & non esse; & si Anima posset producere se ipsam, posset esse, antequam esset, in quantum in ipsa esset potestas, cum qua posset producere se ipsam, & illa potestas esset, antequam ipsa Anima esset, & sic non esset de ejus essentia.

7. Quæritur: *Utrùm Anima, priusquàm est creata, sit in potentia, & per creationem deveniat in actum?* Solutio: In substantiis corporalibus elementatis secundùm naturam generationis & corruptionis corporales substantiæ sunt in potentia in aliis substantiis, quæ sunt in actu, sicut flos pomarii, qui est in potentia in pomario, priusquàm floreat; sed in creatione non est ita, quia ipsa non est subjecta generationi & corruptioni, sed productioni creaturæ productæ de *non esse* in *esse*, quæ creatura non esset producta de *non esse* in *esse*, si, antequàm produceretur, esset in potentia; nam si esset in potentia, esset aliquid.

8. Quæritur: *Utrùm Creatio Animæ sit DEI & illius ejusdem Animæ, vel unius tantùm?* Solutio: Sigillum relinquit in cera similitudines suarum essentialium literarum, quin literæ ceræ sint de essentia literarum sigilli, sed sunt similitudines & impressiones illarum literarum; similiter in creatione DEUS imprimit suas similitudines in creaturis, non, quòd creaturæ sint de essentia DEI, sed sunt similitudines illius, secundùm quòd ejus similitudines possunt recipere & sustinere; & ideo creatio secundùm modum actionis est Creatoris, & secundùm modum passionis creaturarum.

9. Quæritur: *Utrùm DEUS possit cogere liberum arbitrium Animæ?* Solutio: Nullum corpus posset esse corpus, si ab illo removeretur aliqua pars necessaria suo *esse*, sinè qua ipsum non posset esse: sicut forma, vel materia, vel quantitas, & sic de aliis ejus necessariis partibus; & quia Anima rationalis est creata cum libero arbitrio, quod est una ejus partium, ut cum illa parte possit liberè memorare, cognoscere & amare DEUM: si illa pars ab illa removeretur, ipsa non posset esse; quæ pars ab illa removeretur, si de necessitate deberet memorare, intelligere & amare DEUM, vel aliquid aliud, & non liberè.

10. Quæritur: *Utrùm DEUS posset creare Animam de contrariis?* Solutio: Si Anima esset creata de contrariis, posset esse à generante per modum generationis & corruptionis, sicut corpus elementatum, in quo sunt quatuor qualitates contrariæ, scilicet calor & frigus, humiditas & siccitas, & nos jam probavimus, quòd Anima non possit esse à generante; & etiam, si DEUS creasset contrarias partes in Anima, Anima non posset liberè memorare, intelligere & amare DEUM; nam libertati resisterent contrariæ partes, aliis partibus resistentibus aliis; & ideo DEUS secundùm finem & ordinem, ad quem creavit Animam, non potest creare contrarias partes in Anima, nam sua Potestas non potest contra finem & ordinem illius, quod sua Sapientia scit, & quod sua Voluntas vult, & quod sua Veritas ponit in vero, & sua Virtus in Virtute, & sua Bonitas in Bonitate, & hoc idem de Magnitudine & Æternitate.

Tertia Species primæ Partis.

PEr *decem Rationes* intendimus probare, quòd Anima rationalis sit immortalis, & non intendimus loqui de mortalitate, quæ est in Anima per peccatum, sed de immortalitate essentiali.

1. Anima est immortalis per suam propriam naturam, quam habet per creationem, in quantum non est creata de contrariis, ût jam diximus; quare, sicut Sol est incorruptibilis, & sua lux est permanens, quia est creatus sinè contrariis partibus, ita Anima est immortalis, & sua accidentia naturalia sunt permanentia, quia non est de contrariis.

2. Anima est immortalis ratione finîs, ad quem est creata; nam ipsa est creata ad memorandum, intelligendum & amandum DEUM, & Memorabilitas, Intelligibilitas & Amabilitas DEI conveniunt cum Æternitate, ût jam diximus; & ideo finis memorativitatis, intellectivitatis & amativitatis convenit cum Æternitate, per quam convenientiam in Anima sequitur immortalitas.

3. Si Anima non esset immortalis, corporales creaturæ non possent attingere suum finem in DEO, ex quo sequeretur magnum inconveniens, ût jam diximus; igitur Anima est immortalis, ut corporales creaturæ per Animam conjunctam cum humano corpore possint attingere suum finem in DEO; nam, si esset mortalis, inde sequeretur inconveniens, quod diximus, & corporales creaturæ non essent creatæ ad permanentem finem.

4. Anima est nobilior creatura, quàm ullum corpus; & hoc est, quia meliùs potest accìpere similitudines DEI, cùm DEUS sit Ens spirituale, & Anima similiter; unde, si Anima est immortalis, ut finis corporalium creaturarum sit permanens, bene sequitur, quòd ipsa sit immortalis, ut suus finis sit permanens; nam, si esset mortalis, magìs nobilis essentia non haberet tam magnam concordantiam cum permanentia, sicut minùs nobilis; quod est impossibile.

5. DEUS est justus, & sua Justitia requirit, quòd Anima sit immortalis, ut possit habere permanens subjectum, in quo bonam Animam possit judicare ad æviternam beatitudinem, & malam ad æviternam pœnam; & si Anima esset mortalis, in illius mortalitate Justitia DEI ageret contra se ipsam in hoc, quòd faceret contra hoc, quod requirit suum Judicium; & quia Justitia DEI non potest injuriare se ipsam, convenit, quòd Anima sit immortalis.

6. Divina Bonitas & Æternitas habent Concordantiam in bona Anima; nam, sicut Bonitas requirit subjectum, in quod possit influere beatitudinem, ita Æternitas requirit subjectum bonum, in quod possit influere æviternitatem, quæ est ejus similitudo; &, si Æternitas non conservaret Animam in æviternitate, non haberet Concordantiam cum Divina Bonitate, sed esset illi contraria, quæ Contrarietas est impossibilis; igitur Anima est immortalis.

7. Id, propter quod corpus animalis est mortale naturaliter, est, quia non potest vivere de suis partibus essentialibus, nam suum humidum radicale non potest vivere sinè humido nutrimentali, quod venit ab extra: sicut equus, qui non posset vivere sinè comedere & bibere; & quia Anima est tota sua species, & in vivere non habet necessitatem de rebus extrinsecis, quia omnes suæ partes vivunt ab intrà per vitam, quæ est una suarum partium, quæ non vivit de humido nutrimentali; ideo Anima est immortalis, & ita est viva per vitam, quæ est una suarum partium, sicut Sol est rotundus per circulum, qui est una suarum partium.

8. Corpus elementatum potest destrui per tangere, sicut lapis per percutere, & planta per scindere, & corpus animalis per vulnerare; & quia Anima rationalis est spiritualis, non potest percuti, scindi vel vulnerari, & ideo non est, qui illam possit occidere cum corpore: nec bonus nec malus Angelus potest illam destruere nec occidere, cùm nulla substantia, quæ sit tota sua propria species, possit destrui per similem substantiam, quæ sit sua propria species, quia nulla species destruit aliam; igitur Anima est immortalis, postquàm non est, qui

qui illam poſſit deſtruere corporaliter nec ſpiritualiter; nec DEUS poteſt illam deſtruere, quia faceret contra finem, ad quem illam creavit, ût jam diximus.

9. Nulla Anima poteſt deſtruere nec occidere ſeipſam, nam ipſa eſt de vita, & non de morte, & non poteſt occidere ſuam vitam, quin in ſe ipſa habeat mortem, quæ ſit una ſuarum ſubſtantialium partium, & major & fortior, quàm ſua vita; & nos jam probavimus, quòd Anima non ſit de contrariis; igitur Anima eſt immortalis, poſtquàm ipſa ſe non poteſt occidere, nec aliud poteſt illam occidere, ût jam probavimus.

10. Anima eſt de partibus, quæ concordant aliæ cum aliis: ſicut ſua naturalis Bonitas, quæ habet Concordantiam cum ſua naturali Magnitudine, & ſic de aliis; & nulla ſubſtantia, quæ eſt de concordantibus partibus ſinè contrariis partibus, poteſt eſſe mortalis nec deſtrui; igitur Anima eſt immortalis & permanens ſecundùm curſum naturalem ſpiritualem.

1. Quæritur: *Utrùm Anima per peccatum mortale poſſit perverti de naturali immortalitate in mortalem naturam?* Solutio: Anima eſt creata ad bonum finem, ût diximus, & ſecundùm nobilitatem illius finîs eſt poſita in natura; igitur Anima exiſtens naturata in natura illius finîs conſervatur propter finem; ergo convenit, quòd, ſi per peccatum eſt contra illum finem, pervertatur in contrariam naturam, quæ contraria natura eſt per peccatum inclinata ad *non eſſe*, quia non eſt digna, quòd ſit, nec quòd habeat beneficium ullius rei dignæ ipſo *eſſe;* ſed, ut ſit ſubjecta Juſtitiæ DEI, & ne corporales ſubſtantiæ perdant ſuum finem in privatione Animæ, non poteſt Anima mori, etſi per peccatum habeat naturam moriendi: ſicut, ſi quidam homo eſſet in igne, qui per naturam illius ignîs haberet naturam, quòd combureretur, ſed Juſtitia DEI poſſet illum ſuſtentare, ut diu puniretur propter peccatum, quod fecit.

2. Quæritur: *Utrùm Anima propter hoc, quia eſt creata de* non eſſe, *habeat naturam revertendi ad* non eſſe? Solutio: Si Anima eſſet creata de *non eſſe* ſinè aliquo fine & utilitate, privatio finîs eſſet cauſa, propter quam Anima reverteretur ad *non eſſe;* ſed propter præſentiam finîs non poteſt reverti in *non eſſe:* ſicut homo, qui ſcribit, & errat in hoc, quod ſcribit, cognito illo errore deſtruit illam ſcripturam, quia ſcriptura erat contra finem, ſecundùm quem intendebat ſcribere; ſed, ſi ſcriptura habet concordantiam cum fine, ſcriptor amans finem, propter quem ſcribit, non poteſt deſtruere ſcripturam.

3. Quæritur: *Utrùm* (cùm homo poſſit occidere ſe ipſum, & Anima ſit pars hominis) *poſſit occidere ſuam Animam, poſtquam poteſt occidere ſe ipſum?* Solutio: Homo eſt compoſitus de Anima & corpore, & corpus & Anima differunt per eſſentiam, & homo non poteſt tangere nec vulnerare Animam, ût jam diximus; & ideo non poteſt occidere omnes ſuas partes, &, ſi occidit corpus, non ſequitur, quòd occidat Animam.

4. Quæritur: *Utrùm aliqua partium eſſentialium Animæ poſſit mori?* Solutio: Probavimus, quòd Anima non ſit de contrariis, & quòd omnes ſuæ partes habeant Concordantiam, & ideo nulla ſuarum partium poteſt mori, poſtquam Contrarietas non habet locum, quòd ſit occaſio ad mortem alicujus partis Animæ rationalis.

5. Quæritur: *Utrùm, quando homo moritur, Anima habeat pœnam quæ in ipſa ponat impreſſionem mortalitatis?* Solutio: Anima & corpus ſunt partes hominis, & quia totum eſt finis partium, videlicet homo, per mortem hominis eſt impreſſio mortis in Anima, quæ impreſſio mortis eſt pœna, quam Anima ſuſtinet, quia ſeparatur à corpore, & totum devenit in privationem.

6. Quæritur: *Utrùm mortuis organis corporalibus moriantur actus potentiarum Animæ?* Solutio: Faber, qui cum martello facit clavum, vult facere clavum, poſtquam ipſum facit; &, ſi perdit martellum, per hoc non ſequitur, quòd ipſe non velit facere clavum, & quòd non ſciat illum facere; igitur remanet habitus ferrariæ in potentiis Animæ, quamvis perdantur inſtrumenta ferrariæ.

7. Quæritur: *Utrùm Anima, quando eſt ſeparata à corpore, ſit ita nobilis & perfecta, ſicut erat, quando erat conjuncta in corpore?* Solutio: Quamdiu Anima eſt conjuncta cum corpore, eſt in fine, propter quem eſt, ſcilicet, quòd de ipſa & de corpore ſit homo, & illa ſua exiſtentia finîs eſt in actu, & quando eſt ſeparata à corpore, ille finis manet in potentia; quapropter, quantò nobilior eſt actus, quàm id, quod eſt in potentia, in tantum Anima deterioratur per mortem hominis; ſed, in quantum remanet in ſuis partibus & in ſua eſſentia, & ſtat ad finem, ad quem eſt creata, ſcilicet ad memorandum, intelligendum & amandum DEUM, non capit deteriorationem per mortem corporis.

8. Quæritur: *Utrùm Anima, quando homo eſt mortuus, poſſit imaginari corpus, in quo erat?* Solutio: Sicut Anima conjuncta cum corpore retinet objecta ſenſualia in imaginatione, ita, quando homo eſt mortuus, retinet objecta imaginabilia in ſuis potentiis, & ideo poteſt attingere objecta imaginabilia memorando, intelligendo & amando ſinè organo imaginationis.

9. Quæritur: *Utrùm, quando corpus moritur, Anima conjuncta cum corpore moveat corpus ad mortem?* Solutio: Nullus finis eſt contra ſe ipſum, & ideo Anima, quæ habet ſuum finem cum ſocietate corporis conſtituendo hominem, non movet corpus ad moriendum, imò reſiſtit morti, quantum poteſt; ſed, quia organa corporalia corrumpuntur, ratione corruptionis elementati non poteſt remanere cum corpore, ſicut vinum non poteſt remanere in amphora, quando eſt fracta.

10. Quæritur: *Utrùm Anima, quando eſt ſeparata à corpore, ſecum deferat mores, quos habebat in corpore?* Solutio: Omnis bonus mos eſt ad lucrandum meritum boni, & omnis malus mos eſt ad privandum meritum boni, ex quo ſequitur meritum mali; igitur acquiſito merito boni vel mali non ſunt neceſſarii mores, ſicut facto cultello non eſt illi neceſſarius martellus.

PARS II.

De Quid.

Prima Species ſecundæ Partis.

1. Quæritur: *Quid eſt Anima rationalis in ſe ipſa?* Solutio: Anima rationalis eſt illa pars hominis, per quam memorat, intelligit & amat; nam, ſicut ignis calefacit cum calore, ita homo memorat, intelligit & amat cum Anima & per Animam.

2. Anima eſt ſubſtantia ſpiritualis conjuncta cum ſubſtantia corporali, cum qua conſtituit hominem; nam, ſicut in pipere vel in alia medicina, quæ eſt magìs calida, quàm ſicca, ignis conſtituit alias qualitates in eſſe calefactum, ita Anima conſtituit corpus in eſſe hominificatum; & ideo dicitur forma corporis, & convenit, quòd ipſa ſit ſubſtantia, poſtquam eſt forma corporis.

3. Anima eſt ſubſtantia, quæ informat corpus ad vegetandum & ad ſentiendum, nam ipſa movet vegetativam ad vegetandum, & ſenſitivam ad ſentiendum, ſicut calor ignîs movet aquam calidam in olla ad calefaciendum, & voluntas movet hominem ad amandum; & ideo Anima naturaliter eſt Domina corporis.

4. Anima eſt ſubſtantia, quæ indiget organo, cum quo attingat ſcientiam objectorum corporalium: ſicut ad attingendum colorem, ad quem indiget oculis & potentiâ ſentiendi, ut in imaginativa capiat ſubjectum coloris, & ut in abſentia illius ſubjecti de imaginativa trahat ſimilitudines illius ſubjecti, & ut cum illis induat ſuum memorare, intelligere & amare; & hoc idem eſt de aliis potentiis ſensûs communis.

5. Anima eſt ſubſtantia ſpiritualis, quæ per ſpeciem attingit objecta, quæ accipit; ſicut mater, quæ memorat ſuum filium, quem non videt, & de quo facit ſimilitudinem in memoria ratione ipſius memorare, & in intellectu ratione ipſius intelligere, & in voluntate ratione ipſius amare.

6. Anima eſt ſubſtantia ſpiritualis, quæ eſt pars hominis; & ideo eſt potentia hominis, ſicut pars eſt ſui totius.

7. Anima eſt inſtrumentum ſpirituale, cum quo corporales ſubſtantiæ attingunt ſuum finem in DEO, ût jam diximus.

8. Anima ſtans conjuncta cum humano corpore, eſt ſubſtantia, quæ participat cum pluribus creaturis, quàm ulla alia ſubſtantia; nam illud corpus participat cum firmamento, in quantum ab illo accipit influentiam, & eſt cum illo in una ſpecie, quæ eſt corpus; & participat cum quatuor elementis, quia ipſum eſt de omnibus quatuor; & participat cum plantis, quia ipſum eſt de vegetativa; & participat cum ſenſitiva, in quantum eſt de illa; & hoc idem de imaginativa.

9. Anima eſt ſubſtantia, quæ ſibi ipſi & corpori acquirit morales virtutes vel vitia, ſicut caſtitatem vel luxuriam; nam, ſi Anima ſpiritualis non eſſet in homine, non eſſent moralitates virtutum nec vitiorum in ipſo.

10. Anima est illa substantia, quæ cum moralibus virtutibus lucratur merita boni, & cum moralibus vitiis merita mali; & quia ipsa est pars hominis, secundùm quòd homo illam movet ad movendum se ipsam vel ad movendum corpus, ipsa procurat in illo motu, quòd homo habeat gloriam vel tormentum.

1. Quæritur: *Utrùm Anima sit substantia vel accidens?* Solutio: Anima est substantia, & ideo est substantia, quia est de partibus substantialibus, scilicet de memoria, intellectu & voluntate, quas convenit esse partes substantiales ratione finîs, nam nobilitas finîs hoc requirit, qui finis est memorare, intelligere & amare DEUM; & quia accidens non potest habere tam nobilem finem, sicut substantia, cùm substantia sit nobilior creatura, & habeat plus de entitate, quàm accidens; &, si Anima esset de partibus accidentalibus, & non substantialibus, derogaretur fini, propter quem ipsa est, & in illa non caperetur tantum gloriæ, cùm substantia habeat plus entitatis, quàm accidens; & etiam mortuo corpore moreretur Anima, nam accidens non potest habere sustentationem sinè substantia, & nos jam probavimus, quòd Anima sit immortalis.

2. Quæritur: *Utrùm Anima sit forma per se ipsam, vel sit forma, in quantum informat corpus?* Solutio: Probavimus, quòd Anima sit substantia, & quòd principalis finis, ratione cujus ipsa est, sit memorare, cognoscere & amare DEUM; & ideo secundùm finem convenit, quòd ipsa sit forma simpliciter per se ipsam, cùm ad formam pertineat actio; & est forma, in quantum informat corpus per accidens, scilicet, quia cum illo participat, sicut voluntas hominis, quæ movet corpus de uno loco in alium.

3. Quæritur: *Cùm Anima sit de forma & de materia, quomodo potest esse forma; quia, si est forma, pars & suum totum convertuntur?* Solutio: Anima est forma corporis, ût jam diximus, sed quantum ad se ipsam, non est forma, sed est de forma & de materia: est de forma, in quantum est de parte substantiali bonificativa, & de parte substantiali magnificativa, & sic de suis aliis substantialibus principiis, & omnes istæ activitates constituunt communem activitatem memorativam, & aliam intellectivam, & aliam amativam, & omnes istæ tres communes activitates constituunt unam communem activitatem, quæ est forma Animæ; & hoc idem de potentiis passivis, scilicet de una bonificabilitate, magnificabilitate & aliis principiis naturalibus & substantialibus, quæ constituunt tres communes passiones, quæ sunt memorabilitas, intelligibilitas & amabilitas, & omnes istæ tres passiones constituunt unam communem passionem, quæ est spiritualis materia; & de ipsa & de forma, quam diximus, est Anima.

4. Quæritur: *Utrùm Anima sit sua potentia?* Solutio: Nulla Anima potest esse sua potentia, quia, sicut pars non potest esse suum totum, ita totum non potest esse sua pars; & hoc est ideo, quia convenit, quòd inter totum & suam partem sit differentia, ut totum sit de multis partibus.

5. Quæritur: *Utrùm Anima sit Angelus?* Solutio: Anima non est Angelus, cùm sit conjuncta cum corpore, & sit pars hominis, & Angelus sit substantia spiritualis separata à corpore, qui Angelus non est sub aliqua specie, & Anima est sub specie hominis, in quantum est pars illius; & Angelus etiam non indiget organo ad intelligendum inferiora.

6. Quæritur: *Utrùm Anima sit impressio Angeli in humano corpore, sicut litera ceræ, quæ sunt impressiones literarum sigilli?* Solutio: Probavimus, quòd Anima sit immortalis, & quòd sit substantia, & sit de forma & de materia spirituali; & hoc non posset esse, si esset impressio Angeli, quia mortuo corpore moreretur Anima, & impressio esset accidentalis, postquam non esset de essentia Angeli; &, si esset de essentia Angeli, esset à generante, & nos probavimus, quòd non sit à generante, sed à creante; & etiam, quia substantia spiritualis non est divisibilis, cùm non possit tangi, quia est spiritualis, nec est corruptibilis, quia non est de contrariis.

7. Quæritur: *Utrùm Anima sit imago DEI?* Solutio: Anima est imago DEI, in quantum est substantia spiritualis, in quâ Anima intelligit DEUM; nam, sicut speculum est imago corporis, in quantum accipit similitudines illius in se ipso, ita Anima est imago DEI, in quantum attingit DEUM memorando, intelligendo & amando DEUM in se ipsa.

8. Quæritur: *Utrùm Anima separata à corpore, remaneat in illo eodem numero, in quo erat, quando erat conjuncta cum corpore?* Solutio: Sicut in denario, qui est ex argento & cupro, est argentum, quando est separatum à cupro, in illo eodem numero, in quo erat, quando erat conjunctum cum cupro, ita Anima remanet in suo numero, quando est separata à corpore.

9. Quæritur: *Utrùm Anima justa, quando pervertitur in peccatum, sit illa, quæ erat, quando erat justa?* Solutio: Secundùm quòd probavimus, Anima est substantia, & substantia per accidens non mutat suum numerum, sicut aqua frigidà non mutat suum numerum, quando est calefacta, nec ferrum cultri mutat suam speciem, quando ex illo cultro fit clavus; quapropter Anima non mutatur per moralitates de uno numero in alium, sed mutatur per qualitatem, sicut de bono in malum, vel de malo in bonum.

10. Quæritur: *Utrùm Anima sit vita?* Solutio: Sunt *tres species vitæ*, vegetativa, sensitiva & intellectiva: Anima non est *vita vegetativa* nec *sensitiva*, cùm sit substantia spiritualis, nec est *vita intellectiva*; sed vita intellectiva est una partium Animæ, per quam omnes aliæ ejus partes sunt vivæ: sicut ejus substantialis Bonitas, per quam omnes ejus naturales partes naturaliter sunt bonæ.

Secunda Species Secundæ Partis.

1. Quæritur: *Quid habet Anima in se ipsa?* Solutio: Anima habet in se ipsa sua propria & naturalia principia, scilicet Bonitatem, Magnitudinem, Durationem, Potestatem, Sapientiam, Voluntatem, Virtutem, Veritatem, Delectationem, Differentiam, Concordantiam, Principium, Medium, Finem, Majoritatem, Æqualitatem & Minoritatem, & per ista substantialia principia, de quibus est constituta, habet rationes: sicut per Bonitatem habet rationem ad producendum bonum, scilicet morale bonum; & per Magnitudinem habet rationem ad producendum magnum bonum, & sic de aliis rationibus.

2. Anima etiam habet in se ratione suæ Bonitatis essentiale bonificans, bonificabile & bonificare; & ratione suæ Magnitudinis habet in se essentiale magnificans, magnificabile & magnificare, & sic de aliis; & per istas partes concretas habent suæ rationes naturalia & essentialia subjecta, in quibus sustentantur: sicut ejus Bonitas, quæ sustentatur in suo essentiali bonificante, & in suo essentiali bonificabili & bonificare.

3. Anima habet in se ipsâ propria & essentialia accidentia spiritualia, scilicet quantitatem, qualitatem, relationem & alia novem prædicamenta; & per quantitatem est quanta, & per qualitatem est qualis, ût dicemus, & sic de aliis; & per quantitatem ejus Bonitas ita est quanta, sicut per magnitudinem magna, & ejus Bonitas & quantitas sunt differentes per Differentiam, & ejus Bonitas est de genere substantiali differente à genere accidentis ipsius boni; & sic intrat in distinctionem generis substantialis & accidentalis; & hoc idem de distinctione speciei & speciei, Bonitate existente per speciem distinctâ à Magnitudine; & hoc idem de distinctione individuarum substantiarum, sicut de Anima Martini differente ab Anima Raymundi.

4. Anima etiam habet in se ipsa tres potentias, scilicet memoriam, intellectum & voluntatem, ût jam diximus, & cum istis tribus potentiis facit, quidquid facit, & sunt de ejus essentia, & illa est de ipsis, & ita sunt differentes per Differentiam, sicut bonæ per Bonitatem, & magnæ per Magnitudinem, & concordantes per Concordantiam, & sic de aliis.

5. Anima habet in se ipsa *species innatas & impressas per acquisitionem* suarum trium potentiarum constitutarum de primis principiis, ût diximus; *innatæ* sunt, in quantum illas potest producere, *impressæ* sunt per actus rationum, & *acquisitæ* sunt, quando sunt productæ de potentia in actum: sicut Martinus, qui intelligit suum filium album vel nigrum, bonum vel malum, magnum vel parvum, & sic de aliis; & illud intelligere est innatum & concreatum cum actu intrinseco, qui est de essentia intellectûs, & intelligibile non est de essentia illius intelligere, quia est de alia substantia, & illud intelligibile, quod est filius Martini, conversum in esse intellectum, est subjectum, in quo fit impressio, quam intelligere ad intrà ponit in illo; sicut sigillum, quod in cera ponit similitudinem suarum literarum: & hoc, quod intelligere ibi ponit, est species innata producta de potentia in actum, & intelligibile conversum in esse intellectum est species acquisita, ita, quòd species est de omnibus tribus, absque eo, quòd interiores potentiæ

aliquid de sua essentia in illa ponant, sed habent illam speciem in se ipsis.

6. Anima etiam habet in se ipsa partes *activas & passivas: activas*, in quantum potentiæ sunt agentes in accipiendo objecta, quæ capiunt: sicut intellectus, qui capit similitudines à substantiis, quas intelligit, & ille intellectus est agens, scilicet producens: Anima habet potentias *passivas*, in quantum in illis potest ponere impressiones & similitudines aliarum substantiarum: sicut in sua intelligibilitate, quam habet ad intrà, & quæ est de sua essentia sub ratione materiæ, ût jam diximus, in qua habet possibilitatem recipiendi similitudines substantiarum extrinsecarum; & ille intellectus intelligibilis est possibilis, & agens & possibile sunt unius essentiæ, & sunt differentia per differentiam formæ & materiæ, actionis & passionis.

7. Anima habet in se ipsâ objecta, quæ capit, sicut Martinus, qui intelligit suum filium vel alium absentem à sensu; & ideo potentiæ Animæ non exeunt extra substantiam, quando capiunt objecta, sed de substantiis ad extra colligunt illa, & ponunt illa ad intrà, capiendo de substantiis ab extra earum similitudines, & convertendo illas in substantias ad intrà: sicut vegetativa Martini, qui comedit panem, non exit in speciem panis, sed illam speciem vegetando convertit in speciem carnis, quin species panis intret in speciem carnis; simili modo intellectus Martini intelligens suum filium, convertit intelligibilitatem sui filii in intelligibilitatem suæ speciei, ût jam diximus.

8. Anima continet & habet in se ipsa totam suam speciem, sicut Anima Martini, quæ est tota suámet species, & ideo habet totam se ipsam in se ipsa; sed hoc non est sic secundùm speciem hominis specialis: sicut Martinus, qui non habet totam humanam speciem in se ipso, nam in specie hominis est Petrus & alii homines; & ideo convertitur Anima cum suámet specie, sed species Martini & equi & pomi non convertitur; & Anima Martini ideo convertitur cum sua specie, quia ejus principia sunt de ipsámet Anima.

9. Anima est simplex substantia, & habet illam Simplicitatem in se ipsa, quia est de simplicibus principiis, sicut de simplici Bonitate, de simplici Magnitudine, & sic de aliis; & ejus Bonitas ideo est simplex, quia non est producta de alia Bonitate, & est una pars substantialis distincta per Differentiam ab omnibus aliis partibus, quia non est secundùm ullam speciem illarum, & ita est distincta ab illis per essentiam, sicut una species ab alia: & quia Bonitas retinet suam Simplicitatem, licèt intret in mixtionem cum aliis partibus Animæ, communicans se illis, ut sint bonæ, est Anima simplex per illam simplicem Bonitatem, quæ est ejus simplex pars; & hoc idem de ejus simplici Magnitudine, & sic de aliis principiis substantialibus & accidentalibus.

10. Anima est composita, & habet suam compositionem in se ipsa, & sua compositio incipit in concretis cujuslibet simplicis principii: sicut in concretis Bonitatis, Magnitudinis &c., quia alia concreta miscentur cum aliis secundùm mixtionem spiritualem, aliis principiis communicantibus se aliis sub ratione formarum abstractarum; sicut bonificans, quod se communicat magnificabili, bonificando ipsum, ut sit bonum; & ideo intrat Bonitas in Magnitudinem, ut Magnitudo sit bona per illam, & hoc idem facit Magnitudo Bonitati, ut Bonitas sit magna per illam; & secundùm talem communicationem & diffusionem fit compositio substantiæ & ejus congregatio, & hoc idem de ejus potentiis; & ideo Anima est simplex per unum modum, & composita per alterum, & habet suam simplicitatem & compositionem in se ipsa & de se ipsa.

1. Quæritur: *Utrùm Anima habeat in se ipsa omnes suas naturales perfectiones?* Solutio: Anima vivit de se ipsa, & non de alio, ût diximus: & omnia ejus principia se communicant unum alteri cum Concordantia sinè ulla Contrarietate, & omnia sunt concreata & principiata unum in alio; & ideo est differens à sensitiva & vegetativa in quolibet elementato animato, nam omne elementatum animatum est de alio principiatum, & cum Contrarietate, & in illa & de illa principiatum; & ideo nullum illorum potest habere in se ipso omnes suas perfectiones nec omnes suas operationes.

2. Quæritur: *Cùm Anima habeat in se ipsa omnes suas perfectiones, quare non saturatur & non quiescit in se ipsa, & quare ipsa non potest saturari in hac vita?* Solutio: Secundùm quòd diximus: Anima habet omnes suas perfectiones in se ipsa secundùm essentiam: sicut substantia

tia cultri, quæ est tota completa per formam & materiam; veruntamen si non scindat, & sit otiosus, est defectivus secundùm finem, ad quem fuit factus, scilicet ad scindendum, & hoc idem est de substantiis naturalibus; quapropter Anima, quantum ad suam existentiam, est perfecta, sed quantum ad finem, est defectiva, quia se non potest tota habere ad illum finem, scilicet ad memorandum, intelligendum & amandum DEUM, si est occupata per aliquos alios fines, ad quos non est creata: sicut ad finem delectationis corporalis vel honoris; & sic de aliis.

3. Quæritur: *Cùm in Bonitate Animæ bonificans, bonificabile & bonificare sint terminata, quomodo potest bonificans habere bonificabile & bonificatum sub uno & eodem numero? nam, si est bonificatum, non est bonificandum, & si est bonificabile, non est bonificatum; & ideo non possunt bonificatum & bonificabile converti in uno numero, nec bonificans potest illa habere in uno numero?* Solutio: In essentia Bonitatis secundùm suam speciem non est nisi unum bonificabile & unum bonificare differentia per Differentiam; & illud bonificabile est bonificatum per extrinsecum bonificabile, de quo capit similitudinem, & species illius bonificabilis est ab intrà, quia multiplicat suam speciem, & bonificat substantias ab extra bonificabiles per illam, ipsâ existente materiâ & subjecto ipsi bonificanti ab intrà, quod illam bonificat secundùm modum finis, ad quem illam movet, scilicet ad bonificare & ad esse bonificatum, & secundùm hunc modum productionis transmutando unam similitudinem in aliam, & remanente quâlibet similitudine in sua specie, & existente unâ communi specie de multis similitudinibus, remanet bonificabile hoc, quod est, & est bonificatum, & in numero amborum est unum: sicut Magnitudo, quæ secundùm naturam est bonificabilis per Bonitatem, & est bonificata per infusionem, cùm ratione Bonitatis sit bonificata.

4. Quæritur: *Cùm Anima non sit corpus, nec de natura corporis, quomodo potest habere quantitatem?* Solutio: Anima est creatura, & convenit, quòd omnis creatura sit terminata & finita; & si esset possibile, quòd homo ab Anima posset abstrahere quantitatem, sic, quòd illam non haberet, non esset terminata, quia non haberet, cum quo esset terminata, & ejus substantia esset infinita, quod est impossibile, cùm non sit nisi una Substantia infinita, quæ est DEUS, ût probavimus in *Libro de Articulis;* igitur Anima habet quantitatem, ut inde non sequatur supradictum inconveniens; & illa quantitas est de genere spirituali, sicut sua substantia, & non est de quantitate, quæ possit imaginari per extensitatem; nam intellectus non accipit illius quantitatem in imaginatione, in qua accipit quantitatem corporis, sed accipit illam nudè in se ipso, quin consideret aliquam naturam vel conditionem corporalem.

5. Quæritur: *Cùm Bonitas memoriæ, intellectûs & voluntatis sit una per essentiam, & hoc idem de Magnitudine & aliis principiis potentiarum, quomodo potentiæ possunt habere Differentiam per essentiam?* Solutio: In Bonitate bonificativum, bonificabile & bonificare sunt simpliciter differentia per Differentiam, & non per essentiam; nam Differentia non diversificat essentiam Bonitatis, sed diversificat unum concretum ab alio; simili modo tres potentiæ non sunt differentes per essentiam Animæ, quia omnes tres sunt de una Anima & de essentia illius, & omnes sunt de iisdem principiis; sed quia ibi est Differentia, sunt differentes per illam & per ejus essentiam, quæ habet officium differentiandi, ut in una substantia sint multæ res & multi fines; & ideo una est Bonitas memoriæ, & alia Bonitas intellectûs, & alia Bonitas voluntatis, sed tres Bonitates sinè Differentia non sunt nisi una Bonitas per speciem & per essentiam.

6. Quæritur: *Utrùm speciem, quam intellectus multiplicat & acquirit, habeat intellectus agens, vel intellectus possibilis, vel ambo?* Solutio: Potentia & objectum habent actum, qui est amborum, sicut pater & mater, qui invicem habent filium, pater per modum actionis, & mater per modum passionis; & si mater illum haberet per modum actionis, converteretur ejus habitus passivus in activum; quod est impossibile.

7. Quæritur: *Utrùm species, quam intellectus dimittit, quando memoria illam obliviscitur, habeat aliquod subjectum, in quo sustentetur?* Solutio: Figura clavi, quam ferrarius abstrahit à ferro, & cum martello imprimit in clavo, est creatura,

& est abstracta à ferro de potentia in actum cum voluntate & intellectu ferrarii, & cum motu martelli & clavi; & quando clavus est corruptus, vel de ferro clavi fit acus vel alia res, devenit in privationem, quia complevit finem, ad quem erat creata; & ideo non habet subjectum, in quo sustentetur post corruptionem clavi.

8. Quæritur: *Cùm intellectus non sit de natura corporali, nec sit corpus, quomodo potest per intelligere habere speciem de corpore?* Solutio: Homo est factus ex Anima & corpore, igitur convenit, quòd Anima & corpus sint partes unitæ & conjunctæ una in alia; nam, sicut sensitiva equi movet vegetativam ad vegetandum, quamvìs differant per speciem, & potest ipsam movere per conjunctionem ambarum specierum & per finem sentiendi, ad quem vegetare est necessarium in equo, ut vivat de hoc, quod comedit & bibit, ita intellectus, qui est conjunctus cum corpore, movet corpus ad sentiendum, & ab illo sentire abstrahit similitudinem de corpore, & depurat illam in imaginatione, in qua ipsam facit speciem, quæ est figura corporis; & sic intellectus in imaginatione habet speciem corporis: sicut sensus potest videre in speculo species, quas capit de substantiis ad extra, qui sensus differt à speculo per differentiam animati & non animati.

9. Quæritur: *Utrùm Anima, quæ est in peccato, possit habere DEUM in se ipsa?* Solutio: In hac vita omnis Anima, quæ capit DEUM, capit illum per speciem, & Anima justa capit illum cum gratia & in fine, propter quem est creata, & Anima injusta capit illum per contrarium, ratione cujus contrarietatis illum potest capere, in quantum illum potest intelligere & memorare per speciem, non per amare; nam, si illum caperet per amare, non esset injusta; & potest illum capere per memorare & intelligere, quia libertas se communicat memoriæ & intellectui, cùm quælibet naturaliter sit libera potentia, sicut bona & sicut magna; sed secundùm moralitatem virtutis libertas non communicatur memoriæ vel intellectui cum bonitate, quia illa communicatio jam esset bona, &, si bona, virtuosa; & hoc est impossibile.

10. Quæritur: *Utrùm Anima habeat in se ipsa dextram & sinistram?* Solutio: Anima viri & Anima mulieris non differunt per masculinitatem nec fœmininitatem, nam pater non producit filium vel filiam de essentia suæ Animæ, nec de essentia Animæ mulieris, sed de essentia sui corporis & de essentia corporis mulieris scindit partes per differentiam, de quibus producitur corpus viri vel mulieris; & ideo Anima Petri posset esse conjuncta cum corpore Guilielmæ, & Anima Guilielmæ cum corpore Petri in illo instanti, quo DEUS creat Animam, quando illam ponit in corpore.

Tertia Species secundæ Partis.

1. Quæritur: *Quid est Anima in alio?* Solutio: Inter Animam & mores est Differentia, cùm Anima sit substantia, & mores sint accidens; Anima est in moribus bona vel mala, sicut Anima Guilielmi justi, quæ in justitia est bona; & si est injustus, in illius injustitia est mala.

2. Anima est in corpore extensibilis, sicut in corpore infantis, qui crescit, in cujus incremento illa se extendit, secundùm quòd corpus crescit, cùm sit conjuncta cum toto corpore, & illa extensitas non est de sua natura, sed habet illam per corpus: sicut aqua calida per ignem, quæ calefacit carnem in olla, cui non est proprium calefacere; & quia Anima non habet extensitatem per suam naturam, quando corpus perdit aliquod membrum, vel venit ad declinationem per senectutem, Anima per totum hoc non est divisibilis nec minorificabilis, quia remanet & stat in sua natura, secundùm quòd est in se ipsa.

3. Anima est in corpore, cum quo est conjuncta, vegetans & sentiens in illo, quia ipsa movet vegetativam ad vegetandum, & sensitivam ad sentiendum: sicut voluntas, quæ est movens in corpore, quod facit movere scribendo vel loquendo, vel eundo de uno loco in alium; & ideo dicitur, quòd Anima rationalis informet corpus ad se movendum, & sit forma illius, in quantum movet ejus naturales partes ad suos naturales fines; sicut movere oculos ad videndum, & linguam ad gustandum, & sic de aliis partibus corporis.

4. In fine substantiarum corporalium Anima conjuncta cum corpore est instrumentum, per quod illæ substantiæ attingunt suum finem; nam sinè illa non possent ipsum attingere, ût jam diximus; & ideo Anima priùs incipit in bonis actibus hominis, qui facit bonum, quàm corpus: &

& hoc idem, si homo facit malum secundùm peccatum actuale, non secundùm peccatum originale, de quo fumus locuti *in Articulis*, nam in illo peccato est Anima per corpus in culpa, ût probavimus *in illo Libro.*

5. Anima est in corpore mobilis de uno loco in alium per illud corpus successivè, & in tempore, & non in instanti; & hoc est, quia corpus non est mobile in instanti, & Anima est cum illo conjuncta; & hæc figura apparet in homine, qui vadit, & est defatigatus eundo per corpus, & non per Animam; nam Anima vult, quòd corpus vadat usque ad locum, quem ipsa desiderat; quare ipsa movendo corpus movet se ipsam in illo corpore; &, si non esset propter corpus, cum quo est conjuncta, in illo instanti, in quo vellet esse in aliquo loco, esset in illo.

6. Anima est in corpore hominis pars hominis, cùm homo sit de Anima & de corpore; & ideo est in alio hoc, quod non est in se ipsa; nam in se ipsa non est pars, sed est tota ipsamet; &, quia cum corpore constituit hominem, propter hoc est pars in homine.

7. Anima est in homine ancilla, cùm omnis pars sit serva sui totius; nam, sicut Anima movet corpus ad eundum vel ad sentiendum, ita homo movet Animam, quæ est sua pars, ad volendum, recolendum & intelligendum; &, sicut homo est albus vel niger per colorem, ita est liber ad volendum, memorandum & intelligendum per Animam.

8. Anima est per bona opera gloriabilis, & per mala tormentabilis, & ista gloriabilitas & tormentabilitas est appropriata Animæ secundùm finem vel secundùm privationem illius; & ideo existentia Animæ est subjectum illius appropriationis, sicut substantia aëris est subjectum calefactionis per naturalem delectationem, & substantia aquæ per contrarium.

9. Anima est per tempus antiqua, nam ratione temporis, quod multiplicatur per motum firmamenti, momenta, horas, dies, septimanas, menses & annos, est Anima in numero annorum, secundùm quòd est principiata: & illa antiquitas non est de ejus natura, sed est illi qualitas appropriata per corpus illius Animæ, quod participat cum firmamento sub specie corporis vel naturæ vel motûs; & ideo Anima est aliquid in alio, quod non est in se ipsa.

10. Anima est in privatione finîs vacua, videlicet Anima peccatoris deviata à fine, propter quem est: & illa vacuitas, in qua Anima est vacua, est, quia Anima non habet DEUM, qui est ejus finis, & est ita spiritualiter vacua per privatos habitus suarum potentiarum, sicut sensus communis esset vacuus habitibus sentiendi, si objecta suarum particularium potentiarum essent in privatione: sicut visus sinè colore esset vacuus, & auditus sinè audire, & sic de aliis; & de hac materia satìs clarè & abundanter fumus locuti in *Arbore Scientiæ.*

1. Quæritur: *Utrùm Anima per moralitates sit tota bona vel mala?* Solutio: Anima est bona *duobus modis*, & mala *uno modo* tantùm: est bona per *creationem*, & illa bonitas est *naturalis*, & est bona per *bonos mores*, & illa bonitas est *acquisita*, & est secundùm finem; &, quando habet *malos mores*, scilicet mores peccati, est mala ratione finîs, à quo est deviata per *malos mores*; & ideo Anima, quæ est bona per bonos mores, est tota bona: est bona per naturalem bonitatem, & per bonitatem finîs; &, si est in peccato, & ab illa privantur boni mores, remanet bona secundùm naturam, & est tota mala secundùm malos mores, cùm bonitas & malitia, scilicet malitia culpæ, circulariter sint contrariæ.

2. Quæritur: *Utrùm Anima sit tota in qualibet parte corporis?* Solutio: Secundùm quòd Anima habet qualitatem appropriatam per corpus, sicut extensitatem & antiquitatem, & sic de aliis, quæ diximus, non est tota in qualibet parte corporis; nam, si esset, in illa qualitates propriæ & appropriatæ essent unum & idem in numero & in specie, quod est impossibile; sed, quia Anima per se ipsam non habet divisibilitatem nec extensam quantitatem corporalem, est tota in qualibet parte corporis, quia ejus naturalis bonitas non est nisi una, & est per totam substantiam, & sic convenit, quòd sit per totum corpus: &, si bonitas esset in una parte, & non in alia, esset Anima in una parte, & non in alia; &, si de naturali bonitate Animæ una pars esset in capite, & alia in corde, Anima esset naturaliter divisibilis, & haberet extensionem corporalem; igitur Anima secundùm suam naturam est tota in qualibet parte corporis, & non tota secundùm naturam corporis.

3. Quæritur: *Utrùm Anima conjuncta cum corpore sit simplex?* Solutio: In de-

nario ex argento & auro est argentum in simplici specie suî ipsius, & aurum in simplici specie suî ipsius, & tertium, quod est denarius, est ex illis duobus, & transit in tertium numerum, qui est simplex, quia est ex duabus simplicibus speciebus; & ideo denarius non est argentum nec aurum, nec species ullius illorum, & ideo est simplex, quantum ad numerum specialem multiplicatum de multis: simili modo est Anima simplex in corpore per suam naturalem simplicitatem, & est composita in illo, in quantum ex illa & ex corpore multiplicatur unum, quod est simplex per individuitatem & per numerum, quod est homo Martinus vel Petrus vel alius.

4. Quæritur: *Utrùm Anima per generationem corporis sit creabilis, scilicet, quòd suum principium sit consequens, & principium corporis antecedens?* Solutio: Anima est nobilior substantia, quàm corpus, & ideo habet nobiliorem finem; quare, ratione finîs, principium Animæ est antecedens, & principium corporis est consequens, quamvis corpus priùs sit in tempore, quàm Anima: sicut flos, qui est priùs in arbore, quàm fructus; veruntamen secundùm finem fructus priùs est in arbore, quàm flos, cùm flos sit, ut sit fructus.

5. Quæritur: *Utrùm Anima in corpore sit collocata?* Solutio: Ita disconvenit Animæ rationali locus corporalis secundùm suam naturam, sicut illi disconvenit extensitas corporalis vel antiquitas temporis, vel successio in motu de uno loco in alium; &, sicut istæ qualitates illi conveniunt secundùm corpus, ita secundùm illud ipsi convenit collocatio in loco; nam, si non esset in loco, in quo est corpus, non posset esse conjuncta cum illo.

6. Quæritur: *Utrùm Anima sit in instanti vel in tempore creata?* Solutio: Nulla creatura potest esse creata successivè; nam, si esset creata successivè, instans non esset ante successionem in creatione, & creatio non esset de nihilo in aliquid creatum, quod est impossibile; &, quia Anima simpliciter non habet extensionem corporalem, non potest esse subjecta successioni temporis; igitur fuit creata in instanti, quod est primum principium & terminus successionis temporalis.

7. Quæritur: *Utrùm Anima sit gloriabilis in Cœlo empyreo?* Solutio: Anima est gloriabilis in Cœlo empyreo secundùm nobilitatem loci, & illa gloriabilitas loci est illi ita appropriata per bona opera proportionata per speciem bonitatis & nobilitatis, sicut ipsi est appropriata successio & antiquitas per tempus & per motum, ût jam diximus; sed, quia propriè est gloriabilis secundùm sua bona merita, potest esse gloriabilis in omni loco, in quo habet illa bona merita; & propter hoc Angeli, qui descendunt inferiùs, simpliciter non habent minus de gloria inferiùs, quàm superiùs in Cœlo empyreo.

8. Quæritur: *Utrùm Anima sit tormentabilis in igne infernali?* Solutio: Ita est contra proportionem Animæ locus infernalis & ignis, qui in illo loco est, sicut est concordantia Animæ & Cœli empyrei & ejus splendoris; & hoc est, quia Anima damnata primò fuit proportionata secundùm Cœlum empyreum, & postea judicata ad ignem infernalem, & ratione hujus, ignis infernalis & locus attingunt proportionem & dispositionem Animæ contra substantiam & naturalia principia illius, & tormentant illam secundùm prædictum modum.

9. Quæritur: *Utrùm Anima conjuncta tormentetur in corpore?* Solutio: Homo, qui habet magnam sitim vel magnum calorem vel dolorem vel frigus, sentit illam passionem, & Anima facit illam passionem sentiri, in quantum est forma corporis, ût diximus; &, quia habet naturalem concordantiam cum corpore, constituendo hominem, qui est finis illorum, habet Anima passionem, in quantum movet corpus ad passionem, per quam evenit corruptio corporis & separatio amborum; sed, quia Anima non est de natura corporis, per simplicem passionem illius ipsa simpliciter non tormentatur.

10. Quæritur: *Utrùm Anima in Justitia sit prædestinata?* Solutio: Anima ita est creata propter finem Justitiæ DEI, sicut propter finem Divinæ Bonitatis, nam Divina Justitia est tam recolibilis, intelligibilis & amabilis per Animam, sicut Divina Bonitas; igitur est tam prædestinabilis per Divinam Justitiam & in illa, sicut per Divinam Bonitatem; &, sicut Anima est punibilis, quia facit contra Divinam Bonitatem cum malitia, quando est in peccato, ita est punibilis, quando facit contra Justitiam DEI cum injuria, & ideo, quando est in peccato, est sub ratione Divinæ Bonitatis & Justitiæ condemnabilis, & per consequens tormentabilis.

Quar-

Quarta Species secundæ Partis.

1. QUæritur: *Quid habet Anima in alio?* Solutio: Si Anima est justa, habet suum finem in DEO: &, si est injusta, habet privationem sui finîs in absentia DEI; & ideo per præsentiam DEI est perfecta, & in illa præsentia habet quietem, & per absentiam DEI est vacua, & ejus naturalia principia requirunt finem, ad quem sunt creata, & non possunt illum habere, & stant vacua & in labore.

2. Anima justa habet merita de bono in bonis operibus, quæ fecit: &, si fecit mala opera, habet merita de malo in illis; & ideo moralitates sunt subjecta, in quibus Anima habet sua merita, & secundùm quòd ejus subjecta sunt magna vel parva, sunt ejus merita in quantitate.

3. Anima naturaliter habet Dominium in corpore, & hoc ideo, quia est nobilior substantia, quàm corpus; &, quia ipsum naturaliter informat, debet esse domina illius in operationibus ipsius corporis, scilicet in videndo, audiendo, odorando, gustando, affando & tangendo; &, si se non facit dominam in sex prædictis sensibus, habet culpam in privatione sui dominii, & habet pœnam in illa culpa.

4. Anima habet objecta ad extrà in objectis ad intrà: sicut recolibilitatem, quam habet de equo & de denariis vel de castello, quam habet in recolibilitate ad intrà, quæ recolibilitas est de essentia suæ memoriæ: & hoc idem est de intelligibilitate equi, quam habet in intelligibilitate ad intrà, quæ est intellectus possibilis: & hoc idem de amabilitate equi, quam habet in amabilitate ad intrà, quæ est materia voluntatis; igitur Anima habet objecta secundaria in primariis; & hoc idem est de secundariis actibus, quos habet in primariis.

5. Anima habet in imaginativa similitudines vel species secundariorum objectorum: sicut Anima, quæ imaginatur plantam per colorem & figuram, & fructum per saporem, & sic de aliis; & illud imaginari habet in imaginativa, & ponit ejus similitudinem ad intrà in intelligere, quando in abstracto intelligit speciem plantæ vel coloris vel saporis; veruntamen imaginari remanet ad extrà, nisi in quantum capit ejus similitudinem, quam intelligit; nam nulla Anima potest imaginari colorem, nisi imaginetur illius subjectum; &, si imaginatur subjectum, sicut est imaginari equum album, intrat imaginari in intelligere ad intrà, in quantum ipsum intelligit.

6. Anima habet in corpore organa & instrumenta, in quibus movet suas potentias, sicut *cor*, quod est organum *voluntatis*, & *cerebrum frontis* est organum *intellectûs*, & *cerebrum occipitis* organum *memoriæ*, & in *medio amborum* cerebrorum Anima movet *imaginativam* ad imaginandum objecta imaginabilia.

7. Anima habet in sensitiva delectationes corporis vel passiones illius; veruntamen cum imaginativa: sicut corpus, quod delectatur per affari, qui est *sextus sensus*, ût probavimus *in Libro*, quem de illo fecimus; & illam delectationem habet Anima in sua memoria cum delectatione amandi & intelligendi; &, si corpus habet dolorem, vel magnam famem, vel sitim, vel calorem, vel frigus, habet in illo dolore & sensatione tristitiam in sua recolitione, cum qua tristitia Anima deficcat ossa illius corporis.

8. Anima habet in morte corporis tristitiam, quando separatur à corpore, quia cum illo est pars hominis; & in hoc apparet, quòd pars est nobilior propter finem totius, quàm propter finem suî ipsius; nam, si hoc non esset, Anima non haberet tristitiam in sua separatione à corpore.

9. Anima habet practicam in Artibus liberalibus & mechanicis secundùm quòd habemus experientiam: nam in ipsis ita movet corpus ad practicandum, sicut voluntas movet manum ad scribendum; & ideo dicitur intellectus practicus, qui habet species ad practicandum, & cum illis speciebus habet practicam in corpore, in quantum movet illud corpus ad instrumenta illius practicæ.

10. Anima habet inclinationem ad parentes in corpore, cum quo est conjuncta, sicut Anima Martini, quæ habet diligentiam pro utilitate filii Martini vel sui amici; &, si filius Martini habet passionem, Anima Martini habet passionem in passione filii Martini.

11. Quæritur: *Utrùm Anima habeat motum in corpore in instanti vel in successione temporis?* Solutio: Nulla Anima conjuncta habet motum successivum in se ipsa, nisi in quantum est mobilis in corpore, movendo corpus de uno loco in alium, habet motum successivum & in tempore per

corpus, quod non potest moveri in instanti, sed successivè; & propter hoc Anima separata, quæ se ipsam movet de uno loco in alium, movet se ipsam in instanti sinè successione, & habet illum motum in instanti per voluntatem, quæ in instanti vult moveri de uno loco in alium.

2. Quæritur: *Utrùm, quando Anima movetur de uno loco in alium per se ipsam vel per aliud, habeat partes, quæ vadant antè, & alias, quæ vadant retrò?* Solutio: Anima simpliciter quoad se ipsam non habet partes, quæ sint antè nec retrò; nam, si illas haberet, esset corpus; sed ratione corporis habet partes, quæ vadunt antè & retrò, secundùm quòd habemus experientiam in corpore: & illas partes habet Anima, in quantum ipsas informat & ipsas ordinat ad finem, propter quem sunt: sicut in vita hominis, in qua partes ipsius vegetativæ sunt, antequàm partes ipsius sensitivæ, nam antè est vegetare, quàm sensare, & calefacere, quàm videre; & in practicare intellectûs practici est contrarium, nam antè attingit imaginari per sentire, quàm per vegetare; & hoc est ideo, quia intellectus non potest attingere vegetare sinè sentire, & attingit sentire sinè vegetare: sicut Martinus, qui videt lapidem vel aliam substantiam non vegetatam.

3. Quæritur: *Utrùm Anima habeat differentiam, quæ sit ens positivum existens inter ipsam & Angelum?* Solutio: Inter Animam & Angelum est realis differentia, in quantum Anima est pars hominis, & homo est finis, propter quem est Anima: & Angelus non est pars hominis, nec homo est finis Angeli; & ista differentia realis & positiva est una partium Animæ sustentata in Anima, & alia est sustentata in Angelo; & illa, quæ est sustentata in Anima, est pars Animæ, & illa, quæ est sustentata in Angelo, est pars Angeli, & quælibet pars est ens positivum & reale; sed differentia, quæ dicitur esse inter Animam & Angelum, non est ens positivum reale, sed species phantastica, quam intellectus facit de duabus partibus positivis supradictis consideratis per illam speciem communem; &, si illa species communis esset ens positivum reale, esset compositum de duabus partibus, & Angelus & Anima essent sub una eadem specie, sicut essent sub una differentia, quod est impossibile.

4. Quæritur: *Utrùm Anima, quando est separata, habeat contactum cum Angelo?* Solutio: Contactus non potest esse, nisi in substantiis corporalibus habentibus *discretas* quantitates, nec substantiæ, quæ sunt in *continua* quantitate, differentes per essentiam, possunt esse spirituales, sed corporales: sicut elementa, quæ sunt in continua quantitate plantæ vel ossis equi vel ejus carnis, vel flammæ ignis, vel aquæ compositæ; igitur nulla Anima potest habere contactum cum Angelo, quia non habet nec discretam nec continuam quantitatem corporalem.

5. Quæritur: *Utrùm Anima habeat totam se ipsam in qualibet parte corporis?* Solutio: Secundùm quòd jam diximus: Anima non habet in se corporalem extensitatem, sed habet illam in corpore, ipsâ Animâ existente per totum corpus; nam, si simpliciter haberet corporalem extensitatem, conveniret, quòd ipsa esset corpus; sed, quia per se ipsam habet spiritualem extensitatem, existente quâlibet suarum partium unâ in alia, convenit, quòd quælibet suarum partium sit in qualibet parte corporis; & ideo convenit, quòd tota Anima sit in qualibet parte corporis.

6. Quæritur: *Utrùm Animæ separatæ in Paradiso & in inferno habeant species innatas & impressas per acquisitionem?* Solutio: Secundùm quòd jam diximus: Anima conjuncta habet species innatas & impressas, & habet illas impressiones per acquisitionem, sed in Paradiso & in inferno non est ita de substantiis separatis; nam species innatæ sunt impressæ sinè acquisitione, & hoc est ideo, quia Animæ salvatæ contemplantur suum finem, & damnatæ sunt in privatione sui finis: & propter hoc in alia vita non competit acquisitio specierum, & competit in hac vita, in qua Animæ se movent ad suum finem, vel ad privationem illius, si sunt malæ.

7. Quæritur: *Utrùm Anima habeat impedimentum intelligendi in impedimento corporis?* Solutio: Ille Musicus, qui per instrumentum vult significare notam, quam ad intrà concipit, habet impedimentum ad significandum illam notam, si instrumentum non est bonum per privatam proportionem illius & conceptionis notæ; simili modo intellectus in homine, qui est ebrius, vel iratus, vel cæcus, vel surdus, habet impedimentum intelligendi, quia in illo corpore non habet organa disposita, cum quibus possit acquirere & multiplicare species.

8. Quæritur: *Utrùm Anima in morte corporis habeat specialem locum, per quem exeat à corpore?* Solutio: Anima est conjuncta cum corpore: & probavimus, quòd ipsa sit tota in qualibet parte corporis, & quælibet pars corporis secundùm quantitatem discretam non est in loco alterius, sicut lingua, quæ est in uno loco corporis, & manus in alio; &, quia partes corporales non sunt aliæ in aliis, & Anima est in qualibet partium, Anima non potest habere locum specialem, sic, quòd exeat de corpore per illum locum, & non per alium, sed in uno instanti exit secundùm se ipsam simpliciter de corpore & de qualibet suarum partium; sed, quia vegetativa & sensitiva successivè dimittunt corpus ad mortem, in tantum numerus illius Animæ rationalis per illarum successionem habet ultimitatem, quòd exeat cum illis per specialem locum, scilicet per os vel per nasum, transmittendo per respirationem spiritum extrà, qui non revertitur.

9. Quæritur: *Utrùm, cùm Anima sit conjuncta cum corpore, & sit per omnes partes corporis, sit divisibilis in divisibilitate corporis?* Solutio: Anima habet passionem in passione corporis, quod habet sitim per calorem; sed passio, quam Anima habet in corpore, non est una passio in numero cum passione, quam habet simpliciter per se ipsam; nam, si esset, hoc, quod habet in se ipsa per se ipsam, esset unum & idem in numero cum hoc, quod habet per aliud; & in uno & eodem numero essent qualitates propriæ & appropriatæ, quod est impossibile.

10. Quæritur: *Utrùm Anima habeat passionem in libero arbitrio, quòd ipsam possit facere peccare?* Solutio: Secundùm quòd jam diximus: liberum arbitrium est una naturalis pars Animæ rationalis, & in substantia, quæ non est de contrariis, non est ulla pars contra aliam, nec contra suum totum; sed, quia Anima est pars hominis, & homo potest plus, quàm ulla suarum partium, potest facere, quòd Anima peccet per liberum arbitrium, cùm sit libera in faciendo bonum, & non coacta ad peccandum.

PARS III.
De *De quo.*
Prima Species tertiæ Partis.

1. Quæritur: *De quo est Anima liberè substantialiter?* Solutio: Anima est de se ipsa, & ideo est de se ipsa, quia est de suis simplicibus principiis, quæ non sunt de aliis principiis, sed sunt de se ipsis: sicut substantialis Bonitas, quæ non est de alia Bonitate, cùm Anima sit à Creante, & non à generante, ût probavimus.

2. Anima est de se ipsa, quia non habet necessitatem accipiendi sustentationem ab alia creatura; nam, sicut est constituta de suis naturalibus principiis, ita vivit de illis, & non de aliis, & non est, sicut sensitiva, quæ vivit de vegetativa.

3. Anima est de se ipsa, quia est de suis partibus: sicut camera, quæ est de suis parietibus, & non de aliis; &, si hoc non esset ita, non posset habere certas partes determinatas, de quibus esset.

4. Anima est de se ipsa ratione sui proprii finis, nam, si esset de alio, non posset habere unum finem determinatum, quia cum illo alio, de quo esset, participaret in uno fine; sicut Bonitas piperis, quæ est de Bonitate ignis, & sic de aliis elementis, & ideo participat cum illis in Bonitate calefacta, desiccata, humefacta & frigefacta.

5. Anima est de se ipsa ratione alterius finis: sicut propter finem hominis; nam, in hoc, quòd Anima est de se ipsa, ejus finis est ita partialis ad finem hominis, sicut ejus essentia est partialis ad essentiam hominis; & hoc non posset esse, nisi Anima esset de se ipsa.

6. Anima est de se ipsa, ut sit domina corporis, & ut simpliciter sit forma illius, nam, si non esset de se ipsa, ipsa & id, de quo esset, haberent commune dominium in corpore, & Anima non posset simpliciter esse forma illius, nec habere simplicem libertatem ad movendum illud ad bonum vel ad malum.

7. Anima est de se ipsa, ne se excuset, quando peccavit; nam, nisi esset de se ipsa, & esset de alio, posset se excusare cum ratione, dicendo, quòd natura alterius, de quo est, ipsam naturaverit vel coëgerit ad peccandum.

8. Anima est de se ipsa, ne sit divisibilis,

quam divisibilitatem haberet, si esset de alio; sicut corpus, quod est de quatuor elementis, & ideo est divisibile in partes, existente unâ parte in uno loco, & aliâ parte in alio.

9. Anima est de se ipsa, ut ipsa sit prima ad memorandum, intelligendum & amandum DEUM; nam, si esset de alio, illud aliud esset prius, quàm ipsa, & ipsa non veniret ad memorandum, intelligendum & amandum DEUM liberè, sed DEUS coactè memoraretur, intelligeretur & amaretur ab Anima, & liberè per illud aliud, quod ita moveret Animam, quòd ipsa non haberet naturam memorandi, intelligendi & amandi DEUM.

10. Anima est de se ipsa, ut sit unum & idem cum sua specie, cum qua non posset esse unum & idem; nam, ita esset sub alio per speciem, sicut individua, & non esset à Creante, sed à generante.

1. Quæritur: *Utrùm libertas, quam Anima habet, sit ipsi occasio peccandi?* Solutio: Libertas Animæ est una suarum naturalium partium, ût jam diximus: &, quia Anima est à Creante, illa libertas est creatura; unde, cùm sit contrarietas inter DEUM & peccatum, est impossibile, quòd DEUS creaverit aliquam creaturam, quæ sit occasio peccati; unde ulteriùs

Quæritur: *Cùm homo habeat libertatem peccandi, & homo sit de Anima & de corpore, quæ sunt creaturæ: de quo est libertas peccandi, quam habet?* Solutio: Homo est creatus ex nihilo, &, in quantum est creatus ex nihilo, nisi DEUS illum sustentaret, reverteretur ad hoc, de quo est: & homo habet libertatem habendi inclinationem ad *esse* & ad *non esse*; & libertas, quam habet secundùm *esse*, est creatura, & libertas, quam habet secundùm inclinationem ipsius *non esse*, est inclinatio, quam habet ad peccatum, quòd illud faciat; nam peccatum nihil est aliud, nisi facere ea, quæ non debent fieri, per quæ devenitur ad *non esse*, & quæ nullam concordantiam habent cum *esse*; & ideo illa libertas peccandi, quam homo habet, est de inclinatione, quam habet ad *non esse*, in quantum est creatus ex nihilo.

2. Quæritur: *Anima habet intellectum, & quando intellectus ignorat, de quo est ejus ignorantia? estnè de se ipsa vel de alio?* Solutio: Finis intellectûs est intelligere, &, quando ignorat, ejus discursus est deviatus à fine, propter quem est; & ideo ignorantia est de operatione intellectûs, qui ita agit contra finem, propter quem est, sicut homo agit contra finem ipsius videre, quando claudit oculos, & contra finem ipsius audire, quando obstruit aures.

3. Quæritur: *Quomodo Anima, quæ est mala per peccatum, potest esse de Bonitate?* Solutio: Quamvis Anima faciat bonum vel malum, semper est de suis naturalibus principiis, nam accidentia non mutant substantiam; & quando facit malum, malum, quod facit, non est de ejus Bonitate, sed est de ejus operibus: sicut litera, quæ est de manu, in quantum illam scribit, & non est de essentia manûs.

4. Quæritur: *Quomodo Anima irata potest esse de se ipsa?* Solutio: Anima irata substantialiter est de se ipsa tam bene, sicut quando est hilaris; sed ira non est de essentia voluntatis, sed est de operatione motâ contra amabilitatem; & ideo Anima irata habet libertatem convertendi suam iram in hilaritatem.

5. Quæritur: *Utrùm Anima habeat libertatem, quando vult aliquid recolere, & non potest illud recolere, nam, in quantum illud non potest recolere, significatur, quòd non sit de se ipsa, sed quod sit constricta per aliud?* Solutio: Anima multiplicat species secundùm dispositionem & proportionem potentiarum & objectorum ad extrà & ad intrà; &, quando potentiæ se non habent secundùm dispositionem & proportionem cum objectis ad intrà & ad extrà ad multiplicandum species, multiplicant species contra species; sicut gustare hominis infirmi, quod multiplicat amaritudinem contra dulcedinem pomi, quod comedit.

6. Quæritur: *Quomodo Anima est de se ipsa, quando vult esse in uno loco, & non potest esse in illo?* Solutio: Martinus habet quendam servum, qui vult dormire in suo lecto, & non vult ire ad fodiendum in vinea: Martinus ejus Dominus cogit illum, & facit ipsum ire ad fodiendum in vinea; attamen Anima servi est de se ipsa, quia liberè movet corpus de uno loco in alium, quando vadit ad vineam; sed ratione sui corporis, quod est Martini, consentit voluntati Martini sui Domini.

7. Quæritur: *Quomodo Anima, quando est serva corporis, est de se ipsa?* Solutio: Sicut corpus est subditum Animæ, in

in quantum ipsum & Anima sunt partes hominis, & una pars adjuvat aliam, ut sit homo, sic Anima est serva corporis ratione finis hominis; & ideo Anima naturaliter habet inclinationem ad necessitates corporis considerando & tractando, quomodo corpus illas possit habere, sicut habitationem, indumenta, & cibos, qui conveniunt ad comedendum, & potum, & Medicinas, per quas corpus sit sanum; veruntamen quamvis Anima stet in tali servitute, nihilominus remanet, quòd ipsa sit libera, in quantum est de suis primis principiis, ût jam diximus.

8. Quæritur: *Quomodo Anima, quando est in peccato, est de se ipsa?* Solutio: Anima, quæ est in peccato, est serva per *opus*, veruntamen est libera per *naturam*: est serva per opus, in quantum deviavit à fine, ad quem est creata, sicut voluntas est serva, in quantum non habet charitatem, & intellectus, in quantum non habet veritatem, & memoria, quæ non recolit ea, quæ debet recolere, & omnes tres potentiæ sunt in carcere justitiæ, & non sunt liberæ; veruntamen sunt liberæ secundùm hoc, *de quo* sunt, & secundùm naturalem existentiam; quam libertatem superiùs probavimus.

9. Quæritur: *Quomodo Anima est de se ipsa, cùm ipsa sit pars hominis?* Solutio: Anima est de se ipsa, quamvis sit pars hominis; nam, sicut homo est de Anima & de corpore, ita Anima est de sua propria forma & materia; &, sicut homo est de se ipso, quamvis sit obligatus ad finem, ratione cujus est, ita Anima est de se ipsa, quamvis sit pars hominis.

10. Quæritur: *Quomodo Anima, quando est separata à corpore, est de se ipsa?* Solutio: Anima ita est de suis naturalibus principiis, quando est separata à corpore, sicut, quando est in corpore: &, si est beata, magis sequitur suam libertatem in illis principiis naturalibus, quàm, quando est in corpore; nam, quia corpus est in originali peccato, quod probavimus in *Articulis*, impedit ipsam ad sequendum suam naturalem libertatem, & dat ipsi appetitum, quòd habeat inclinationem ad malum; &, si Anima est damnata, per totum hoc non sequitur, quòd non sit de se ipsa, in quantum remanet id, quod erat in corpore; veruntamen secundùm servitutem non est de se ipsa, *de qua Servitute loquemur in tertia specie.*

Secunda Species tertiæ Partis.

1. Quæritur: *De quo est Anima materialiter?* Solutio: Anima est de *substantia* & de *accidentibus*: de *substantia* est, in quantum est de partibus substantialibus, quæ constituunt illam substantiam, ût jam diximus: quæ partes sunt Bonitas, Magnitudo, Duratio &c.: & est de *accidentibus*, in quantum quælibet pars substantialis venit cum accidentibus ad constituendum substantiam: sicut Bonitas, quæ venit quanta, in quantum habet quantitatem, & qualis, in quantum est talis & non alia, & venit cum relatione: sicut cum bonificativo, bonificabili & bonificare, nam, si bonificans est, convenit, quòd sit bonificabile, & per consequens bonificare: venit cum actione & passione: cum actione secundùm formam, cum passione secundùm materiam.

2. Anima etiam est de partibus, quæ sunt de aliis partibus: sicut de Bonitate, quam habent Magnitudo, Duratio, Potestas &c.; & illam accidentalem Bonitatem habent à substantiali prima Bonitate, quæ illis dat suam similitudinem; est etiam de Magnitudine Bonitatis, Durationis, Potestatis &c., quæ accidentalis Magnitudo est de prima substantiali, quæ aliis partibus dat suam similitudinem; & ita secundùm quòd diximus in prima specie hujus Partis, est Anima de illis primis partibus, & in hac specie est de secundis partibus; & ideo Anima omnibus modis est de se ipsa.

3. Anima est de habitibus substantialibus, scilicet de memoria, intellectu & voluntate, & isti tres habitus & potentiæ sunt de primis principiis: & ita in Anima est pars, quæ est de parte, & est totum, quod est de multis; & ideo Anima potest esse de se ipsâ, & habet partes, quæ sunt de illa.

4. Anima non est de multis speciebus, quæ non sint de sua essentia; nam, si esset, ipsa non esset de suâmet specie tantùm, nec posset converti cum sua specie, imò esset individuum, quod cum alio existeret sub una specie: sicut Martinus & Petrus, qui sunt differentes per essentiam, & stant sub una specie hominis; & Anima esset à generante, & non à Creante: & nos probavimus, quòd sit à Creante; igitur Anima est de suâmet specie, quæ est de multis speciebus: sicut de specie Bonitatis, Magnitudinis &c., quæ sunt suæ primæ partes.

5. Anima non est de mixtione, quæ sit de

de firmamento & de elementis; nam, si esset, esset substantia corporalis, & nos probavimus, quòd sit substantia spiritualis; &, quia est de libertate, non sequitur cursum firmamenti nec elementorum, imò constringit impressiones, quas corpora cœlestia faciunt in corpore, cum quo est conjuncta, in quantum constringit illud corpus ad jejunandum & ad castitatem, & sic de aliis, ût jam diximus.

6. Anima non est de essentia Angelorum vel Angeli, nec de essentia corporis, cum quo est conjuncta: nam, si esset, esset composita de substantia spirituali & corporali, & esset à generante per ambas substantias, & nos probavimus, quòd sit à Creante, & quòd sit de suis primis principiis.

7. Anima non est de Essentia DEI: nam, si esset, non posset peccare, & Essentia DEI esset divisibilis, ût jam diximus; & Anima non esset de suis primis principiis, de quibus est; nam esset de principiis DEI, quæ sunt prima omnibus aliis principiis; & nos jam probavimus, quòd Anima sit de suis principiis, & non de aliis.

8. Anima non est factura hominis, & ideo non est de operibus hominis: nam, si esset factura hominis, homo faceret se ipsum, in quantum Anima est una pars hominis; nec ullus homo facit suúmmet corpus, quomodo ergò faceret suâmmet Animam.

9. Anima non est de alia Anima: nam, si esset de alia Anima, non esset de suis primis principiis, de quibus est, ût jam probavimus; & etiam esset à generante, & non à Creante: & nos probavimus, quòd sit à Creante; & ideo malè dixit Averroës in hoc, quòd dixit, quòd omnes Animæ sint de una, quod est impossibile, ût superiùs probavimus in hoc, quòd probavimus, quòd Anima sit de suis primis principiis & de suis secundariis & de suámet essentia, & non de alia, & quòd sit à Creante, & non à generante.

10. Cùm Anima non sit de aliquo illorum, quæ diximus negando, & sit de illis, quæ diximus affirmando, potest homo habere cognitionem de Anima, secundùm quòd diximus: nam, in hoc, quòd homo habet cognitionem illius, de quo Anima est, & illius, de quo Anima non est, habet homo cognitionem Animæ, & potest habere doctrinam ad ordinandum Animam ad bonos mores, & ad avertendum illam à malis.

1. Quæritur: *Cùm Anima sit de substantia & accidente, quomodo potest esse substantia?* Solutio: Anima est substantia, in quantum est de partibus substantialibus, quæ constituunt illam substantiam: sicut homo, qui est de duabus substantiis, scilicet de Anima & corpore, & non dicitur, quòd homo sit aliqua illarum partium substantialium, sed quòd sit tertia substantia, quæ est de illis, & est in tertio numero; sic Anima non est aliqua suarum partium, sed est tertia substantia ex omnibus suis partibus constituta.

2. Quæritur: *Cùm Anima ideo sit substantia, quia est de multis partibus substantialibus, quare Anima non est accidens, cùm sit de multis accidentibus?* Solutio: Substantia & accidens differunt per genus, & ideo, quamvìs Anima sit de accidentibus, non potest esse accidens; nam, si posset esse accidens & substantia, ambo genera converterentur, quæ conversio est impossibilis.

3. Quæritur: *Quare Anima vocatur substantia, & non accidens?* Solutio: Si Anima esset accidens, non posset esse substantia, ût jam diximus, &, si esset accidens, & non substantia, sustentaretur accidentaliter, & non substantialiter, & substantia sustentaretur in accidentibus, & haberet plus entitatis & nobilitatis per accidentia, quàm per substantiam; quod est impossibile.

4. Quæritur: *De quo est quantitas Animæ?* Solutio: Secundùm quòd dicemus *in Capite de Quantitate*, potest fieri responsio ad hanc quæstionem.

5. Quæritur: *De quo est Anima Martini, in quantum est idea?* Solutio: Anima Martini, in quantum est idea, est DEUS: &, sicut DEUS est de se ipso, ita idea est de intellectu DEI; & in quantum illa idea est differens ab Anima Martini, Anima non est de essentia ideæ, sed est de suis propriis & naturalibus principiis, ût jam diximus.

6. Quæritur: *De quo est mobilitas Animæ separatæ motæ de uno loco in alium?* Solutio: Mobilitatem Animæ convenit considerare *duobus modis:* unus est *ad intrà*, & alius *ad extrà:* ille, qui est *ad intrà*, est de potentiis Animæ: sicut, quando Anima vult esse in uno loco, in quo non est, sequitur hoc, quod vult ejus voluntas, & hic motus non participat cum loco corporali,

porali, quia non est conjunctus cum corpore, quia est de actu spirituali; & motus, qui est *ad extrà* de uno loco in alium, non est realis, sed est species multiplicata de imaginativa per intellectum, qui illam imaginatur secundùm motum corporalem successivum de uno loco in alium.

7. Quæritur: *De quo est ille motus, quando Anima movet corpus de uno loco in alium?* Solutio: Anima est conjuncta cum corpore, & de illa conjunctione resultat homo, qui est de illa Anima & de illo corpore; quare simili modo motus est de actibus *ad intrà* & *ad extrà:* de actibus *ad intrà* est motus Animæ, quæ movet corpus; de actibus *ad extrà* est motus corporis, quod movetur de uno loco in alium, movendo unum pedem, & postea alium.

8. Quæritur: *De quo est ille motus, quando Anima movet sensitivam ad sentiendum?* Solutio: Voluntas movet manum ad scribendum, & manus movet calamum, & calamus movet atramentum; quare motus est de Anima, & est de manu, de calamo & de atramento, & etiam est de intellectu, qui movet imaginativam ad imaginandum literas, & est de memoria, quæ intellectui reddit species, quas multiplicat; & iste motus, in quantum est successivus, est de partibus ad extrà; & in quantum est ad intrà, est de speciebus, quæ sunt instrumenta motibus ad extrà.

9. Quæritur: *Quando Martinus, qui habet sitim, movet memoriam ad recolendum, & intellectum ad intelligendum, & voluntatem ad amandum aquam vel vinum, quod desiderat bibere, de quo est ille motus, quem Martinus facit de Anima?* Solutio: In quantum Anima est pars Martini, possidetur per illum, ût dicemus in *Capite sequenti;* & quia Martinus est tactus per vegetativam & sensitivam ad desiderandum frigiditatem & humiditatem contra calorem & siccitatem, & vegetativa & sensitiva sunt conjunctæ cum intellectiva, Martinus tactus per vegetativam & sensitivam movet intellectivam ad necessitates vegetativæ & sensitivæ; & ideo ille motus est de actibus naturalibus, quantum ad corpus, & de moralibus, quantum ad Animam.

10. Quæritur: *De quo sunt merita boni vel mali, quæ homo acquirit?* Solutio: Bonæ moralitates sunt similitudines partium ad intrà, de quibus est Anima, & illæ moralitates sunt ratione finîs; sicut justitia, quæ est propter judicare, & meritum, quod Martinus habet per justitiam, est de fine & de justitia; & merita, quæ sunt mala, sunt de habitibus privativis finîs, & de bonis moralitatibus privatis; sicut Petrus, qui meretur mortem, quia injustè occidit filium Martini.

Tertia Species tertiæ Partis.

1. Quæritur: *De quo est Anima possessivè?* Solutio: Anima est de DEO ratione creationis, nam ipse produxit illam de *non esse* in *esse*, & etiam sustentat illam in *esse;* nam, si illam non sustentaret, reverteretur ad *non esse*. Adhuc est Anima de DEO, quia DEUS dat ipsi beneficia, quæ ipsa habet, & proprietates & naturas; nam sinè DEO nulla Anima haberet inclinationem ad producendum bonum recolere, intelligere & velle, & sic de aliis actibus.

2. Anima est de fine DEI, quia ipsam creavit ad illum finem, scilicet ad ipsum recolendum, intelligendum & amandum; quare, sicut martellus est de fine clavi, ita & multò meliùs est Anima de fine DEI: & ideo tota Anima est obligata ad recolendum, intelligendum & amandum DEUM.

3. Anima etiam est de Justitia DEI: nam, si est bona per mores, est subjectum, in quod Justitia influit remunerationes de Dignitatibus DEI, in quantum illam facit beatam per Bonitatem, & illam beatitudinem facit magnam per Magnitudinem; &, si Anima est mala per mores, est subjectum Justitiæ DEI, in quo privat fines principiorum Animæ & potentiarum ejus, & privat illam fine, ad quem est creata, & facit ipsam esse vacuam illis finibus: & illa vacuitas est ignis infernalis spiritualis Animæ, & est tam magna pœna, quòd homo illam non possit cogitare, dicere, vel scribere.

4. Anima est de fine suorum principiorum & potentiarum, quia ipsa est creata ad beatitudinem omnium illorum: & propter hoc est obligata ad tractandum, quòd illa principia & potentiæ veniant ad suum finem, scilicet, quòd memoria habeat quietem & beatitudinem ad recolendum, & intellectus ad intelligendum, & voluntas ad amandum; &, si Anima est damnata, est de labore suarum potentiarum, quia est obligata ad procurandum laborem illarum; & hoc idem est de primis principiis ejus.

5. Anima est de fine substantiarum cor-

poralium, ût jam diximus; nam, si ipsa non esset conjuncta cum corpore, subsantiæ non possent attingere suum finem in DEO; igitur Anima est obligata ad procurandum, quòd finis illarum subsantiarum sit bonus & magnus in corpore, cum quo est conjuncta: &, si Anima est mala, est obligata ad portandum pœnam, in quantum est contra finem illarum subsantiarum; & in hoc passu potest homo cognoscere, quomodo Anima mala sit obligata ad magnam pœnam.

6. Anima est de homine, cùm sit pars hominis, & quælibet pars est subdita suo toti, cùm major nobilitas sit in toto, quàm in parte; & ideo homo movet Animam ad suos appetitus, sicut totum, quod movet suas partes, & sicut subsantiæ speciales, quæ sunt de publica utilitate.

7. In Anima sunt *duo modi* ipsius *esse*, scilicet *existentia* & *agentia:* & *existentia* est de *agentia*, in quantum est subjectum illius; & *agentia* est de *existentia*, in quantum debet procurare felicitatem & beatitudinem *existentiæ;* & ideo una pars est de alia: sicut duæ manus hominis, quarum quælibet est alterius, in quantum una debet adjuvare aliam in operando; & hoc idem est de pedibus in eundo.

8. In Anima sunt multæ partes, & una est subdita alteri: sicut Bonitas, quæ est subdita Magnitudini, ut illam bonificet; & Magnitudo est subdita Bonitati, ut illam magnificet; & hoc idem est in similitudinibus, quas transmittunt ad extrà, de quibus faciunt moralitates, & lucrantur bona merita; &, si lucrantur mala, quælibet pars est obligata alteri ad sustinendum pœnam.

9. In Anima memoria est de intellectu & voluntate, in quantum est arca, quæ conservat species, quas acquisiverunt, & in ipsa posuerunt; & intellectus est de memoria & voluntate: de memoria est, in quantum ipsa requirit esse plena speciebus, quas intellectus in illa ponat: de voluntate est, in quantum præcedit & monstrat voluntati, quæ objecta sint amabilia, & quæ odibilia; & voluntas est de memoria & intellectu, in quantum est obligata ad desiderandum objecta & appetitus memoriæ & intellectûs.

10. Anima damnata est dæmonis & peccati, quia est serva pœnæ æviternæ; & quia perdidit libertatem, est de servitute, & non est de se ipsa; & hoc idem esset in hoc mundo, quando est in peccato, nisi esset ratione Misericordiæ DEI, de qua ita est, sicut de Justitia; & hoc est, quia Misericordia DEI tam perfectè requirit subjectum ad parcendum, sicut Justitia DEI ad judicandum; & ideo illi peccatores habent magnam culpam, qui desperant, quia in ejus Misericordia non habent spem.

1. Quæritur: *Utrùm Anima sit Angeli?* Solutio: Nulla Anima est Angeli in hac præsenti vita, nec est dæmonis, ût diximus; nam, si in hac vita esset Angeli, Angelus illam constringeret ad suos appetitus, & non haberet libertatem faciendi bonum vel malum; & nos probavimus in prima specie, quòd Anima sit de se ipsa liberè.

2. Quæritur: *Utrùm Anima sit conscientia?* Solutio: Anima est de rationibus, secundùm quòd est de suis principiis: sicut de Bonitate: nam, in quantum est de Bonitate, & Bonitas est ei ratio faciendi bonum, quando homo movet Animam ad malum, ratio boni est subjectum conscientiæ: & hoc idem de Magnitudine; & ideo Anima, quæ est de rationibus, est conscientiæ, scilicet, quòd est obligata ad sequendum hoc, quod conscientia ab illâ requirit; & quando facit contra conscientiam, ita est contra sua principia, sicut servus contra suum dominum.

3. Quæritur: *Quidam homo multùm amat alterum: utrùm Anima illius, qui amat, sit Animæ illius, qui amatur?* Solutio: Charitas conjungit duas voluntates vel plures ad unum finem, & ideo secundùm habitum charitatis potest una Anima esse alterius, & illa servitus est de actu libertatis, nam charitas non est coactè, quamvis unum amicum conjungat alteri.

4. Quæritur: *Voluntas habet duos actus, unus est amare, & alius est odire: unde quæritur: utrùm odire sit de amare?* Solutio: Actus ipsius amare est, ut sequatur finis voluntatis, quæ habet quietem in amando, & odire est instrumentum ad evitandum labores voluntatis, ne impediant quietem; & ideo, secundùm quòd consequens est de antecedente, est secundus actus de primo.

5. Quæritur: *Utrùm, quando intellectus credit aliquid, quod non intelligit, illud credere sit de intelligere?* Solutio: Intellectus habet *duos actus*, unus est *suppositivus*, & alius *necessarius;* suppositivus est primus, in quantum supponit, aliquid esse verum vel falsum, ut possit intelligere illud; & ideo actus suppositivus est de necessario, in quantum est instrumentum illius; quare convenit priùs credere, quàm intelligere.

6. Quæritur: *Memoria in principio capit species, quas intellectus acquirit, & postea reddit illas, unde, in quantum illas capit, sunt species novæ, & in quantum illas reddit, sunt antiquæ, & ideo oritur quæstio, utrùm novæ species sint de antiquis, vel antiquæ de novis?* Solutio: Quando intellectus ponit novas species in memoria, secundùm naturam sunt confusæ, & quando illas recipit, sunt digestæ: & hoc apparet in parvo infante, qui non tam bene intelligit, sicut intelligit, quando est in perfecta ætate; & ideo Finis est in speciebus antiquis, in quibus memoria habet quietem, & habet laborem in conservando species confusas & novas; igitur novæ species sunt de antiquis, sicut Principium & Medium sunt de Fine.

7. Quæritur: *In Anima sunt duo genera Bonitatis: una est subsantialis, alia accidentalis: quæritur, quænam est de alia?* Solutio: Subsantia sustentatur per se ipsam, & non accidentia, & subsantia est finis, & accidentia habent se ad illum finem; igitur subsantia est propter se ipsam, & accidentia sunt propter subsantiam, cùm accidentia sint, ut sit subsantia, & subsantia non est, ut sint accidentia; igitur accidentalis Bonitas est de subsantiali.

8. Quæritur: *Bonitas subsantialis dat suam bonitatem accidentalem Magnitudini, in quantum illam facit bonam: quæritur: utrùm illa Bonitas accidentalis, per quam Magnitudo est bona, sit de Magnitudine, vel utrùm sit de Bonitate subsantiali?* Solutio: Bonitas Magnitudinis est qualitas appropriata, & est propria qualitas Bonitatis subsantialis; & quia propria est plus, quàm appropriata, Bonitas subsantialis propria est domina Bonitatis accidentalis appropriatæ; & in quantum ipsa est appropriata & data, est de Magnitudine, quæ ipsam recipit & est de illa habituata.

9. Quæritur: *Convenit, quòd in omni actu virtuoso sit ligamen virtutum & separatio à vitiis, unde, quando homo est in gratia: quæritur, quæ virtus moralis est de alia?* Solutio: In actu ipsius recolere sunt intellectus & voluntas de memoria, & in actu ipsius intelligere sunt memoria & voluntas de intellectu; simili modo in actu fidei sunt spes & charitas de fide, & hoc convertitur; hoc idem est de virtutibus cardinalibus, & etiam de viriis.

10. Quæritur: *Utrùm in inferno una Anima sit de alia possessivè?* Solutio: In grano piperis fines aliorum elementorum sunt de fine ignîs: & hoc est ideo, quia in pipere est plus de calore, quàm de aliis qualitatibus; simili modo, secundùm quòd una Anima est occasio damnationis alterius, est de servitute illius Animæ occasionatæ per illam ad damnationem; & illa servitus est sustentatio majoris pœnæ propter pœnam Animæ occasionatæ ad damnationem.

PARS IV.
De Quare.
Prima Species quartæ Partis.

1. Quæritur: *Quare Anima est essentialiter?* Solutio: Anima est, quia est creata, & quia habet causam; nam, postquam est causa, convenit, quòd sit effectus: sicut, si est Sol, convenit, quòd sit dies, & si est operans, convenit, quòd sit operatum; igitur Anima est, quia est effectus DEI, qui ipsam creavit.

2. Anima est, quia est de suis principiis talibus, & non aliis: sicut de sua propria Bonitate, Magnitudine &c, de quibus principiis est constituta ejus essentia & ejus proprium esse; sicut subsantia, quæ est de multis partibus, & est *illa* subsantia, quia est de *illis* partibus.

3. Anima est per formam & per materiam: sicut homo, qui est per Animam & per corpus, & sicut panis, qui est per farinam & per aquam; & ideo est Anima per se ipsam, quia est de hoc, quod est, & non esset de hoc, quod est, si forma & materia essent alterius, & non ipsius.

4. Anima est per suas tres potentias, scilicet per suam memoriam, intellectum & voluntatem, quæ sunt de ejus essentia, & illa est de ipsis, sicut triangulus, qui est de tribus angulis, & ideo est *ille* triangulus, quia est de *illis* tribus angulis.

5. Anima est per sua propria accidentia, sinè quibus non potest esse, & quia est de illis accidentibus & de partibus formalibus & materialibus, in quibus illa accidentia sustentantur, ideo Anima est, postquàm

sunt illa accidentia & in tali substantia sustentata.

6. Anima est, quia omnes suæ partes habent concordantiam in constituendo unam substantiam, & illam substantiam, quæ est Anima; igitur Anima est per Concordantiam, postquam est de Concordantia.

7. Anima est, quia habet actus intrinsecos proprios & naturales, scilicet memorare, intelligere & amare, de quibus est, & sinè quibus non posset esse, quia sua memorativitas & memorabilitas non possent esse sinè memorare, quod sit de illarum essentia; & hoc idem de intellectivitate & intelligibilitate, quæ non possent esse sinè intelligere, quod sit de illarum essentia; & hoc idem de velle, quod est de essentia volitivitatis & volibilitatis; igitur Anima est, quia est de tribus actibus intrinsecis, quos diximus.

8. Anima est, quia omnia principia, de quibus est, sibi invicem dant suas similitudines: sicut Bonitas, quæ dat suam similitudinem Magnitudini, in quantum illam facit bonam, & Magnitudo dat suam similitudinem Bonitati, in quantum illam facit magnam, & sic de aliis; &, quia Anima est de illis similitudinibus, ideo est, quod est.

9. Anima est, quia suæ tres potentiæ sunt de suis primis principiis: sicut memoria, quæ de sua bonificativitate, magnificativitate, durificativitate (& sic de aliis) habet suam recolitivitatem, & de bonificabilitate magnificabilitate, durificabilitate habet suam recolibilitatem, & de bonificare, magnificare & durare habet suum essentiale recolere; & hoc idem de intellectu, qui habet suam intellectivitatem de illa eadem bonificativitate, magnificativitate, durificativitate &c., de quibus memoria habet suam recolitivitatem; sed, quia memoria habet illa principia sub ratione ipsius recolere, & intellectus sub ratione ipsius intelligere, memoria & intellectus sunt differentes potentiæ; & hoc idem est de voluntate.

10. Anima est, quia est de spiritualibus principiis, nam, si esset de corporalibus, non esset hoc, quod est, & esset hoc, quod non est: sicut filius Martini, qui ideo est homo, quia est filius viri & fœminæ, qui sunt de humana specie. Igitur monstravimus & significavimus, quare Anima sit formaliter & materialiter, & secundùm naturalia principia, & talia & non alia.

1. Quæritur: *Postquam Anima est per suam essentiam & naturam, quare convenit, quòd à DEO sustentetur?* Solutio: Sicut Anima non potest per se ipsam esse producta de *non esse* in *esse*, ita suum *esse* non potest *simpliciter* sustentari per se ipsum; in quantum autem sustentatur per se ipsum, hoc est, in quantum est in natura positum, quòd per se ipsum sit hoc, quod est, & quia habet illam essentiam & naturam: sicut panis, qui ideo est panis, quia est de farina & aqua; & sicut ipse non potest diu sustentari, quia est de elementis contrariis, ita Anima non potest sustentari per se ipsam, quia est producta de *non esse*, & non producta per se ipsam.

2. Quæritur: *Postquam Anima sustentatur à DEO, quomodo stat hoc, quòd sit per se ipsam?* Solutio: Anima est hoc, quod est, per se ipsam, in quantum est de hoc, quod est: sicut substantia, quæ est per se ipsam existens, postquam est de forma & materia; veruntamen, quamvis substantia sit per se ipsam existens, postquam est de partibus, quæ per se ipsas existunt, conjunctis tamen aliis partibus cum aliis: per totum hoc substantia non potest existere simpliciter per se ipsam in duratione & in tempore; nam convenit, ipsam existere & durare per id, per quod ipsa est posita in tempore & in duratione.

3. Quæritur: *Quare Anima est de illis principiis, de quibus est, & non de aliis?* Solutio: Postquam Anima est, convenit, quòd sit qualis, & talis, & non alia; & ideo conveniunt ipsi illa principia, per quæ sit hoc, quod est, & sit hæc Anima, & non illa, ut sint multæ Animæ.

4. Quæritur: *Quare Anima non est tota de principiis substantialibus, cùm principia substantialia sint multò nobiliora, quàm accidentalia?* Solutio: Anima non posset esse hoc, quod est, nisi esset de hoc, quod est: sicut homo non posset esse homo, nisi esset de Anima rationali & corpore elementato, vegetato sensato & imaginato, & nisi illud corpus haberet quantitatem, colorem & alia accidentia, quæ ad illud pertinent; simili modo Animæ convenit quantitas spiritualis, & talis qualitas spiritualis, & non alia; & hoc idem de tali actione & passione & relatione, sinè quibus accidentibus ejus partes substantiales non possent esse.

5. Quæritur: *Quare Anima est de materia,*

teria, cùm sit simpliciter forma? Solutio: Si Anima esset forma, & non esset de materia, sua forma non esset de principiis formalibus, scilicet de bonificativo, magnificativo &c., nam illa non possent esse sinè propriis & essentialibus principiis materialibus, scilicet bonificabili, magnificabili &c., quæ sint de essentia Animæ, & quòd de illis formalibus & materialibus sint actus intrinseci, videlicet bonificare, magnificare &c.; & posito, quòd principia formalia essent de essentia Animæ, & materialia non, conveniret, quòd destructis partibus passivis destruerentur activæ, & Anima esset mortalis & corruptibilis, & nos jam probavimus, quòd sit immortalis.

6. Quæritur: *Quare DEUS non creavit Animam nobiliorem?* Solutio: Nulla res potest esse magis nobilis, quàm recolibilitas, intelligibilitas & amabilitas DEI, nec DEUS posset creare tam nobilem recolitivitatem, intellectivitatem & amativitatem, sicut est sua recolibilitas, intelligibilitas & amabilitas; nam, si posset ipsas creare, posset creare creaturas infinitas in Bonitate, Magnitudine, Æternitate, Potestate, Sapientia, Voluntate, Virtute, Veritate & Gloria, & posset creare multos Deos, quod est impossibile; igitur DEUS creavit Animam in illa nobilitate, quæ est magis proportionata finitati creaturæ in Magnitudine Bonitatis, & infinitati Creatoris in Magnitudine Bonitatis; nam nulla creatura potest esse magis nobilis nec meliùs proportionata divinæ recolibilitati, intelligibilitati & amabilitati, quàm creata recolitivitas, intellectivitas & amativitas.

7. Quæritur: *Quare DEUS non creavit Animam potentiorem?* Solutio: Omne, quod est creatum, est creatum ad recolibilitatem, intelligibilitatem, & amabilitatem DEI: &, sicut est creatum ad illum finem, est creatum cum proportionata potestate: sicut partes totius, quæ ipsi sunt proportionatæ; & si DEUS creasset Animæ majorem potestatem, quàm illam, quam ipsi creavit, illa major potestas non esset proportionata aliis partibus Animæ; sicut, si nasus Martini esset tam magnus, sicut caput, non esset proportionatus cum facie, nec cum partibus illius.

8. Quæritur: *Quare est Anima de primis principiis, scilicet de Bonitate, Magnitudine &c., & non simpliciter de forma & materia?* Solutio: Si Anima esset tantùm de forma & de materia, & forma & materia non essent de naturali Bonitate, Magnitudine &c., forma & materia non essent per se bonæ, magnæ &c., & Anima non haberet in se ipsa naturam nec rationes ad faciendum bonum, nec magnum bonum, nec amabile, virtuosum, nec verificabile, possificabile, gloriabile & durabile, & esset defectiva in suis principiis, & non haberet libertatem ad lucrandum per moralitates merita boni vel mali.

9. Quæritur: *Quare Anima habet tres potentias, & non plures nec pauciores?* Solutio: Nulla creatura potest attingere DEUM, nisi tantùm per recolitivitatem, intellectivitatem & amativitatem, nam DEUS non potest bonificari per creaturam, nec infinitari, nec æternari, & sic de aliis Dignitatibus, quia tantùm est recolibilis, intelligibilis & amabilis; & suæ recolibilitati (& hoc idem de sua intelligibilitate & amabilitate) sufficit una recolitivitas, quæ in illa attingat suam Bonitatem, Magnitudinem, Æternitatem &c.; & ideo, si in Anima essent plures potentiæ, quàm tres, esset in ipsa superfluitas, &, si in illa essent pauciores, quàm tres, esset defectiva secundùm tria objecta, quæ diximus.

10. Quæritur: *Quare in Animâ Bonitas non est de memoria, intellectu & voluntate, & memoria, intellectus & voluntas sunt de Bonitate?* Solutio: Secundùm ordinem naturæ totum est de partibus, & totum non producit suas partes: nam, si illas produceret, produceret se ipsum, sed multæ partes per aliud productæ & conjunctæ constituunt totum; & hic ordo esset destructus in Anima, si Bonitas, Magnitudo &c. essent secundaria principia, & memoria, intellectus & voluntas essent primaria.

Secunda Species quartæ Partis.

1. Quæritur: *Quare Anima est finaliter?* Solutio: Anima est principaliter ad recolendum intelligendum & amandum DEUM: nam nobilior finis, quem ipsa potest habere, est contemplari DEUM; & ideo DEUS creavit Animam ad se ipsum, ut ipsam crearet ad nobiliorem finem; &, si illam principaliter creasset ad illam ipsam, feciisset injuriam sibi ipsi, & Anima haberet majorem quietem & beatitudinem in contemplando se ipsam, quàm in contemplando DEUM; quod est impossibile.

2. Anima est, ut sit homo, nam homo

non posset esse sinè Anima, &, quia est homo, potest homo contemplari DEUM cum omnibus creaturis, cùm homo participet cum omnibus creaturis, & cum ipsis potest servire DEO, & hoc ipse non posset facere, si Anima non esset.

3. Anima est, ut cum ipsa & per ipsam corporales substantiæ attingant suum finem in DEO, ût jam diximus.

4. DEUS amat suam recolibilitatem, intelligibilitatem & amabilitatem, &, quia Anima illum potest attingere recolendo, intelligendo & amando, DEUS amat finem Animæ, & Anima ideo est creata, ut ametur à nostro Domino, & illud amari est ejus finis & ejus complementum.

5. Anima est, ut divina Bonitas, quæ est Ens spirituale, influat in creando suam similitudinem, & similiter Magnitudo DEI, & hoc idem de sua Æternitate, Potestate, Sapientia, Voluntate, Virtute, Veritate & Gloria.

6. Anima est, ut DEUS participet cum creaturis corporalibus: nam in hoc, quòd Anima participat cum illis, existens conjuncta cum corpore, & DEUS participat cum Anima, influentibus suis Rationibus suas similitudines in Animam, participat DEUS cum illis, & similiter quælibet suarum Rationum.

7. Anima est, ut sint morales virtutes, cum quibus DEUS ab homine recolatur, intelligatur & ametur: nam secundùm justitiam dignum est, quòd DEUS recolatur, intelligatur & ametur; & secundùm prudentiam Dignum est, quòd sapienter recolatur, intelligatur & ametur; & hoc idem de fortitudine & aliis virtutibus; hoc non posset esse, nisi Anima esset.

8. Anima est, ut DEUS habeat rationem ad faciendum homini magnum & durabile bonum, qui mereatur illud bonum per rationes virtutum acquisitarum, & acquisitarum cum libertate; hoc non posset esse, nisi Anima esset.

9. Anima est, ut sit scientia, cum qua homo habeat cognitionem præsentium, præteritorum & futurorum: &, quia homo per Animam habet scientiam, est Anima instrumentum homini ad cognoscendum multas res, & ad recolendum & amandum illas; & ideo est homo positus in via, ut per multas res contempletur DEUM, & illi serviat.

10. Anima est, ut sint Artes mechanicæ, sinè qua non possent esse, & sinè quibus corporales creaturæ essent otiosæ; sicut si ars ferraria non esset, ferrum non haberet finem in martello nec in clavo, nec ignis in calefaciendo ferrum; & sic de aliis rebus similibus istis.

1. Quæritur: *Quare DEUS non creavit Animam in tali statu, quòd non posset peccare?* Solutio: Si Anima non posset peccare, homo non posset liberè servire DEO, sed coactè, & non esset dignus, quòd à DEO amaretur & remuneraretur: & perderetur finis libertatis, & Justitia DEI non haberet subjectum, in quo posset judicare.

2. Quæritur: *Quare Anima lapsa in peccatum non potest per se ipsam surgere à peccato?* Solutio: Sicut homo, qui injuriosè occidit alium, & est in carcere Regis, de eo non potest exire, quamvìs de illo velit exire, ita Anima lapsa in peccatum non potest exire de carcere Justitiæ DEI, qui est fortior, quàm carcer Regis, quamvìs Anima ex illo velit exire; sed, quia Misericordia DEI habet ita magnum jus in illam Animam, sicut Justitia, quamprimùm Anima se vult judicare, statim potest de carcere exire, & potest se velle judicare per potestatem justitiæ & misericordiæ, cum qua potestate potest surgere.

3. Quæritur: *Quare DEUS non creavit Animam in statu, quòd non posset ignorare?* Solutio: Si Anima non posset ignorare, memoria non posset obliviscì, & in uno & eodem *nunc* haberet omnes species: & intellectus non esset investigativus nec practicus, quia organa corporis non possent sustinere illam tam magnam intellectivitatem, & Anima in hoc sæculo esset in illa perfectione, in qua erit in alio, si est beata.

4. Quæritur: *Quare Anima habet cor pro organo ad volendum?* Solutio: Cor est fons sanguinis, qui est de complexione aëris, & sanguis est illa pars, quæ citiùs convertitur in aliam speciem, quàm ulla alia pars corporis; &, quia voluntas magis subitò capit suum objectum, quàm memoria & intellectus; ideo illi est datum cor pro instrumento.

5. Quæritur: *Quare cerebrum frontis est datum intellectui pro organo?* Solutio: Nulla potentia est tam investigativa, sicut intellectus, nam ipse est, qui facit differentiam inter species; & quia imaginatio

natio attingit per sensum, & intellectus attingit sensum in imaginatione, & cerebrum frontis participat in illo loco, in quo fit major congregatio sensuum particularium, sicut in capite supra nasum ad intrà prope supercilia, in quo est unum centrum, ubi congregatur centrum audiendi, videndi, odorandi & gustandi; ideo illi meliùs convenit illud cerebrum pro organo, quàm ulla alia pars corporis.

6. Quæritur: *Quare cerebrum occipitis est datum memoriæ pro organo?* Solutio: Sicut intellectus & ignis conveniunt per concordantiam luminis corporalis & luminis spiritualis, ita memoria & terra concordant per modum conservationis corporalis & spiritualis: quia terra conservat species corporales, & illa reddit ipsas Soli & agenti naturali, quod ipsas generat & renovat, & memoria reddit phantasticas species intellectui, & conservat illas; &, quia reddit species corporales intellectui per imaginationem, cerebrum occipitis est datum memoriæ pro organo.

7. Quæritur: *Quare medium, quod est inter cerebrum antè & cerebrum retrò, est datum imaginationi pro organo?* Solutio: Secundùm quòd diximus: unus locus est, qui est magìs communis sensibus particularibus, quàm ullus alius locus corporis, & ille participat cum cerebro antè & retrò, & in medio loco est organum imaginationis, ut intellectus possit imaginari species corporales, & memoria similiter; & hoc non esset in tam bona dispositione, si organum imaginationis non participaret cum illo loco magìs communi, quem diximus.

8. Quæritur: *Quare Anima movet vegetativam ad vegetandum, & sensitivam ad sentiendum, & imaginativam ad imaginandum?* Solutio: Finis omnium partium corporis est homo, & finis hominis est memorare, intelligere & amare DEUM; quare, sicut homo se movet ad suum principalem finem movendo suam Animam ad illum finem, ita Anima movet partes corporis ad finem hominis; nam, si illas non moveret, Anima non esset instrumentum ad finem illarum, qui finis est DEUS, ût jam diximus, nec cum ipsis serviret DEO.

9. Quæritur: *Homo, qui jacet in suo lecto, & tenet oculos clausos, & non audit aliquid, nec tangit corpus animatum, quando recolit aliquam delectationem carnalem, quare movet imaginationem ad imaginandum illam delectationem, & quare imaginatio movet corpus ad sentiendum delectationem carnalem?* Solutio: Quia Anima est conjuncta cum corpore, partes Animæ sunt conjunctæ cum partibus corporis, & quando una potentia habet suum actum, sicut, quando memoria habet suum memorare, excitat cum suo actu actum alterius potentiæ, cum qua participat, in tantum, quòd alii actus miscentur cum aliis, & de omnibus est unus actus communis, qui est opus hominis.

10. Quæritur: *Quare homo recolit aliquid, quod non vult recolere, & quare intelligit illud, postquàm illud non vult intelligere, quia videtur, quòd Anima moveat hominem coactè ad objecta, quæ non vult habere, & non, quòd homo moveat Animam ad illa?* Solutio: Dum homo vigilat, nulla potentia Animæ simpliciter potest esse otiosa: nam, si esset, homo non vigilaret, sed dormiret; & quia homo multoties non considerat finem, quare est, nec finem suarum partium, nec finem aliarum substantiarum, ideo suæ potentiæ fortuitò capiunt aliqua objecta non desiderata, ut moveant totum, videlicet hominem, ad finem desideratum; & non movent illum coactè, sed excitando & tentando, ut ipse de necessitate illas moveat ad objecta desiderabilia.

PARS V.
De Quantitate.
Prima Species quintæ Partis.

1. QUæritur: *Utrum Anima habeat simplicem Quantitatem?* Solutio: Anima habet simplicem Quantitatem, per quam est quanta ejus simplex substantia: sicut ejus substantialis Bonitas, quæ habet accidentalem Bonitatem, quam communicat aliis principiis, ut sint bona; simili modo Bonitas habet simplicem Quantitatem, per quam simpliciter est quanta, & cum illa sua Quantitate est quanta Bonitas, quam communicat Magnitudini & Durationi & aliis principiis, nam sinè Quantitate non posset illis communicare suam Bonitatem accidentalem.

2. Si Anima non haberet simplicem Quantitatem, non posset habere ullum principium

pium ſimplex quantificatum per Quantitatem: ſicut Bonitatem, Magnitudinem, Durationem, & ſic de aliis; nam, ſicut Quantitas eſſet compoſita, & non Simplex, ita principia eſſent compoſita, & non ſimplicia, quod eſt impoſſibile; nam compoſitio non poteſt eſſe ſinè ſimplicibus principiis differentibus per eſſentiam.

3. Sicut concreta Bonitatis ſunt qualia per Qualitatem, ſcilicet quòd unum eſt bonificans, & aliud bonificabile, ita ſunt quanta per Quantitatem; & bonificabile ſinè Quantitate non poſſet eſſe diſpoſitum ad naturalem potentiam activam, quòd eſſet bonificatum: nec bonificare ſinè Quantitate poſſet eſſe proportionatum paſſivæ & activæ potentiæ.

4. Simplex Quantitas Animæ eſt ita de ſe ipſa & poſita in eſſe principium ſimplex, ſicut *prima ſpecies tertiæ partis:* & illa ſimplex Quantitas communis communicans ſe ſimpliciter omnibus principiis, imprimit in quolibet principio ſimplicem Quantitatem appropriatam; & ideo quodlibet principium eſt diſpoſitum ad eſſe ratio quantificandi ſecundùm ſuam ſpeciem; ſicut Bonitas, quæ eſt ratio ſub certa Quantitate bono, quòd agat bonum quantificatum menſuratum per Quantitatem.

5. Quia ſimplex Quantitas Animæ eſt ſpiritualis, non eſt imaginabilis, ſed intellectus accipit illam in ſimilitudine Quantitatis corporalis; ſicut ignis ſimplex, qui eſt quantus per ſimplicem Quantitatem, &, ſi ejus Quantitas eſſet compoſita, & non ſimplex, ipſe non eſſet elementum quantum ſimplex, nec poſſet habere ſimplicem calorem, nec ſimplicem lucem, & ſic de ejus aliis ſimplicibus qualitatibus & proprietatibus.

6. Simplex Quantitas Animæ non extenditur ſecundùm locum & partem ſubſtantiæ corporalis: nam, ſicut ſubſtantia Animæ eſt ſeparata à colore & ſuperficie, ſic eſt ſeparata & remota à longo, lato & profundo ſecundùm ſuam eſſentiam & naturam; ſed ſua Quantitas eſt ens, per quod eſt quanta, & in uno loco, & non in alio, & hæc Anima, & non illa, & habet tantam virtutem, & non plus nec minus.

7. Simplex Quantitas Animæ ſecundùm *unum modum* eſt *continua*, & ſecundùm *alium diſcreta* & *punctualis:* ſecundùm modum *continuum:* ſicut Quantitas communis continua, quæ ſecundùm ſuam ſpeciem eſt continuè in qualibet parte Animæ: ſicut albedo, quæ continuè eſt per totam materiam & formam nivis vel lactis; Quantitas *punctualis* & *diſcreta* eſt: ſicut Quantitas cujuslibet ſimplicis principii Animæ; nam ſecundùm ſpeciem Bonitatis una pars Quantitatis eſt illa, quæ illi eſt appropriata, & alia pars Quantitatis eſt illa, quæ Magnitudini eſt appropriata; &, quia nullum principium eſt extra aliud, ejus Quantitas non poteſt eſſe continua; nam, ſi eſſet continua, Anima eſſet de partibus, quarum una non eſſet in alia: ſicut camera, quæ eſt de lapidibus, quorum unus non eſt in alio, & parietes, qui non ſunt in tecto.

8. Quantitas Animæ non eſt pars ſubſtantialis: nam, ſi eſſet, haberet concreta ſimplicia ſubſtantialia, ſcilicet quantificativum, quantificabile & quantificare, & illa Anima, quæ haberet majorem Quantitatem, haberet majores habitus & actus morales ſinè libertate, quod eſt impoſſibile; eſt igitur Quantitas paſſiva potentia diſpoſita ad paſſionem, ſubſtans actionibus ſubſtantialium principiorum Animæ, ſecundùm quòd de ipſa voluerint agere in producendo ſuas ſimilitudines, acquirendo virtutes, & multiplicando ſpecies.

9. Quando intellectus in imaginativa imaginatur diviſibilitatem totius Quantitatis corporalis, & conſiderat illam diviſibilitatem non terminatam durante ſubjecto Quantitatis, habet inclinationem ad conſiderandum, quòd Anima ſit diviſibilis, poſtquàm habet Quantitatem; & talem inclinationem habet ratione imaginativæ non denudatæ à ſpeciebus, quæ ſunt ſimilitudines ſubſtantiarum corporalium; ſed, ſi intellectus removeret & denudaret à ſubjecto Quantitatis corporalis (ſic loquendo) longum, latum & profundum, non poſſet conſiderare, quòd illud quantum eſſet diviſibile; & ideo intellectus denudat à Quantitate ſpirituali longum, latum & profundum, propter quod non poteſt conſiderare, quòd ſubjectum Quantitatis ſpiritualis ſit diviſibile; & hoc idem de extenſibilitate.

10. Sicut tres potentiæ Animæ ſunt differentes per Differentiam, & concordantes per Concordantiam, ita ſunt quantæ per Quantitatem: & ſinè Quantitate non poſſent eſſe differentes nec concordantes, & omnes tres eſſent una & eadem potentia in

in numero, & ipſa non eſſet activa nec paſſiva, quod eſt impoſſibile; igitur Anima habet Quantitatem: &, ſicut tres potentiæ habent ſimplices proprietates, ſcilicet recolitivitatem, intellectivitatem & amativitatem per ſimplicem Differentiam, ita habent illas ſimplices proprietates per ſimplicem Quantitatem.

1. Quæritur: *Quomodo ſimplex Quantitas Animæ poteſt eſſe ſimplex ſinè continuitate?* Solutio: Reſponſio hujus quæſtionis conſiſtit in ſeptimo paragrapho prædicto; & homo etiam poteſt conſiderare hanc ſimilitudinem: ferrum cultri, clavi & martelli conſiſtit in continua Quantitate in quolibet ſecundùm eſſentiam & ſpeciem, in qua continuitate non poſſet ſtare ſinè Quantitate; veruntamen illa continuitas ſuſtentatur in diſcretis Quantitatibus, in quibus non ſtat continuitas totius ſpeciei ferri; &, ſuppoſito, quòd culter, clavus & martellus eſſent partes una in alia, & quòd quælibet pars remaneret in ſua ſpecie, de neceſſitate ſequeretur Quantitas continua & diſcreta: continua ſecundùm eſſentiam: diſcreta ſecundùm ſpeciem.

2. Quæritur: *Utrùm Quantitas ſimplex & continua ſint convertibiles in Anima?* Solutio: Secundùm ſpeciem Quantitatis, continuitas & ſimplicitas convertuntur; ſed, ſecundùm quòd unum principium differt ab alio, unum principium habet unam Quantitatem, & aliud principium aliam Quantitatem; & ideo, ſecundùm quòd ſubjecta non ſunt convertibilia, Quantitas continua & ſimplex non poſſunt converti.

3. Quæritur: *Cùm intellectus ſit de naturali Bonitate, Magnitudine & de aliis principiis ſubſtantiæ, quomodo poteſt habere ſimplicem Quantitatem?* Solutio: Sicut intellectus eſt de ſimplici Bonitate, de ſimplici Magnitudine &c., ita eſt de ſimplici Quantitate; &, ſicut habet ſimplicem Bonitatem, ſimplicem Magnitudinem, ita habet ſimplicem Quantitatem.

4. Quæritur: *Poſtquàm Quantitas intellectûs eſt ſimplex, utrùm ejus Simplicitas ſit de generali Simplicitate, vel de ſe ipſa?* Solutio: Sicut Anima eſt bona per Bonitatem, & magna per Magnitudinem, ita eſt ſimplex per Simplicitatem; & ideo Simplicitas Quantitatis eſt una pars communis Simplicitatis.

5. Quæritur: *Quomodo ſimplex Quantitas poteſt eſſe materia & ſubjectum compoſitæ Quantitati?* Solutio: Non eſſet univerſale, niſi eſſent particularia, de quibus eſt congregatum; &, ſi particularia deſtruerentur in univerſali in tantum, quòd nullum remaneret in ſuo numero, univerſale non haberet, in quo eſſet, nec de quo eſſet; & ideo non poſſet eſſe.

6. Quæritur: *Quid extendit ſimplicem Quantitatem in multas partes?* Solutio: Secundùm quòd jam diximus: Quantitas eſt paſſiva potentia diſpoſita ad multos habitus, & ratione activitatum principiorum ſubſtantialium quodlibet principium ab illa capit tantum, quantum indiget ad ſuum numerum & ad ſuos actus.

7. Quæritur: *Quomodo extenſitas ſimplicis Quantitatis poteſt eſſe ſinè ſuperficie ſubſtantiæ?* Solutio: Secundùm quòd jam diximus: ita diſconvenit ſubſtantiæ ſpirituali ſuperficies, ſicut color; & ideo extenſio Quantitatis ſpiritualis ſuſtentatur in principiis differentibus per numerum & per eſſentiam, quin indigeat ſuperficie, ſicut non indiget colore; ſed intellectus vadit claudicando per imaginationem, in quantum ſe non depurat à ſpeciebus, quæ ſunt ſimilitudines ſubſtantiarum corporalium.

8. Quæritur: *Utrùm Animæ ſint in numero pari vel impari?* Solutio: Sicut principium numeri eſt de uno impari, ita convenit, quòd ſuus finis ſit in impari ſecundùm numerum ſubſtantiarum naturalium; & hoc eſt, ut par terminetur in impari, ſicut eſt principiatum in impari, & ut principium & finis habeant majorem concordantiam, & etiam ut impar habeat majorem ſimilitudinem indiviſibilitatis, quàm par; igitur numerus Animarum eſt impar.

9. Quæritur: *Cùm una Anima non ſit alia, utrùm ſunt terminatæ per Quantitatem contiguam?* Solutio: Secundùm quòd jam diximus: Anima non habet Quantitatem diſpoſitam ad eſſe in loco, qui eſt conditio corporis, & eſt diſpoſita ad eſſe terminata per ſuam propriam Quantitatem; & ideo non ſequitur, quòd, quamvis habeat Quantitatem, una Anima ſit contigua cum alia, & etiam, quòd Anima Martini extrà ſuum corpus eſſet contigua cum Anima Petri, cùm Martinus ſit in uno loco, & Petrus in alio.

10. Quæritur: *Utrùm Anima hominis magni ſit major, quàm Anima hominis parvi?* Solutio: Intellectus, ût jam dixi-

mus, vadit claudicando, & est infirmus, quando considerat conditiones Animæ similes conditionibus corporis; &, quia considerat magnum hominem majorem, quàm parvum hominem, per Quantitatem corporalem, inclinat se (ita loquendo) ad considerandum illam Animam magni hominis majorem, quàm parvi hominis; sed, quando Animam simpliciter considerat secundùm suas conditiones, non considerat, quòd una Anima sit major, quàm alia, secundùm extensitatem corporalem, sed secundùm extensitatem spiritualem diffusam in Bonitate, Magnitudine, Duratione, Potestate, Voluntate & Sapientia &c.

Secunda Species quintæ Partis.

1. QUæritur: *Utrùm Anima habeat Quantitatem compositam?* Solutio: Secundùm quòd jam diximus: Anima est de multis principiis, & quodlibet principium habet simplicem Quantitatem: &, quia convenit, quòd quodlibet principium sit in alio, convenit, quòd Quantitas cujuslibet sit in alia; & de omnibus resultat una composita Quantitas, quæ ita est communis omnium, sicut omnes sunt de una communi simplici Quantitate.

2. Sicut de Bonitate, quæ Magnitudini dat suam similitudinem, & de Magnitudine, quæ Bonitati dat suam similitudinem (& sic de aliis principiis) resultat unum tertium commune, ita de multis Quantitatibus resultat una composita Quantitas sustentata in substantia Animæ; & illa substantia, in quantum est composita de multis partibus, habet compositam Quantitatem, per quam est quanta.

3. In Anima de simplici Quantitate communi procedunt multæ Quantitates, & procedunt in principia; &, sicut multæ simplices Quantitates procedunt de una simplici Quantitate, & nascuntur in principiis: sicut productum, quod nascitur in specie; ita de multis simplicibus Quantitatibus procedit una communis composita, quæ nascitur in substantia Animæ, quæ est una.

4. Quælibet trium potentiarum Animæ habet Quantitatem compositam, per quam est terminata & finita: sicut Quantitas intellectûs, quæ est de Quantitate Bonitatis, Magnitudinis, Durationis &c.; &, quia intellectus est unus & de multis partibus, sua Quantitas est composita, & de multis simplicibus Quantitatibus.

5. Anima est composita, in quantum est de suis potentiis; &, quia quælibet potentia habet Quantitatem compositam, convenit, quòd Quantitas Animæ sit composita; & ita est de compositis Quantitatibus, sicut Anima est de potentiis, quæ sunt de multis partibus.

6. In Intellectu (& sic de aliis potentiis) unum est intellectivum, & aliud intelligibile, & aliud intelligere: & omnia tria habent simplicem Quantitatem, in quantum Quantitas unius non est Quantitas alterius; &, quia intellectus est de omnibus tribus, sua Quantitas est composita de Quantitatibus omnium trium; igitur Anima habet compositam Quantitatem.

7. Anima est de forma & materia: & forma habet Quantitatem activam, quia in activa parte sustentatur; & materia habet Quantitatem passivam, quia in passiva parte sustentatur Quantitas; & de ambabus Quantitatibus unâ activâ & aliâ passivâ resultat una composita Quantitas: sicut de partibus, de quibus resultat una composita substantia.

8. Quia Anima habet compositam Quantitatem, possunt ejus principia esse in majori Concordantia; in qua majoritate non essent, si Quantitates simplices principiorum non essent in continua Quantitate composita; & essent discretæ Quantitates, non una in alia: sicut in camera, in qua discretæ Quantitates lapidum non sunt una in alia.

9. Si Anima non haberet compositam Quantitatem, non haberet naturam, quòd componeret similitudines suorum principiorum & aliorum in speciebus, quas multiplicat, & quas acquirit per modum recolendi, intelligendi & amandi objecta ad extrà; sed, quia naturaliter habet compositam Quantitatem, componit unam similitudinem cum alia, & de illis similitudinibus componit unam speciem, quam considerat.

10. Si Anima non haberet compositam Quantitatem, ejus Quantitas non esset de multis: & ejus partes substantiales essent sinè simplici & composita Quantitate: & substantia esset de suis principiis, & ejus Quantitas non esset de illis, nec de substantia; sed esset extranea & alterius essentiæ: in tantum, quòd Anima non esset de accidente, sed tantùm de substantia, quod est impossibile.

1. Quæ-

1. Quæritur: *Quomodo potest Anima habere Quantitatem simplicem & compositam?* Solutio hujus quæstionis consistit in hoc, quod diximus de Quantitate simplici & composita.

2. Quæritur: *Si Anima habet compositam Quantitatem, utrùm conveniat, quòd subjectum sit divisibile in multas partes?* Solutio: Omnis substantia creata est composita de forma & materia, & quamvìs sit de partibus, non est divisibilis per formam & per materiam; nam, si hoc esset, separatâ formâ à materia, quælibet sustentaretur sinè alia, in tantum, quòd forma posset esse sinè materia, & materia sinè forma, non conjunctâ unâ cum alia; & esset actio & non actio in forma, & passio & non passio in materia; & hoc est contradictio & impossibile.

3. Quæritur: *Si Anima habet compositam Quantitatem, utrùm conveniat, quòd ejus Quantitas sit substantialis, cùm de partibus accidentalibus non possit fieri compositio?* Solutio: Si de partibus accidentalibus non posset fieri compositio, omnia accidentia substantiarum essent in discretis Quantitatibus, & non in continua; & Anima ita esset de partibus discretis, & non unâ in alia, sicut camera: & color vini rubei & aquæ non haberent unam continuam Quantitatem in vase, quod continet vinum & aquam, nec aqua calida posset calefacere aquam frigidam, nec frigida frigefacere calidam.

4. Quæritur: *Si Anima habet compositam Quantitatem, utrùm possit esse mortalis per naturam, cùm omne compositum sit divisibile?* Solutio: Sol habet unam communem Quantitatem, quæ est composita de Quantitate formali & materiali, & tamen ejus substantia non est corruptibilis.

5. Quæritur: *Si Anima habet compositam Quantitatem, & unum principium componitur cum alio, utrùm sequatur, quòd Anima componat & producat se ipsam; quod est impossibile, scilicet quòd ullum ens producat se ipsum?* Solutio: Probavimus, quòd Anima sit à Creante, & non à generante: &, sicut partes simplices in uno instanti sunt productæ de *non esse* in *esse* per creationem, potest produci illarum compositio; nam, si hoc non esset, creatio non posset esse sinè successione, quia partes essent priùs, quàm totum, & creatio haberet conditiones agentium naturalium, quod est impossibile; nam non esset creatio, sed naturalis operatio.

6. Quæritur: *De quo est composita Quantitas Animæ?* Solutio: Sicut substantia est simplex, & ejus Simplicitas est ita de Simplicitatibus suarum partium, sicut ipsa est de illis partibus, ita Quantitas composita est de multis simplicibus Quantitatibus.

7. Quæritur: *Simplex commune bonum potest esse de simplicibus partibus, sed quomodo compositum potest esse de simplicibus, cùm sint differentia per genus, sicut substantia & accidens, quod accidens non potest esse de essentia substantiæ; nam, si esset, esset pars substantialis, & non accidentalis in composito de substantia & accidente, quod est impossibile?* Solutio: Omnis compositio est consequentia simplicium in uno congregato de multis, & simplex commune & compositum commune convertuntur in numero.

8. Quæritur: *Si compositio procedit de simplicibus partibus, quomodo compositum potest esse simplex?* Solutio: Simplex commune est simplex, quia est de simplicibus partibus: sicut filius Martini & suæ matris, qui est homo, quia habet patrem & matrem, qui sunt de humana specie; & simplex, quod est de simplicibus partibus, in quantum est communis compositio, quæ procedit de simplicibus partibus, nascitur in communitate totius compositi de partibus simplicibus.

9. Quæritur: *Si totum, quod est simplex, convertitur in numero cum toto, quod est compositum, convenit, quòd compositio sit tam principale principium, sicut Simplicitas; & si hoc est, sequitur, quòd simplicia sint de compositione, sicut compositio est de Simplicibus?* Solutio: Omnis pars est, ut sit suum totum, & ideo finis partis est totum; simili modo finis compositionis est finis simplicis, quod est totum de partibus simplicibus.

10. Quæritur: *Cùm simplex sit de simplici, utrùm compositio possit esse de compositione?* Solutio: In Anima (& hoc idem de substantiis corporalibus) est ejus compositio de forma & de materia, quæ sunt compositæ partes, in quantum sunt de simplicibus principiis, ût jam diximus; quare compositio potest esse de compositione secundùm secundam speciem tertiæ partis hujus Libri; sed compositio non transit ad primam speciem tertiæ partis, cùm non sit

de se ipsa, sed de alia; ad quam primam speciem transit simplex pars communis simplicis, quod per compositionem est de multis partibus, quæ compositio est medium, quod est de partibus simplicibus, & sustentatur in communi simplici, quod est simplex per numerum & speciem, & quia est de partibus simplicibus.

PARS VI.
De Qualitate.
Prima Species sextæ Partis.

1. QUæritur: *Quales sunt propriæ Qualitates Animæ rationalis?* Solutio: Bonitas accidentalis naturalis Animæ est propria Qualitas Bonitatis substantialis, ita, & multò meliùs, sicut calor est propria qualitas ignis, & frigiditas aquæ; & hoc idem de Magnitudine accidentali naturali, quæ est propria Qualitas Magnitudinis substantialis, & sic de aliis principiis substantialibus, quorum quodlibet habet suam propriam Qualitatem, quam communicat alteri, & cum illa disponit suos actus; & Anima congregata de omnibus principiis substantialibus habet proprias Qualitates illorum, cum quibus facit suas operationes, & habet habitus & dispositiones in tribus potentiis & in actibus illarum.

2. Quia Bonitas est propria Qualitas Animæ, dicitur Anima qualis bona, & quia Magnitudo est ejus propria Qualitas, dicitur Anima qualis magna, & sic de aliis: sicut homo dicitur qualis secundùm magnitudinem, colorem & figuram.

3. Anima per naturalem potentiam habet in habitu memorativitatem, intellectivitatem & amativitatem, quæ ita habent in habitu proprias Qualitates activas, sicut substantialis Bonitas habet accidentalem Bonitatem naturalem, & sicut substantialis Magnitudo habet Magnitudinem accidentalem, & sic de aliis principiis; & ideo memorativitas substantialis habet aliam memorativitatem, quæ est accidentalis, & est ejus propria Qualitas, cum qua informat & disponit memorare, & trahit illud de sua similitudine & de memorabilitate accidentali naturali & passiva Qualitate, quæ est propria Qualitas memorabilitatis substantialis, & illud memorare est accidentale, & de similitudinibus, & sustentatur in memorare intrinseco substantiali, quod est de essentia substantialis memoriæ; & hoc idem de intellectu & voluntate.

4. Anima habet Qualitates dispositas secundùm suas rationes: sicut Bonitas, quæ est ratio Animæ ad memorandum bonum, & ad intelligendum bonum, & ad amandum bonum; & Magnitudo, quæ est ratio Animæ ad memorandum magnum, & ad intelligendum magnum, & ad amandum magnum; & sic de aliis objectis dispositis, quòd accipiantur per dispositiones proprias, stantes sub substantialibus rationibus, quarum sunt Qualitates.

5. Activæ Qualitates sunt formales potentiæ, quæ repræsentant substantiales potentias, in quantum sunt figuræ illarum; & passivæ Qualitates sunt figuræ, quæ repræsentant passivas materias substantiales, in quantum sunt Qualitates illarum; sicut calor ignis, qui, in quantum est activa Qualitas, repræsentat formam ignis, &, in quantum est passiva Qualitas, repræsentat materiam illius.

6. In intelligere memorabilitates sunt figuræ & passiones, & hoc idem de amabilitatibus; & intellectivitas est figura & habitus intellectûs agentis, qui discurrit per passivas Qualitates supradictas; & hoc idem convertitur in aliis potentiis: sicut in memorare, in quo intelligibilitates & amabilitates sunt figuræ & passiones, & memorativitas est figura & habitus memoriæ substantialis, quæ accipit & retinet species, & dat, & reddit illas intellectui & voluntati.

7. In intelligere bonificativitas est activa Qualitas intellectûs, & bonificabilitates, quæ sunt bonæ per intelligere, sunt passivæ Qualitates bonificabilitatis substantialis & intelligibilitatis substantialis.

8. Secundùm quòd potentiæ habent dispositas Qualitates, habent in habitu objecta, & retinent figuras illorum; & quando dispositio destruitur per privatam proportionem objectorum intrinsecorum & extrinsecorum, habitus habent innaturales potentias & impossibilitates, nam non habent, cum quo possint retinere objecta non disposita, quòd recolantur, intelligantur & amentur: sicut aquila, quæ fregit alam, quæ non habet in habitu volare, & homo surdus, qui non habet in habitu audire, & mutus loqui.

9. Memorabilitates, intelligibilitates & amabilitates substantiarum corporalium sunt innaturales potentiæ, sed quia sunt dispositiones ad naturales potentias, quæ illas habent in habitu, sunt naturales possibilitates & impressiones & figuræ; sicut vinum, quod habet naturalem potentiam inebriandi hominem, qui illud bibit; &, si illud non bibit, habet naturalem impotentiam, quòd ipsum possit inebriare.

10. Nulla propria Qualitas potest relinquere suum subjectum, sivè attingat objectum, sivè non; nam, si illud relinqueret, id, quod est proprium, esset appropriatum, & non proprium, & partes intrinsecæ substantiales non haberent, cum quo possent uti extrinsecis, & essent otiosæ; sicut ignis, qui non posset calefacere, si suum proprium calorem daret & appropriaret alteri, &, si ille non haberet ipsum.

1. Quæritur: *Cùm lapis & planta & asinus habeant passivas Qualitates objectivè, quæ non sunt de essentia intellectûs, qui illas intelligit, nec de alio intellectu, quomodo possunt esse intelligibiles?* Solutio: Secundùm quod diximus: intellectus habet propriam Qualitatem, cum qua intelligit; &, ut possit intelligere substantias corporales, est illis appropriata intelligibilitas, quæ non est de essentia illarum: sicut aëri, cui est appropriatus calor per ignem, ut sit calefactibilis, qui calor non est de ejus conditionibus essentialibus.

2. Quæritur: *Supposito, quòd non esset intellectus, utrùm lapis, planta & asinus essent intelligibiles?* Solutio: DEUS, ût jam diximus, creavit substantias corporales ad se ipsum, ut ipse sit finis illarum, & ut ipsæ in illo habeant quietem, quam non possent habere, si non esset intellectus, qui intelligeret DEUM & substantias corporales, ut ipse conjunctus cum corpore esset medium & instrumentum ad finem & ad quietem illarum; &, si ipse non esset creatus, ipsæ non essent intelligibiles, nam DEUS nullam creaturam creavit superfluè, nec sinè fine, quarum substantiarum intelligibilitas esset superflua, & ad nullum finem creata, si intellectus non esset.

3. Quæritur: *Cùm naturalis Bonitas Animæ sit illi propria Qualitas, quare Anima existens in peccato, quod est per accidens innaturale, habet malam Qualitatem?* Solutio: Ut diximus: nulla propria Qualitas dimittit suum proprium subjectum; &, si substantia non utitur suis propriis Qualitatibus, secundùm quòd sunt dispositæ & passivæ stantes sub rationibus substantialibus & naturalibus, est contra finem illarum, ratione cujus contrarietatis & privationis finis assumit malum habitum contra Bonitatem, & parvum contra Magnitudinem, & vitiosum contra Virtutem, & sic de aliis; & ideo ipsamet sibi ipsi appropriat morales malas Qualitates sustentatas in bonis naturalibus, quæ de illis sunt vestitæ.

4. Quæritur: *Cùm memoria, intellectus & voluntas sint habitus, qui sunt Qualitates, quomodo possunt esse partes substantiales substantiæ Animæ?* Solutio: Secundùm quòd jam diximus: quodlibet principium habet suam propriam Qualitatem, & memoria, intellectus & voluntas sunt substantialiter de primis principiis substantialibus, de quibus est substantia Animæ, & ipsæ non sunt habitus, sed potentiæ; & propriæ Qualitates de principiis conjunctis in tribus potentiis, quâlibet potentiâ habente suam propriam Qualitatem conjunctam de Qualitatibus principiorum, appellantur habitus, in quo sunt species in potentiâ: sicut ferrarius habens in habitu ferrariam, ratione cujus scit facere clavum & gladium & cultrum.

5. Quæritur: *Postquàm Anima est melius disposita ad utendum suis activis Qualitatibus, quàm suis passivis, quare suæ activæ Qualitates sunt impotentes per impedimentum passivarum Qualitatum?* Solutio: Inter formam & materiam convenit esse dispositionem & proportionem; &, quando deficit dispositio & proportio, priùs deficit ex parte materiæ, quàm ex parte formæ secundùm naturalem cursum, cùm forma sit nobilior, quàm materia, & habeat majorem virtutem in agendo, quàm materia in patiendo: sicut ignis habet majorem virtutem in comburendo lignum & multiplicando suam flammam, quàm lignum in patiendo.

6. Quæritur: *Utrùm dispositio Qualitatum activarum & passivarum sit de essentia illarum?* Solutio: Intellectus hominis, qui vigilat, & est ferrarius, est dispositus ad intelligendum modum, secundùm quem faciat bonum ensem: & intelligibilitas ensis non est de essentia intellectûs ferrarii; quare dispositio Qualitatis activæ & passivæ, quæ non est de essentia intellectûs, est species multiplicata & acquisita per Artem mechanicam; sed dispositio naturalis, quæ est ad intrà, & est medium inter formam & materiam Animæ,

est ens positivum & reale, cujus similitudines sunt extrinsecæ dispositiones.

7. Quæritur: *Utrùm propria Qualitas substantialis Bonitatis sit activa vel passiva?* Solutio: In substantiali Bonitate est substantiale bonificativum & substantiale bonificabile, & propter hoc accidentalis Bonitas est activa Qualitas ratione bonificativi, & passiva ratione bonificabilis.

8. Quæritur: *Utrùm moralitates sint Qualitates magis similes activis naturalibus, quàm passivis naturalibus?* Solutio: Dispositio, quæ est inter Qualitatem activam & passivam, habet plus entitatis & naturæ per formam, quàm per materiam; & ideo ejus similitudo & figura ipsam magis repræsentat formaliter, quàm materialiter.

9. Quæritur: *Utrùm Anima movens unam suarum Qualitatum moveat omnes alias?* Solutio: Inter potentias activas & passivas est dispositio & proportio naturalis: &, quando accipit objecta ad extrà perfectè, movet omnes suas Qualitates ad accipiendum illa objecta; sed, quando accidit ratione innaturalis potentiæ privatio dispositionis & proportionis ad intrà & ad extrà, Anima non movet omnes suas Qualitates, sed aliquas: sicut Anima, quæ movet suum intellectum ad intelligendum, & memoriam ad memorandum virtutem, & suam voluntatem ad amandum vitium; & ideo nascitur conscientia de supradictis habitibus, quia Anima in amare non movet Bonitatem, Virtutem, Justitiam nec Veritatem, quas movet in recolere & intelligere virtutes.

10. Quæritur: *Quomodo in Anima potest esse aliqua Qualitas, quæ sit propria & communis?* Solutio: Bonitas accidentalis est propria Qualitas Bonitatis substantialis: & hæc propriè non potest esse communis Magnitudini, Durationi, nec aliis principiis; sed, in quantum est appropriata Magnitudini, Potestati & aliis principiis, quæ per ipsam sunt bona, est communis Qualitas appropriata.

Secunda Species sextæ Partis.

1. Quæritur: *Quales sunt Qualitates appropriatæ Animæ?* Solutio: Substantialis Bonitas appropriat suam accidentalem Bonitatem substantiali Magnitudini, in quantum per illam est bona, & illa Bonitas Magnitudinis est appropriata Qualitas: sicut ignis, qui suum calorem appropriat aëri; & hoc idem facit Magnitudo Bonitati, cui appropriat suam Magnitudinem, & sic de aliis principiis Animæ.

2. Magnitudo substantialis appropriat Bonitatem, quam recipit à Bonitate substantiali, suæ Magnitudini accidentali, in quantum illam facit bonam, & sic sunt duæ Qualitates appropriatæ magnitudini, quæ sunt de genere Bonitatis: una est Bonitas appropriata Magnitudini substantiali, & alia est Bonitas appropriata Magnitudini accidentali; & hoc idem est de Magnitudine appropriata Bonitati.

3. Quædam Qualitatum appropriatarum sunt intrà substantiam, & aliæ extrà: illæ, quæ sunt intrà, sunt naturales, & sunt similitudines, quas quædam principia dant aliis, ût diximus: illæ, quæ sunt extrà, sunt morales Qualitates & habitus acquisiti, & istæ vadunt & veniunt, sed intrinsecæ semper manent.

4. Bonitas naturalis & substantialis semper per se est dispositа ad dandum suam similitudinem Magnitudini, Durationi & aliis principiis: sed per se ipsam sinè adjutorio aliarum non potest; nam, si Potestas ipsam non juvaret, non posset ipsam dare; & ideo illud adjutorium, quod Potestas facit Bonitati, quòd possit dare suam similitudinem Magnitudini, est Qualitas appropriata per Potestatem; & hoc idem est per Virtutem & per Veritatem; & secundùm quòd se adjuvant Qualitates intrinsecæ, se adjuvant in acquirendo Qualitates appropriatas extrinsecas: sicut temperantiam, quæ est appropriata Qualitas homini per Bonitatem, in quantum est bona, & est illi appropriata per Potestatem, in quantum potest esse bona, & per Virtutem, in quantum est habitus virtuosus; & ille habitus, in quantum est verus, est appropriatus cum Veritate; &, quando deficiunt adjutoria ab intrà, habitus ad extrà deveniunt in privationem, & subjectis appropriantur vitia.

5. Intelligibilitas solis, ignis, plantæ, equi, & sic de aliis substantiis corporalibus, sunt Qualitates appropriatæ suis subjectis: ut per intelligibilitates illorum possint intelligi; & hoc idem de illorum memorabilitatibus: ut possint memorari; & de illorum amabilitatibus: ut possint amari.

6. Quædam Qualitates appropriatæ sunt communes: sicut calor ignis, qui est communis calor aëri calefacto, & similiter aquæ calidæ & terræ calefactæ in lapide vel in vitro, & sic de aliis subjectis illius caloris; simili modo est in Anima: sicut substantialis Bonitas, quæ dat suam accidentalem Bonitatem justitiæ, prudentiæ, fortitudini & temperantiæ: quæ accidentalis Bonitas est communis Qualitas & appropriata; & est communis per differentiam subjectorum, & appropriata, in quantum est data cuilibet subjecto.

7. Vegetare & sentire & imaginari sunt appropriatæ Qualitates Animæ; nam per ipsam vegetativa corporis, cum qua est conjuncta, movetur ad vegetandum, & sensitiva ad sentiendum, & imaginativa ad imaginandum; cùm Anima sit forma corporis, & naturaliter moveat partes illius ad finem illius & suî ipsius, qui finis est homo, cujus Anima & corpus sunt partes, & sunt, ut sit homo.

8. Magnitudo appropriat suam accidentalem Bonitatem, quam recipit à substantiali Bonitate, morali virtuti, magnificando illam; nam, in quantum ipsam magnificat, est illa magnificatio bona: & illa Bonitas appropriata virtuti magnificando, est illa eadem in numero, quæ est appropriata bonificando; sed, in quantum actus sunt differentes, Qualitas est una per unum actum, & alia per alium: sicut virtus ignis appropriata ceræ, quam dissolvit, & tegulæ, quam desiccat.

9. Unus habitus appropriat suam dispositionem alteri, ut ponat passionem in illo, & ut de passione possit acquirere actionem: sicut justitia, quæ suam dispositionem ponit in prudentia, ut sapiens homo justè judicet se ipsum & alium.

10. DEUS est recolibilis, intelligibilis & amabilis: & ideo Animæ est appropriata recolitivitas, intellectivitas & amativitas; &, quia DEUS est dignus, quòd recolatur, intelligatur & ametur cum libertate, Bonitate, Magnitudine, justitia, prudentia, fortitudine & temperantia, fide, spe & charitate, sunt recolitivitas, intellectivitas & amativitas appropriatæ Qualitates cum aliis, quas diximus; & in isto passu est multum de moralitate.

1. Quæritur: *Utrùm Qualitas formalis possit esse appropriata: nam, si est appropriata, est materialis, & sequitur, quòd activa & passiva Qualitas remaneant in uno & eodem numero?* Solutio: In quantum Bonitas appropriat suam similitudinem Magnitudini, est Qualitas formalis: & in quantum Magnitudo est bonificabilis, est Qualitas materialis; & ideo una est Bonitas in appropriando: &, in quantum est appropriata, est differens ratione differentium subjectorum; scilicet, quia producens est formale, & recipiens materiale.

2. Quæritur: *Utrùm Recolibilitas DEI sit Ens positivum?* Solutio: Intelligibilitas & amabilitas DEI sunt Rationes positivæ reales: &, si sua recolibilitas non esset Ens positivum reale, Anima, quæ DEUM recoleret, intelligeret & amaret, haberet meritum & beatitudinem per intelligere & amare, non per memorare DEUM; quod est impossibile.

3. Quæritur: *Utrùm aliqua Qualitas appropriata possit esse activa?* Solutio: Illud, quod producit Qualitatem de se ipso, producit illam activam in subjecto, cui ipsam dat; &, quia subjectum est compositum de forma & de materia: in quantum recipit Qualitatem in forma, nascitur Qualitas activa in illa forma, &, in quantum illam recipit in materia, nascitur Qualitas passiva: sicut una & eadem aqua, quæ implet unam figuram circularem, & aliam quadrangularem, & aqua est una in specie, & est individuata, secundùm quòd est assituata in differentibus subjectis.

4. Quæritur: *Utrùm aliqua Qualitas naturalis appropriata ipsius Animæ possit esse successiva?* Solutio: Successio potest intelligi *duobus modis*: scilicet *successio*, quæ est *in instanti*, & *successio*, quæ est *in tempore*; illa, quæ est *in instanti*: sicut in substantia Animæ, in qua sua principia sibi invicem dant suas similitudines in instanti sinè motu loci & temporis: sicut substantialis Bonitas, quæ dat suam accidentalem Bonitatem substantiali Magnitudini, & Magnitudo dat illam Durationi, & Duratio Potestati; & propter hoc illa donatio est *in specie successionis de uno ad aliud*. *Successio*, quæ est *in tempore*, est extrà per moralitates, vel per vegetativam & sensitivam, quæ stant *in specie successionis numeri, horarum, dierum & annorum per tempus & per motum*.

5. Quæritur: *Quomodo species, quas Anima acquirit & multiplicat, sunt Qualitates appropriatæ?* Solutio: Substantialis Bonitas movet suam accidentalem Bonitatem in Magnitudinem, in quantum ipsi illam appropriat, & sic de uno in aliud, ût diximus; & de hoc opere intrinseco procedunt similitudines, de quibus sunt habitus extrinseci acquisiti; sicut justitia, in qua est

est acquisita species judicandi; & in illa specie sunt multæ Qualitates appropriatæ, scilicet multæ similitudines: una Qualitas est similitudo Bonitatis intrinsecæ, alia Magnitudinis intrinsecæ, & sic de aliis; cùm illud judicare sit bonum & magnum.

6. Quæritur: *Utrùm Qualitas passiva possit esse possibilis?* Solutio: Passio habet se per materiam, & possibilitas per Potestatem, cùm possibilitas sit dispositio & figura Potestatis: & passio, quæ est actu, non est dispositа ad esse possibilis, in quantum est; nam, si esset, sequeretur, quòd forma, quæ est in potentia per possibilitatem, esset in uno & eodem tempore in potentia & in actu; tamen passiva qualitas producta de potentia in actum, est subjecta possibilitati alterationis vel privationis.

7. Quæritur: *Utrùm Qualitas appropriata remaneat in uno numero cum propria?* Solutio: Ignis habet proprium calorem, & aër appropriatum, & calor est unus in specie; sed non potest esse unus in numero, stans in differentibus subjectis: sicut figura radii solis, quæ est differens per diversas fenestras, per quas intrat in cameram.

8. Quæritur: *Utrùm una Qualitas sit magis appropriata, quàm alia?* Solutio: Secundùm quòd stat dispositio inter naturalem potentiam activam, & naturalem passivam, & non naturalem passionem, potest una Qualitas esse magis appropriata, quàm alia; sicut Martino potest appropriari naturalis recolitio major, quàm intellectio, per majorem dispositionem organi & potentiæ sub ratione recolendi, quàm sub ratione intelligendi: & sub ratione recolendi & amandi, quàm sub ratione amandi & intelligendi.

9. Quæritur: *Utrùm Qualitati appropriatæ in substantia Animæ sit necessarius locus?* Solutio: Locus multis modis potest considerari, ût dicemus; &, in quantum ad intrà, intelligimus locum spiritualem: sicut accidens collocatum in subst antia, & unum accidens in alio: sicut Bonitas accidentalis collocata in subst antiali & accidentali Magnitudine, in quantum sunt subjecta, quibus illa Bonitas est appropriata; & talis locus est necessarius appropriationi spiritualium Qualitatum.

10. Quæritur: *Utrùm Anima Martini possit appropriare aliquam suarum Qualitatum Animæ filii Martini?* Solutio: Simpliciter Anima Martini non potest appropriare aliquam suarum Qualitatum naturalium & essentialium Animæ filii Martini, cùm sit à Creante, & non à generante; sed ratione dispositionis, quæ est inter organa & potentias in Martino, qui de suis organis transmittit similes species in corpus sui filii, potest Anima Martini proportionare & disponere & ordinare, quòd suus filius sit similis patri in aliquibus moralibus consuetudinibus & corporalibus figuris.

PARS VII.
De Temporalitate.
Prima Species septimæ Partis.

1. QUæritur: *Utrùm Anima perpetuò sit in uno instanti &* nunc, *quod non mutat suum numerum?* Solutio: Anima est spiritualis substantia, ût jam probavimus; &, sicut illi disconvenit longum, latum & profundum, quia non est corpus, ita illi disconvenit mutatio de uno *nunc* in aliud; nam, sicut illi conveniret habere corpus, si haberet longum, latum & profundum, ita illi conveniret habere corpus, si esset in uno *nunc*, & postea in alio; cùm omnis substantia, quæ est de uno *nunc* in aliud, sit de natura temporis, & mensurata per dies & per annos & per corporalem motum.

2. Anima est principiata: &, in quantum est principiata creando, est principiata in tempore, de quo non capit, nisi unum *nunc* indivisibile: sicut Martinus, qui, in quantum est homo, est principiatus in humana natura, de qua non capit, nisi unum numerum specialem, non, quòd ipse sit unus homo, & postea alius.

3. Anima est creata in instanti: & ideo habet omnes suas conditiones in instanti, & in uno instanti in numero, quod ante se ipsum habet tempus, & non retrò; nam, si haberet tempus retrò, simpliciter haberet numerum horarum, dierum & annorum: sicut corpus Martini, quod habet illum numerum per motum firmamenti; quare, sicut in sphæra Saturni non est nox, nec numerus multarum noctium, sed numerus unius diei per præsentiam solis, ita Anima non est per se ipsam in numero temporis; sed humanus intellectus numerat dies & annos à tempore creationis ipsius Animæ.

4. Sicut Anima movetur per motum corporis, cum quo est conjuncta, moto illo corpore de uno loco in alium; ita Anima movetur de uno tempore in aliud per corpus, quod est in uno tempore, & postea in alio; &, sicut Anima non movet se ipsam de uno loco in alium, ita non movet se ipsam de uno tempore in aliud.

5. Anima est indivisibilis substantia: & ideo simpliciter non potest esse in successione temporis; nam, si esset in successione temporis, esset divisibilis: sicut substantia mundi, quæ fuit creata in instanti, & fuit posita in successione, in quantum DEUS in una die separavit unam creaturam ab alia, & creavit mundum in sex diebus secundùm successionem temporis.

6. Quando Anima conjuncta cum corpore desiderat aquam vel aliam necessitatem corporis, non desiderat illam propter se ipsam, cùm ipsi non sit necessarium bibere, comedere, calor, nec frigus, lectus, camera, nec vestes; quare, sicut ista ipsi disconveniunt simpliciter per se ipsam, ita ipsi disconveniunt horæ, dies & anni; sed, sicut supradictæ conditiones illi conveniunt ratione corporis, ita illi conveniunt horæ, dies & anni ratione corporis; quare, in quantum per se ipsam, stat in uno *nunc*, à quo non separatur, & stat cum illo *nunc* in multis *nunc*, quæ sunt corporis, quod dimittit unum *nunc*, & assumit aliud: & illud, quod dimittit, stat in tempore præterito, & *nunc*, quod assumit, stabat in tempore futuro.

7. Si sol non moveretur de uno loco in alium, successio temporis non sustentaretur in horis, diebus & annis; sed, quia movetur, multiplicat numerum horarum, dierum & annorum; simili modo Anima separata ita est in uno *nunc* sinè successione temporis, sicut sol staret in uno loco, si non moveretur; sed, quia Anima movetur in corpore ratione naturæ corporis, est antiqua in continenti, quando corpus est in motu de uno tempore in aliud.

8. Si Anima non haberet simplex *nunc*, non posset habere simplicia principia, & sua principia essent composita, sicut principia corporis, quæ sunt composita de uno *nunc* & de alio per successionem temporis: sicut in infante, in quo priùs fuit operatio vegetationis, quàm sensationis, & sensationis, quàm imaginationis.

9. Nullum corpus posset moveri de uno loco in alium, nisi haberet partes primas & ultimas: nec de uno tempore in aliud, nisi moveretur in momenta & horas; quare, simili modo, quia Anima non habet partes primas nec ultimas, cùm sit substantia spiritualis, & sicut non potest moveri de uno loco in alium per se ipsam, postquàm non habet partes primas nec ultimas, ita non potest moveri de uno tempore in aliud, postquàm non habet illas partes; igitur Anima semper & perpetuò stat in illo eodem *nunc*, in quo fuit creata.

10. Martinus, qui stat ad dexteram partem Petri, non stat ad dexteram partem Petri, nisi per corpus, cùm Anima non habeat dextram nec sinistram; simili modo Anima non habet tempus successivum de uno *nunc* in aliud per se ipsam, sed habet illud tempus successivum ratione corporis & motûs firmamenti.

1. Quæritur: *Utrùm* nunc *Animæ sit de ejus essentia & natura, vel de alio?* Solutio: *Nunc* ita convenit Animæ Martini ratione temporis, sicut illi convenit locus ratione corporis; &, sicut Anima Martini non posset esse, si non esset locus, in quo esset, ita non posset esse, si non esset *nunc*, in quo esset; &, sicut locus non esset, si corpus non esset, ita *nunc* non esset, si tempus non esset; &, sicut vinum, quod est in vase, non est de essentia vasis, ita *nunc*, in quo Anima est, non est de ejus essentia: sed ita est in illo per naturam temporis, sicut vinum in vase per naturam loci; &, si *nunc*, in quo Anima est, esset de ejus essentia & natura, esset pars illius, & esset composita de accidentibus pertinentibus ad corpus, & de accidentibus pertinentibus ad spiritum, & per consequens de substantia corporali & spirituali: quod est impossibile.

2. Quæritur: *Cùm Bonitas Animæ se communicet ejus essentiali Magnitudini, Durationi & aliis principiis, ût jam dictum est, quomodo potest illa communicatio esse sinè successione temporis?* Solutio: Secundùm quòd jam diximus: successio unius qualitatis in aliam potest esse intrà substantiam Animæ in uno *nunc* & instanti sinè successione temporis; & hoc est, quia DEUS in uno instanti potest creare multas partes, & unam in alia, & omnes in toto, & totum in partibus; & ideo secundùm modum talis creationis potest esse communicatio, de qua quærit quæstio, sinè successione temporis.

3. Quæritur: *Secundùm quòd jam diximus: quomodo possunt tres potentiæ Animæ, scilicet memoria, intellectus & voluntas esse de Bonitate, Magnitudine & de aliis principiis Anima sinè successione temporis?* Solutio: In continenti, quando est producta substantia in instanti, sunt productæ in illo instanti partes, de quibus est; nam, si hoc non esset, substantia non haberet, de quo esset; & hoc est secundùm cursum naturalem, non secundùm cursum artificialem: sicut partes cameræ, quarum aliæ sunt priùs, quàm aliæ, & etiam priùs, quàm camera.

4. Quæritur: *Quando intellectus practicus inquirit species, & illas multiplicat, præcedit voluntati & memoriæ; præcedit memoriæ, in quantum in illa ponit novas species, præcedit voluntati, ut sit deliberativa & electiva; & ideo quæritur, quomodo potest hæc anterioritas & posterioritas esse sinè successione temporis?* Solutio: Naturaliter secundùm partes intrinsecas non stat successio temporis: nam, ita, & multò meliùs omnes sunt insimul in uno *nunc* & momento, sicut in uno *nunc* & momento partes faciei repræsentantur in speculo, in quo homo se respicit; sed extrà est successio potentiarum ratione organorum illarum, quæ sunt de natura corporali, & stant in successione temporis, sinè qua intellectus practicus non posset acquirere & multiplicare species.

5. Quæritur: *Secundùm experientiam videmus, quòd una Anima sit magis antiqua, quàm alia: sicut Anima Martini, quæ priùs est, quàm Anima sui filii, quomodo potest illa antiquitas esse sinè successione temporis?* Solutio: Sicut Animæ disconvenit albedo, ita illi disconvenit antiquitas: nam, sicut albedo non potest esse sinè corpore, ita antiquitas non potest esse sinè successione temporis sustentata cum motu de uno *nunc* in aliud; quare antiquitas non est simpliciter de essentia & natura Animæ; sed intellectus accipit & considerat illam, quia Anima Martini est priùs in corpore, quàm Anima sui filii, & corpus Martini est magis antiquum, quàm corpus sui filii.

6. Quæritur: *Anima, quæ est hominis morientis Romæ, & ascendit in cœlum, quomodo movetur de Roma, & ascendit ad cœlum sinè successione temporis?* Solutio: Anima separata mota de uno loco in alium non participat cum corpore, & ideo non potest participare cum motu corporali, nec per consequens cum successione temporis, quæ non potest esse sinè motu corporali; igitur Anima mota de Roma in cœlum, est mota in illo instanti, in quo est, quod jam diximus, & quod est indivisibile, & quod non perdit suum proprium numerum; igitur Anima est in illo tempore in cœlo, in quo recedit à Roma, quin multiplicet medium in se de uno loco in alium.

7. Quæritur: *Qualis Differentia est inter* nunc *spirituale &* nunc *corporale?* Solutio: *Nunc* corporale est tempus, quod est accidens corporis, ratione cujus corpus stat in tempore, & potest moveri de uno loco in alium, & de illo potest esse numerus horarum, dierum & annorum; & *nunc* spirituale est principium substantiæ spiritualis principiatæ in tempore, sicut est principiata in loco; &, si non esset principiata in tempore, ita esset principiata in æternitate, sicut esset principiata in infinitate, si non esset principiata in loco.

8. Quæritur: *Quomodo Anima separata potest intelligere, postquàm non inquirit species cum organis corporalibus in successione temporis?* Solutio: Figuræ literarum sigilli sunt in potentia in cera, & non in sigillo, quia jam actu sunt in ipso; & ideo aliæ sunt literæ sigilli, & aliæ sunt illæ, quas imprimit in cera; & postquàm literæ ceræ sunt in actu, non habent necesse participare cum sigillo per contactum, sed per similitudines specierum. Simili modo, postquàm Anima separata acquisivit species cum organis, non indiget illis ad intelligendum, & in speciebus, quæ ipsi remanent, attingit illas, quas desiderat.

9. Quæritur: *Utrùm Anima separata intelligat cum successione temporis, intellectu præcedente memoriæ & voluntati, ut memoria sit conservativa specierum, quas capit, & voluntas deliberativa & electiva?* Solutio: Tres equi currunt insimul: unus est albus, alius niger, alius rubeus; & albus vadit primus, & niger post ipsum, & rubeus ultimus: & ideo in uno & eodem *nunc* stant equi, & currunt in diversis locis: & equus, qui vadit primus, habet majorem honorem & victoriam; & hoc non est sic in Anima separata: nam omnes tres potentiæ, quæ ita cucurrerunt in hac vita, sicut equi, habent in alia vita æqualiter suum finem, & in uno & eodem *nunc*, quia quælibet cucurrit secundùm suum officium & ordinem.

10. Quæritur: *Utrùm Anima separata & damnata intelligat aliquod bonum, quod fecit in hac vita?* Solutio: Si in gloria Anima, quæ fecit aliquod peccatum in hac vita, non intelligeret illud peccatum, non intelligeret Misericordiam DEI; &, si Anima damnata non intelligeret illud bonum, quod fecit in hac vita, non intelligeret Justitiam DEI, quæ ipsi alleviat pœnam propter bonum, quod fecit.

Secunda Species septimæ Partis.

QUæritur: *Utrùm Anima existat in successione temporis?* Solutio: Homo est compositus de Anima & de corpore: & ideo Anima existit in successione temporis, quantum ad corpus, secundùm *decem figuras temporis*, quæ sunt istæ: *discursiva, deliberativa, apprehensiva, electiva, desiderativa, contritionativa, opinativa, dispositiva, sperativa & cogitativa.* Et primò dicemus de prima, & postea de aliis; & secundùm has decem figuras & potentias (figuras, quantum ad tempus, potentias, quantum ad partes Animæ) monstrabimus modum, secundùm quem Anima est in successione temporis: tamen hoc jam monstravimus secundùm primam speciem hujus Partis; sed, quia est difficile ad intelligendum, quòd Anima sit in successione temporis, & tempus non sit pars illius, volumus declarare & removere dubia, quæ homo potest habere, quòd Anima sit in successione temporis & non in successione, quin sequatur contradictio.

1. Anima existit in successione temporis per corpus, quod existit in tempore successivè de uno *nunc* in aliud, *discurrente* Animâ cum illo, quod est suum organum, in acquirendo & multiplicando species, modò unam, postea aliam, modò per videre, modò per audire, modò per gustare, modò per tangere, modò per odorare, modò per affari, imaginando, recolendo, intelligendo & amando modò unum objectum, & postea aliud, discurrendo modò per unum, modò per aliud, in tantum, quòd per illorum discursum Anima successivè habeat suos actus in differentibus *nunc*.

2. Anima, in quantum est *deliberativa*, existit in successione temporis: nam intellectus inquirit hoc, quod est verum, & hoc, quod est falsum, & inquirit differentes numeros substantiarum & actuum illarum; & ideo habet potentiam deliberativam de uno tempore in aliud, apprehendendo unum objectum per aliud, & unam veritatem per aliam successivè, & factâ deliberatione facit judicium de rebus, quas attingit.

3. Anima habet potentiam *apprehensivam* in successione temporis: nam, sicut oculi non possunt videre sinè colore, nec aures audire sinè sono, ita Anima non posset attingere objecta nec apprehendere sinè successione temporis; nam primò convenit, quòd apprehendat per sensum, qui capit objectum coloratum vel tactum in uno *nunc*, & in alio *nunc* in imaginatione apprehendit figuram actûs sensûs, impressam in imaginatione, existente actu sensûs in privatione & in tempore præterito; & ideo fit successio de uno *nunc* in aliud in illa apprehensione: sicut Scholaris, qui addiscit lectionem audiendo illam in uno tempore, & studendo illam in alio.

4. Anima habet potentiam *electivam* in successione temporis: & potentia stat in instanti in subjecto intrinseco, quod est Anima, & exit in tempus successivè, eligendo unum objectum per amare, & dimittendo aliud per odire: sicut vinum, quod exit à dolio, intrà quod tota substantia vini non stat in motu de uno loco in alium, sed successivè pars illius exit in motu successivo extrà.

5. Anima habet potentiam *desiderativam*, cum qua desiderat illa, quæ sunt ventura, & quæ sunt sustentata in motu successivo, sinè quo non possent venire; & ideo potentia, quantum ad hoc, quod est, semper stat in uno instanti, & in illo, in quo fuit creata, ût jam diximus, & exercet suos actus in successione temporis per multa *nunc*, secundùm quòd res vadunt & veniunt: sicut mater, quæ in una hora & postea in alia desiderat videre suum filium, qui est in itinere.

6. Anima habet potentiam *contritionativam*, cum qua habet contritionem & pœnitentiam de peccato, quod fecit vel putat fecisse: & illa contritio exit in successionem, sicut semen, quod exit de terra in colorem; & ita exit cum mutatione de uno objecto in aliud, sicut facit semen in colore, cum successione generationis multiplicando unam partem, & postea aliam.

7. Anima habet potentiam *opinativam*, cum

cum qua habet opinionem, quæ procedit in affirmationem & negationem per ſucceſſionem: ſicut vir zelotypus, qui in uno tempore affirmat, quòd ſua uxor ſit mala per aliquas ſimilitudines, quas conſiderat, quæ ſunt de circumſtantiis luxuriæ, & in alio tempore negat malitiam ſuæ uxoris, & conſiderat aliquas ſimilitudines, quæ ſunt de conditionibus caſtitatis.

8. Anima habet potentiam *diſpoſitivam*, quæ exit in ordine ſucceſſivo, poſito uno objecto antè aliud, & diſponit res, ſecundùm quòd ſunt venturæ per unum *nunc*, & poſtea per aliud; & ideo potentia, quæ eſt una, producit ſuam figuram in ſucceſſione temporis: ſicut piſcis, qui de aqua exit in aſſituationem aëris.

9. Anima habet figuram *ſperativam*, cum qua ſperat hoc, quod eſt venturum: & illa figura exit in ſucceſſione temporis, exeunte actu de potentia; igitur exit in ſucceſſione per diſpoſitionem corporis, quod eſt de circumſtantiis & ſimilitudinibus ſucceſſionis; quare, ſicut criſtallum poſitum ſupra aliquem colorem nigrum vel rubeum vel alium, facit exire ſuum colorem ſimplicem in figura coloris, quem habet ſubjectum, ſuper quo eſt poſitum, ita ſimplex potentia Animæ, quæ ſtat in uno *nunc* intrà, exit in multa *nunc* ſucceſſivè extrà per ſuam operationem, ſuſtentatâ illâ operatione in corpore, quod eſt organum, cum quo accipit ſimilitudines illius, quod ſperat.

10. Anima habet figuram *cogitativam*, quæ eſt una figura ad intrà in inſtanti, in illo *nunc*, in quo eſt creata, & exit in aliam figuram ad extrà, extenſam in ſucceſſione temporis de uno *nunc* in aliud, cogitando unum, & poſtea aliud: ſicut figura maſſæ ferri, quæ eſt una, & exit in multas figuras, quando de illa fit clavus, gladius, culter, & multi clavi, multi gladii & cultri; &, ſicut ferrum in qualibet figura remanet in ſua ſimplici ſpecie, ita remanet ſimplex potentia in ſuo ſimplici inſtanti, in quo fuit creata.

1. Quæritur: *Quare DEUS non creavit omnes Animas ſimul?* Solutio: Si DEUS creaſſet omnes Animas ſimul & in uno *nunc*, Animæ, quæ non eſſent conjunctæ cum corpore, eſſent otioſæ usque dum eſſent conjunctæ cum corpore; nam non haberent, in quo haberent ſuos actus, deficientibus illis organis, cum quibus eſſent in ſucceſſione ad veniendum ad finem, ad quem ſunt creatæ: & DEUS faceret injuriam Animabus, in quantum ipſas poſuiſſet in otioſitate; quæ injuria eſt impoſſibilis.

2. Quæritur: *Quare DEUS non priùs creavit Animam, quàm corpus, cum ſit nobilior creatura, quàm corpus?* Solutio: Reſponſio hujus quæſtionis conſiſtit in ſolutione ſupradictæ quæſtionis.

3. Quæritur: *Quomodo Anima habet potentiam motivam de uno* nunc *in aliud?* Solutio: Secundùm quòd jam diximus: inſtans ad intrà exit in ſucceſſione temporis ad extrà: & hoc, in quo exit, eſt per ſucceſſionem corporis moti de uno *nunc* in aliud; & ideo Anima habet potentiam motivam de uno *nunc* in aliud per hoc, quod habet per aliud, non per hoc, quod habet per ſe ipſam ſimpliciter: ſicut Anima, quæ per ſe ipſam eſt ſinè motu in homine, qui vadit, & movet ſe ipſam de uno loco in alium, movendo corpus illius hominis.

4. Quæritur: *Quomodo Anima poteſt exiſtere & non exiſtere in ſucceſſione temporis ſinè contradictione?* Solutio: Potentiæ Animæ per unum modum ſtant intrà ſubſtantiam, & per alium modum habent ſuos actus extrà in corpore: ſicut vinum, quod habet potentiam inebriandi hominem, & habet illam intrà ſe ipſum, & non in ſucceſſione inebriationis; & quando potentia exit in actum, homine bibente vinum, exit in ſucceſſione temporis, potentiâ (quin ſequatur contradictio) exiſtente intrà ſubſtantiam in uno *nunc* ſecundùm ſuum proprium ſubjectum, & exeunte in multa *nunc* ſucceſſivè in ſubjecto appropriato, in quo fit inebriatio.

5. Quæritur: *Quomodo Anima ſeparata exiſtit in tempore?* Solutio: Secundùm quòd jam diximus: Anima ſeparata exiſtit in tempore, in quantum in tempore eſt creata & principiata; ſed non exiſtit in ſucceſſione temporis, in qua exiſtebat, dum erat in organo.

6. Quæritur: *Quomodo Anima poteſt in uno tempore conſiderare multas ſubſtantias & multos actus illarum?* Solutio: Anima, quantum ad ſe ipſam, poteſt attingere multa objecta differentia per genera vel ſpecies vel individua illarum; ſed, quia ipſa debet apprehendere cum ſubſidio organi, cum quo eſt conjuncta, quod eſt corpus hominis, quod ipſam non poteſt adjuvare ſinè ſucceſſione temporis, non poteſt

poteſt Anima attingere differentes ſubſtantias & actus illarum in uno & eodem tempore.

7. Quæritur: *Quomodo Anima exiſtit in ſucceſſione temporis intrà ſe ipſam, quando diſponit & ordinat hoc, quod eſt futurum?* Solutio: Secundùm quòd jam dictum eſt: nulla Anima conjuncta poteſt conſiderare multas ſpecies in uno tempore, & ordinare unam cum alia; nam, ſicut ipſas acquiſivit extrà per ſucceſſionem temporis, ita convenit, memoriam illas reddere intellectui & voluntati in ſucceſſione temporis; &, ſi hoc non eſſet ita, ſcholaris, qui recolit lectionem ſui magiſtri, recoleret illam in uno & eodem *nunc*, & tam citò unam partem illius lectionis, ſicut aliam.

8. Quæritur: *Quare homo non intelligit, quando dormit?* Solutio: Quando homo dormit, organa Animæ non ſunt diſpoſita, quòd Anima ab illis ſumat adjutorium ad intelligendum: nec muſicus poteſt ſignificare notam in viola, quando chordæ non ſunt poſitæ in ordine; &, quia Anima non movet organa, non poteſt habere actus intrinſecos in organis extrinſecis, quæ illos non poſſunt ſumere, ſi non moveantur per Animam ad finem actuum intrinſecorum.

9. Quæritur: *Utrùm Anima intelligat priùs per ſenſum, quàm per imaginationem?* Solutio: De ſenſu exit figura in imaginationem, quam intellectus materialiter abſtrahit à ſenſu, & formaliter illam accipit in imaginatione; & ideo priùs intelligit per imaginationem, quàm per ſenſum; &, ſi hoc non eſſet ita, & eſſet contrarium, intellectus priùs intelligeret per materiam, quàm per formam, & per illam potentiam, quæ ab illo eſt magis remota, quàm per illam, quæ illi eſt magis propinqua, quod eſt impoſſibile; igitur intellectus intelligit priùs per imaginationem, quàm per ſenſum.

10. Quæritur: *Utrùm intellectus practicus, qui inquirit ſpecies, priùs incipiat in inſtanti vel in ſucceſſione?* Solutio: Ille, qui facit cameram, priùs incipit unam partem cameræ, quàm omnes partes illius, & ſucceſſivè de parte in partem dat cameræ perfectionem, quam dimittit in uno inſtanti in fine, in quo illam complevit, ſicut illam incepit in uno inſtanti, quando incepit primam partem cameræ.

)o(

PARS VIII.

De Localitate.

Prima Species Octavæ Partis.

1. Quæritur: *Utrùm Anima occupet & impediat locum?* Solutio: Anima eſt ſubſtantia ſpiritualis, ût jam diximus & probavimus: & locus eſt pars ſubſtantiæ corporalis, in quantum eſt accidens illius; & ideo Anima & locus non poſſunt participare per contactum; nam, ſi poſſent participare per contactum, Anima haberet ſuperficiem & colorem, & locus non eſſet pars ſubſtantiæ corporalis, in quantum Anima eſſet in illo, & corpus non eſſet in illo; igitur Anima non occupat locum ſubſtantiæ corporali nec ſpirituali.

2. Nulla pars corporalis, quæ ſit in alia corporali, & illa ſit in ipſa, occupat locum alteri: ſicut Bonitas, quæ eſt in Magnitudine, & Magnitudo in Bonitate, & aqua in vino, & vinum in aqua; ſed, ſi pars eſt in alia parte, & illa non eſt in ipſa, occupat locum alteri parti: ſicut vinum, quod eſt in ampulla, quod occupat locum omni alteri parti in illa ampulla, in qua eſt; & hoc eſt ideo, quia vinum habet corpus, & ampulla habet corpus, & unum corpus non poteſt eſſe in loco alterius, ſi ambo participant per contactum; &, quia Anima eſt pars ſpiritualis, & eſt in corpore, & corpus in Anima, Anima non occupat locum in illo corpore.

3. Nullum individuum occupat locum in ſpecie: ſicut Petrus & Martinus, qui non occupant locum in humana ſpecie; ſimili modo Anima, quæ eſt ſubſtantia individuata, & corpus ſimiliter, non occupant locum in ſubſtantia, quæ eſt de ambobus, ſcilicet homo; nam, ſi una ſubſtantia alteri occuparet locum, non eſſet facta mixtio ex ambobus, nec de illis eſſet compoſita ſubſtantia hominis.

4. Nulla forma occupat locum ſuæ materiæ, nec ulla materia ſuæ formæ: &, quia Anima eſt forma corporis, Anima non occupat locum corpori, nec corpus Animæ; ſed Anima occupat locum alteri Animæ in ſuo proprio corpore; nam unum corpus non ſufficit duabus Animabus rationalibus, nec una Anima duobus corporibus.

5. Unum objectum occupat locum alteri objecto in intellectu, qui in uno tempore non poteſt intelligere duo vel plura objecta:

& hæc occupatio loci est de uno *nunc* & de alio, cùm duo *nunc* vel plura non possint esse unum in alio; quare, secundùm hunc modum loci temporis, non loci simpliciter, in quo corporalis substantia est collocata, stat occupatio in Anima & in ejus potentiis ratione naturalium impotentiarum.

6. In corpore Martini unum elementum non occupat locum alteri: & hoc est ideo, quia unum est in alio componendo corpus Martini, quod est commune omnibus quatuor, in quantum est de illis; & ideo, si unum corpus non occupat locum alteri, quantò minùs substantia spiritualis occupat locum alteri.

7. Anima est collocata in loco ratione corporis, quod in illo loco est collocatum: sicut corpus Martini collocatum in camera, per quam collocationem Anima est collocata in illa camera; & hoc, quare camera non posset collocare in se ipsa omnia corpora hominum, est, quia omnia corpora hominum sibi invicem impedirent locum in camera, quia omnia habent plus de materia, quàm camera; sed de materia Animæ illorum corporum non potest fieri impedimentum in camera, nam Anima non habet illas conditiones, cum quibus unum corpus impedit locum alteri corpori, stante quolibet in discreta quantitate.

8. Anima est collocata in loco, quia non potest esse creata sinè loco: nam, si esset creatà sinè loco, suum subjectum esset infinitum in extensitate, & ipsa esset infinita; igitur Anima ita est collocata in loco, sicut tempus in principio; ergò Anima in suo loco non occupat locum alteri substantiæ, postquàm est in loco, ut sit, & non est in illo loco propter hoc, ne alia substantia ibi sit.

9. Quod non habet longum, latum & profundum, non potest occupare locum, cùm locus non possit continere substantiam, si ipsa non habet longum, latum & profundum; & quia Anima non habet longum, latum & profundum, non potest occupare locum, in quo est per se ipsam, nec locum alterius substantiæ; igitur in illo loco, in quo ipsa est, possunt esse multæ substantiæ, quæ non habeant longum, latum & profundum.

10. In lacte non sunt duæ albedines, nec in rosa duæ rubedines: & hoc est, quia una albedo in suo proprio subjecto occupat locum alteri albedini; simili modo Anima occupat locum in suis actibus per propria subjecta, pertinente uno actu ad unum subjectum, & non ad aliud: sicut in memoria unum naturale recolere occupat locum alteri naturali recolere in suo proprio recolitivo & recolibili, & tales occupationes sunt spirituales & differentes per genus à locis corporalibus.

1. Quæritur: *Utrùm una Anima separata possit priùs esse in cœlo, quàm alia, quando ambæ insimul Româ decedunt, cùm nulla illarum occupet locum in suo motu; & si non occupat locum in suo motu, una non potest priùs esse in cœlo, quàm alia?* Solutio: In lacte stant in potentia butyrum, caseus & serum absque eo, quòd unum illorum occupet locum alteri, dum stant in potentia; & hoc est ideo, quia omnes tres formæ non habent nisi unum subjectum. Simili modo duæ Animæ, quæ in uno tempore decedunt Româ, & non in uno tempore ascendunt ad cœlum, non occupant locum in medio, quia non ascendunt in illud secundùm successionem loci, sed secundùm successionem temporis de uno *nunc* in aliud.

2. Quæritur: *Ubi est Anima, quæ est in manu Martini resectâ illâ manu à Martino?* Solutio: Secundùm quòd jam diximus: in qualibet parte corporis est tota Anima; &, quia manu separatâ à corpore, in continenti, quando separatur, recedunt de illâ vegetativa & sensitiva Martini, cum illis insimul recedit Anima rationalis, quæ cum illis erat conjuncta in manu, & omnes tres Animæ remanent in corpore Martini.

3. Quæritur: *Quomodo illa memoria, quæ est in cerebro, est in corde?* Solutio: Sicut in qualibet parte lactis stat in potentia pars butyri, casei & seri, ita in memoria & in qualibet suarum partium stant cor & cerebrum & omnes partes corporis, existente illo corpore in actu in Anima.

4. Quæritur: *Quomodo intellectus est in intelligere, & intelligere in intellectivo & intelligibili?* Solutio: Nullum totum est extrà suas partes: nec ullus actus extrà potentiam & objectum; nam, si totum esset extrà suas partes, esset de partibus extraneis, & non de propriis; &, si actus esset extrà potentiam & objectum, non esset actus illarum, nec haberet proprium subjectum, in quo esset, & sustentaretur in subjecto extraneo, quod est impossibile secundùm naturalem cursum.

5. Quæritur: *Quomodo una bona Anima potest*

potest esse in uno loco cum alia mala Anima? Solutio: Naturaliter, secundùm quòd diximus, nulla Anima occupat locum alteri Animæ; sed secundùm judicium DEI, qui creavit cœlum pro Animabus beatis, & infernum pro Animabus damnatis, mala Anima non potest esse in uno loco cum bona.

6. Quæritur: *Cùm multæ Animæ possint intelligere unum objectum, & in uno & eodem tempore, utrùm per illud objectum una sit in alia?* Solutio: Actus primi & secundi non sunt unum & idem in numero: nec homines, qui vident solem in uno & eodem tempore, sunt unus in alio.

7. Quæritur: *Utrum memoria Animæ, quæ recolit asinum, sit in loco, ubi est asinus?* Solutio: Litera, quam Martinus scribit, non est in manu, & in imaginatione est similitudo illius literæ, & non litera; nam, si litera esset in imaginatione, esset conjuncta cum manu & in loco illius.

8. Quæritur: *Quomodo Anima, quæ est in inferno, est collocata in igne?* Solutio: Nulla substantia spiritualis est collocata in loco corporali per contactum, ût diximus; sed, sicut Anima est creata in loco, ut habeat *ubi*, in quo sit, & in tempore, ut habeat principium, ita est collocata in igne infernali, ut in illo loco habeat pœnam.

9. Quæritur: *Quomodo Anima conjuncta est collocata in corpore humano, & corpus in illa?* Solutio: In continua quantitate multiplicata de multis quantitatibus discretis vel simplicibus est quælibet pars collocata in aliâ; &, si una pars est spiritualis, & alia corporalis, est illa collocatio de partibus differentibus per genus: sicut de substantia & accidente, de quibus fit collocatio in planta.

10. Quæritur: *Utrùm Anima sit magìs collocata in una parte corporis, quàm in alia, cùm Anima habeat majorem virtutem in corde & in cerebro, quàm in pede?* Solutio: Substantia Animæ est per totum corpus, & hoc idem de omnibus suis partibus; sed, quia indiget organis determinatis pro suis potentiis & actibus, habet majorem virtutem in uno membro corporis, quàm in alio: sicut sensus communis, qui habet majorem virtutem sentiendi in manu, quàm in pede.

Secunda Species octavæ Partis.

1. Quæritur: *Utrùm Anima contineat & collocet aliquid in se ipsa?* Solutio: Substantialis Bonitas Animæ comprehendit & collocat Magnitudinem substantialem Animæ, in quantum illam facit bonam; & hoc idem est de aliis naturalibus principiis, quæ sunt bona sub genere Bonitatis, & è converso: sicut Magnitudo, quæ comprehendit & continet alia principia, in quantum sunt magna per illam.

2. Bonitas in suo actu comprehendit & collocat actus aliorum principiorum: sicut in bonificare, in quo sunt magnificare, durificare, possificare & alii actus; & hoc convertitur: sicut in magnificare, in quo Magnitudo comprehendit & collocat bonificare Bonitatis, & durare Durationis, & possificare Potestatis, & sic de aliis.

3. Quælibet trium potentiarum comprehendit & collocat actus suorum principiorum, sicut totum, quod comprehendit suas partes; nam in hoc, quòd intellectus est de Bonitate, & ipse est major, quàm Bonitas, comprehendit & terminat in se ipso Bonitatem; & hoc idem facit de suo bonificare, quod comprehendit & terminat in suo intelligere; nam, sicut intellectus est magìs communis pars Animæ, quàm Bonitas, ita suum intelligere est magìs communis actus, quàm actus Bonitatis.

4. Anima conjuncta comprehendit & collocat in se ipsa corpus, cum quo est conjuncta: & comprehendit & collocat illud cum suis partibus, collocando quamlibet partem corporis cum qualibet suarum partium naturalium; & hoc idem est de actibus Animæ, qui comprehendunt & terminant actus corporis: sicut naturalis Potestas Animæ, quæ possificando comprehendit possificare, quod sensitiva habet in sentire, in quantum ipsam movet ad sentiendum.

5. Anima & corpus se invicem comprehendunt & continent, in quantum sunt mixta & conjuncta illorum principia alia in aliis; & ideo Anima non est extrà corpus, sicut ampulla, quæ est extrà vinum, nec corpus est extrà Animam; sed sunt unum in alio: sicut in denario, qui est ex argento & cupro, in quo quælibet suarum partium una est in alia.

6. Corpus hominis peccatoris comprehendit cum suis actibus actus Animæ, in quantum illam inclinat ad delectationem suorum actuum contra morales virtutes: sicut homo avarus, qui magìs amat denarios, quàm justitiam, & homo luxuriosus, qui magìs amat luxuriam, quàm castitatem,

tem, fortitudinem, charitatem, & sic de aliis.

7. Corpus comprehendit Animam in loco per longum, latum & profundum, quæ sunt suæ mensuræ, & per quas corpus est collocatum in loco; & Anima comprehendit & terminat corpus cum suis principiis: sicut voluntas, quæ in suo amare comprehendit intellectum ad hoc, quod desiderat, & in illa comprehensione non est longum, latum nec profundum, sed extensa magnitudo spiritualis de se ipsa & de aliis principiis spiritualibus; sicut voluntas, quæ se extendit in amare, in quantum magis amat unum objectum, quàm aliud: & hoc idem de intellectu, qui se extendit in intelligere, in quantum magis intelligit unam veritatem, quàm aliam.

8. Anima ita continet corpus cum dominatione, sicut illud continet cum motu, & sicut continet merita cum virtutibus; & ideo libertas Animæ est magis sursùm in hominibus sapientibus, quàm actus naturales corporis: sicut voluntas equitis, quæ est magis propinqua suo fini, quàm appetitus equi, quem equitat & movet ad finem, quem desiderat, qui equus desiderat stare, vel manducare vel alium locum, & non illum, ad quem eques ipsum movet.

9. In Martino, qui stat in camera, corpus comprehendit Animam, in quantum habet majorem dispositionem cum loco cameræ, quàm Anima; nam superficies corporis Martini & aëris, in quo terminatur, participant per contactum, & Anima non participat cum aëre cameræ, quæ terminat corpus per contactum, quia non habet superficiem nec colorem, sed est terminata in aëre per illud corpus, cum quo est conjuncta.

10. Vitium Animæ comprehendit & determinat vitium corporis in Majoritate, nam in peccare major est actus Animæ, quàm actus corporis: sicut in voluntate, in qua amare est majus, quàm odire; & ideo dicit quidam sapiens, quòd, sicut odire est consequentia ipsius amare, sic peccatum corporis sit consequentia peccati actualis Animæ: & in Saraceno peccatore per originale peccatum peccatum corporis comprehendit peccatum Animæ, quod est consequens peccati originalis corporis.

1. Quæritur: *Quomodo Anima comprehendit cor, cùm sit continuè per totum corpus?* Solutio: Anima comprehendit partem cum parte, & totum cum toto, ût superiùs significavimus; &, quia cor est pars corporis, comprehenso toto corpore est comprehensum cor.

2. Quæritur: *Cùm in dentibus Martini sensitiva non habeat actum sentiendi, quomodo Anima in dentibus comprehendit sensitivam?* Solutio: Omnes partes corporis sunt, ut sit corpus, & corpus est, ut sit Martinus: &, quia Anima habet nobiliorem finem in Martino, quàm corpus, in nobilitate illius finis Anima comprehendit finem dentium & aliarum partium corporis.

3. Quæritur: *Quomodo substantia comprehendit partes Animæ?* Solutio: Cùm totum sit plus, quàm sua pars, nulla pars potest comprehendere totum: nec omnes partes possunt comprehendere totum, cùm in toto sit nobilior finis, quàm in ulla suarum partium, & quàm in omnibus; nam omnes sunt, ut sit totum; & ideo de omnibus est totum, quod transit in tertium numerum, & quod est majus in nobilitate, quàm omnes suæ partes.

4. Quæritur: *Utrùm Anima separata comprehendat locum, in quo est?* Solutio: Si Anima separata stat in aqua, non habet, cum quo comprehendat locum, in quo stat in aqua; nam aqua ita est continua in illo loco, ubi stat Anima, sicut in loco, ubi non stat Anima: nec locus potest comprehendere Animam, sicut comprehendit piscem stantem in aqua, sed comprehendit Animam, in quantum stat in illo loco, ubi stat Anima, & in alio loco, in quo non stat Anima.

5. Quæritur: *Quomodo Anima comprehendit objecta vel species?* Solutio: Nullum objectum, quod non est conjunctum cum Anima, potest esse intrà Animam realiter: sicut asinus, qui non est intrà Animam, quæ intelligit asinum; sed similitudo illius asini est species, quam intellectus intelligit, in qua ita intelligit asinum, sicut homo, qui videt suam faciem in speculo; & illam speciem comprehendit intellectus, sicut potentia, quæ comprehendit suum actum, & calor suum calefacere.

6. Quæritur: *Quomodo Anima movet suas potentias ad loca, in quibus sunt objecta, & quòd de illis ponat illorum similitudines in se ipsa, & objecta transmittunt illorum similitudines intellectui, memoriæ & voluntati, ut sint in ipsis?* Solutio: Secundùm quòd jam diximus, & proponimus dicere: nulla propria qualitas dimittit suum proprium subjectum; sed, quia intellectus participat cum corpore, cum quo est conjunctus, & illud corpus participat per colorem cum asino, per corporalitatem oculi hominis vident asinum, & in absentia asini imaginativa retinet similitudinem asini, & repræsentat illam intellectui, qui illam intelligit intrà in sua intelligibilitate naturali, quæ in specie participat cum similitudine, in quantum illa similitudo est intelligibilis.

7. Quæritur: *Quomodo activa potentia continet suum simplicem actum?* Solutio: Intellectus, qui intelligit asinum, multiplicat speciem asini, in quantum de illâ specie induit suum intelligere: & actus, qui est intelligere, est species communis intellectivi & intelligibilis; quare, sicut forma comprehendit materiam per modum actionis, ita potentia activa comprehendit simplicem actum; sed, in quantum in actu habet passiones, non comprehendit illum actum in tantum, quòd sit extrà passiones: nam, si ipsas comprehenderet, cessaret actus in terminatione intelligibilitatis, & objectum esset intellectum & non intelligibile; & ideo dicit quidam sapiens, quòd, in quantum objectum est intellectum, est simplex actus potentiæ activæ comprehensus, & in quantum est intelligibile, non est comprehensus, sed est ad esse comprehensus.

8. Quæritur: *Quomodo Anima conjuncta est extrà & intrà corpus?* Solutio: Anima est intrà corpus, ût jam diximus, & non est extrà corpus: nam, si hoc esset, de corpore & de tota Anima non esset homo, sed de parte Animæ & de toto corpore, quod est impossibile; veruntamen Anima est extrà corpus, in quantum est nobilior substantia, quàm corpus; sed illam nobilitatem habet intrà corpus: sicut denarius ex argento & cupro, stante argento nobiliori metallo, quàm cupro, & habente illam nobilitatem intrà cuprum, in quantum cum illo est conjunctus.

9. Quæritur: *Utrùm Anima in suo fine contineat omnes fines corporis?* Solutio: Si Anima contineret omnes fines corporis, corpus esset, ut esset Anima; sed, quia corpus est, ut sit homo, Anima non potest comprehendere omnes fines corporis, nec etiam omnes suos fines, cùm ipsa sit, ut sit homo; sed homo, qui est totum, comprehendit omnes fines corporis & Animæ cum suo fine, qui est communis omnibus; & ideo homo movet Animam & movet corpus ad suum finem: & movet Animam ad finem corporis, & corpus ad finem Animæ.

10. Quæritur: *Quomodo Anima magis continet corpus per unam suarum partium, quàm per aliam?* Solutio: Quia in Anima suæ tres potentiæ sunt communes partes, magis comprehendit & continet corpus cum suis potentiis, quàm cum partibus specificis & simplicibus.

PARS IX.
De Modo.
Prima Species nonæ Partis.

QUæritur: *Quomodo Anima habet suos actus & suas operationes intrà se ipsam?* Solutio: Anima habet suos actus & suas operationes intrà se ipsam, quando considerat substantias spirituales & illarum operationes, illâ consideratione denudatâ ab imaginatione, cum qua considerat substantias corporales & illarum operationes: sicut considerare in DEO, in Angelis & in tribus potentiis Animæ & in illarum simplicibus principiis & actibus; & operationes, quas habet extrà, sunt, in quantum accipit & attingit in imaginatione objecta corporalia: sicut solem, plantam, calorem & frigus & alia similia istis; & modum considerandi, quem habet intrà, volumus significare per has *decem Rationes* inter alias.

1. Secundùm quòd diximus: in quolibet principiorum Animæ sunt concreta, quæ sunt de essentia illorum: sicut in Bonitate, in qua est bonificativum, bonificabile & bonificare, & in Magnitudine magnificativum, magnificabile & magnificare, & sic de aliis; & omnia ista ordinatè, secundùm quòd diximus, veniunt ad constituendum tres potentias Animæ, quæ habent modum in operando, productum de modo, de quo sunt: sicut memoria, quæ habet modum ad recolendum spiritualem Bonitatem, & in illa bonificativum, bonificabile & bonificare, in quantum est de illa Bonitate: & habet modum in habendo bonam recolitivitatem ratione primæ bonificativitatis, & hoc idem de bona recolibilitate per primam bonificabilitatem, & bonum recolere per primum bonificare; & hoc idem de Magnitudine, Duratione &c.

2. Intellectus habet modum intelligendi intrà se ipsum, in quantum habet in se ipso essentiale & proprium intellectivum, intelligibile & intelligere: & intellectivum movet intelligibile ad esse intellectum, & actus est intelligere, in quo relucet & apparet intellectivum & intelligibile, quia est actus amborum; & intellectivum attingit in illo suam similitudinem, in qua intelligit se ipsum: sicut actus oculorum, qui vident speculum, & in illo suas similitudines, in quibus vident se ipsos per actum & per speculum: & intellectivum intelligit intelligibile in intelligere, in quantum in ipso accipit illius similitudinem; sicut voluntas, quæ est intelligibilis, ratione cujus intelligibilitatis intellectus accipit similitudinem intelligibilitatis specificatæ à voluntate, in qua similitudine accipit & considerat voluntatem.

3. Voluntas habet modum amandi ratione amativitatis, amabilitatis & amare: & per amativitatem habet modum activum, cum quo accipit & eligit objecta amabilia, & per amabilitatem habet modum passivum, cum quo illa sunt amata, & de ambobus modis est modus ipsius amare, quod est actus amborum modorum; & in illo amare voluntas amat se ipsam, & amat per activitatem, & amatur per passibilitatem; & hoc idem facit in amando aliud.

4. Voluntas habet modum in odiendo ratione oditivitatis, odibilitatis, & odire: sicut in odiendo malitiam & parvitatem Bonitatis mali Angeli, & sic de aliis; & iste modus odiendi est consequentia modi amandi; nam voluntas ideo odit malitiam mali Angeli, quia amat Bonitatem boni Angeli, & parvitatem Bonitatis, quia amat Magnitudinem Bonitatis.

5. Quia voluntas est libera, habet modum in amando liberè objecta amabilia: & in quantum odit contrarium illorum, habet modum servilem, qui servit libertati, quam voluntas habet in amando objecta amabilia: sicut ancilla, quæ odit inimicos dominæ, cui servit, & amat amicos illius dominæ, qui sunt amabiles.

6. Quando voluntas amat objecta odibilia, sicut superbiam, & odit amabilia, sicut humilitatem, non habet modum in amando nec in odiendo, quia non accipit primos modos naturales in actibus secundariis, quia odit Bonitatem humilitatis, quæ est amabilis, & amat malitiam superbiæ, quæ est odibilis; & ideo actus, qui est extrà modum, est de privationibus habituum, qui non habent modum in operando, quia faciunt contra principia, de quibus sunt: sicut calor ignis, qui est in flamma, qui non habet modum in movendo vegetativam hominis, quem comburit, ad nutritionem nec ad generationem, sed ad corruptionem illius & ad privationem.

7. Intellectus per differentiam habet modum intelligendi, in quantum differenter facit suum discursum, investigando veritatem objectorum, quæ inquirit, accipiendo unum objectum sub uno numero & specie, & aliud sub alio numero & specie, vel multa objecta sub una specie, vel multas species sub uno genere; &, sicut navis mota in mari relinquit retrò similitudinem sui motûs in mari, sic intellectus hoc, quod relinquit, dat memoriæ, in quo dare habet modum per actionem impressionis in memoria: & hoc, quod dat, sunt species, quas relinquit; & memoria habet modum in accipiendo illas species: & habet istum modum ideo, quia est suum officium, & est deputata & dispositа ad illud officium per prima principia, quæ ipsam constituunt sub tali conditione, quòd ipsa accipiat & conservet species, quas intellectus illi dat, & quòd ipsas illi reddat in illo tempore, quo ipsas volet recuperare.

8. Quando memoria obliviscitur species, quas accipit, quas intellectus vult recuperare, intellectus habet modum in ignorando, quia memoria non habet modum in recolendo: & memoria perdit suum modum recolendi, quando voluntas non habet magnum appetitum in amando illas species, quas intellectus ignorat, & quas memoria obliviscitur; & ideo in privatione unius modi potentiæ existit privatio alterius modi alterius potentiæ; quare, sicut omnes tres potentiæ se adjuvant in habendo modum in operando, ita se non adjuvant & sibi contradicunt, quando dimittunt modum, & non habent illum in operando.

9. Intellectus habet modum inquirendi veritatem rerum, quas desiderat scire, supponendo primò, possibile esse unum vel aliud duorum contrariorum: sicut intellectus, qui in DEO vult inquirere Trinitatem vel Incarnationem, quam nos Christiani credimus de Filio DEI, & sic de aliis rebus similibus istis; & in quantum intellectus supponit in principio, quando inquirit, possibile esse, in DEO esse Trinitatem & non esse Trinitatem, habet modum inquirendi veritatem per quamlibet rationum, quam supponit; &, si per credulitatem affirmat, in DEO non esse Trinitatem, non potest ulteriùs progredi, quia non habet modum inquirendi; supposito tamen, quòd in DEO sit Trinitas, &, si intellectus per credentiam supponit, quòd in DEO sit Trinitas, attingit in credentia similitudinem necessariæ veritatis, quæ necessaria veritas est, in DEO esse Trinitatem; &, quia est concordantia inter similitudinem & similitudinem, intellectus practicus & investigativus per credentiam attingit necessariam veritatem; & ideo dicitur, *quòd, si homo non credit, non possit intelligere.*

10. Intellectus habet modum in inquirendo veritatem, & illam attingit considerando similitudines suorum principiorum, & miscendo alias similitudines cum aliis, & respiciendo, quid sequatur ex illa mixtione; & hunc modum posuimus in *Tabula Generali*, & in *Arte Inventiva*, & monstravimus conclusiones per mixtiones principiorum. Sicut ille, qui vult inquirere, utrùm in Anima sit naturalis Bonitas substantialis, & accipit similitudinem Bonitatis, & miscet ipsam cum similitudine Majoritatis, & cum similitudine Magnitudinis, considerat, quòd, si in Anima non est substantialis Bonitas, ejus Bonitas sit accidentalis, & substantia non est bona per se ipsam, & est magis magna & magis bona per hoc, quod est minus, quàm per se ipsam, quæ est major, scilicet per accidens, in quo non est tantum de entitate, quantum in substantia; & per talem considerationem considerat & attingit, quòd in Anima sit substantialis Bonitas: & hoc idem de aliis ipsius substantialibus principiis, de quibus attingit veritatem per mixtionem, quam facit de illis.

1. Quæritur: *Quomodo intellectus incipit intelligere?* Solutio: Quando intellectus incipit intelligere, incipit in se ipso in sua natura: sicut homo, qui vult facere cameram, primò incipit in habitatione, quæ est finis cameræ, sicut clavus est finis martelli; & intellectus incipiens in sua natura ad intrà, inquirit ad extrà similitudines, cum quibus possit habere intrinsecas: sicut per sensum, cum quo inquirit colorem, verba, saporem, & sic de aliis; & de illis multiplicat species, quas accipit in imaginatione, & de imaginatione accipit illas in se ipso: sicut considerare, quòd bonum est videre & audire; & de illa consideratione considerat & accipit, quòd bonum est recolere & intelligere; & ita habet modum in attingendo Bonitatem intrinsecam spiritualem attingendo Bonitatem extrinsecam, quæ est de substantiis corporalibus: sicut homo faciens cameram, qui attingit finem habitandi, faciendo cameram de partibus illius, conjungendo unam partem cum alia.

2. Quæritur: *Quomodo differunt tres potentiæ Animæ?* Solutio: Tres potentiæ Animæ differunt per differentes proprietates & fines; nam una proprietas est recolere, & alia intelligere, & alia amare: sicut calor est una proprietas, humiditas alia, frigiditas alia, & siccitas alia; &, sicut istæ quatuor proprietates elementales sunt necessariæ, ut sint differentes ratione objectorum & appetituum naturalium, & differentes per se ipsas, ita tres potentiæ Animæ sunt differentes ratione differentium objectorum, sicut recolibilitas, intelligibilitas & amabilitas: & sunt differentes per se ipsas, in quantum recolitivitas, intellectivitas & amativitas sunt differentes per genus & etiam per illorum principia, quæ sub talibus conditionibus ipsas constituunt, quòd sint illæ, quæ sunt, & quòd sequantur finem, ad quem sunt, & quòd habeant differentes actus.

3. Quæritur: *Quomodo Anima & Angelus differunt?* Solutio: In substantia Angeli Bonitas, Magnitudo & sua alia principia sunt, ut de illis sit Angelus, & non homo; & in Anima non est ita: nam principalis finis naturalis, propter quem ipsa est, est, ut de illa & de humano corpore sit homo; & ideo dicit quidam sapiens, quòd Anima non est tam nobilis, sicut Angelus: nam in illa non quiescunt sua principia secundùm finem suæ speciei, sed secundùm finem speciei hominis: & in substantia Angeli quiescunt sua principia in fine suæ substantiæ, in quantum Angelus est, ut ipse sit, & non, ut sit pars alterius, quod sit superius; igitur est differentia inter Angelum & Animam secundùm modum existentiæ, quem diximus: & etiam secundùm modum agentiæ; nam Angelus per unum modum attingit objecta, & Anima per alium: sicut Angelus, qui in suismet similitudinibus attingit objecta ad extrà, quin multiplicet species illorum, & illas ponat intrà se ipsum, sed

accipit illas in se ipso: sicut crystallum, quod in se ipso accipit colorem subjecti rubei, super quo est positum; sed Anima accipit species extrinsecas per sensum, & de sensu transmittit illas in imaginationem, & de imaginatione ponit illas in se ipsa, quæ sunt similitudines substantiarum corporalium; & quando illas accipit in se ipsa, facit illas spirituales, & transmutat illas de imaginalitate in spiritualitatem, denudatas corporalitate, ut jam diximus.

4. Quæritur: *Quomodo Anima & Angelus se intelligunt?* Solutio: Inter similitudinem & similitudinem est dispositio, finis, proportio & concordantia: & Angelus & Anima sunt similes in natura spirituali & essentiali, & in specie; & de istis similitudinibus procedit lumen de una ad aliam, in quo se intelligunt, amant & recolunt; nam, sicut de duobus luminibus procedit unum lumen majus & commune, ita de illorum similitudinibus intellectivis & intelligibilibus, bonis, magnis, concordativis & concordabilibus, spirativis & spirabilibus, illuminativis & illuminabilibus, repræsentativis & repræsentabilibus procedit intelligere de una substantia ad aliam secundùm finem illius intelligere, & secundùm Bonitatem, Magnitudinem, Potestatem, Virtutem, Veritatem & Delectationem illius finîs.

5. Quæritur: *Quomodo una Anima intelligit aliam?* Solutio: Responsio hujus quæstionis consistit in solutione supradictæ quæstionis, si Animæ sunt separatæ; sed, si sunt conjunctæ, intelligunt se cum medio, scilicet per operationes corporis: sicut Anima Petri, quæ per sonum violæ, quam Guilelmus sonat, attingit notam, quam Guilelmus habet in sua Anima.

6. Quæritur: *Quomodo Anima intelligit DEUM?* Solutio: Si Anima est separata, intelligit DEUM in Proprietatibus DEI, scilicet in sua Bonitate, Magnitudine, Æternitate &c.; & intelligit illum sinè specie, quia sua intelligibilitas est in Magnitudine Bonitatis, Potestatis, Voluntatis, Virtutis, Veritatis & Delectationis; & Animâ intelligente DEUM in Proprietatibus ipsius, sua intellectivitas creata habet quietem in intelligibilitate DEI, & de illa quiete exit & derivatur modus intelligendi in Anima, quæ intelligendo DEUM intelligit se ipsam, & habendo quietem in DEO habet quietem in se ipsa; & ideo dicitur, quòd Anima beata & DEUS se vident facie ad faciem.

7. Quæritur: *Quomodo Anima damnata habet pœnam?* Solutio: Anima damnata habet pœnam, quia sui habitus & omnia sua principia, privantur fine, quo fine est vacua: sicut voluntas esset vacua, si in se haberet amativitatem, & non amare nec amatum; & intellectus esset vacuus, si in se haberet intellectivitatem, & non intelligibile & intelligere; & hoc idem de memoria; igitur Anima habet pœnam secundùm talem modum: nam sua voluntas non habet DEUM per modum amabilitatis, sed odibilitatis; & ideo intelligibilitas & recolibilitas DEI non possunt esse quies intellectivitati & recolitivitati, & naturalis Bonitas Animæ privatur suo fine: & hoc idem de privatione aliorum principiorum, per quam privationem Anima habet spiritualem passionem, quæ passio est magna, secundùm quòd est magna privatio finîs, & secundùm quòd illa privatio est durabilis in æviternitate, quæ duratio dat pœnam intellectui, in quantum illam intelligit, & tam magnam, sicut illam intelligit; & hoc idem de memoria, in quantum illam recolit, & de voluntate, in quantum illam odit; & illa pœna est tam magna, quòd non posset narrari nec scribi.

8. Quæritur: *Quomodo Anima est ordinata?* Solutio: Anima est ordinata secundùm suum principalem finem, qui est DEUS: & in illo fine habet suum naturalem & moralem ordinem, si est in gratia; & per se ipsam habet naturalem ordinem, in quantum habet ordinata principia, de quibus ipsa est, & quæ diximus, & quæ veniunt ordinata ad constituendum tres potentias, & tres potentiæ ad constituendum substantiam Animæ; & Anima est ordinata ad movendum se ipsam ad actus potentiarum secundùm ordinem suorum principiorum, & ad ponendum ordinem in illis actibus secundùm morales virtutes, & ad acquirendum species extrinsecas, & ad ponendum illas intrà, ût diximus.

9. Quæritur: *Quomodo Anima se pervertit de bono in malum?* Solutio: Modus, quem Anima habet in pervertendo se de bono in malum, est in privare suos actus à fine, ratione cujus sunt, qui finis est DEUS, & in amare magis aliud, quàm ipsum; & in hoc stat tota inordinatio Animæ & suarum partium: sicut stat in ordinatione

tione sui ipsius & suarum partium, si magìs amat & honorat DEUM, quàm aliquid aliud, &, si magìs laborat propter illius amorem & honorem, quàm propter aliud; & si magìs amat DEUM, quia ipse est bonus, quàm, quia ipsam creavit, nec, ut ipsi det paradisum, & ne ipsam ponat in inferno.

10. Quæritur: *Quomodo Anima existens in peccato mortali convertitur in statum gratiæ?* Solutio: In quantum materia se disponit ad esse passiva, disponit formam ad esse motivam: veruntamen non movet formam ad esse motivam; nam, si hoc faceret, forma haberet passionem, & materia actionem: & ille motus esset contra naturalem cursum; igitur Anima, quæ est in peccato, disponitur ad esse in statu gratiæ, in quantum se judicat ad satisfactionem per conscientiam, contritionem & pœnitentiam, & petit veniam, & habet placitum de illa vindicta, quam Justitia DEI voluerit facere de ipsa; & postquàm Anima se ponit in ratione, non potest illi deficere gratia DEI, quæ habet Concordantiam cum Justitia & Misericordia; & per hunc modum DEUS benedictus convertit illam de malo in bonum.

Secunda Species nonæ Partis.

1. Quæritur: *Quomodo Anima habet suos actus & suas operationes extrà?* Solutio: Ignis, in quantum calor est sua propria qualitas, habet cum illo calefactionem intrà se ipsum: &, in quantum suum calorem appropriat aëri, habet cum illo suas operationes in aëre, & de aëre in aqua, & de aqua in terra; & ideo habet illas operationes extrà se ipsum, in quantum qualitas est appropriata, & subjectum illius qualitatis est extraneum; simili modo Anima habet suos actus & suas operationes extrà, scilicet in corpore, in quantum cum sua accidentali Bonitate movet substantialem & accidentalem Bonitatem corporis, scilicet ad bonificandum, vegetandum, sentiendum & imaginandum, & etiam ad elementandum, & sic de sua Magnitudine & de suis aliis principiis.

2. In quantum Anima habet passiones per corpus, habet illas passiones extrà se ipsam, in quantum illi non sunt naturales passiones: sicut Anima, quæ est tristis per infirmitatem corporis, vel est desiderativa, in quantum desiderat hoc, quod est necessarium corpori ad comedendum vel sanandum, & sic de aliis rebus illi necessariis.

3. In quantum Anima non potest habere suas operationes ad intrà sinè multiplicatione specierum ad extrà, convenit, quòd extrà habeat passiones, quas imprimat intrà: sicut passionem per videre vel per alium sensum impressam in imaginatione, & de imaginatione in intelligibilitate ad intrà, in qua intellectivum intelligit & considerat extrinsecam intelligibilitatem & facit judicium.

4. Quando imaginatio non est disposita ad imaginandum species sensûs, Anima non potest illas attingere in imaginatione: nam deficit ipsi dispositio imaginationis; &, quia desiderat illas species scire ratione alicujus finîs, habet passionem extrà, quæ venit intrà: sicut Martinus desiderans scire veritatem, utrùm suus filius, qui est in itinere, sit vivus, vel utrùm sit sanus vel infirmus; &, quia non potest invenire aliquem, qui ipsi dicat nova, habet passionem propter suum filium.

5. Quidam Eremita invénit quandam turpem fœminam in via, quin habuerit tentationem peccandi cum illa: & postea, cùm parum processisset, invénit aliam juvenem fœminam valde pulchram, & habuit tentationem, quòd peccaret cum illa; & ideo consideravit, quòd pulchritudo illius fœminæ esset occasio illius passionis, quam habebat per desiderare & per dispositionem corporis moti ad vegetandum & ad sentiendum per repræsentationem sensûs videndi impressam in imaginatione; quare consideravit, quòd per passiones extrinsecas naturales corporis habebat passiones intrinsecas.

6. Quidam homo avarus transivit juxta quandam vineam valde magnam, quæ erat cujusdam sui vicini, & desideravit habere illam vineam: &, quia non invénit modum, quo illam posset habere, habuit passionem intrà in sua voluntate, quæ illam volebat habere, & in suo intellectu, qui intelligebat, quòd ipsam non posset habere, & in sua memoria, quæ non recolebat modum, quo illam posset habere; & ideo consideravit, quòd per actum extrinsecum videndi veniunt passiones intrinsecæ, & quòd ille actus extrinsecus fuit occasio suæ passionis.

7. Quidam Eremita obviavit cuidam leproso in via, qui erat valde horribilis ad videndum, tam turpis figuræ erat: & de passione visionis habuit passionem in imaginatione, & de imaginatione in voluntate,

memoria & intellectu; &, dum ſtabat in his paſſionibus, conſideravit quoddam peccatum luxuriæ, quod fecerat; & tunc habuit majorem paſſionem per conſiderationem illius peccati, quàm per viſionem illius leproſi; conſiderando, quòd turpius eſſet peccare, quàm videre faciem leproſi; quare conſideravit, quòd de una paſſione derivetur alia, & quòd paſſiones intrinſecæ ſint occaſionatæ per paſſiones extrinſecas ratione conjunctionis & amicitiæ actuum ad intrà & ad extrà.

8. Quidam pictor voluit depingere quandam pulchram picturam, quam fecerat alius pictor, & non potuit illam depingere ita pulchram; & ideo habuit paſſionem, & fuit miratus, quòd illam non poſſet facere tam pulchram; usquequò conſideravit, quòd inter ſuum ſenſum & ſuam imaginationem & motum ſuæ manûs non eſſet tam magna diſpoſitio & habilitas, ſicut inter viſionem & imaginationem & motum manûs pictoris, qui fecerat illam pulchram figuram; & tunc dixit, quòd paſſiones intrinſecæ ſint, ſecundùm quòd ſunt paſſiones extrinſecæ.

9. Quidam homo ſtabat in peccato luxuriæ, & quotidie veniebat ad Eccleſiam ad rogandum DEUM, quòd ipſum extraheret de illo peccato: quâdam vice accidit, quòd ille peccator peccavit cum mala fœmina, cum qua ſolebat peccare, & pœnituit ipſum peccati: & multùm fortiter mirabatur, quòd DEUS illum non extraheret de illo peccato, poſtquàm ipſum quotidie rogabat; dum ſtabat in hac conſideratione, cogitavit, quòd frequentiùs recoleret placita luxuriæ, quàm Bonitatem DEI, & quàm pœnam, quam conveniret Animam habere in inferno propter peccatum: & tunc dixit, quòd Anima cum operationibus ad extrà incarceret ſuas potentias ad intrà, in quantum non vult eſſe domina corporis, & in quantum magìs amat actus ad extrà, quàm actus ad intrà; & ideo non eſt mirum, ſi DEUS non vult exaudire talem Animam peccatricem.

10. Quidam eques præcepit ſuo ſcutifero, quòd iret ponere ignem in domo cujusdam ruſtici inimici equitis & amici ſcutiferi: dum ſcutifer ibat ad comburendum domum ruſtici, mirabatur, quid ipſum moveret ad comburendum domum; nam ipſe non volebat illam comburere ſecundùm amorem, quem habebat erga ruſticum, & volebat illam comburere ſecundùm obedientiam ſui domini; & tunc conſideravit, quòd voluntas ſui domini moveret ſuam voluntatem ad movendum ſuumcorpus de uno loco in alium, ut combureret domum: & dum erat in hac conſideratione, cogitavit, quòd Anima cum ſuis intrinſecis actionibus moveat extrinſecas actiones, & poſſideat extrinſecas paſſiones; & ideo eſt domina corporis, & magìs reſpicit ad ſuam utilitatem, quàm ad delectationem corporis.

1. Quæritur: *Quomodo Anima eſt conjuncta cum corpore?* Solutio: Modus conjunctionis eſt per unitatem finîs: ſicut modus formæ, quæ ſtat in materia per actionem, & modus materiæ, quæ ſtat in forma per paſſionem, ut de ambabus reſultet una ſubſtantia conditionata per modum actionis & paſſionis ad habendum actiones & paſſiones in ſe ipſa & in alia.

2. Quæritur: *Quomodo Anima ſeparatur à corpore?* Solutio: Bonitas ſpiritualis naturalis Animæ conjuncta cum Bonitate naturali corporis ita ſeparatur, ſicut vinum ſeparatur ab amphora, quando eſt fracta, quod vinum eſt diſpoſitum ad eſſe in ampulla, quamdiu ampulla eſt diſpoſita ad continendum vinum; & hoc idem eſt de Magnitudine Animæ & de Magnitudine corporis, & de aliis principiis cujuslibet; quare, in quantum corpus corrumpitur, quia eſt de contrariis qualitatibus, vel per vulnerationem, non eſt diſpoſitum ad continendum Animam in ſe ſemper in hac præſenti vita.

3. Quæritur: *Quomodo Anima eſt extenſa per totum corpus, creſcente corpore de parvitate in magnitudinem?* Solutio: Sicut Anima eſt deputata ad ſtandum in uno *nunc* ſimpliciter, & in illo, in quo eſt creata, & non in alio, ût jam diximus: ſic eſt deputata ad ſtandum in illo corpore, in quo eſt creata; & ita ſtat per totum illud corpus, ſive ſit magnum ſive parvum, ſicut ſtat in illo *nunc*, in quo eſt creata ſecundùm qualitatem & diſpoſitionem illius *nunc;* & ideo ſecundùm quòd corpus ſe extendit, extenditur Anima, ut ſit per totum illud corpus, non, quòd ipſa habeat extenſitatem corporalem in ſe ipſa, quæ ſit de ſua natura, ſed habet illam per impreſſionem corporis, cum quo eſt conjuncta.

4. Quæritur: *Quomodo Anima acquirit virtutes?* Solutio: Secundùm quod jam diximus: principia intrinſeca habent appetitum ad multiplicandum ſuas ſimilitudines ad extrà, & hoc eſt, ut de illis ſequatur finis, & ille finis, ad quem ſunt creata; & ideo Bonitas ad intrà transmittit ſuam ſimilitudinem ad extrà in actus corporis, & corpus accipit illam, & veſtit cum illa actus imaginationis & particularium ſenſuum, & de illa exit moralis Bonitas in juſtitia vel in prudentia, & ſic de aliis virtutibus, in quantum imaginativa juſtè imaginatur, & ſenſitiva cum juſtitia videt objecta viſibilia, quæ ſunt viſibilia cum bona juſtitia, & cum bona imaginatione, & cum bono velle, recolere & intelligere.

5. Quæritur: *Quomodo Anima acquirit merita cum virtutibus?* Solutio: Ferrarius facit clavum cum martello, & cum clavo acquirit denarium: & ideo in lucrando denarium participant manus, quæ movet martellum, & Anima, quæ movet manum, & martellus, qui movet clavum; ſimili modo principia ad intrà, quæ movent principia ad extrà, & principia ad extrà, quæ movent actus corporales, movent virtutes, quæ acquirunt merita, quæ remunerat Juſtitia DEI, ita emendo illa cum hoc, quod dat, ſicut faber lignarius cum denario emit clavum.

6. Quæritur: *Quomodo Anima movet corpus, cùm ſit ſubſtantia non participans cum corpore per contactum?* Solutio: Quando duæ ſimilitudines, quæ ſunt ſub uno genere, concordant ad unum finem, una movet aliam ad illum finem; & hoc eſt, quia ſimilitudines ſemper naturaliter habent concordantiam per genus & per finem: ſicut Bonitas Animæ & corporis, quæ ſunt ſimiles in genere, & habent concordantiam ad unum finem, ſcilicet ad finem humanum; & ille finis eſt obligatus ad faciendum bonum, quia eſt de Bonitate, & ad faciendum magnum, quia eſt de Magnitudine, & ad faciendum magnum bonum ſpirituale & corporale, quia eſt de magno bono ſpirituali & de magno bono corporali, & ſic de aliis principiis; & ideo ſecundùm modum, quem diximus de ſimilitudine, quæ movet ſuam ſimilitudinem ad finem, propter quem eſt, movet Anima corpus, movente voluntate ſub ratione boni bonum corporis; & corpus movens ſe ipſum, movet Animam in ſuo motu usque ad locum, quem deſiderat, in quo Anima proponit producere bonum, & corpus ſimiliter, & ambæ ſubſtantiæ habent appetitum ad quieſcendum in illo fine.

7. Quæritur: *Quomodo Anima ſeparata movet ſe ipſam de uno loco in alium, cùm non habeat alas nec pedes?* Solutio: Sicut homo movet ſe ipſum cum ſuis pedibus, & avis movet ſe ipſam cum ſuis alis, ita Anima ſeparata movet ſe ipſam de uno loco in alium cum actibus ſuorum principiorum, adjuvante uno alterum; nam Bonitas, Magnitudo, Poteſtas, Voluntas, Virtus, Veritas, Gloria & Finis ita ſunt alæ vel pedes ſpiritualiter ipſi Animæ ad motum, ſicut avi ſunt alæ, & beſtiæ pedes; nam Voluntas vult, & Poteſtas movet cum ſuo poſſificare, & ita movet Voluntatem ad locum, quem deſiderat: ſicut pedes, quæ movent corpus, quod movet Animam ad locum, quem deſiderat; & motus Animæ non impeditur per ponderoſitatem, nec per parietem, nec per aliud corpus, poſtquàm Anima ſeparata non eſt conjuncta cum corpore, nec participat cum loco per contactum.

8. Quæritur: *Quomodo intellectus colligit ſpecies?* Solutio: Intellectus habet modum in colligendo ſpecies ſecundùm ſuum proprium modum, & ſecundùm modos proprios & appropriatos ipſi per voluntatem & per memoriam, & ſecundùm diſpoſitiones organorum corporis: ſicut intellectus, qui habet modum inquirendi ſpecies cum differentia, & quia ſuum objectum eſt veritas; & voluntas deſiderat amare aliquam ſpeciem per intelligibilitatem, & memoria illam recolere, & ſenſus repræſentat illam per colorem vel ſonum, per odorem vel guſtum, per tactum vel affatum: & imaginatio recipit illam repræſentationem, in qua intellectus colligit ipſam cum ſuo modo & cum aliis modis, quos diximus; & etiam adjuvant modi primorum principiorum, de quibus homo eſt compoſitus & conjunctus.

9. Quæritur: *Quomodo memoria conſervat ſpecies, & quomodo voluntas illas eligit, & quomodo intellectus illas recuperat de memoria?* Solutio hujus quæſtionis conſiſtit in reſponſione ſupradictæ quæſtionis.

10. Quæritur: *Quomodo intellectus ignorat, & quomodo memoria obliviſcitur, & quomodo voluntas odit?* Solutio: Privatus modus intelligendi, recolendi & amandi eſt occaſio ignorandi, obliviſcendi & odiendi: & ideo reſponſio hujus quæſtionis eſt ſignificata in reſponſione octavæ quæſtionis hujus Capitis.

PARS

PARS X.

De Cum quo.

Prima Species decimæ Partis.

1. QUæritur: *Cum quo Anima facit hoc, quod facit?* Solutio: Anima habet ſuas operationes primarias & naturales per primarios actus ſuorum principiorum, cum quibus agit hoc, quod agit primariò; nam, ſicut ignis cum ſuo calore habet ſuam operationem in planta & in tegula, ita ſubſtantialis Bonitas habet ſuas operationes cum ſua Bonitate accidentali, cum qua bonificat Magnitudinem, Durationem &c.: & ſubſtantialis Magnitudo facit ſimiliter, quæ cum ſua accidentali Magnitudine magnificat Bonitatem, Durationem &c.; & cum hac operatione ad intrà facit operationem ad extrà.

2. Anima cum ſuis rationibus movet ſubſtantiam ad ejus actus: ſicut cum Bonitate, quæ eſt ratio bonificandi, movet Anima ſubſtantiam ad producendum bonum cum ratione boni; & hoc idem facit cum ratione Magnitudinis, quæ illi eſt ratio ad producendum magnum; & ſic de aliis ſuis rationibus.

3. Intellectus cum intelligere bonum movet voluntatem ad amandum illud bonum, & memoriam ad recolendum illud bonum, & voluntas cum amare veritatem alicujus boni movet intellectum ad intelligendum veritatem illius boni, & memoriam ad recolendum veritatem illius boni; &, quando memoria recolit aliquam ſpeciem antiquam, movet intellectum ad renovandum illam, & voluntatem ad amandum illam renovationem, vel ad odiendum illam: ſicut homo patiens & humilis, qui non vult recolere aliquod vituperium illi factum.

4. Anima cum una ſimilitudine movet ſuas rationes vel ſuas potentias ad aliam ſimilitudinem: ſicut cum magna poteſtate Regis conſiderat magnam Poteſtatem DEI, & cum antiqua duratione ſolis conſiderat Æternitatem DEI, & cum magnitudine mundi conſiderat Infinitatem DEI, & ſic de una ſimilitudine in aliam ſucceſſivè facit cum illa ſucceſſione ſcientiam, de qua habituat ſuum intellectum, & cum quo habitu habet diſpoſitionem ad inquirendum veritatem rerum, ſecundùm quòd acquiſivit ſcientiam cum una ſimilitudine, & poſtea cum alia.

5. Cum una diſſimilitudine conſiderat intellectus ſimilitudinem unius qualitatis & alterius: ſicut cum malitia, quam conſiderat, attingit Bonitatem per contrarium diſſimile Bonitati, vel cum parvitate attingit Magnitudinem, & cum tempore Æternitatem, in qua attingit ſimilitudinem Bonitatis & Magnitudinis in æquali Duratione.

6. Anima cum una virtute movet ſuos habitus ad aliam virtutem vel virtutes: ſicut cum fortitudine, cum qua movet ſuam voluntatem ad amandum juſtitiam, temperantiam, patientiam, humilitatem & ſpem, & ſic de aliis virtutibus; & hoc idem de vitiis: ſicut cum luxuria, cum qua movet gulam & invidiam, aliis vitiis exiſtentibus occaſio aliorum.

7. Anima cum ſua propria Bonitate movet propriam Bonitatem corporis ad vegetandum, ſentiendum & imaginandum, quia, bonum eſt corpori vegetare, ut poſſit vivere; & bonum eſt illi ſentire, ut habeat modum vivendi; & bonum eſt illi imaginari, ut ſciat rigare plantas, & ſcindere & conſuere veſtimenta, & coquere panem, & domare equum, & facere cameram; &, ſicut omnia iſta illi ſunt bona cum Bonitate, ita ſunt illi magna cum Magnitudine, & durabilia cum Duratione, & poſſibilia cum Poteſtate.

8. Anima cum ſua voluntate movet corpus de uno loco in alium: & movet ſuas manus ad conſuendum vel ad ſcribendum, & linguam ad loquendum, & cum corpore movet ſe ipſam de uno loco in alium, & movet ſe ipſam ad recolendum & ad intelligendum loca, per quæ ſe movet, & opera, quæ faciunt manus, & verba, quæ format lingua, & ſic de aliis his ſimilibus.

9. Anima cum Virtute intrinſeca naturali & ſubſtantiali movet virtutes extrinſecas morales: & cum Poteſtate Virtutis intrinſecæ movet poteſtatem virtutis extrinſecæ, & cum Magnitudine Virtutis intrinſecæ movet magnitudinem virtutis extrinſecæ; &, ſi movet cum parva Poteſtate Virtutis intrinſecæ, movet parvam virtutem extrinſecam; & ideo habent culpam homines, qui habent magnam Poteſtatem intrinſecam, quando cum illa magna Poteſtate non movent & producunt magnam poteſtatem extrinſecam.

10. Anima cum amare producit odire: cùm odire ſit conſequentia ipſius amare; &

& ideo cum antecedente movet & producit conſequens; quare dicit quidam ſapiens, quòd, ſi non eſſet amare, non eſſet odire, & non convertitur, quòd antecedens ſit per conſequens, quia nullum odire movet & producit amare: ſicut in DEO, in quo non eſt ſimpliciter odire, nec in bono Angelo, nec in Anima beata.

1. Quæritur: *Cum quo Anima ſeparata movet ſe ipſam de uno loco in alium?* Solutio: Anima ſeparata movet ſe ipſam de uno loco in alium cum concordantia ſuorum Principiorum, quam habet in ſuis potentiis: ſicut Magnitudo, Poteſtas & Virtus, quæ concordant in voluntate, volente voluntate, quæ eſt Romæ, eſſe Pariſiis: & Poteſtas conſentit ad complendum hoc, quod voluntas vult cum Magnitudine ſuæ Virtutis, & ſic de aliis principiis proportionatis & diſpoſitis ſecundùm hoc, quod requirit finis cujuslibet per ſua merita.

2. Quæritur: *Cum quo Anima ſemper ſtat in uno* nunc, *& non tranſit de uno* nunc *in aliud?* Solutio: Sicut Anima in creatione eſt creata in principio temporis, ita ſtat in illo tempore cum illo principio, quod ſumpſit per creationem: &, ſicut illud ſumpſit per creationem, ita ſumpſit unum *nunc* in tempore per creationem; &, ſicut ſumpſit illud *nunc* in tempore cum creatione, ſic ſumpſit illud cum duratione illius *nunc*, & non alterius; & ideo remanet cum numero illius *nunc*, & non tranſit in aliud: & de hac materia jam ſufficienter locuti ſumus in *ſeptima Parte* hujus Libri.

3. Quæritur: *Cum quo Anima ſeparata diſcernit inter album & nigrum, cum non habeat oculos?* Solutio: Secundùm quòd jam diximus: ſpecies innatæ egreſſæ ad extrà redeunt per impreſſionem actuum extrinſecorum in potentias intrinſecas, quæ acquiſiverunt habitus extrinſecos: ſicut una litera ceræ, quæ differt ab alia per differentiam, quam literæ ſigilli poſuerunt in cera.

4. Quæritur: *Cum quo intellectus movet voluntatem, quæ eſt libera, ad ſervitutem?* Solutio: Inter intellectum & voluntatem eſt Concordantia, quia ſunt partes unius totius, quod eſt ſubſtantia Animæ: & etiam habent Concordantiam ſecundùm finem, quare ſunt; nam intellectus eſt propter intelligere Veritatem Bonitatis, & voluntas eſt propter amare Bonitatem Veritatis; & ideo una, quæ eſt libera, facit aliam ſervam ad ſuum proprium finem & ad finem alterius: ſicut intellectus, qui cogit voluntatem ad deſiderandum Veritatem, & voluntas, quæ cogit intellectum ad intelligendum Bonitatem, & per Concordantiam ſubmittit ſe intellectus ad intelligendum veram Bonitatem, & voluntas ſubmittit ſe ad amandum bonam Veritatem.

5. Quæritur: *Credulitas eſt habitus, qui dat paſſionem intellectui, qui eſt liber, & ideo quæritur: cum quo intellectus, qui eſt liber, ſe ſubmittit paſſioni?* Solutio: Sicut in Arte mechanica una manus cum alia perficit opus, ita in Anima una potentia cum alia attingit ſuam perfectionem; nam in hoc, quòd voluntas amat aliquam Bonitatem ſub aliqua affirmatione vel negatione, quam affirmationem vel negationem intellectus non poteſt intelligere, intellectus ſupponit, illam Bonitatem eſſe veram, quam voluntas deſiderat: & hoc facit, ut voluntas habeat quietem in illo deſiderio, in quo non haberet quietem, niſi intellectus ſe inclinaret ad credendum hoc, quod non intelligit; quare, ſicut de duobus amicis unus ſe ſubmittit labori, ut alter habeat hoc, quod deſiderat, ita intellectus amicus voluntatis cogit ſe ipſum, ut voluntas habeat quietem.

6. Quæritur: *Cum quo intellectus multiplicat ſuas ſpecies?* Solutio: In intellectu ſtat ſuum proprium intellectivum per formam, & ſuum proprium intelligibile per materiam, & ſuum proprium intelligere per actum: & extrà ſunt multæ intelligibilitates, quæ non ſunt de eſſentia intellectûs; ſicut intelligibilitas ignîs & ſui caloris, plantæ & ſui coloris, equi & ſui videre, & ſic de aliis intelligibilitatibus ſimilibus iſtis; & omnes iſtæ intelligibilitates ſunt paſſiones diſpoſitæ ad eſſe paſſivæ ſub intellectivo intrinſeco: &, quia ſunt de uno genere intelligibilitatis cum intelligibilitate intrinſeca, intelligibilitas intrinſeca & extrinſeca habent Concordantiam; & cum illa Concordantia generis & cum Fine, propter quem ſunt, imprimit intellectivum intelligibilitates extrinſecas in intelligibilitate intrinſeca, quas capit intelligere intrinſecum, cum quo facit ſpecies acquiſitas, quæ ab extrà venerunt, & intelligere ipſarum veſtitum cum moralibus veſtimentis intellectis.

7. Quæritur: *Cum quo una forma movet aliam formam?* Solutio: In corpore

conjuncto cum Anima est forma, quæ per se ipsam est activa: sicut vegetativa ad vegetandum, & sensitiva ad sentiendum; &, quia Anima est nobilior, quàm corpus, & est forma illius, ût jam diximus, cum sua majori Potestate movet Potestatem corporis, quæ non est tanta, quanta Potestas Animæ in Magnitudine Bonitatis, Finîs & Virtutis; & ita movet illam Potestatem ad suum actum naturalem & corporalem, sicut voluntas movet corpus de uno loco in alium, & manus de uno opere in aliud.

8. Quæritur: *Cum quo forma movet materiam?* Solutio: Communis forma substantiæ est de multis formis: sicut forma Animæ, quæ est de forma memoriæ, & de forma intellectûs, & de forma voluntatis, ût jam diximus in *tertia Parte;* & materia communis Animæ est de materia illarum trium potentiarum; & ideo Anima cum forma intellectûs movet materiam intellectûs ad intelligendum, hoc est, intelligibilitatem illius motam ad esse intellectam; & hoc idem facit cum formis & materiis primorum principiorum.

9. Quæritur: *Cum quo una Anima movet aliam?* Solutio: Secundùm quòd jam diximus: Martinus habet unum servum, & quia ille obedit voluntati sui domini, Anima domini cum dominio, quod habet in corpus servi, movet voluntatem servi; & hoc idem sequitur de virtute morali: sicut charitas, quæ est subjectum & instrumentum, cum quo una Anima movet aliam ad hoc, quod desiderat & sperat.

10. Quæritur: *Cum quo Anima, quæ est in virtute, se movet ad vitium?* Solutio: Anima quantum ad se ipsam simpliciter non est in successione temporis, ût jam diximus in *septima Parte:* sed, in quantum est conjuncta cum corpore, est in corpore in successione temporis; &, quia in omni successione temporis est mutatio de uno *nunc* in aliud, Anima cum illa mutatione se movet de virtute ad vitium, magìs amando appetitus corporis, quàm suas perfectiones.

Secunda Species decimæ Partis.

1. Quæritur: *Cum quo Anima habet passiones?* Solutio: Anima habet passiones cum se ipsa, quia est de se ipsa secundùm *secundam speciem tertiæ Partis;* habet passiones cum alio, quia est de alio secundùm *tertiam speciem tertiæ Partis.*

2. Quodlibet substantiale principium est de passionibus: sicut Bonitas, quæ, in quantum est bonificabilis, est de passione, & in quantum est magnificabilis, durificabilis, possificabilis, intelligibilis & amabilis; &, quia est de istis passionibus, Anima cum sua Bonitate habet passiones, & hoc idem de sua Magnitudine & de suis aliis principiis, cum quibus habet passiones, quia ipsa sunt de passionibus.

3. Anima etiam habet passiones cum suis accidentalibus principiis: sicut cum sua accidentali Bonitate, quæ est passiva potentia, & sic de accidentali Magnitudine, & de aliis naturalibus accidentibus, quæ sunt passivæ potentiæ, cum quibus Anima habet passiones; & ideo Anima est ita naturaliter passiva cum se ipsa, sicut activa, quia sic est de passivis materiis, sicut de activis formis naturalibus, ût in *tertia Parte* continetur.

4. Anima habet passiones cum suis tribus potentiis, stante unâ potentiâ passivâ sub alia: sicut memoria, quæ est passiva potentia, in quantum est intelligibilis & amabilis; & similiter intellectus, in quantum est recolibilis & amabilis; & hoc idem de voluntate, quæ est passiva potentia, in quantum est recolibilis & intelligibilis.

5. Anima habet passiones cum finibus, de quibus est, secundùm tertiam speciem *tertiæ Partis,* sicut de recolibilitate, intelligibilitate & amabilitate DEI, quem est obligata recolere, intelligere, amare & honorare & ipsi servire & obedire.

6. Anima etiam habet passiones cum suismet finibus naturalibus & moralibus: sicut cum morali justitia, cui est obligata, ut cum ipsa habeat justum recolere, intelligere & amare, & ut cum justitia quælibet suarum partium possit quiescere in suo Fine.

7. Anima habet passiones cum fine substantiarum corporalium: nam, ût diximus, Anima conjuncta est instrumentum, cum quo substantiæ corporales attingunt suum finem in DEO, & ideo Anima est obligata fini substantiarum corporalium, ut cum ipsis serviat DEO recolendo, intelligendo & amando, quem corporales substantiæ non possunt recolere, intelligere nec amare, quamvìs ad ipsum habeant naturalem appetitum, quia DEUS ipsas creavit ad se ipsum.

8. Anima habet passiones cum corpore, cum quo est conjuncta: & habet illas passiones ideo, quia corpus est de passionibus, sicut de materia, in qua partes Animæ sunt passi-

passivæ; & hoc idem de qualitatibus: sicut frigiditas est passiva qualitas, in quantum substantia aquæ est calefactibilis, & & sic de aliis; & per passiones, quas corpus habet cum necessitatibus corporis, habet Anima passiones, quia ipsi convenit procurare illas, ut corpus possit vivere per comedere, bibere, vestire & habitare in camera, & dormire in lecto.

9. Anima habet passiones cum objectis extrinsecis: sicut per colorem, vel per sonum, vel per pulchritudinem fœminæ, vel per bonum saporem vini & pomi; nam illorum similitudines sunt intelligibiles, recolibiles & amabiles, & intellectivum intrinsecum, ût diximus in *nona Parte*, in suo proprio & naturali intelligibili illas species innatas & acquisitas imprimit & figurat, sicut pictor in pariete imprimit figuram hominis vel alterius rei.

10. Anima habet passiones cum meritis per gratiam & justitiam: sicut Anima beata, in qua est impressa gloria, ad quam est creata, & Anima damnata, quæ habet passiones cum vitiis acquisitis contra finem, ad quem est creata; & ideo Justitia DEI dat illi passiones secundùm quòd sunt privationes finium, quibus stant vacua ejus principia.

1. Quæritur: *Cum quo forma activa est passiva?* Solutio: Cum fine nobilioris formæ est passiva forma minùs nobilis, quæ est, ut sit nobilior forma: sicut accidens est, ut sit substantia, & equus, ut sit ordo equestris, & sicut pars, quæ est, ut sit totum, & sic de aliis; nam in hoc, quòd Anima est pars hominis, ita stat passiva forma sub homine, quamvìs ipsa sit in se activa, sicut visiva potentia, quam communis sensus movet ad sentiendum, licèt ipsa sit forma activa.

2. Quæritur: *Cum quo objecta extrinseca movent intrinsecas potentias: sicut pulchra figura, quæ movet voluntatem ad desiderandum illam, & intellectum ad habendum delectationem in intelligendo illam, & hoc idem de memoria, quæ habet delectationem in memorando illam?* Solutio: Quamdiu aqua pluviæ cadit de nubibus in terram, cum suâmet ponderositate movet se ipsam ad centrum, quod suus appetitus requirit, ut in illo possit quiescere; simili modo est de potentiis intrinsecis, quæ sunt de Anima: nam, secundùm quòd objecta extrinseca sunt dispositæ, ut trahantur de illis pulchræ similitudines, & ponantur intrà, habent potentiæ activæ Animæ delectationem in considerando illas; & ideo ipsæmét cum se ipsis se movent ad accipiendum similitudines, & cum illis movent se ipsas ad delectationem vel ad tristitiam; sicut Anima, quæ cum sua voluntate movet se ipsam, volens, quòd corpus se moveat de uno loco in alium.

3. Quæritur: *Quando homo moritur in gratia, cum quo Anima illius habet passionem de separatione?* Solutio: Omnis pars desiderat suum totum, quia ipsa est propter totum secundùm finem; &, quia Anima est, ut sit homo, licèt ipsa vadat ad beatitudinem, moriente corpore habet passionem cum fine totius.

4. Quæritur: *Cum quo Anima hominis stulti habet passiones?* Solutio: Quia potentiæ intrinsecæ, quæ sunt de Anima, non habent organa dispositæ nec ordinata ad accipiendum objecta extrinseca, & ad habendum delectationes cum illorum similitudinibus recolendo, intelligendo & amando subjecta illorum objectorum, habent passiones in homine stulto, vel ebrio, vel irato, vel obstinato, vel infirmo per complexiones corruptas, vel per vulnera, vel stante corpore in carcere.

5. Quæritur: *Cum quo Anima hominis cæci vel surdi habet passionem per cæcitatem vel per surditatem, cùm sint privationes habituum, quæ nullam habent actionem?* Solutio hujus quæstionis consistit in responsione supradictæ quæstionis.

6. Quæritur: *Quando Anima vult recolere aliquid, & non potest illud recolere, cum quo habet passionem?* Solutio: Homo, qui vadit per viam ad locum, quem desiderat, habet passionem, si via est mala, quia ipsa non est disposita, quòd homo citò possit esse in loco, quem desiderat.

7. Quæritur: *Cum quo intellectus dat passionem voluntati?* Solutio: Cum privatione dispositionis stantis inter intellectivum & intelligibile voluntas habet passionem, quæ desiderat, quòd intellectus citò intelligat veritatem sui Amati.

8. Quæritur: *Cum quo voluntas dat passionem intellectui?* Solutio: Quidam eques volebat ire citò post quendam alium equitem, quem volebat capere, & præcepit suo scutifero, quòd ipsi citò armaret suum equum; & ideo dedit passionem scutifero, quia ipsum faciebat nimiùm pro-

perare in armando equum, nam propter magnam properationem ſcutifer, qui benè volebat armare equum, non poterat illum benè armare.

9. Quæritur: *Cum quo memoria dat paſſionem voluntati?* Solutio: Quædam domina habebat ſuum filium in itinere, quem multùm deſiderabat videre & ſcire bona nova de ſtatu ipſius: & quidam homo balbus veniens de terra, in qua erat ejus filius, narrabat dominæ nova de illo; & quia erat balbus, & nimiùm tardabat narrare illa nova, & ipſa clarè non determinabat, dabat paſſionem dominæ, quæ citò volebat ſcire ſtatum ſui filii.

10. Quæritur: *Cum quo una potentia Animæ dat paſſionem alteri in inferno?* Solutio: Memoria & intellectus in inferno dant paſſionem voluntati, in quantum memoria non recolit DEUM, nec intellectus illum intelligit, ut voluntas ipſum non amet; & memoria & voluntas dant paſſionem intellectui, in quantum memoria non recolit Deum, ut ipſe non intelligat ejus Veritatem, nec voluntas vult amare DEUM, ut intellectus non intelligat ejus Bonitatem; & voluntas & intellectus dant paſſionem memoriæ, in quantum intellectus intelligit, quòd æviternaliter recolet contra ſuum naturalem appetitum, & voluntas æviternaliter amabit illam contrarietatem recolendi, & odiet finem recolendi & etiam intelligendi & amandi. De talibus paſſionibus placeat DEO nos defendere, quia tales paſſiones ſunt ita magnæ, quòd nullus ipſas poſſet ſcribere nec exprimere.

De Fine hujus Libri.

CUm iſto Libro poteſt homo cognoſcere DEUM, cùm Anima rationalis ſit imago & ſimilitudo DEI; & hoc idem de Angelo, quem homo poteſt cognoſcere per hoc, quod diximus de Anima. Homo etiam poteſt cognoſcere actiones & paſſiones, quas Anima habet in ſe ipſa & in alio, & modum, ſecundùm quem capit objecta, & multiplicat ſpecies; & multa alia utilia poteſt homo cognoſcere, ſi habet cognitionem hujus Libri, qui eſt factus ad honorandum, ſerviendum, cognoſcendum, recolendum & amandum noſtrum Dominum DEUM. Finitus fuit hic Liber in Civitate Roma Anno Incarnationis noſtri Domini JESU Chriſti MCCXCIV.





BEATI
RAYMUNDI LULLI
DOCTORIS ILLUMINATI
ET MARTYRIS
LIBER DE HOMINE.

DEUS ad tuum Honorem & propter tuum Amorem *incipit Liber de Homine.*

DE PROLOGO.

CUm ſit conveniens, quòd Homo ſciat: quid ſit Homo, poſtquàm eſt Homo; volumus inquirere & demonſtrare, *Quid ſit Homo;* nam in hoc, quòd Homo ſcit: quid ſit Homo, ſcit ſémet ipſum; & ſciendo ſémet ipſum, ſcit amare ſémet ipſum & alium Hominem; & etiam ſciet amare & cognoſcere DEUM, qui eſt Homo, in quantum eſt Homo; & ſciet cognoſcere & amare illa, quæ ſpectant ad Hominem, & evitare illa, quæ ſunt contra Hominem. Quapropter eſt conveniens, quòd hunc Librum de Homine faciamus abbreviatè, & ita clarè, quòd omnis Homo ipſum facilè poſſit intelligere; *veruntamen conveniet, quòd aliqua ſubtiliter inveſtigemus, & narremus, quæ non poſſumus effugere, ut iſte Liber de Homine poſſit eſſe melior.*

„ Iſte Liber eſt utilis ad ſciendum, quia „ Homo per ipſum poterit habere Ar„ tem & Modum ad ſolvendum Quæs„ tiones, quæ de Homine poſſunt fieri; „ nam illarum ſolutio implicatur & ſig„ nificatur ſecundùm Capita & loca hu„ jus Libri, *ſicut dabimus exemplum in „ Fine illius.*

De Diviſione hujus Libri.

ISte Liber dividitur in *tres Diſtinctiones. Prima* eſt de *Eſſe* Hominis & de ſua *Vita. Secunda* eſt de *Morte* Hominis. *Tertia* eſt de ſua *Oratione: Prima Diſtinctio* dividitur in *quinque Partes.* In *prima* inveſtigabimus & declarabimus Corpus Hominis. In *ſecunda* inveſtigabimus & declarabimus Animam Hominis. In *tertia* oſtendemus, Quomodo Homo ſit Homo. In *quarta* inquiremus naturales Operationes Hominis. In *quinta* inquiremus artificiales Operationes Hominis. In prædictis quinque poteſt comprehendi totum *Eſſe* Hominis. Secunda Diſtinctio hujus Libri, quæ eſt de Morte Hominis, dividetur ſuo loco.

PRIMA DISTINCTIO. DE Esse Hominis & de sua Vita.

PARS I.

De Corpore Hominis.

COrpus Hominis est compositum ex *quatuor*, quæ sunt *Elementativa*, *Vegetativa*, *Sensitiva* & *Imaginativa*. Per *Elementativam* intendimus loqui de quatuor Elementis & de eorum Qualitatibus, de quibus Corpus Hominis compositum & constitutum est. Per *Vegetativam* intendimus loqui de hoc, per quod & de quoHomo corporaliter vivit. Per *Sensitivam* intendimus loqui de Sensibus Hominis, cum quibus Homo sentit hoc, quod sentit. Per *Imaginativam* intendimus loqui de hoc, per quod & cum quo Homo imaginatur illa, quæ sunt absentia suis corporalibus sensibus.

De Elementativa.

1. COrpus Hominis est de quatuor elementis, scilicet de igne, aëre, aqua & terra; *Ignis* est Elementum, quod propriè habet calorem, cum quo propriè calefacit, & cum sua *luce*, quæ est color ignîs, illuminat, & ignis est corporalis substantia. *Aër* est Elementum, quod propriè habet humiditatem, cum qua humefacit res humidas, & suus color est *diaphanitas*, quæ apparet in crystallo & vitro, quæ habent diaphanum colorem, & aër est corporalis substantia. *Aqua* est Elementum, & est corporalis substantia, quæ propriè infrigidat substantias frigidas, cujus color est *albedo*, quæ apparet in nive & in lilio & in Homine albo. *Terra* est Elementum, quod propriè habet siccitatem, cujus color est *nigredo*, quæ apparet in ferro & carbone, & est corporalis substantia.

2. Ex istis quatuor corporalibus substantiis & ex earum qualitatibus, quæ sunt calor, humiditas, frigiditas & siccitas, est Corpus Hominis compositum, unitum & constitutum; nam per prædictas quatuor corporales substantias, quæ sunt plenæ, & quæ occupant locum, est Corpus Hominis plenum per longum, latum & profundum, & habet formam & figuram, & occupat locum alteri corpori; & per prædictas quatuor qualitates sunt Elementa ad invicem mixta, sicut ignis, qui calefacit aërem cum suo calore, ponendo suum calorem in aërem, & aëre recipiente calorem ignîs, calore non dimittente suum proprium subjectum, quod est ignis: & sic ignis & aër, qui ad invicem sunt mixti mediante calore ignîs, quem aër recipit ab igne, intrant in aquam mediante humiditate aëris, quam aqua recipit ab aëre, & ignis, aër & aqua sunt mixta ad invicem.

3. Et aqua frigefaciendo terram cum sua frigiditate, intrat in terram, frigiditate non dimittente suum proprium subjectum, quod est aqua; & aquâ intrante in terram intrant in terram ignis & aër, qui sunt in aqua, ût dictum est. Item terra desiccando ignem cum sua siccitate, intrat in ignem, siccitate non dimittente suum proprium subjectum; & terrâ intrante in ignem mediante suâ siccitate, ût dictum est, intrant aër & aqua in ignem cum terra; & sic per lineam continuam & circularem intrant alia Elementa in alia Elementa cum eorum propriis qualitatibus; & omnia quatuor Elementa sunt ad invicem mixta, & composita & conjuncta in Corpore Hominis, quod ex ipsis est elementatum & compositum & unitum; & ideo, quando quatuor Elementa in Corpore Hominis sunt mixta, componunt cum eorum coloribus simplicibus unum colorem compositum ex eorum quatuor simplicibus coloribus, scilicet colorem corporis; &, si Corpus Hominis est *album*, magìs apparet in illo color *aquæ*, quàm alius color; &, si est *nigrum*, magìs apparet in illo color *terræ*, quàm alius color; &, si Corpus est *croceum* per nimiam choleram, magìs apparet in illo color *ignîs*, quàm alius color; &, si est *rubeum* per nimium sanguinem, magìs apparet in illo color *aëris*, quàm alius color; & aër significat in Sanguine suum colorem, cùm ejus color sit magìs convertibilis, quàm alius color; *& omnes isti colores significantur in urina infirmi Hominis.*

4. Corpus Hominis habet propriam figuram differentem ab omni alia figura, hoc est, non habet figuram bovis, gallinæ, arboris,

arboris, & sic de aliis similibus: & illa figura fuit illi appropriata in primo Homine; & omnis pater Homo ita appropriat suam figuram filio, sicut granum frumenti appropriat suam figuram alteri grano frumenti, quod generat.

5. Quia quatuor Elementa in Corpore Hominis sunt mixta, & eorum qualitates similiter sunt mixtæ ad invicem, ideo unum Elementum non potest habere magnam potestatem supra aliud in Corpore Hominis: sicut ignis, qui non potest multùm calefacere, comburere & desiccare aërem; nam aqua, quæ est frigida & humida & mixta cum igne, mortificat cum sua frigiditate calorem ignîs, & mortificat cum sua humiditate siccitatem ipsius; & sic est ignis temperatus in Corpore Hominis, sicut aqua bulliens, quæ temperatur cum frigida aqua: & sic suo modo de cæteris Elementis, quæ sunt temperata & mortificata in Corpore Hominis, quodlibet Elementum per suum contrarium Elementum; veruntamen non dicimus, quòd Corpus Hominis omninò sit temperatum, cùm quodlibet Elementum in se ipso habeat suam complexionem, per quam habet dominium & regionem; sicut *ignis* per *choleram*, *aër* per *sanguinem*, *aqua* per *phlegma*, & *terra* per *melancholiam*.

6. Corpus Hominis est substantia composita ex forma & materia, quæ forma non potest videri nec tangi; sed significatur per figuram Corporis Hominis, quæ potest videri & tangi mediante suo colore, & sic suo modo de materia, quæ significatur in plenitudine Corporis Hominis, quod est plenum, quantificatum & extensum in longitudine, latitudine & profunditate; & forma Corporis Hominis appellatur conjunctio quatuor formarum simplicium Elementorum elementata & composita, & posita in specie Corporis Hominis; & materia Corporis Hominis est de simplicibus materiis quatuor Elementorum conjuncta & composita, & posita in specie Hominis.

7. Forma est, quæ habet actionem supra materiam, & materia habet passionem sub forma, & ex forma & materia est Corpus Hominis, in quantum est elementatum; & ex prædicta forma & materia exeunt aliæ formæ, sicut forma vegetativa, & forma sensitiva, & forma imaginativa, quæ sunt particulares formæ Corporis Hominis; & forma vegetativa movet formam elementativam per generationem ad movendum materiam, quæ sit de generatione; & forma sensitiva movet vegetativam ad nutriendum & augmentandum; & forma imaginativa movet sensitivam ad sentiendum; sicut homo, qui imaginatur placitum luxuriæ, cum suo imaginari movet sensitivam ad sentiendum calorem; & supra omnes istas prædictas formas est forma Animæ rationalis, quæ illas formas movet & informat ad informandum sive agendum supra earum materias; *& de hac materia largiùs loquemur suo loco.*

De Vegetativa.

1. DE Vegetativa nos loquemur in *secunda Distinctione* hujus Libri, quæ est de Morte Hominis, *in Capite: De Malis, quæ veniunt per Mortem;* sed in hac Distinctione loquemur de ipsa per alium modum: unde dicimus, quòd Vegetativa in Homine sit una forma, quam vocant Potentiam Vegetativam, & venit cum semine viri, quod transmittit in fœminam, & illud semen est elementatum de quatuor elementis, in quo Vegetativa est plantata; & cùm semen viri est introductum in fœminam, conjungit se ejus materia cum materia seminis fœminæ, & forma seminis viri cum forma seminis fœminæ per contactum; & Vegetativa movet formam seminis, quam vir transmittit in fœminam, & informat formam seminis mulieris, ut forma seminis fœminæ moveat materiam seminis fœminæ; & talis motus fit cum dulcedine, quia Elementativa intrat in vivum *esse* sub habitu Vegetativæ, quæ est Anima vegetativa vivens & convertens & transmutans influentiam, quæ venit de fœmina, per generationem in essentiam seminis, quod venit à viro; quod semen viri ita convertit hoc, quod venit de fœmina, in suam essentiam, sicut Vegetativa Hominis convertit cibum, quem comedit, in suam speciem; & sicut oliva inserta in oleastro convertit speciem oleastri in suam speciem; & sicut granum frumenti seminatum in terra convertit in suam speciem terram & aquam, cum quibus participat; &, sicut granum frumenti exit supra terram generando ex terra, & augmentando arborem, quam facit; ita exit Vegetativa seminis viri de elementativa, & facit arborem, quæ est Corpus Hominis, per generationem, hoc est, corpus embrionis.

De Senſitiva.

SEnſitiva eſt una pars Hominis; & per unum modum loquemur de ipſa in hac Diſtinctione, & per alium modum in *ſecunda Diſtinctione* hujus Libri in *Capite: de Malis, quæ veniunt de Mortem;* igitur dicimus, quòd Senſitiva ſit plantata & inſerta in vegetativa, ſicut vegetativa eſt plantata & inſerta in elementativa: & venit in ſemine viri, quod intrat in fœminam, & creſcit & nutritur ex Senſitiva fœminæ, Senſitivâ movente vegetativam ad vegetandum, & vegetativâ elementativam ad elementandum, ût ſuperiùs dictum eſt; & ſic fit corpus embrionis unum ex tribus eſſentiis & naturis lineatum, formatum & figuratum, animatum & vivum per vegetativam & Senſitivam, quæ vivunt de elementativa, ex qua exeunt & creſcunt, quarum ipſa eſt fundamentum, & per illas ipſa eſt formata, & in ſpecie Corporis Hominis poſita, & de illa habituata & induta.

De Imaginativa.

1. IMaginativa eſt quarta pars Corporis Hominis, de qua loquemur in *ſecunda Diſtinctione* in *Capite: de Malis, quæ veniunt de Mortem;* & in hoc loco dicemus de ipſa, quomodo ſit inſerta, ſeminata & conjuncta in ſenſitiva, hoc eſt, quòd in ſemine, quod vir transmittit in fœminam, eſſentia Imaginativæ ita ſit influxa de Imaginativa viri, qui ſemen transmittit in fœminam, ſicut ſenſitiva eſt transmiſſa & influxa ex ſenſitiva transmittentis, & ſicut vegetativa eſt transmiſſa & influxa ex vegetativa Hominis generantis, & ſic de elementativa; & iſta Imaginativa in ſemine viri per generationem transmiſſa in fœminam creſcit & nutrit ſémet ipſam per generationem ex Imaginativa fœminæ transmiſſa; & ſic embrio eſt totus filius vel filia viri & fœminæ per omnes ſuas partes corporales, quæ ſunt Elementativa, Vegetativa, Senſitiva & Imaginativa, de quibus eſt formatus, lineatus, figuratus & compoſitus per generationem; qui non eſſet totus filius viri & fœminæ, ſi ſua Vegetativa, Senſitiva & Imaginativa in ipſo eſſent creatæ, & non generatæ.

2. Diximus de Corpore Hominis & de Partibus, ex quibus conſtitutum & compoſitum eſt: & oſtendimus, quomodo ſit principiatum, compoſitum, conſtitutum & generatum, & quomodo creſcat & nutriatur: item quomodo ſit lineatum & figuratum, coloratum, quantificatum & extenſum; & per hoc, quod diximus, poteſt Homo cognoſcere hoc, de quo ſuum Corpus eſt, & quomodo eſt conſtitutum ex ſuis partibus; & talis cognitio, quam Homo habet de ſuo Corpore, eſt Homini valde placens ad ſciendum; *nam ſi Homo habet magnum placitum in cognoſcendo ſecreta & naturas aliorum entium, multò magis debet habere placitum in cognoſcendo ſecreta & naturas ſuî ipſius.*

3. Cùm inveſtigaverimus *Eſſe* Corporis Hominis, modò intendimus inveſtigare *Eſſe* ſuæ Animæ, cùm illius *Eſſe* ſit difficile ad intelligendum; quod inveſtigabimus ſecundùm modum, per quem inveſtigavimus DEUM, hoc eſt, per *novem Quæſtiones generales*, quæ continentur in ejus inveſtigatione; & primò dicemus de *Eſſe* Animæ & de ejus Definitionibus.

PARS II.

De Anima Rationali.

ANima Rationalis eſt multùm gravis & difficilis ad intelligendum & ad oſtendendum; quia non eſt corpus, nec habet colorem nec figuram, nec poteſt videri nec tangi; & quia eſt gravis & difficilis ad intelligendum, ideo volumus ipſam inveſtigare & oſtendere ſecundùm diſcurſum & inveſtigationem *Artis Generalis*, ut ipſam meliùs poſſimus inquirere & invenire, ita, quòd inquiremus: *Quid eſt* Anima Rationalis? *De quo eſt? Quare eſt? Quanta eſt? Qualis eſt? Quando eſt? Ubi eſt? Quomodo eſt?* & *Cum quo eſt?* Igitur inveſtigatâ & inventâ Animâ per iſtos *novem Modos generales*, poteſt Homo habere cognitionem de Anima Rationali; & eſt bonum ipſam cognoſcere, poſtquàm eſt una & major pars Hominis.

De Quæſtionibus Animæ Rationalis.

Quæſtio de *Quid.*

1. QUæritur: *Quid eſt Anima Rationalis?* Solutio: Anima Rationalis eſt id, quod conjunctum humano Corpori de ſe ipſo & de humano Corpore facit Hominem;

nem; & Anima rationalis eſt id, cum quo Homo recolit, intelligit & amat DEUM & Angelos, & ſe ipſum & alias res ſpirituales & corporales. Præterea Anima rationalis eſt id, cum quo Homo recolit, intelligit & amat ſinè imaginatione: ſicut Homo, qui cum Anima rationali ſinè imaginari recolit, intelligit & amat DEUM & Angelum, ſuam memoriam, intellectum & voluntatem: & in DEO ſuam Bonitatem, Magnitudinem Æternitatem, Poteſtatem, Sapientiam & Voluntatem: & in juſto Homine juſtitiam, & in ſapiente Homine ſapientiam: & in voluntate amantem, amatum & amare: & Differentiam, Concordantiam & Æqualitatem amantis, amati & amare, & memoriæ, intellectûs & voluntatis; & ſic de aliis rebus ſimilibus iſtis, quas Homo poteſt recolere, intelligere & amare ſinè imaginari, & ſinè videre, audire & tangere. Et ideo cognoſcitur, quòd Anima rationalis ſit aliud ens, quod non eſt corporale, nec habens naturam Corporis; & operationes Animæ rationalis ſunt altiores, quàm operationes Corporis, cùm Anima poſſit recolere, intelligere & amare ſinè imaginari, & imaginatio non poteſt imaginari, niſi Anima rationalis recolat, intelligat vel credat, diligat vel odiat; ideo dicitur, quòd Anima rationalis ſit illa ſubſtantia ſpiritualis incorruptibilis, quæ remanet hoc, quod eſt, poſt mortem Corporis, & quæ ſemper durabit.

2. Anima rationalis eſt illa forma, quæ informat corpus ad vivendum: & ipſum facit eſſe in humana ſpecie: & facit corpus vivere, & ſe movere de uno loco ad alium locum: & facit ipſum creſcere: & facit ipſum eſſe pingue vel macrum: & movet formas & potentias corporis ad agendum; ſicut movet *elementativam* ad elementandum, calefaciendum, humefaciendum, frigefaciendum & deſiccandum; & movet *vegetativam* ad vegetandum, creſcendum, digerendum & transmutandum eſſentias aliarum ſpecierum in alias, ſicut eſſentiam panîs in eſſentiam carnis: etiam movet *ſenſitivam* ad ſentiendum per viſum, auditum & per cæteros ſenſus: etiam movet ſenſitivam ad ſentiendum calorem, frigiditatem, famem, ſitim & dolorem, & ſic de aliis ſimilibus iſtis. Anima rationalis etiam movet *imaginativam* ad imaginandum colorem, figuram, cibum, potum, ædificium, luxuriam, venditionem, emptionem, & ſic de aliis ſimilibus iſtis. Anima rationalis eſt etiam id, quod dat perfectionem & finem corpori, cum quo eſt conjuncta; nam corpus & ſuæ partes ſunt, ut ſit Homo: & Anima creata & infuſa in corpus, & conjuncta cum illo facit de ſe ipſa & de corpore humanum *eſſe*, ût ſuperiùs dictum eſt; & ideo ducit Anima rationalis corpus & ſuas partes ad finem, propter quem ſunt.

3. Quapropter dicunt aliqui, quòd Anima ſit forma corporis, poſtquam ipſum informat, ſuſtinet & gubernat: & poſtquam ipſum ducit ad finem, propter quem eſt; & dicunt, quòd in Homine non ſit niſi una forma. Alii dicunt, quòd corpus habeat formam informatam per formam Animæ, & quòd ex eſſentiali forma corporis & ex eſſentiali forma Animæ componatur forma Hominis ita poſita in tertio numero formæ Animæ & corporis, ſicut Homo tranſit in tertium numerum Animæ & corporis; qui Homo non poſſet tranſire in tertium numerum, niſi ſuum corpus haberet propriam & eſſentialem formam, & ſic de ſua Anima; & *de hac materia largiùs loquemur infrà.*

4. Anima rationalis eſt illa res, quæ, quando eſt disjuncta & ſeparata à corpore, tunc corpus perdit illam figuram, quam habuit, quando erat conjunctum cum Anima, hoc eſt, ſuam vivam formam, & remanet deformatum & denudatum à ſua viva forma habens formam mortuam inclinatam de generatione ad corruptionem; quia ſuæ partes non tendunt ad finem humani *eſſe*, ad quem tendebant, dum corpus erat conjunctum cum Anima; & ideo corpus moritur, & ſuæ partes moriuntur; & *de hac materia loquemur in ſecunda Diſtinctione hujus Libri.*

5. „ Diximus, quid ſit Anima Rationa-
„ lis; & per illa, quæ diximus, poteſt re-
„ ſponderi hominibus ſimplicibus quæ-
„ rentibus: quid ſit Anima? & utrùm A-
„ nima habeat caput, oculos, os, manus & „ pedes? & utrùm ſit alba vel nigra? & „ per quem locum corporis Anima exeat, „ quando homo moritur?

Quæſtio de *De quo.*

1. QUæritur: *De quo eſt Anima Rationalis?* Solutio. Quia DEUS ab Homine poteſt intelligi, recoli & amari, & ab Homine non poteſt imaginari, nec videri, audiri, tangi, vegetari nec calefieri, cùm

DEUS sit spiritualis Substantia, quæ non habet corpus, quantitatem, colorem nec figuram; ideo Anima est de memoria, intellectu & voluntate, cum quibus potest intelligere, recolere & amare DEUM, cùm DEUS sit summa Bonitas & summum Bonum, summa Magnitudo, Duratio, Sapientia, Potestas, Voluntas, Virtus, Veritas & Gloria; & spirituales similitudines hujusmodi suarum Dignitatum non possunt imaginari, sentiri, vegetari nec elementari, & possunt recoli, intelligi & amari; ideo Anima rationalis est constituta de memoria, intellectu & voluntate; ut cum suis propriis & essentialibus partibus in hac vita possit recolere, intelligere & amare spirituales similitudines Dignitatum DEI, & acquirere meritum.

2. Quia dignum & justum est, quòd DEUS recolatur, intelligatur & ametur cum bono, magno, durabili, potente, sapiente, virtuoso, vero & delectabili recolere, intelligere & amare; ideo vult DEUS, quòd memoria, intellectus & voluntas sint de essentiali, substantiali & naturali Bonitate & Magnitudine, Duratione, Potestate, Virtute, Veritate & Delectatione; quia si sic, poterit Anima habere magìs bonum, magìs magnum, magìs durabile &c. recolere, intelligere & amare, & DEUS poterit in Animam influere plus beatitudinis & gloriæ & remunerationis; &, si Anima est mala, poterit Justitia DEI ipsam magìs punire; &, si DEUS ipsius voluerit misereri, poterit illi plus remittere & parcere.

3. Etiam convenit, quòd memoria sit de essentiali, substantiali & naturali recolitivo, recolibili & recolere; & intellectus de essentiali, substantiali & naturali intellectivo, intelligibili & intelligere: & quòd voluntas sit de essentiali, substantiali & naturali volitivo, volibili & velle; & convenit, quòd hoc ita sit, ut intellectus species, quas acquirit & multiplicat intelligendo, ponat in suis propriis essentialibus fundamentis, hoc est, ut in suo proprio essentiali, substantiali & naturali intelligibili ipsas faciat esse intelligibiles & intellectas, & ut accidentale & acquisitum intelligere, in quantum ipsas intelligit, sit figuratum, sigillatum, natum & ortum de suo proprio essentiali, substantiali & naturali intelligere, in quo informet & characterizet quodlibet intelligere, quod vadit & venit; & hoc oportet ita esse, ut species sint magìs veræ, magìs magnæ, magìs fortes & magìs durabiles, & cum majori virtute & delectatione; & idem oportet esse de memoria, ut species, quas recolit, meliùs possit retinere, & intellectui & voluntati reddere; & sic de voluntate, ut meliùs possit amare species, & ut cum libertate ipsas possit eligere, amare vel odire; quam libertatem non posset habere sinè proprio essentiali, substantiali & naturali volibili, in quo ipsas facit volibiles cum essentiali, substantiali & naturali velle, in quo informat unum velle, quando vult unam speciem, & aliud velle, quando vult aliam; in tantum, quòd illud intrinsecum velle sit tanquam sigillum & impressio seu fundamentum, in quo informet, imprimat & characterizet quodlibet accidentale velle, quod vadit & venit.

4. „ Diximus, *De quo sit* Anima; & per „ illa, quæ de ipsa diximus, potest cog„ nosci ejus alta nobilitas & bonitas, cùm „ ipsa sit de tam altis, nobilibus & incor„ ruptibilibus rebus, & sit creata ad tam „ nobilem & altum Finem; & ideo faci„ unt magnum malum Homines peccato„ res, & sunt digni patiendi magnam „ pœnam, quia ipsam inclinant ad pec„ cata, & ad amandum, intelligendum & „ recolendum fraudes, deceptiones & vi„ les & turpes res & quæ sunt modicæ u„ tilitatis.

Quæstio de *Quare*.

1. QUæritur: *Quare est Anima?* Solutio: Ad hanc Quæstionem potest responderi *duobus modis: uno* modo secundùm *Esse: alio* modo secundùm *Finem; secundùm Esse:* sicut Homo, qui habet humanum *esse*, quia est constitutus ex Anima rationali & elementato corpore; & est vivus, quia est constitutus ex elementativa, vegetativa, sensitiva, imaginativa & rationativa, quæ sunt essentiæ habentes vitam, cùm sint ad invicem conjunctæ, & faciant humanum *esse*, quod est vivum, & per illas vivit & habet vitam; & quando ab invicem separantur, per earum separationem moritur Homo; & sic de aliis similibus istis.

2. Simili modo Anima est, quia habet *esse* constitutum ex memoria, intellectu & voluntate; & vivit, quia est ex vivis partibus; & ejus *esse* non moritur, quia est ex vivis partibus, quæ ad invicem concordant, nullam Contrarietatem inter se habentes.

bentes. Idem esset de corpore Hominis, quod dictum est de Anima, scilicet quòd non moreretur, si suæ partes propriè & essentialiter concordarent sinè aliqua Contrarietate, & si potentia elementativa propriè & essentialiter per sémet ipsam esset viva substantia.

3. Secundùm *Finem* Anima est, ut recolat, intelligat & diligat DEUM, cùm DEUS ipsam creaverit ad recolendum, intelligendum, amandum, laudandum se, & serviendum sibi. Anima etiam est, ut sit Homo, qui non posset esse sinè Anima; & Anima ita est, ut sit Homo, sicut pars est, ut sit totum; & in hoc passu cognoscitur, quòd erit generalis Resurrectio Hominum; nam, si non esset generalis Resurrectio, quantumcunque Anima Hominis esset justa, semper haberet passionem & defectum desiderans suum Finem, propter quem ipsa est id, quod est, & nunquam haberet nec attingeret ipsum sinè Resurrectione.

4. Anima Hominis etiam est, ut sit Medium & instrumentum, per quod corporales creaturæ, hoc est, cœlum, & omnia corpora, quæ illud in se continet, attingant Finem, ad quem sunt creata, qui Finis est DEUS: qui illa corpora creavit ad serviendum sibi; & quia DEUS est invisibilis, & non potest videri, audiri nec tangi, ùt suprà dictum est, & corpus non potest recolere, intelligere & amare DEUM, habens naturaliter appetitum & desiderium serviendi DEO, ad cujus servitium est creatum, ideo est Anima, ut sit Homo, qui serviat DEO, & ut corporales creaturæ serviant Homini, & ipsum juvent ad serviendum DEO; „ & ideo malè faciunt Homi„ nes peccatores, qui deviant corporales „ creaturas à Fine, propter quem sunt; & „ qui cum servitio, quod creaturæ illis fa„ ciunt, DEUM inhonorant, & ipsi dis„ serviunt; &, quia malum, quod faci„ unt, est ita magnum, non est mirum, „ si in inferno eorum pœna sit magna & „ durabilis.

Quæstio de *Quantum*.

1. QUæritur: *Utrùm Anima habeat Quantitatem?* Solutio. Anima est substantia, quæ, si non haberet Quantitatem, posset esse ita infinita in extensa Magnitudine, sicut divina Substantia, quæ est infinita in extensa Magnitudine (ùt ita loquamur) quæ non posset esse infinita, si haberet Quantitatem; cùm Quantitas sit terminata intra certos terminos substantiæ, in qua sustentatur; quæ substantia per suam Quantitatem est quanta, & non potest esse extra suos terminos: igitur est Anima cum Quantitate, ut sit quanta, & intra suos terminos terminata, & ut sit in certo loco, & non extensa extra terminos loci.

2. Dicimus etiam, quòd sua Quantitas sit spirituale accidens, quod non potest videri nec tangi, nec potest facere figuram, nec habet esse coloratum nec imaginabile; & ideo videtur simplicibus hominibus, qui nesciunt, quid sit Anima rationalis, quòd Anima non habeat spiritualem Quantitatem: & in quantum dicunt, quòd non habeat corporalem Quantitatem, dicunt verum; quia Anima non habet corporalem Quantitatem, sed spiritualem, ùt probatum est.

3. Anima non potest crescere nec destrui, nec potest mori per essentiam, & est ita magna in parvo puero, sicut in magno Homine; sed Homo non potest hoc imaginari nec videre, cùm Anima sit spiritualis substantia, quæ non potest imaginari nec videri: veruntamen Homo potest hoc intelligere, cùm Homo possit spirituales substantias recolere, intelligere & amare sinè imaginari; & de hoc jam sumus locuti.

Quæstio de *Quale*.

1. QUæritur: *Qualis est Anima?* Solutio. Sunt *duæ Qualitates*, quarum *una* est propria, *alia* appropriata; *propria* Qualitas est, sicut calor ignîs; *appropriata* est, sicut sua siccitas, quæ illi appropriata est per terram; & ideo ignis est uno modo qualis per suam propriam Qualitatem, & alio modo per appropriatam.

2. Simili modo Anima est qualis *duobus modis: uno* modo est qualis per suam propriam Qualitatem, & *alio* modo est qualis per appropriatam Qualitatem; per *propriam* Qualitatem est recolens, intelligens & amans; & per naturam est bona, magna, durabilis, potens, intelligens, virtuosa, vera, delectabilis & incorruptibilis; per Qualitatem illi *appropriatam*, quam sibi appropriat acquirendo habitus virtutum vel vitiorum, est ipsa qualis, hoc est, justa per habitum virtutum, vel injusta per habitum vitiorum, & sic de aliis acquisitis habitibus.

3. Item per appropriatam Qualitatem concupiscit & desiderat corporales delicias, & habet tristitiam, quando corpus patitur famem,

famem, ſitim, frigus & infirmitatem, & alia his ſimilia; & de talibus loquemur in *ſecunda Diſtinctione Parte II.*, in qua inveſtigabimus Virtutes & Vitia Animæ.

Quæſtio de *Quando.*

1. QUæritur: *Quando eſt Anima?* Solutio. De Tempore Animæ ſunt *duæ opiniones*, quarum *una* eſt falſa, & *alia* eſt vera; illa, quæ eſt *falſa*, reprobatur; nam aliqui dicunt, quòd omnes Animæ Hominum fuerint creatæ in uno tempore, & hoc reprobatur dicendo, quòd DEUS nihil faciat fruſtra, nec faciat aliquam creaturam, ut ſit otioſa; quod faceret, ſi omnes Animæ eſſent creatæ in uno Tempore; nam Anima ultimi Hominis fuiſſet otioſa tanto Tempore, quantum eſſet de primo Homine ad ultimum.

2. Alia opinio eſt *vera*, quòd DEUS creet Animam in illo Tempore, in quo embryo eſt lineatus, organizatus & formatus per elementativam, vegetativam, ſenſitivam & imaginativam, & in illo Tempore conjungit DEUS illam cum corpore, & ex ipſa & corpore fit Homo.

3. Dicimus etiam, quòd Anima ſit in Tempore, quia habet principium per creationem; & eſt in Tempore per accidens, hoc eſt, ratione corporis, cum quo eſt conjuncta, quod corpus eſt in motu per momenta, horas, dies & annos; & ideo poteſt dici, quòd elapſi ſint anni, quòd Anima Abrahæ eſt creata; & idem de Anima Beati Petri; tamen non dicimus, quòd Anima per ſémet ipſam ſit in Tempore per motum; ſed dicimus, quòd moveatur de uno loco ad alium per motum corporis, cum quo movetur: & ideo dicunt aliqui, quòd in alia vita Anima ſeparata non exiſtat in numero horarum, dierum & annorum, ſed quòd habeat Principium in Tempore.

Quæſtio de *Ubi.*

1. QUæritur: *Ubi eſt Anima?* Solutio. Sicut Homo eſt Homo in ſe, ita Anima eſt Anima in ſe ipſa, hoc eſt, Anima eſt in ſe ipſa hoc, quod eſt. Anima eſt etiam in Homine, in quantum eſt pars Hominis, & Homo eſt ſuum totum. Item Anima eſt in corpore Hominis, & corpus Hominis in Anima, ſicut duæ partes, quarum una pars totius eſt in alia, ut ex ambabus ſit totum compoſitum; & quia Homo eſt compoſitus ex Anima & Corpore, ideo quando Homo ſe movet de loco ad locum, movetur Anima de uno loco ad alium.

2. Anima eſt ſpiritualis ſubſtantia, ût dictum eſt: &, quia ſpiritualis ſubſtantia non habet figuram, longum, latum & profundum, non eſt imaginabile, quomodo Anima ſit in loco; nam, ſi hoc eſſet imaginabile, eſſet ipſa Anima imaginabilis tanquàm ſi haberet prædicta, quod eſt impoſſibile; ideo intelligit intellectus ſupra imaginationem, quomodo Anima ſit in loco; hoc eſt, Anima eſt in Homine, ſicut pars in toto; & eſt in Corpore Hominis, ſicut pars, quæ eſt in parte, & Anima eſt in illo loco, in quo corpus eſt, cum quo eſt conjuncta, ſcilicet Anima eſt in camera vel in culina, in campo vel in vinea, & ſic de aliis locis; & eſt in ſe ipſa, ût ſuperiùs dictum eſt; & ſecundùm hos *quatuor modos* poteſt conſiderari, ubi ſit Anima: hoc eſt, Anima eſt *in ſe ipſa*, & eſt *in Homine*, & eſt *in Parte Hominis*, quæ eſt Corpus; item, Anima eſt *in quocunque Loco*, *in quo ſit Homo.*

3. Homo eſt in camera, & cum Anima recolit, intelligit & diligit equum, qui eſt in ſtabulo, Anima non eſt in ſtabulo, poſtquàm eſt pars Hominis, qui eſt in camera: qui Homo in uno & eodem tempore non poteſt eſſe in camera & in ſtabulo; ſed, quia Anima eſt in imaginativa, cum qua eſt conjuncta, quæ imaginatur ſimilitudinem equi, quem potentia viſiva ipſi repræſentavit, & Anima in imaginativa recolit, intelligit & amat ſimilitudinem equi, quando Homo eſt in camera, & equus in ſtabulo; ideo videtur ſimplicibus hominibus, quòd Anima ſit in illo Loco, in quo eſt equus.

4. Vinum eſt in ampulla per contactum, & ampulla in aëre; & ideo videtur ſimplicibus hominibus, quòd Anima ita ſit in corpore, ſicut vinum in ampulla; ſed ſapientes Homines conſiderant, quòd Anima ita ſit in corpore ſinè contactu, ſicut corpus eſt in ipſa, ût dictum eſt; ut quælibet pars Hominis ſit in alia; etiam ampulla non eſt in vino, nec Anima poteſt eſſe in corpore per contactum, cùm Anima ſit Spiritus; & quia eſt Spiritus, non poteſt tangere, nec tangi, nec poteſt occupare Locum, nec poteſt impediri à Loco; & ideo dicunt Sapientes, quòd plures Animæ ſeparatæ poſſint eſſe in uno & eodem Loco, &

& in uno & eodem tempore; & hoc non videtur ſimplicibus Hominibus, quia imaginantur, quòd Anima ita ſit in Loco per contactum, ſicut vinum in ampulla.

5. Anima ſeparata eſt ita in uno Loco, quòd non eſt in alio Loco, dum eſt in Loco, in quo eſt; & hoc intelligunt ſapientes ſinè imaginari, quòd Anima ſit terminata in Loco non per contactum, ſed quòd ſit in illo Loco, in quo eſt, & non ſit in alio Loco, in quo non eſt; ſed ſimplices Homines imaginantur & credunt, quòd Anima ita ſit in Loco per contactum Loci, in quo eſt, ſicut vinum, quod per contactum eſt in ampulla, & non per contactum in dolio.

Quæſtio de *Quomodo.*

1. QUæritur: *Quomodo eſt Anima?* Solutio. Poſtquàm conſideravimus, quid ſit Anima, de quo ſit, & ſic de aliis ſupradictis Quæſtionibus, poteſt cognoſci, Quomodo Anima ſit hoc, quod eſt; nam Anima eſt de memoria, intellectu & voluntate, & ideo eſt hoc, quod eſt, quia eſt conſtituta ex omnibus tribus, in quantum ejus Finis eſt recolere, intelligere & amare DEUM.

2. Anima habet Modum, quomodo ſit hoc, quod eſt, ſicut corpus elementatum, quod habet Modum in eſſendo hoc, quod eſt, quia eſt conſtitutum ex quatuor elementis, quolibet elemento mixto cum alio; Anima habet ſpiritualem quantitatem, ut ſuperiùs dictum eſt; & quia non habet corporalem quantitatem (ût ita loquamur) habet modum eſſendi hoc, quod eſt, per ſpiritualem quantitatem, per quam eſt quantificata & ita fortiter terminata, quòd non poteſt habere Modum eſſendi quantificata & terminata per corporalem quantitatem.

3. Anima habet duas qualitates, ût diximus, ſcilicet unam propriam, & aliam appropriatam, cum quibus habet Modum eſſendi hoc, quod eſt, & ſinè illis non poſſet eſſe hoc, quod eſt; ſicut ignis, qui ſinè calore & ſiccitate non haberet, cum quo eſſet hoc, quod eſt: idem poteſt dici & reſponderi de Anima, ſcilicet quòd ſecundùm Modum, quem habet per tempus & per locum, de quo ſuprà dictum eſt, habeat Modum eſſendi hoc, quod eſt.

4. Item Anima habet Modum eſſendi hoc, quod eſt, per *Modum*, qui eſt una pars ſuæ eſſentiæ, ſicut ſua quantitas, aut ſua qualitas, & ſic de cæteris ſuis accidentibus; &, ſicut poteſt cum ſua memoria recolere, & cum ſuo intellectu intelligere, & cum ſua voluntate amare, ita poteſt cum ſuo *Modo* habere *Modum* eſſendi hoc, quod eſt, & cum ſuo *Modo* poteſt habere *Modum* ad recolendum, intelligendum & amandum, & ad informandum corpus, & ad participandum cum ipſo, & ad movendum ipſum de uno loco ad alium, & ad augendum & nutriendum ipſum.

Quæſtio de *Cum quo.*

1. QUæritur: *Cum quo eſt Anima?* Solutio. Anima eſt cum DEO, qui ipſam creavit; & eſt cum ſe ipſa, in quantum non eſt derivata nec generata ex aliqua ſubſtantia; eſt etiam Anima cum ſuis eſſentialibus, ſubſtantialibus & naturalibus partibus, & cum ſuis propriis actibus: ſicut totum, quod eſt cum ſuis partibus.

2. Anima eſt cum Fine, ad quem eſt creata, quia ſinè illo Fine non eſſet creata, principiata, nec ſuſtentata: & de illius Fine jam dictum eſt; & ideo malè facit peccator, qui deviat ſuam Animam à Fine, ad quem eſt creata, principiata & ſuſtentata: & qui ipsâ utitur recolendo, intelligendo & amando contra Finem, ad quem creata, principiata & ſuſtentata eſt, & contra Finem multorum naturalium bonorum, quæ DEUS illi dedit, & etiam contra multa bona, quæ DEUS illi promiſit, ſi bonum eſt illi dare ipſa: & Homo peccator inclinat ipſam ad ſuſtinendum perpetua mala & labores, quia ipsâ utitur contra DEUM.

3. Inveſtigavimus *Animam* ſecundùm gradus prædictarum quæſtionum; per quam inveſtigationem Homo poteſt habere magnam cognitionem de ipſa, & cum ipſa poteſt facere magnum bonum, & effugere magnum malum. Et ſimiliter inveſtigavimus *Corpus Hominis & ſuas partes;* & ideo poteſt Homo cognoſcere ſuas partes, & poteſt uti ſe ipſo in faciendo bonum, & in evitando malum.

4. „ Cùm inveſtigaverimus Corpus Hominis & Animam ipſius per prædictas *novem Quæſtiones generales*, poteſt Homo conſiderare, quid ſit Homo, conſiderando: quid ſit Corpus Hominis, & quid ſit Anima Hominis, cùm Homo ſit ex Anima & Corpore; & hoc idem de aliis Quæſtionibus, quæ poſſunt fieri

„ de Homine, ad quas poteſt reſponderi,
„ ſicut reſpondimus ad quæſtiones de ſuis
„ partibus.

PARS III.

Quomodo Homo eſt Homo.

1. QUæritur: *Quomodo Homo eſt Homo?* Solutio. Homo eſt ſubſtantia conſtituta ex Anima rationali & Corpore elementato, vegetato, ſenſato & imaginato; & quando contingit, quòd Homo non ſit Homo, ipſe deſinit eſſe propter ſeparationem ſuarum partium, de quibus ſuperiùs dictum eſt: unde, ſicut Homo deſinit eſſe Homo per disjunctionem & ſeparationem ſuarum partium, ſic Homo eſt Homo & perſeverat eſſe Homo per compoſitionem & propinquitatem ſuarum partium.

2. In Anima ſunt *partes activæ & paſſivæ, & actus naturales*, qui ſunt de partibus activis & paſſivis. In anima ſunt partes *activæ*, quæ ſunt memorativitas, intellectivitas & amativitas, & naturales & ſpirituales bonificativitas, magnificativitas, durativitas, poſſificativitas, virtuificativitas, verificativitas & glorificativitas, de quibus ſunt memorativitas, intellectivitas & amativitas Animæ, quæ ad invicem conjunctæ conſtituunt unam *communem Formam* Animæ.

3. Et in Anima ſunt partes *paſſivæ* naturales & ſpirituales, quæ ſunt memorabilitas, intelligibilitas & amabilitas, & bonificabilitas (ût ita loquar) magnificabilitas, durabilitas, poſſificabilitas, virtuificabilitas, verificabilitas & delectabilitas, de quibus ſunt memorabilitas, intelligibilitas & amabilitas Animæ, quæ ad invicem conjunctæ conſtituunt unam *communem Materiam* Animæ ſpiritualem & naturalem.

4. Et in Anima ſunt *actus naturales* exiſtentes ex partibus activis & paſſivis, quæ ſunt naturalia, ſubſtantialia & ſpiritualia memorare, intelligere & amare ſive velle, & eorum bonificare magnificare, duratificare, poſſificare, virtuificare, verificare & glorificare, de quibus ſunt memorare, intelligere & amare, quæ ad invicem conjuncta conſtituunt unum communem *actum* Animæ, qui communis actus Animæ eſt Medium inter formam Animæ & ejus ſpiritualem materiam, per quod Medium conjunguntur & uniuntur ad invicem, & ex omnibus tribus reſultat una ſubſtantia, quæ eſt Anima rationalis.

5. In Corpore Hominis ſunt partes *activæ & paſſivæ & actus* ſive operationes naturales, quæ ſunt ex partibus activis & paſſivis; in Corpore Hominis partes *activæ* ſunt elementativitas, vegetativitas, ſenſitivitas, imaginativitas, & eorum corporales bonificativitas, magnificativitas, durativitas, poſſificativitas, appetitivitas, virtuificativitas, verificativitas & glorificativitas, ex quibus ſunt elementativitas, vegetativitas, ſenſitivitas & imaginativitas; cum iſtis fit una *communis Forma* Corporis Hominis.

6. In Corpore Hominis ſunt partes *paſſivæ* corporales & naturales Corporis Hominis, quæ ſunt elementabilitas, vegetabilitas, ſenſibilitas & imaginabilitas, & eorum corporales & naturales bonificabilitas, magnificabilitas, durabilitas, poſſificabilitas, appetibilitas, virtuificabilitas, verificabilitas & delectabilitas, ex quibus ſunt elementabilitas, vegetabilitas, ſenſibilitas & imaginabilitas; & omnes iſtæ partes paſſivæ faciunt unam *communem Materiam* Corporis Hominis.

7. Item in Corpore Hominis *actus* naturales ſunt elementare, vegetare, ſentire, imaginari, & eorum corporale & naturale bonificare, magnificare, durare, poſſificare, appetere, hoc eſt, habere appetitum per naturalem inſtinctum, virtuificare, verificare, & delectari; ex iſtis ſunt elementare, vegetare, ſentire & imaginari, ex quibus ad invicem conjunctis conſtituitur unus *communis Actus*, qui eſt Medium inter communem Formam corporis & ejus Materiam, & ex omnibus tribus reſultat una ſubſtantia Corporis Hominis.

6. Igitur cognito & conſiderato ædificio & ſtructurâ, quomodo ex tribus groſſis partibus Corporis reſultet Corpus Hominis, & quomodo ex tribus groſſis partibus Animæ reſultet Anima Hominis, poteſt haberi cognitio: quomodo Homo ſit Homo; hoc eſt, quia activæ formæ Animæ & activæ formæ Corporis conjunguntur ad invicem, quia per actionem aſſimilantur: & quia per finem ſe habent ad unam communem formam Hominis, quæ eſt ex forma Animæ & ex forma Corporis Hominis, quæ ſunt ſuæ partes; & illa communis forma Hominis tranſit in tertium numerum, in quantum non eſt forma Animæ, nec Corporis; & materiæ paſſivæ Animæ & materiæ paſſivæ Corporis conjunguntur ad invicem, & moventur per ſuas formas & ſimilitudines, movente formâ Animæ formam Corporis, quæ movet materiam Corporis ad unum communem Finem, ſcilicet communis materiæ Hominis, quæ eſt conſtituta ex materia Animæ & ex materia Corporis poſita & translata in tertio numero: nam materia Animæ & materia Corporis ſunt partes communis materiæ Hominis, quæ eſt earum totum; & idem eſt de actibus communibus Animæ & Corporis, qui ad invicem conjunguntur & conveniunt, & ex illorum conjunctione & conventione reſultat unus communis actus hominis, per quem, in quo & cum quo communis forma & materia Hominis ad invicem conjunguntur & uniuntur, ex quarum conjunctione reſultat Homo, qui tranſit & eſt in tertio numero, & eſt totum ſimplex in numero Hominis ſecundùm ſuam definitionem, & ſuæ partes ſunt ſua communis forma & ſua communis materia, & earum communis actus, de quibus ſuprà dictum eſt; & ſic eſt Homo ſuperiùs, & ſuæ partes groſſæ & minutæ ſunt inferiùs, hoc eſt, ſub Homine, ût ſuprà ſignificatum eſt.

9. Et quando Homo tangitur & movetur per aliquam ſuarum partium particularium, tunc ipſa hoc repræſentat alteri: ſicut, quando vegetativa eſt infirma per nimium calorem & ſiccitatem, ipſa hoc repræſentat ſenſitivæ, & ſenſitiva, quæ ſentit paſſionem, repræſentat imaginativæ, quæ imaginatur fontes, umbras, cibaria humida eſt frigida, & hoc, quod imaginatur, repræſentat memoriæ, intellectui & voluntati Hominis, quæ hæc repræſentant Homini, ut ipſas promoveat ad procurandum umbras, & ad comedendum cibaria frigida & humida, & ad bibendum multum aquæ frigidæ; & de hac materia largiùs loquemur *in ſequenti Parte*.

PARS IV.

De naturalibus Operationibus Hominis.

1. INveſtigavimus, Quid ſit Homo: De quo ſit Homo, & ſic de aliis ſupradictis Rubricis; modò volumus inveſtigare, *Quæ* ſint *naturales Operationes Hominis*: *De quo* ſint: *Quare* ſint: *Quantæ* ſint: *Quales* ſint: *Quando* ſint: *Ubi* ſint: *Quomodo* ſint: & *Cum quo* ſint. Et hanc inveſtigationem facimus, ut ſic cognoſcamus Hominem per ſuas *naturales Operationes*, ſicut ipſum cognovimus per ſuas *naturales partes*.

Quæſtio de *Quid*.

1. QUæritur: *Quæ ſunt naturales Operationes Hominis?* Solutio. Naturales Operationes Hominis ſunt actus, qui exeunt ex naturalibus formis & materiis, inter quas ipſæ ſunt media, per quæ naturales formæ & materiæ ad invicem appropinquant & conjunguntur; & de hoc eſt dictum ſuprà in quæſtione: *Quando Homo eſt Homo?* qui actus ſunt elementare, vegetare, ſentire, imaginari, recolere, intelligere & amare, bonificare, magnificare &c.; & ſunt naturales actus vel Operationes, quia non fiunt cum deliberatione & electione Hominis, ſed ſunt ſuæ primariæ partes.

Quæſtio de *De quo*.

1. QUæritur: *De quo ſunt naturales Operationes Hominis?* Solutio. Naturales Operationes Hominis ſunt de formis, de quibus Homo eſt formatus, quæ movent materias, de quibus Homo eſt materiatus, de quibus exeunt naturales Operationes per actiones formarum, & paſſiones materiarum, & in ipſis conſtituitur: ſicut elementare, quod exit ex elementativo & elementabili; & vegetare, quod exit ex vegetativo & vegetabili, & ſic de aliis.

2. Sunt aliæ *naturales Operationes Hominis*, quæ ſunt *accidentales*, & quæ exeunt ex primis naturalibus Operationibus, ſicut cholera, quæ calefacit Hominem, & facit Hominem habere ſitim; & ſicut Homo, qui calefacit ſe ipſum currendo. Tales Operationes ſunt de *elementativa*, & exeunt de igne, qui calefacit aërem in corpore Hominis, & exeunt per choleram, & ex hoc, quòd Homo currat; & idem eſt de aëre frigido moto, qui vocatur ventus, qui infrigidat hominem; & iſtud infrigidare exit de aqua, quæ infrigidat terram in corpore Hominis; quod infrigidare eſt pars Hominis, in quantum eſt actus primus; & ſic de aliis ſimilibus.

3. Alia Operatio naturalis & accidentalis est per *vegetativam:* sicut transmutatio ciborum, quos Homo comedit, transmutando illos in carnem Hominis per vegetationem; & istud vegetare est secundum, quod exit de primo, quod primum vegetare est de essentia vegetativæ, per quam sua forma & materia conjunguntur.

4. Alia Operatio naturalis & accidentalis est per *sensitivam,* quæ est sentire, quod sentire exit & derivatur de primo sentire, quod est de essentia sensitivæ potentiæ; & secundum sentire est, sicut videre colorem, audire sonum, odorare odorem, gustare cibos, tangere calorem vel frigiditatem, & sic de aliis similibus istis.

5. Illa Operatio, quam Homo habet in *imaginando* castrum, equum, & sic de aliis rebus similibus istis, est secundum imaginari, quod exit de primo, in quantum est sua similitudo, quæ vocatur species phantastica; in qua specie primum imaginari, quod est radicale & de essentia imaginativæ, ita significatur & ostenditur, sicut facies Hominis in figura speculi, quæ figura est similitudo faciei, quæ suam similitudinem influxit in speculum.

6. Homo *recolit* equum vel castrum, & sic de aliis objectis; & illud recolere est accidentale, quod vadit & venit, & exit de substantiali memorare ad intrà, de quo dictum est in Tertiâ Parte: *Quomodo Homo est Homo;* & accidentale recolere movetur per memorativum substantiale, quod de ipso trahit memoratum phantasticum, quod vocatur species phantastica, cum qua attingit objectum, quod desiderat recolere.

7. *Intelligere* equum vel castrum est accidentalis Operatio, quæ est influxa de intelligere ad intrà, quod est substantialis Operatio & primaria, existens de essentia intellectûs; de quo substantiali intelligere, Homo, qui est intellectivus, trahit accidentale intelligere, cum quo attingit objecta, quæ desiderat intelligere, & cum quo facit intellectum phantasticum & speciem acquisitam & multiplicatam, quæ est similitudo intelligibilis ad intrà ab ipso influxa per Hominem, qui est intellectivus, movens suum intellectum ad intelligendum; & propter hoc est de intelligibili ad intrà, quia objectum ad extrà est intelligibile, hoc est, equus vel castrum, & sic de aliis.

8. Homo *vult* equum vel castrum, & sic de aliis, cujus velle est accidentale, quia vadit & venit; & est de velle, quod est ad intrà, quod est velle generale motum ab Homine, qui ipsum movet ad velle accidentale, ut possit velle equum vel castrum, & sic de aliis; & illud accidentale velle est naturalis Operatio influxa de substantiali Operatione ad intrà existente per Hominem, qui utitur suâ substantiali & naturali voluntate.

Quæstio de *Quare.*

1. QUæritur: *Quare habet Homo naturalem Operationem;* Solutio. Ratio, quare Homo habet naturalem Operationem, consistit in *duobus modis; unus* modus est per *essentiam, alius* modus est propter *finem.* Ille modus, qui est per *essentiam,* est, quia essentialis forma Hominis, & idem de sua essentiali materia, de quibus dictum est in tertia Parte: *Quomodo Homo est Homo,* non possent esse hoc, quod sunt, sinè naturali operare; nam sinè naturali Operatione forma non haberet naturalem actionem, nec materia naturalem passionem; & sic forma non esset forma, nec materia esset materia; igitur convenit, quòd Homo habeat naturalem Operationem, ut possit habere formam & materiam, & ut forma & materia sint hoc, quod sunt.

2. Etiam convenit, quòd Homo habeat naturalem Operationem propter *finem:* sicut elementatum, quod est finis ipsius elementare; igitur convenit, quòd sit elementare, quod est naturalis Operatio, ut per naturam sit operatum elementatum; & sic de naturali vegetare, quod est, ut sit vegetatum, naturatum operatum: sicut unus Homo, qui est vegetatus de semine alterius Hominis: & sicut cibus vegetatus in carnem; & idem est de sentire & imaginari, de recolere, intelligere & amare secundùm eorum conditiones, quas convenit esse naturales Operationes propter naturalem finem; nam, si non essent naturales Operationes, essent artificiales, & Homo in Operationibus ad extrà attingeret suum finem naturalem per artificium, & non per naturam; quod est impossibile.

Quæstio de *Quantum.*

1. QUæritur: *Quot sunt naturales Operationes Hominis?* Solutio. In Homine sunt plures naturales Operationes, quæ sunt difficiles ad memorandum, quia sunt

sunt plures & secretæ, & tot sunt istæ secretæ, quòd non possint numerari ab aliquo, nisi à DEO, qui cum sua Sapientia numerat & comprehendit omne, quod est. Aliquæ tamen possunt numerari ab Homine: sicut elementare, quod est in elementativa, & calefacere & humefacere, infrigidare & desiccare, assituare, colorare, illuminare, lineare, figurare, extendere, quantificare, qualificare, alleviare, ponderare, differentiare, concordare, contrariare, principiare, mediare, terminare, majorificare, æqualificare, minorificare, evacuare, implere, & sic de pluribus aliis naturalibus Operationibus; & sic de aliis potentiis Hominis, qui de earum actibus generalibus potest influere & multiplicare multos actus particulares & naturales.

Quæstio de *Quale.*

1. QUæritur: *Quales sunt naturales Operationes Hominis?* Solutio: Quædam sunt propriæ, & quædam appropriatæ; *propriæ* sunt radicales & grossæ, & quæ non veniunt de extrà substantiam, sed sunt partes ipsius, sicut sunt elementare, vegetare, sentire & imaginari, recolere, intelligere & amare.

2. Aliæ Operationes sunt accidentales, & sunt partes minutæ, & quæ vadunt & veniunt, & sunt proprietates *appropriatæ;* sicut Homo, qui cum flamma ignis vel carbonis sémet ipsum calefacit per elementare, & cum calidis cibis, quos comedit, calefacit suum corpus per vegetare; & sic facit, quando videt pulchram fœminam, quam desiderat habere, imaginando placita luxuriæ; & tale calefacere venit per vegetare, sentire & per imaginari, quæ sunt naturales Operationes, & per recolere, intelligere & amare, recolendo, intelligendo & amando fœminam, quia est pulchra, & ut in ipsa sentiat placita luxuriæ.

3. Hoc opus calefaciendi influitur & movetur per Operationem, quæ est de naturali calore Hominis, qui calor exit ex forma & ex materia ignis per calefacere, quæ forma & materia sunt radicales partes corporis de essentia corporis Hominis, in quantum est elementatum, quas partes Homo non movet ad calefaciendum intrà per proprium calorem, sed ad calefaciendum extrà per appropriatum calorem, qui venit & vadit; & partes Hominis grossæ intrà ipsum existentes essentiales non moventur ab Homine, sed moventur à natura, quæ ipsas movet, & per influentiam corporum supracœlestium.

Quæstio de *Quando.*

1. QUæritur: *Quando sunt naturales Operationes Hominis, & quæ sunt radicales?* Solutio. *Naturales Operationes* Hominis sunt elementare, vegetare, sentire & imaginari, memorare, intelligere & amare, & sunt in illo tempore, in quo Homo est Homo; sicut in potentia elementativa, quæ est pars Hominis, quæ per elementare facit, quòd suum corpus sit elementatum, sinè quo elementare suum corpus non posset esse elementatum, cùm sinè elementare formæ & materiæ elementorum ingressæ in speciem corporis humani essent otiosæ, & non motæ per corpora supracœlestia, sinè quorum influentia nemo posset vivere; & sic de *radicali* vegetare, per quod elementa ingressa in speciem Hominis sunt vegetata in carnem, sanguinem, nervos & ossa; & sic de aliis pertinentibus ad corpus Hominis per vegetationem & transmutationem elementorum in corpus Hominis, sinè qua vegetatione & transmutatione existentibus in actu continuo corpus Hominis esset mortuum; & idem est de sentire, quod est intrà, & de imaginari, per quæ elementa ingressa ad existendum vegetata in corpore Hominis ingrediuntur in ipsum ad essendum sensata & imaginata per continuum actum, scilicet per sentire & imaginari.

2. Si in memoria non esset continuum memorare, & in intellectu intelligere, & in voluntate velle, spirituales formæ & materiæ Animæ, de quibus suprà dictum est *in tertia Parte: Quomodo Homo est Homo,* essent otiosæ, & non haberent, cum quo possent conjungi; & quia formæ non haberent actionem, nec materiæ passionem sinè radicalibus recolere, intelligere & velle, Anima non haberet, cum quo informaret corpus, nec haberet, cum quo illi daret *esse,* scilicet vitam, nec posset cum illo conjungi; igitur convenit, quòd radicalia recolere, intelligere & velle sint in continuo actu in illo tempore, in quo Homo est Homo.

3. Sunt etiam aliæ naturales Operationes in Homine, quæ non sunt in continuo actu in illo tempore, in quo Homo est Homo, sicut vigilare & dormire, videre, audire, comedere, bibere, memorare, intelli-

gere & amare equum vel caſtrum, & ſic de aliis Operationibus ſimilibus iſtis, quæ vadunt & veniunt.

Quæſtio de *Ubi.*

1. QUæritur: *Ubi ſunt naturales Operationes Hominis?* Solutio. Natura Hominis eſt in Homine, cùm ſit una ſuarum partium; ideo quando Homo movet ſuam naturam, ſicut totum, quod movet ſuas partes, habet ſuas naturales Operationes in ſua natura & in ſe ipſo.

2. In Homine eſt potentia elementativa, cujus naturalis Operatio eſt elementare, & elementativum in ſuo proprio elementabili elementat elementabile, quod venit de extrà; ſicut ſunt ignis & alia elementa, quæ veniunt in pane elementato, & quæ ſunt elementabilia in elementabili intrà Hominem, quod eſt una pars Hominis, in quo elementativum, quod eſt intrà, cum ſuo proprio radicali elementare elementat panem, qui transmutatur in carnem, ſpoliando ipſum formâ, in qua ſolebat eſſe, & dando eſſentiæ denudatæ à forma panîs formam carnis Hominis; & in illa transmutatione factâ per generationem & vegetationem eſt unum elementare accidentale acquiſitum, quod venit characterizatum, figuratum & formatum in elementare, quod eſt intrà, in quo eſt ſigillatum; & idem de aliis naturalibus actibus: ſicut in potentia viſiva, in qua viſitivum, quod eſt forma videndi, in ſuo proprio viſibili, quod eſt de eſſentia potentiæ viſivæ, viſibilem facit ſimilitudinem equi vel caſtri; & convertendo illam ſimilitudinem in viſibilitatem intrà acquiritur & multiplicatur unum videre, quod venit & vadit, & quod figuratum eſt & characterizatum & ſigillatum in radicali videre, quod eſt intrà, & quod eſt de eſſentia ſenſûs. Idem ſequitur de imaginatione; ſicut, quando oculi, qui vident equum vel caſtrum, per videre repræſentant eorum ſimilitudinem imaginationi, quorum ſimilitudinem imaginativum recipit in ſuo proprio imaginabili, in quo facit ipſam eſſe characterizatam & imaginatam, & hoc facit per unum novum imaginari productum de potentia in actum, quod novum imaginari eſt formatum & characterizatum in imaginari, quod eſt intrà, & quod eſt antiquum, & quod non movetur, & eſt de eſſentia potentiæ imaginativæ.

3. Intellectus accipit ſimilitudinem equi vel caſtri, quæ fuit poſita in imaginatione per videre, & ponit ipſam in ſuo proprio intelligibili, in quo ipſam facit intellectam; & intellectivum facit ipſam intellectam cum uno novo opere naturali, quod venit & vadit, quod eſt accidentale intelligere, quod eſt formatum & characterizatum in ſubſtantiali intelligere intrà, quod eſt antiquum, & quod non vadit nec venit: & hoc, quod diximus de intellectu & de ejus naturalibus Operationibus, poteſt ſuo modo intelligi de memoria & voluntate: & hoc, quod diximus de intellectu, oportet eſſe verum, ut una eadem generalis Poteſtas poſſit in uno generali intelligibili & in uno generali intelligere habere plures particulares Operationes ratione objectorum, quæ ſunt plura & particularia: unde cùm hoc ita ſit, ergo ſunt oſtenſa naturalia loca, in quibus Homo habet ſuas naturales Operationes.

Quæſtio de *Quomodo.*

1. QUæritur: *Quomodo habet Homo ſuas naturales Operationes?* Solutio. Omnia naturalia Principia Hominis habent naturalem Modum agendi; ſicut elementativa potentia, in qua ignis habet Modum in calefaciendo aquam, dando aëri ſuum calorem per Concordantiam, & cogendo aërem cum Contrarietate ſiccitatis, ut recipiat ſuum calorem. Et quia aër dat aquæ ſuam humiditatem, & aqua deſiderat ipſam accipere, ideo habet ignis Modum transeundi ad aquam per aërem ad calefaciendum ipſam. Idem eſt de vegetativa, quæ habet Modum multiplicandi & augendi ſe ipſam, convertendo elementativam in ſpeciem carnis; & idem eſt de ſenſitiva, quæ habet Modum ſentiendi per videre, audire, & ſic de cæteris ſenſibus, transmutando ſenſibilitates ad extrà in ſenſibilitates ad intrà; & ſic de imaginativa, ſicut ſuprà dictum eſt.

2. Intellectus habet Modum intelligendi in accipiendo ſpecies ab imaginativa, quæ accipit ſimilitudines à ſenſitiva, & facit ipſas intelligibiles in ſuo proprio intelligibili, ût ſuprà in Quæſtione *de Ubi* dictum eſt; & idem eſt de Memoria & Voluntate. Item potentiæ, de quibus ſuprà dictum eſt, habent Modum per ſua naturalia & primaria Principia; ſicut elementativa, quæ eſt bona per Bonitatem, magna per

per Magnitudinem, durabilis per Durationem, potens per Poteſtatem, & habet naturalem inſtinctum & appetitum; Bonitas etiam venit illi cum naturali Modo bonificantis, bonificabilis & bonificare, & Magnitudo cum naturali Modo magnificantis, magnificabilis & magnificare, & ſic de aliis.

3. Elementativa habet etiam Modum agendi per ſuperiora Principia, quando Homo ſuum corpus calefacit contra frigiditatem cum calidis & ſiccis cibis; vel quando ſuum corpus infrigidat contra calorem cum frigidis & humidis rebus, ut ſuum corpus habeat ſanitatem, & ut elementativa per ſanitatem habeat Modum elementandi per calefacere vel per infrigidare.

4. Et hoc, quod diximus de elementativa, poteſt etiam dici de vegetativa, ſenſitiva & imaginativa, quæ per ſuperiora Principia habent Modum agendi; ſicut vegetativa, quæ per cibaria ſana & digeſtibilia habet Modum digerendi, creſcendi & nutriendi; & ſicut viſiva, quæ per claritatem aëris habet Modum videndi, & propter pulchritudinem fœminæ & propter placita luxuriæ habet imaginativa Modum calefaciendi corpus Hominis, & augmentandi ſuam carnem; & ſic de memoria, intellectu & voluntate, quæ habent Modum agendi bonum per naturalem Bonitatem, hoc eſt, bonum recolere, intelligere & amare, & habent Modum agendi magnum per naturalem Magnitudinem, & magnum recolere, intelligere & amare; & ſic de Duratione &c.

5. Item habent Modum per ſuperiora Principia, ſicut memoria, quæ habet Modum recolendi, quando Homo loquitur de aliquibus rebus, vel quando ipſas videt, vel audit vel tangit, vel quando ipſe imaginatur ſimilitudines illarum rerum, quas deſiderat recolere; ſicut ſi facit nodum in ſua corrigia, ut per illum nodum recolat hoc, quod deſiderat recolere; vel ſi videret aliquem locum, in quo ipſi contigit aliqua fortuna vel aliquod infortunium, recolit id, quod ipſi contigit in illo loco; & ſic de aliis rebus ſimilibus iſtis.

6. „ Diximus, quomodo naturales po-
„ tentiæ Hominis habent Modum per ſe
„ ipſas & per Modum ſuperiorum princi-
„ piorum, de quibus ſunt, & per inferiora
„ Principia, quæ habent per artificium; un-
„ de Homo ſequens naturales modos ſua-
„ rum naturalium potentiarum & princi-
„ piorum habet Modum habendi natura-
„ les Operationes; *& iſtud caput eſt valde utile ſcitu, ut Homo per ipſum ſciat habere modum in naturalibus Operationibus.*

Quæſtio de *Cum quo.*

1. QUæritur: *Cum quo habet Homo naturales Operationes?* Solutio. Homo habet naturales Operationes cum ſuis naturalibus potentiis; ſicut cum elementativa habet elementare, & cum ſenſitiva ſentire, & cum ſua imaginativa imaginari, & cum ſua memoria memorare, cum ſuo intellectu intelligere, & cum ſua voluntate amare.

2. Item Homo habet naturales Operationes cum ſuperioribus Principiis, ſicut cum corporibus ſupracœleſtibus; nam unus Homo cum virtute ſolis generat alium Hominem, & cum luce ſolis videt Homo de die; & idem eſt de principiis, de quibus eſt; ſicut Homo, qui cum ſua naturali Bonitate transmittit bonum ſemen in fœminam, & cum ſua Magnitudine magnum, & ſic de aliis; & idem eſt de inferioribus Principiis, ſicut cum pane, quem comedit, dat materiam ſuæ vegetativæ ad agendum; & cum flamma ignîs, cum quo ſe calefacit, dat materiam elementativæ ad elementandum, & cum medicina, quam accipit, procurat ſanitatem, & cum nimio cibo & potu procurat infirmitatem, & audiendo in ſcholis Magiſtrum procurat ſcholaris intelligere, & ſic de aliis.

PARS V.

De artificialibus Operationibus Hominis.

SIcut inveſtigavimus *naturales Operationes Hominis cum novem generalibus Quæſtionibus*, ita volumus inveſtigare *artificiales Operationes illius per illas generales Quæſtiones*, ut ipſas meliùs poſſimus inveſtigare, & invenire *Secreta earum.*

Quæſtio de *Quid.*

QUæritur: *Quæ ſunt artificiales Operationes Hominis?* Solutio. Artificiales Operationes Hominis ſunt quædam res motæ, quæ moventur cum partibus corporis Hominis moti per naturales Operationes ad intrà, de quibus ſuprà dictum eſt.

est. Artes mechanicæ & Artes liberales sunt artificiales Operationes Hominis; & sunt Operationes Hominis, quia ipse est Operator illarum cum operari, quod est Operatio influxa ex operante in operatum; & ista artificialis Operatio est exemplum & figura naturalium Operationum existentium intrà substantiam; nam, sicut artificiale operari est in Medio operantis & operati, sic elementare est in Medio elementantis & elementati; sed Differentia est inter artificialem & naturalem Operationem, in quantum artificialis Operator non facit artificiale operatum de sua essentia, nec cum sua essentia: sicut faber, qui facit clavum de ferro & cum martello, & facit suum filium naturaliter, in quantum ipsum generat cum sua essentia & de sua essentia.

Quæstio de *De quo.*

QUæritur: *De quo sunt artificiales Operationes Hominis?* Solutio. Artificiales Operationes Hominis sunt de figuris motis de potentia in actum extra naturam: sicut carpentarius, qui ligno dat figuram hastæ vel scrinii extra naturalem figuram ligni, quod habet naturalem figuram in arbore viva; & illa figura hastæ vel scrinii est Operatio operata per artificium, & est creatura deducta de potentia in actum; & in quantum est creatura, est de nihilo; sed est posita in ligno, quod est suum subjectum, & carpentarius deducit ipsam de potentia in actum, in quantum figuram hastæ vel scrinii, quæ secretè erat invisibilis intrà lignum & sinè quadratura, lineis & angulis, facit esse in ligno figuram hastæ vel scrinii visibilem per colorem & per lineas & per angulos quantificatos & positos in quadraturis: & illa figura est similitudo similitudinis figuræ, quam carpentarius fecit in suo imaginari.

Quæstio de *Quare.*

1. QUæritur: *Quare est artificialis Operatio Hominis?* Solutio. Artificialis Operatio est *duobus Modis;* unus modus est *per Figuram,* alius modus est *propter Finem;* ille modus, qui est *per Figuram,* est, sicut figura panîs, quæ fit per artificium, quam pistor artificiavit, in quantum panem fecit ex aqua & farina, & in quantum ipsam quantificavit & coxit; & illa figura est accidentaliter influxa ex materia & forma panîs, sicut creatura secreta in subjecto posita & seminata in potentia.

2. Modus artificialis Operationis, qui est *propter Finem,* est, sicut panis, qui factus est ad comedendum, & comestus ad vivendum, ita quòd panis est artificialis Operatio, & artificialiter masticatur; & quia comedere est per naturam, ùt dictum est, naturalis Operatio est Finis artificialis Operationis. Idem est de aliis artificialibus Finibus, qui sunt propter naturales Fines; sicut Homo, qui artificialiter trahit ignem de lapide, & ipsum artificialiter incendit in ligno, & per artificium facit aquam bullire in olla posita supra ignem, quam aquam facit calefacere carnes per artificium, & carnes sic calefactæ per artificium coctæ sunt ad comedendum, & comedere est naturalis Operatio, videlicet gustare.

3. Idem est de habitibus Virtutum & vitiorum, de quibus largiùs loquemur in *secunda Distinctione* hujus Libri; sicut de habitibus justitiæ & injuriæ, qui sunt artificiales habitus, sicut judex, qui cum morali Bonitate & morali Virtute dat bonum & verum judicium, ut sit justus per bonam & veram justitiam; &, si est injuriosus, procurat malam & falsam injuriam cum malitia & falsitate, hoc est, cum mala & falsa moralitate.

Quæstio de *Quantum.*

1. QUæritur: *Quot sunt artificiales Operationes Hominis?* Solutio. Diximus, quòd artificiales Operationes Hominis sint propter Finem naturalium Operationum Hominis; & quia naturales operationes Hominis sunt plures, convenit, quòd artificiales Operationes Hominis sint plures, de quibus diximus in *Arbore humanali,* quæ est in *Arbore Scientiæ*; & quamvis sint plures, tamen possumus omnes considerare sub *duabus* speciebus, quarum *una* est *per necessitatem,* & *alia est per bene esse;* illa, quæ est *per necessitatem,* est sicut domus, tunica, aratrum, molendinum, liber, etiam oratio, pons, & etiam syrupus & furcæ, & sic de aliis similibus istis.

2. *Alia* species, quæ est *de bene esse,* est sicut picturæ in domo, ornamenta vestimentorum, delicata cibaria, divitiæ ad habendum honorem, & sic de similibus; item dare eleemosynam illis, qui ipsam petunt propter amorem Dei, & specialiter ad ipsum amandum & ipsi serviendum, & quia bonus est; item ex amore sui proximi, & quia bonus est, & est in una specie cum Homine.

Quæstio

Quæstio de *Quale.*

1. QUæritur: *Quales sunt artificiales Operationes Hominis?* Solutio. Artificiales Operationes Hominis sunt quales secundùm Qualitatem Finium naturalium Operationum; sicut furnus, qui est propter Finem comedendi, & incus, forfices & martellus, qui sunt propter Finem cudendi, & sicut furcæ, quæ sunt propter finem vivendi, & liber, qui est ad recolendum & intelligendum; & sic de aliis rebus.

2. Artificiales Operationes Hominis sunt quales per Qualitates naturalium Operationum Hominis; sicut facere bonum panem, quia comedere est bonum; & facere magnum panem, quia vegetativa requirit multum comedere; & fit albus, ut visus ejus albedinem & pulchritudinem repræsentet imaginationi, quæ imaginatio facit Hominem desiderare comedere; & panis est factus sapidus, ut Homo in gustando panem delectetur; & domus est facta fortis, ut Homo longo tempore in ipsa possit manere, & per habitationem vivere, & sic de aliis similibus qualitatibus, quæ attribuuntur artificialibus Operationibus secundùm Qualitates naturalium Operationum intrà Hominem.

Quæstio de *Quando.*

1. QUæritur: *Quando sunt artificiales Operationes Hominis?* Solutio. Artificiales Operationes Hominis sunt in illo tempore, in quo Homo movet suas manus & facit illas artificiales Operationes; sicut Operatio domûs, quæ est in illo tempore, in quo ædificator ipsam facit movendo lapides & ligna, de quibus ipsam facit; & quando domus est facta, est illius Operatio in tempore præterito, & antequam domus erat principiata, erat in potentia in tempore futuro.

2. Idem est de Operatione, quam scholaris habet in addiscendo scientiam, sicut Operatio, cum qua primò addiscit in tempore, in quo audit hoc, quod suus magister ipsi ostendit, scholari recolente vocem & vocabula repræsentata suæ imaginationi, in qua intellectus accipit similitudinem eorum, quam tradit memoriæ, & in alio tempore recuperat scholaris illa vocabula repetendo suam lectionem, quam in alio tempore didicit; & sic de uno nunc in aliud habet scholaris artificialem Operationem in discendo, & idem est de magistro in ostendendo per successionem.

Quæstio de *Ubi.*

1. QUæritur: *Ubi sunt artificiales Operationes Hominis?* Solutio. Magister facit suam Operationem in motu suæ manûs & in motu illius, cum quo facit Operationem, sicut scriptor, qui movet suam manum, & cum calamo movet atramentum & Operationem motam, ut sit operata, hoc est, litera facta in pergameno vel in papyro, & sic de cæteris objectis & Operationibus, quæ sunt extra essentiam Hominis, & dedit illis similitudines, per quas opera assimilantur operibus, quæ sunt intra Hominem per imaginari, sicut scriptor, qui imaginatur literam in illa similitudine, in qua illam facit cum motu manûs, calami & atramenti.

Quæstio de *Quomodo.*

1. QUæritur: *Quomodo habet Homo Modum in faciendo artificiales Operationes?* Solutio. Diximus, quomodo Homo habeat Modum in faciendo naturales Operationes, per quarum Modum habet Modum faciendi artificiales Operationes, cùm Fines naturalium Operationum & Fines artificialium Operationum ad invicem concordent, & Fines artificialium Operationum moveantur per Fines naturalium Operationum; sicut scriptor, qui habet Modum in scribendo librum, & scholaris in addiscendo ipsum, ut possit intelligere veritates rerum, quas intelligit per naturam & veritatem intellectûs, cùm ipsas intelligit; & sic de similibus. „ Iste passus est bonus ad sci-
„ endum, quia dat doctrinam & Modum,
„ quomodo per Operationes, quæ sunt ex-
„ trà, Homo habeat cognitionem de Ope-
„ rationibus, quæ sunt intrà, quæ signi-
„ ficantur & revelantur per qualitates &
„ fines Operationum ad extrà.

Quæstio de *Cum quo.*

1. QUæritur: *Cum quo sunt artificiales Operationes Hominis?* Solutio. Artificiales Operationes Hominis fiunt cum essentialibus & naturalibus partibus magistri, qui ipsas facit cum recolere, intelligere & amare, cum imaginari, videre, audire, loqui & cum tangere, & cum instrumentis, quæ sunt Media inter operantem & operatum & operari; sicut faber, qui cum sua ima-

imaginatione imaginando facit figuram cultri, & facit ipsam cum sua anima recolendo, intelligendo & amando, & movendo imaginationem ad imaginandum figuram cultri recolitam, intellectam & amatam, ad quam anima facit movere manum, cum qua facit cultrum, & facit ipsum cum martello, qui movet cultrum, quem facit cum essentia & cum materia ferri & cum motu, quem facit de ipsa: adhuc faber facit cultrum cum forcipibus, cum furno, cum carbone, cum calefacere & cum Fine cultri, qui est scindere, & sic de aliis similibus istis.

2. Explicit prima Distinctio hujus Libri, per quam potest haberi *cognitio de Homine, & de suis Partibus, & de suis Operationibus;* & ista Distinctio est generale Exemplum ad cognoscendum Hominem, & ad respondendum ad Quæstiones, quæ possunt fieri de Homine; nam, si fiat quæstio: *Quid est Homo?* potest responderi secundùm quòd respondimus *in Capite: Quid est Homo:* & si quæratur: *De quo est Homo?* potest responderi secundùm quòd suprà responsum est *in Capite: De quo est Homo:* & sic de aliis prædictis Quæstionibus: unde, cùm fecerimus hanc primam Distinctionem, tractabimus de secunda Distinctione, quæ est *de Morte Hominis.*

SECUNDA DISTINCTIO. DE Morte Hominis.

1. Cùm bonus timor sit consequentia boni amoris, & per Mortem fiat valde difficilis transitus ex hac vita in aliam, ideo Mors infert magnum timorem illis, qui ipsam sæpe considerant, & qui sciunt cognoscere ejus vias, per quas quolibet die Homini appropinquat; & ideo intendimus tractare *de Morte Hominis,* ut ipsam sæpiùs recolamus & intelligamus, & per ipsam habeamus timorem; nam Homo superbus sæpe recolendo & intelligendo Mortem fit humilis, cogitando, quòd per Mortem vilificabitur, & spoliabitur suis bonis, à suis amicis oblivioni tradetur, ponetur sub terra, & erit saccus plenus vermibus, qui ipsum comedent.

2. Non solùm Homo superbus fit humilis erga DEUM & suum proximum per bonos mores, si sæpe consideret Mortem, sed etiam Homo avarus, si sæpe consideret Mortem, habebit timorem de DEO, cogitando, quòd Mors illi auferat suos denarios, & quòd illi erit janua infernalis ignis; idem erit de Homine luxurioso, acedioso, guloso, invidioso & iracundo & sic de cæteris Hominibus vitiosis, sive sit Rex, Comes, Dux vel Marchio, Prælatus, Religiosus, Burgensis vel Rusticus; nam omnes habebunt timorem, si bene sciant meditari Mortem, cùm sit communis omnibus gentibus, & Homo per ipsam perdat suum corpus & omnia corporalia bona, quæ habet in hac vita: ergo est bonum, quòd faciamus hunc Librum, quantò planiùs ipsum possumus facere, ut omnes Homines ipsum possint intelligere.

De Divisione hujus secundæ Distinctionis.

1. Ista Distinctio dividitur in *duas Partes. Prima* Pars est de Morte *corporali. Secunda* Pars est de Morte *spirituali. Prima Pars* subdividitur in *quatuor Partes; prima* Pars erit de hoc, quod Mors aufert ab Hominibus, qui moriuntur; *secunda* Pars erit de Bonis, quæ Mors dat, & de Malis, quæ Mors dat; *tertia* Pars erit de Signis Mortis; *quarta* Pars erit de Periculis, in quibus sunt illi, qui moriuntur.

2. *Secunda Pars,* quæ est de Morte spirituali, hoc est, de Morte Animæ, subdividitur in *duas Partes; prima* Pars erit de Peccato; *secunda* Pars erit de Sanitate Animæ. In *prima* Parte, qua est de Peccato, investigabimus Peccatum *novem Modis,* hoc est, investigabimus *Quid est Peccatum; De quo est Peccatum; Quare est Peccatum; Quantum est Peccatum; Quale est Peccatum; Quando est Peccatum; Ubi est Peccatum; Quomodo est Peccatum;* & *Cum quo est Peccatum;* & volumus inquirere Peccatum istis novem modis

modis, qui sunt generales omnibus specialibus inquisitionibus, ut nobis à peccato, quod est Mors Animæ, caveamus, & quantò plùs possumus, ipsum fugiamus.

3. Secunda Pars est de Sanitate Animæ, quæ sanatur à peccato per Virtutem vel Virtutes, quas Virtutes investigabimus *novem Modis,* hoc est, *Quid est Virtus; De quo est; Quare est; Quanta est; Qualis est; Quando est; Ubi est; Quomodo est;* & *Cum quo est:* & hanc investigationem Virtutis facimus, ut ipsam cognoscamus & amemus, & cum ipsa Animam à peccato sanemus & mundemus; & quæcunque Virtus sit, oportet, quòd per unum modum vel per alium prædictorum novem modorum inveniatur, cùm Modi sint generales ad omnia.

PARS I.
De Morte corporali.
PRIMA PARS PRIMÆ PARTIS.
De hoc, quod Mors aufert ab Hominibus, qui moriuntur.

1. Mors aufert ab Homine, qui moritur, id, quod plus habet in hoc mundo, hoc est, *esse;* nam post Mortem vadit Anima in aliud sæculum, & corpus remanet in hoc mundo in putrefactione & in pulvere; & ante Mortem habet Homo esse humanum, & suum *esse* est Homo, & post Mortem Homo non habet *esse* humanum, quia Mors ab illo abstulit suum *esse:* ergo Homo post Mortem est non Homo: ergo Mors aufert Hominem, hoc est, aufert ab Homine sémet ipsum, in quantum non remanet Homo; & talis ablatio est Homini ita magnus defectus & ita magnum malum, quòd illi non potest accidere majus malum per naturam; nam Homo per naturam non potest plus perdere, quàm sémet ipsum, nec mors potest ab illo plus auferre, quàm *esse* humanum: igitur talis magna perditio est valde horribilis ad considerandum & recolendum, & facit Hominem multùm timidum, tristem & consideratum.

2. Mors aufert ab Homine vitam, quia Homo vivus per Mortem moritur; etiam aufert ab ipso longam & continuam vitam, quia Homo erit mortuus usque ad diem Resurrectionis; & aufert ab Homine vitam per vim, nam nemo potest se defendere à morte, & corpus erit diu in terra in putrefactione & in pulvere; & de hac ablatione, quam Mors facit, est Homo certificatus in tantum, quòd Homo scit, quòd morietur, & nullo modo ipsam potest effugere: igitur Mors est valde timenda, postquam ab Homine aufert vitam, & tam longo tempore & per vim, cùm ipsa sit tam fortis, tam fera, tam ingrata & tam avara, quòd contra ipsam nihil valeant vires nec preces, honores, divitiæ, cognati, dona, nec aliqua alia, scilicet sapientia, ars, ingenium nec magisterium.

3. Mors aufert in Morte Hominibus morti propinquis memoriam, intellectum & voluntatem; nam ratione infirmitatis, quam habent, non possunt benè recolere, intelligere & velle hoc, quod desiderant, & quod est Homini necessarium recolere, intelligere & velle. Item quia Homo infirmus difficulter & cum labore recolit, intelligit & amat, aufert Mors ab Homine infirmo desiderium recolendi, intelligendi & amandi id, quod bonum est: ergo Homo patitur magnum damnum in puncto Mortis.

4. Et est valde mirum de Hominibus sanis, qui usque ad Mortem differunt recolere, intelligere & amare, & ordinare transitum ex hac vita in aliam per confessionem, contritionem, & satisfactionem, & orationem, & per petitionem veniæ & misericordiæ à DEO; cùm Mors in illo tempore ab ipsis auferat omnes illos modos & vias illius, quod in morte proposuerunt ordinare & perficere; & de hoc non est aliqua restauratio, nisi tantùm, si DEUS voluerit habere misericordiam & pietatem de Homine per suam magnam bonitatem, charitatem & humilitatem, & etiam quia Homo est ejus factura; tamen Justitia DEI requirit facere vindictam de talibus, ût superiùs dictum est, qui in eorum sanitate, & non coacti per Mortem, habebant libertatem ordinandi sémet ipsos ad transeundum ad gloriam, & ad fugiendum perpetuas infernales pœnas.

5. Homo habet imaginationem, cum qua imaginatur entia absentia corporalibus sensibus, per quam imaginationem facit entia absentia esse præsentia, & Mors aufert operationes imaginationis, & facit entia imaginabilia esse in privatione; &

ideo Mors facit Homines infirmos appropinquare privationi & ipsi *non esse*, in quantum aufert potestatem imaginandi: quapropter sunt multi Homines fatui, qui in eorum sanitate possent imaginari peccata, quæ fecerunt, & modum, quem habuerunt in faciendo sua peccata, & modum, per quem poterant habere contritionem, dolorem, confessionem & satisfactionem, & poterant suspirare & plorare, & à DEO petere veniam suorum peccatorum, quæ omnia facere exspectant usque ad punctum Mortis, in quo non possunt imaginari sua peccata, nec propter ipsa suspirare & flere.

6. Mors aufert ab Homine sensum, nam in infirmitate Homines infirmi vix habent virtutem videndi, audiendi, gustandi, odorandi, palpandi & loquendi; & quantò magis appropinquant Morti, tantò magis amittunt virtutem sentiendi, & in Morte ex toto amittitur. Et in Morte etiam perditur motus corporis, quod non movetur; & in ipsa perditur vegetatio & ordo sustentationis, & omnia mutantur in putrefactionem & corruptionem & in *non esse*: ergo Mors aufert omnes potestates, quas Homo habet in hoc mundo, spirituales & corporales: unde cùm Mors ab Homine auferat tot & tanta propria & charissima, ah! qui hoc sæpiùs consideraret, quomodo posset abstinere, quòd non multùm suspiraret & ploraret.

7. Mors aufert ab Homine bona hujus mundi, pro quibus longo tempore laboravit, cùm Homo illa non posset acquirere, nec congregare & conservare sinè magno labore, & Mors in uno momento omnia aufert per mori, & inter vivos illa diffundit & distribuit, sicut denarios, possessiones & ornamenta; & qui illa bona recipiunt, illa non redderent post Mortem vivis, si resurgerent, imò magis amant illorum bona, quàm illorum vitam vel salvationem; & de hoc habemus experientiam vel exemplum: igitur est magnum illud, quod Mors aufert ab Hominibus mortuis, & ablatio est magna secundùm modum, per quem aufert, quia aufert, & dividit inimicis illius, à quo aufert.

8. Mors aufert ab Homine honores, quos ipse multùm amavit in hoc mundo; & aufert ab Homine honores cum eorum contrario, scilicet cum inhonore; nam Hominem, qui erat honoratus, dum erat vivus ab amicis & cognatis per laudes, reverentias & obedientias, quæ ipsi fiebant, & propter magnam potestatem, quam habebat in castellis, villis, regnis & civitatibus, facit mori, & facit ipsum impotentem, & poni sub terra, & putrescere, & ab Hominibus, qui ipsum solebant laudare, timere, recolere, intelligere & amare, facit illum vituperari, obliviscì, ignorari & odiri in tantum, quòd post Mortem nemo quantúmcunque illi fuerit amicus, ipsi daret osculum, vel cum brachiis ipsum amplecteretur, & potiùs jaceret tribus diebus juxta mortuum asinum vel serpentem, quàm per unam noctem cum mortuo Homine in uno lecto: igitur dedecus, quod Mors facit Homini mortuo, nemo posset cogitare vel dicere; & multò majus dedecus facit Hominibus magis honoratis & Hominibus divitibus, quàm pauperibus.

9. Mors aufert pulchritudinem à viris & mulieribus, & magis aufert à magis pulchris, quàm à minùs pulchris; & ideo est mirum, quare viri & mulieres nitantur esse pulchri, postquàm plus possunt perdere sinè aliqua defensione; & idem potest dici de Hominibus divitibus & hominibus magis honoratis.

10. Mors aufert ab amicis, & dat inimicis, ût suprà dictum est; & sicut aufert ab amicis, & dat inimicis, ita aufert pulchritudinem, & dat turpitudinem; nam, qui videret turpitudinem Hominis mortui post octo dies vel plures vel pauciores, videret majorem turpitudinem, quàm in aliquo alio corpore posset videre, scilicet turpitudinem fœtoris, inflationis & putrefactionis currentis per oculos, aures, os & faciem, & totum ventrem plenum putredine; & per brachia, spatulas, coxas & tibias, & per totum corpus intus & foras, & per illam totam putredinem vermes valde horribiles ad tangendum & videndum, corrodentes cutem in corpore Hominis; ergo mors aufert pulchritudinem à corpore Hominis mortui, & dat illi omnem turpitudinem; & non remanet pulchritudo capillorum nec pulchritudo oris: & quia sunt plena vermibus, non habent colorem album nec rubeum: ha DEUS! quare Mors aufert ab Homine tam magnam pulchritudinem, & dat ipsi tam magnam turpitudinem?

11. Mors aufert ab Homine corporales delectationes, quas tantopere amavit in hoc mundo, & aufert ipsas cum labore & cum majori labore, quàm fuerint illæ corporales delectationes; nam oculi habent majorem

jorem passionem in dimittendo virtutem visivam, quàm fuerint placita in videndo pulchras mulieres, pulchras vestes, pulchrum filium & pulchrum castellum, quia passio consistit ad intrà moriendo, & placita in videndo veniunt ab extrà; & idem est de auribus, quæ habent majorem passionem in amittendo virtutem audiendi, quàm fuerint illarum placita in audiendo verba placentia & pulchra ad audiendum; & idem est de gustu, qui habet majorem passionem in amittendo cibaria sapida, quàm fuerint placita, quæ habuit de ipsis; & sic suo modo de odoratu & tactu, & de toto corpore, quod habet majorem passionem, quando Anima ab ipso separatur, quàm fuerint omnia placita, quæ habuit in sentiendo.

12. Item Mors aufert ab Homine Animam rationalem, & aufert ab ipsa corpus; & per talem ablationem & separationem habet Homo majorem passionem, quàm fuerint omnia placita, quæ habuit in hac vita; nam per placita, quæ Homo habuit, Homo non fuit Homo, sed per conjunctionem Animæ & corporis Homo est Homo, & per passionem, quam habet moriendo, fit non Homo. Unde, cùm hoc ita sit, quis posset dicere, considerare vel scribere tantum, quantum Mors aufert ab Homine: vel pœnam, quam ipsi dat in auferendo hoc, quod aufertur ab Homine; & est magnum mirum, quomodo Mors habeat tam magnam potestatem super Hominem per auferre & dare.

SECUNDA PARS PRIMÆ PARTIS.

De Bonis, quæ Mors dat.

1. MOrs est occasio Boni & Mali; & ideo dicimus, quòd Mors det Bona & det Mala; & *primò* loquemur de Bonis, quæ dantur per Mortem; *deinde* de Malis.

2. Mors dat Homini timorem, per quem Homines habent abstinentiam à faciendo malum; nam in faciendo malum habent timorem moriendi: sicut Homo iratus, qui, cùm voluerit occidere alium Hominem, abstinet, quia habet timorem de alio Homine, ne ipsum occidat: & sicut fur, qui, cùm appetit furari, abstinet, ne faciat furtum, ne rex ipsum curet suspendi: & sic de Homine, qui non audet nimium comedere, ne fiat infirmus; & quia Homo abstinet à faciendo malum propter timorem Mortis, ideo Mors est bona, quia est occasio boni timoris.

3. Item Mors est occasio humilitatis, ût suprà dictum est; nam multi Homines essent superbi, si non recolerent mortem: sed, quia recolunt mortem, & vident alios Homines mori, ideo fiunt humiles DEO & Hominibus, considerantes, quòd Homo, qui debet mori, & qui est venturus ad tam magnam vilitatem, sicut est Mors, non habeat aliquam dignitatem, per quam debeat esse superbus. Mors facit Hominem considerare Justitiam DEI; &, cùm voluerit facere peccatum, adducit conscientiam, cum qua habet timorem, ne, si faciat peccatum, DEUS ipsum sinat citò mori, & malâ Morte.

4. Quidam Homines sunt, qui, cùm vident alios occidi, habent pietatem & flent, & quando vident ossa in sandapila & pulverem, considerantes, quòd ipsi debeant mori, & quòd ita putrefient, sicut alii, habent pietatem de se ipsis, & dicunt suis manibus: ah! manus non faciatis malum, ut sitis pingues & pulchræ, postquàm eritis turpes & putrefietis; nec tu os mentiaris, ut habeas delicata cibaria, quia erit tempus, & citò veniet, quòd tu comedéris à vermibus.

5. Mors occidit Homines divites avaros, qui detinent communes divitias pauperum, & facit ipsos in brevi tempore mori, quia pauperes semper indigent illis divitiis, quæ per vim & furtivè detinentur ab Hominibus divitibus & avaris; igitur Mors est bona, quæ satisfacit pauperibus patientibus injuriam, & quæ occidit Homines avaros & malos.

6. Timor Mortis facit dare eleemosynas pauperibus, ut DEUS per eleemosynam habeat pietatem & misericordiam: & ut DEUS laudetur, rogetur & invocetur à pauperibus, qui recipiunt eleemosynam.

7. Homo non potest vivere sinè cibo & potu, nec sinè vestibus & aliis, quæ humana natura requirit ad vitam: & ideo Homines sunt soliciti ad acquirendum sua necessaria ad vitam, quia timent Mortem propter paupertatem vel propter defectum ciborum; igitur Mors est bona, sinè qua Homo esset de malis moribus & piger ad procurandum necessaria ad vitam: & quædam terræ non subvenirent aliis per mercimonia.

8. Aliquoties, & ſæpe accidit, quòd Homines ſint in periculo Mortis per bella, per latrocinia, per tempeſtates maris, & multis aliis modis; & quia habent timorem Mortis, & vident, quòd per ſe ipſos non poſſint effugere Mortem, recolunt DEUM & ejus magnam Poteſtatem, ejus Amorem, Humilitatem, Pietatem, Largitatem & Benignitatem: & recolunt ſuos defectus & debilitatem eorum poteſtatis, quòd ſe non poſſint juvare cum arte vel induſtria; & tunc ex toto habent ſpem in DEO, quòd ipſos adjuvet; igitur Mors eſt bona, quæ facit Homines habere ſpem in DEO.

9. Mors occidit Homines, qui, quando ſunt infirmi & moriuntur, non facient malum, quod ſolebant facere; quia illud non poſſunt facere, & non habent *cum quo*, & converſuntur ad faciendum bonum, dum ſunt infirmi: & cùm moriuntur, rogant DEUM, ut ipſis remittat eorum peccata: & recolunt Miſericordiam DEI; igitur Mors eſt bona, quia facit ceſſare malum & peccatum, & quia facit DEUM recolere & rogare, & de illo inamorari.

10. Mors eſt Principium infirmitatis & ſucceſſio illius, & Mors eſt terminus vitæ: & ideo quando Homines ſunt infirmi, tunc ſani, qui habent amicos infirmos, habent timorem de Morte, propter quem recurrunt ad DEUM, qui eſt Dominus Mortis, contra quem Mors nullam habet Poteſtatem: & facit ipſos DEUM amare, recolere & rogare; igitur Mors eſt bona & curialis, quæ Homines facit habere memoriam in ſuum Dominum.

11. Mors occidit filium alicui fœminæ matri, & amicum amico, & ſcutiferum equiti, & bovem ruſtico, & fœmina, amicus, eques & ruſticus non poſſunt revocare mortuum, fletus nihil prodeſt ipſis, nec divitiæ, nec nobilitates, nec cognati, nec ſapientia nec ars, poſtquàm Mors fecerit ſuum ictum; unde ex hoc contingit aliquoties, quòd ſit patientia & conſolatio inter Homines vivos, qui perdunt ſuos amicos, quos multùm dilexerunt, per quorum Mortem fiunt pauperes & egentes; igitur Mors eſt bona, poſtquàm facit, quòd Homines habeant patientiam, quæ eſt bona Virtus, & quæ facit illos conſolari in eorum tribulationibus, damnis & neceſſitatibus, & in omnibus, quæ DEUS ipſis voluerit facere.

12. Mors facit Homines ſapientes ſpernere divitias, & amare paupertatem; & aliqui Homines ſapientes, qui conſiderant, quòd ſint morituri & relicturi divitias, quas non poſſunt ſecum portare, & quia in poſſidendo & gubernando divitias patiuntur laborem, & cognoſcunt, quòd ſint modicæ utilitatis & periculoſæ, ideo ſunt contenti illis divitiis, quas habent, & non volunt plures habere, imò deſiderant eſſe pauperes, ut meliùs poſſint DEUM recolere & amare, & effugere honorem & vanam gloriam hujus mundi.

13. Mors eſt commune inſtrumentum naturæ, ratione cujus communitatis eſt bona; nam ipſa vadit per Prælatos, per Principes & per omnes Gentes, & nulli parcit, nec aliquis poteſt ſe defendere contra Mortem: &, ſi Mors non eſſet communis, ſed ſpecialis tantùm, per illius ſpecialitatem ſequerentur plura mala & damna, quàm ſunt illa mala & damna, quæ ſequuntur, quia ipſa communis eſt.

14. Mors habet duas portas, per unam portam exeunt Homines juſti ex hac vita, in qua ſumus, & tranſeunt vivere in gloria DEI, in qua erunt perpetuò cum DEO ſinè fine, & illa porta eſt bona & multùm deſiderabilis; per aliam portam exeunt Homines mali peccatores ex hac vita, & tranſeunt mori in ignem perpetuum infernalem, & hæc porta eſt valde mala & multùm timenda.

De Malis, quæ Mors dat.

1. MOrs eſt contraria vitæ, & eſt ita contraria vitæ per corruptionem, ſicut vita eſt contraria Morti per generationem; ergo mors facit malum Hominibus in hoc, quòd ipſos corrumpat, & in hoc, quòd vivos faciat mortuos: & malum, quod Mors facit, eſt ita magnum, quòd majus non poſſit eſſe in hoc mundo; unde cùm Homo ſit de *quinque naturis*, & Mors faciat malum Homini in omnibus illis quinque, ideo volumus inveſtigare malum in qualibet illarum naturarum; & primò dicemus *de Elementis*.

2. Homo eſt formatus & conſtitutus ex *potentia elementativa*, quæ eſt ex quatuor Elementis, ſcilicet igne, aëre, aqua & terra; ex quibus ſunt oſſa, nervi, caro, medullæ & ſanguis hominis; & Mors corrumpit oſſa, & rumpit nervos, ut oſſa ab invicem ſeparentur, & facit vermes comedere carnem & ſanguinem, & facit oſſa & nervos transmutari in pulverem per putrefactionem; igitur Mors facit magnum malum Homini, quia deſtruit & corrumpit ejus fundamenta, ex quibus conſtitutus eſt.

3. Homo eſt ex una *alterâ* natura, quæ vocatur Potentia *vegetativa*, habens in ſe quatuor potentias, de quibus ipſa eſt: per unam habent Homines appetitum comedendi, bibendi & ſe calefaciendi, quando ſunt nimis frigefacti, & frigefaciendi ſe, quando ſunt nimis calefacti: & deſiderant humiditatem, quando ſunt nimis deſiccati per nimiam ſiccitatem: & deſiderant ſiccitatem, quando ſunt nimis pleni & repleti per nimiam abundantiam humiditatis; per hanc talem naturam vivunt Homines, quæ vocatur Potentia *appetitiva*, cùm Homines cum ipſa appetant ea, de quibus ſuprà dictum eſt: ſed Mors cum calore ignis conſumit & corrumpit iſtam naturam in tantum, quòd infirmi non habeant ordinatum appetitum, ſed perdant appetitum comedendi & bibendi, quia non habent, cum quo appetant comedere & bibere, & nolunt comedere & bibere, imò ſinunt ſe mori, cùm Homo ſinè cibo & potu non poſſit vivere; igitur Mors facit Homini malum eo modo, quo dictum eſt: & quia illud malum eſt magnum, ideo Mors eſt valde timenda & odibilis.

4. Homo habet aliam naturam, quæ vocatur Potentia *nutritiva vel digeſtiva*, cum qua Homo nutritur, vivit & creſcit, quia cibum, quem Homo comedit, transmutat in ſuam carnem, in tantum, quòd ex pane fiat caro in ſua carne, & fiat pinguis & creſcat ſua caro & ſanguis: & vinum & aquam, quam Homo bibit, convertit in ſuum ſanguinem, ex quibus ſuus ſanguis nutritur & creſcit: & cum ſanguine rigat oſſa, nervos, ſuam carnem, ſuas venas & ſuas juncturas: & hæc potentia, per quam Homo vivit, & ſinè qua Homo non poſſet vivere, conſumitur & corrumpitur per Mortem cum qualitatibus elementorum, ſcilicet cum caliditate, frigiditate, humiditate & ſiccitate, quas corrumpit, transmutando ipſas in earum contrarias operationes innaturales, deſtruendo naturalem calorem: & quia potentia nutritiva non habet, cum quo poſſit creſcere, rigari & nutriri, moritur, quâ mortuâ moritur Homo, qui cum illa & per illam vivebat.

5. Homo habet unam aliam Potentiam *retentivam*, cum qua Homo retinet in ſuo ventre cibaria, quæ comedit, & vinum & aquam, quam bibit, usque dum fiat digeſtio & nutrimentum, ut ſupra dictum eſt: & ſicut vita claudit foramina, ut cibus remaneat, & fiat digeſtio; ita Mors aperit illa foramina, ut cibus crudus exeat, & ut corpus non habeat, de quo vivat, & ut moriatur: & hoc facit Mors cum contrariis qualitatibus elementorum, corrumpendo naturam frigiditatis, cum qua reſtringit aquam, & corrumpendo naturam ſiccitatis, cum qua deſiccat terram, quæ facit foramina dura, ne cibus exeat.

6. Homo habet quandam aliam Potentiam, quæ appellatur Potentia *expulſiva*, & hæc potentia habet naturam expellendi ſuperfluitates ciborum, quæ non poſſunt intrare in digeſtionem & nutrimentum, & expellit groſſas materias per vapores, ſudorem, ſputum, & per ſcabiem & per foramina inferiora, & Mors deſtruit illam potentiam claudendo potentias per nimiam viſcoſitatem, quæ reſtringit, & facit dura loca, ex quibus groſſæ materiæ non poſſunt exire, & corpus remanet plenum & inflatum, & non poteſt habere beneficium ad extrà de expulſiva: nec potentia motiva, cum qua eſt naturalis calor, habet loca, in quibus ſe moveat, & fit corruptio ab intrà, & generatio eſt ligata, & Mors eſt domina, & vita ancilla; igitur ſunt oſtenſa *Mala*, quæ proveniunt à Morte deſtruente & occidente partes potentiæ vegetativæ.

7. *Tertia* Potentia, de qua homo eſt, vocatur Potentia *ſenſitiva vel ſenſus communis*; & vocatur communis, quia facit diverſa judicia in ſentiendo cum una & eadem poteſtate: & iſte ſenſus communis facit branchas, ſcilicet quinque ſenſus, & *ſextum ſenſum, qui de novo inventus eſt*; & quælibet brancha facit diverſa judicia de illis, quæ ſentiuntur: ſicut oculi, qui non poſſunt guſtare, audire, odorare, palpare nec loqui: & ſic ſuo modo de auribus & aliis: ſed, quia quilibet ſenſus eſt brancha ſenſûs communis, ideo retinet naturam communem in ſua particularitate: ſicut potentia viſiva, id eſt, poteſtas videndi, quæ cum una & eadem poteſtate facit judicium de diverſis rebus: ſicut de colore albo, nigro & rubeo, & de figura quadrangulari, circulari & triangulari, & de figura hominis, leonis & arboris; quælibet iſtarum brancharum, cum quibus Homo ſentit, habet

bet ſuum organum elementatum & vegetatum: ſicut oculi, qui ſunt organa & inſtrumenta ſenſûs visûs, & aures auditûs &c.; & Mors cum infirmitate corrumpit organa & inſtrumenta brancharum: & ſenſus communis, qui non poteſt durare ſinè guſtare & palpare, moritur; & ipſo mortuo moritur Homo.

8. *Quarta* Potentia, de qua Homo eſt, eſt Potentia *imaginativa*, quæ eſt de ſimilitudinibus, in qua apparent figuræ rerum corporalium: ſicut leo, qui in ſua imaginativa retinet ſimilitudinem fontis, ad quem potavit, ſinè qua ſimilitudine non ſciret redire ad fontem; idem eſt de imaginativa Hominis, cujus organa Mors deſtruit per nimiam abundantiam repletionis, aut per nimiam indigentiam frigiditatis & ſiccitatis, quæ retinent impreſſiones phantaſiarum in telâ duorum cerebrorum capitis, & corrupto organo, hoc eſt, telâ, Homo non habet poteſtatem imaginandi entia ſenſibilia neceſſaria ſuæ vitæ, & moritur, quia illa, quæ ipſi ſunt neceſſaria ad vitam, neſcit ſibi ipſi miniſtrare.

9. *Quinta* Potentia, de qua Homo eſt, eſt Anima *rationalis*, quæ eſt ſuperior & nobilior pars Hominis; ſed iſtam potentiam Mors non poteſt deſtruere nec corrumpere, cùm Anima ſit ſubſtantia ſpiritualis; ſed corrumpit corpus in tantum, quòd Anima illi non poteſt dare *eſſe*, hoc eſt, non poteſt eſſe forma corporis, poſtquàm per Mortem eſt corruptum: & organa, in quibus Anima habet ſuos actus, hoc eſt, cor, in quo voluntas habet ſuum velle, & cerebrum frontis, in quo intellectus habet ſuum intelligere, & occiput, in quo memoria habet ſuum memorare, ſunt rupta, ratione cujus ruptionis Anima non poteſt eſſe in ipſis, & ita oportet ipſam exire, ſicut vinum exit ruptâ amphorâ, exemplum tamen eſt groſſum. „ Oſtenſus eſt „ Modus, per quem Mors occidit Hominem, & moriente Homine omnes partes ejus, ût dictum eſt, ſibi invicem correſpondent, ut ſe invicem juvent contra „ Mortem, quod non poſſunt facere; & „ ideo poteſt cognoſci, quomodo Homo „ in puncto Mortis habeat magnam paſſionem, quia in illo puncto omnes ejus „ partes ſuſtinent magnam paſſionem.

TERTIA PARS PRIMÆ PARTIS.

De Signis Mortis.

1. SIgna Mortis ſunt plura, ſed nos breviter loquemur de aliquibus: & illa Signa, de quibus loquemur, ſunt vera, ut Homo habeat timorem de Morte, & ſit diſpoſitus ad moriendum, ut poſt Mortem vadat ad vitam & perpetuam gloriam, & ut ſemel tantùm moriatur; nam illi, qui non ſunt parati ad recipiendum Mortem, & moriuntur in mortali peccato, bis moriuntur, hoc eſt, corporaliter & ſpiritualiter: &, quia habent Signa Mortis, & ſe non præparant virtuosè & ordinatè ad recipiendum Mortem, habent magnam culpam.

2. Homines qui moriuntur, ſunt Signa Hominibus vivis, quòd morientur; nam, ſicut iſti, qui moriuntur, ſe non poſſunt defendere aliquo modo contra Mortem, ſic nec illi habent, cum quo & per quod poſſent effugere Mortem.

3. Vaſa corporum mortuorum & antiqua ædificia, quæ Homines antiqui conſtruxerunt & ædificârunt, & orphani, viduæ & medici ſunt Signa Mortis.

4. Item ſenectus eſt Signum Mortis; cùm ſenes ſecundùm curſum naturæ Morti appropinquent: item juventus eſt Signum Mortis, quia plures juvenes Homines moriuntur: & infirmitas ſimiliter eſt Signum Mortis; cùm ipſa ſit nuncia Mortis, & denuntiet Mortem.

5. Mors animalium, avium, piſcium & arborum ſunt Signa Mortis Hominis; & talia Signa ſunt quotidie, cùm in carnificina quotidie poſſint videri animalia mortua, & in piſcaria piſces, & in campo aves.

6. Omnes lanceæ, tela & ſagittæ ſunt Signa Mortis, cùm ſint arma facta ad occidendum Homines: & hoc idem de furcis, quæ ſunt Signa Mortis Hominum latronum: & ſic de calceis, corrigiis, burſis & pergamenis, quæ ſunt ex pellibus animalium mortuorum.

7. Magna paupertas & magna caritas ſunt Signa Mortis Hominis, cùm multi Homines propter indigentiam moriantur.

8. Item ira eſt Signum Mortis, quia Homines irati volunt alios Homines occidere; & triſtitia eſt etiam Signum Mortis, quia per triſtitiam corpus languet & moritur: hæc omnia & plura alia ſunt Signa Mortis Hominis: & hæc Signa ſunt, & ſæpiùs accidunt, & pluribus modis, ſecundùm quòd diximus; quia Mors venit quotidie, & accipit & occidit Homines diverſis modis.

QUARTA PARS PRIMÆ PARTIS.

De Periculis Mortis.

1. MOrs eſt periculoſa multis modis: eſt periculoſa, quia ſingulis diebus venit: & eſt periculoſa, quia omnibus eſt communis: & quia venit omnibus & venit quotidie, nemo poteſt ſe defendere contra ipſam, nec ab ipſa fugere.

2. Mors venit in omnibus locis; ideo nemo ſcit, in quo loco morietur; nam, in quocunque loco Homo ſit, eſt Mors ibi poſſibilis: quia Homo, qui jacet, poteſt mori, dum jacet: &, ſi ſe erigat, in illa erectione poteſt mori: &, ſi ſe vertat ad aliquam partem, in illa parte, ad quam ſe vertit etiam vertendo ſe poteſt mori: &, ſi ſe transferat de uno loco in alium, in quocunque paſſu poteſt mori in omni loco; unde, cùm Homo poſſit mori in omni loco, & jacendo, ſedendo, ſurgendo & eundo, ideo nemo poteſt ſcire, in quo loco Homo morietur; igitur Mors eſt valde periculoſa, & illius adventus eſt multùm ſecretus & abſconditus.

3. Mors venit de die & de nocte; &, quia inter diem & noctem ſunt viginti quatuor horæ, poteſt Homo mori in qualibet hora: &, quia Mors venit in qualibet hora, & in omnibus gradibus, momentis & punctis, quæ ſunt in hora, poteſt Homo mori in tantum, quòd illi, qui tenent oculos clauſos, neſciant, utrùm morientur, quando ipſos habebunt apertos: & illi, qui loquuntur, neſciant, utrùm morientur, cùm dixerint unicum verbum: & ille, qui ſedet, neſciat, utrùm morietur, cùm ſurrexerit; igitur Mors eſt multùm periculoſa, poſtquam poteſt venire tam ſubitò, & aliquoties ſubitò venit, ſecundùm quòd habemus experientiam; ergo Homo ignorat, quando morietur, & quando Mors veniet, ſed bene ſcit, quòd morietur; unde cùm Mors tam ſubitò poſſit venire, & Homo non poſſit eſſe certus, quando veniet, & quando morietur, eſt magnum mirum de Hominibus, qui delectantur in faciendo domos, hortos & vineas, & in congregando divitias; nam ille, qui facit domum, ignorat, utrùm in ipſa habitabit: & cùm fuerit lucratus denarium, ignorat, quamdiu illum poſſidebit.

4. Homo intrat domum, & neſcit, utrùm de illa exibit: & exit è domo, & neſcit, utrùm ad ipſam redibit: & emit piſces, & neſcit, utrùm ipſos comedet: & ponit vinum in ſcypho, & neſcit, utrùm ipſum bibet: vult loqui, & neſcit, utrùm loquetur: vult facere luxuriam, & neſcit, utrùm ipſam faciet; unde cùm hoc ita ſit, qui ſæpe conſideraret Mortem, haberet magnum timorem de illa, & habendo timorem de ipſa aſſueſceret ſe ipſum ad habendum bonos mores, & fugeret malos, & vilipenderet vanitatem hujus mundi, & haberet deſiderium ad DEUM, & ad eſſendum cum ipſo in ſempiterna gloria; & per tale deſiderium & bonam vitam Homo non haberet timorem de Morte, & hoc eſſet ipſi in Morte conſolatio & lætitia.

5. Homo poteſt mori diverſis modis: per nimium comedere & bibere, vel per modicum comedere & bibere: & idem eſt de nimio induere, vel de modico induere: & poteſt mori Morte naturali, vel Morte accidentali, hoc eſt, per ictus, vel per vulnera, vel per ſubmerſionem; & in iſtis ſunt plures modi moriendi: ſicut in infirmitate poteſt Homo mori per febrem, vel per apoſtema, vel per diſſenteriam, vel per dolorem; & idem in Morte accidentali, in qua Homo poteſt mori per ictum cultri, enſis, lanceæ vel lapidis: & ſic de aliis ſimilibus iſtis; unde, cùm ſint tot & tanti modi, quibus mediantibus Homo poteſt mori, nemo poteſt ſcire ſecundùm quem morietur; igitur nemo poteſt ſe defendere contra Mortem, & nemo ſcit, in quo ſtatu morietur, ſcilicet in bono, vel in malo.

6. Cùm Mors ſit ventura, & Homo neſcit ubi, quando, nec quare vel quomodo, ût ſuprà dictum eſt, talis, qui in Eccleſia confeſſus eſt, & propoſuit facere bonum, & non malum, in illo tempore, cùm redit domum, poterit habere occaſionem peccandi multùm mortaliter, & peccabit, fortè ſubitò morietur: & idem eſt de Homine peccatore, qui, cùm longo tempore fuerit in peccato, & erit confeſſus, & habebit propoſitum faciendi bonum, & non malum, & non peccabit, poterit ſubitò mori; unde cùm hoc ita ſit, quis eſt ille, qui debeat eſſe ſuperbus, vel appretiare ſe ipſum vel ſuam vitam, poſtquàm tam parum ſcit de ſe ipſo,

vel quid de ipso eveniet? non est aliud consilium, nisi DEUM amare, laudare, honorare, & ipsi servire, & ab ipso petere veniam, & magnam spem habere in ipso; nam ipse capit Mortem & ligat Mortem, & non permittit ipsam venire ad nos, nisi cum sua licentia & voluntate.

PARS II.

De Morte Spirituali Hominis.

ISta Pars dividitur in *duas Partes;* in *prima* tractabimus de Morte Spirituali; in *secunda* tractabimus de Medicina danda contra Mortem Spiritualem: & primò dicemus de Morte Spirituali, investigando Peccatum, quod est Mors spiritualis, & quam Homo patitur per ipsum.

PRIMA PARS SECUNDÆ PARTIS.

De Morte Spirituali.

Quæstio 1.

Quid est Peccatum?

1. PEccatum est illa Mors, per quam Homo perdit perpetuam gloriam, & per quam habet perpetuas' pœnas & labores in inferno; nam Homo amittit per Peccatum visionem DEI & ejus amorem, quæ est major gloria, quam homo possit habere: quia in visione, quam DEUS concedit Homini, qui ipsum videt, monstrat DEUS totam suam Bonitatem, suam Magnitudinem, suam Æternitatem, suam Potestatem, suam Sapientiam, suam Voluntatem, suam Virtutem, suam Veritatem, suam Gloriam & suam Unitatem. Quando DEUS ostendit suam Bonitatem, ostendit Bonum, quod habet in se per suam Bonitatem: hoc est, DEUS, qui est bonus Pater, ostendit se bonum, & ostendit suum Filium DEUM bonum, qui est de sua Bonitate: & DEUS Pater & DEUS Filius, qui sunt boni, ostendunt Sanctum Spiritum, qui est DEUS bonus ex ambobus spiratus: & Pater & Filius & Sanctus Spiritus ostendunt beatæ Animæ, quòd sint distincti per Trinitatem Personarum, & ostendunt, quòd sint unus DEUS per Unitatem Essentiæ & Naturæ: & per talem ostensionem, quæ à DEO sit beatæ Animæ, sentit Anima tantum de bono, quòd sit plena omni bono, & quòd sit ita bona, quòd plus boni non possit recipere: &, dum Anima est ita plena omni Bono, diligit illud Bonum tantum, quòd magis non possit amare.

2. Sicut DEUS implet Animam beatitudine ostendendo intellectui Animæ suam Bonitatem & suam bonam Operationem, quam habet in sua Trinitate, & ostendendo ei suam Unitatem & suam Essentiam; ita DEUS implet voluntatem Animæ suo Amore; nam cum se toto amat ipsam, & Pater & Filius & Spiritus Sanctus de tota eorum Bonitate & Amore inamorant ipsam: & idem faciunt ejus memoriæ, quod faciunt ejus intellectui & voluntati; &, sicut ipsam implent de eorum Bonitate & Amore, ita implent ipsam de eorum Magnitudine, Æternitate, Potestate, Sapientia, Voluntate, Virtute, Veritate & Gloria.

3. Talem Animam tam plenam & gloriosam de Essentia DEI & de Sancta Trinitate recolit & intelligit Anima Hominis peccatoris; ut ejus recolere & intelligere ipsi sit Mors æterna, quando ipsa recolit & intelligit, quòd per Peccatum amiserit talem gloriam, & tantum odit suum recolere & intelligere, quæ habet in recolendo & intelligendo gloriam beatæ Animæ, & gloriam, quam amisit, quòd sua voluntas moriatur in sempiterna ira DEI, quem odit; &, quia est tota plena odio illius, habet illa Anima Mortem & pœnam ita Magnam, quòd nemo sit, qui ipsam possit æstimare, dicere vel scribere.

4. Peccatum est plenum omni malo, & non habet in se aliquid de bono: ideo Mors, quam Homo habet per peccatum, est plena malo, & nihil habet de bono; & ideo Peccatum est Mors, quæ difformat Hominem formatum ad imaginem & similitudinem DEI, cùm Homo mortuus in mortali Peccato deviaverit à Fine, ad quem creatus est, hoc est, ad recolendum, intelligendum & amandum DEUM, & ad laudandum & benedicendum ipsum, & ad habendum perpetuam gloriam in ipso: sed Mors, quæ est per Peccatum, facit, quòd ipse semper odiat, blasphemet & maledicat DEUM: & de tali Morte sentit Anima talem pœnam, quòd sit tota plena omni malo.

Quæstio

Quæstio 2.

De quo est Peccatum?

1. DIximus, quid sit Peccatum, & cognovimus Mortem, quam Homo habet per hoc, quod Peccatum est; modò intendimus inquirere hoc, de quo Peccatum est, ut per hoc Mors spiritualis, quam Homo patitur per Peccatum, meliùs possit cognosci.

2. In Peccato non est aliqua similitudo DEI; nam, si esset, esset aliquod bonum in ipso, cùm omnis similitudo DEI sit bona, & omne Peccatum sit malum; igitur Peccatum non est de aliqua re, quam DEUS creavit, hoc est, de essentia & natura creaturæ; ergo Peccatum est de alio, quod non est creatura, & illud est nihil, de quo Homo creatus est; ad quod Homo qui facit Peccatum, se inclinat, cùm Peccatum sit contra *esse*, & habeat Concordantiam cum *non esse*, in quantum Homo cum Peccato facit hoc, quod non debet esse, quod est contra *esse;* igitur Peccatum est de Operatione Hominis, qui facit contra *esse* hoc, quod non deberet esse: & ideo Peccatum inclinat Hominem ad Mortem, in qua moritur perfectio & gratia sui *esse*, quod suum *esse* est vivum, in quantum est creatura: & etiam moritur, in quantum deviat à Fine, ad quem est creatum; de quo Fine jam suprà dictum est.

Quæstio 3.

Quare est Peccatum?

1. VOlumus investigare, quare Peccatum sit, ut possimus cognoscere, quare Mors spiritualis sit, quæ est Peccatum. Non possumus cognoscere, quare Peccatum sit, nisi cum ejus contrario, quod est Virtus, quæ Virtus est creatura creata, ut Homo cum ipsa habeat vitam perpetuam. Illam Virtutem DEUS creavit, disposuit & præparavit Homini, cui dedit libertatem, quòd ipsam posset habere, si ipsam vellet habere: & hoc fecit DEUS, ut cum ipsa acquirat meritum boni, quod potest acquirere, si ipsum voluerit habere; &, si ipsum non voluerit habere, non habebit ipsum: sicut Homo, qui poterit habere justitiam & alias virtutes, si voluerit, cùm Homo liberè se moveat ad amandum justitiam & alias virtutes; unde, in quantum ipsam non vult habere, sed vult habere injuriam & alia vitia, propter hoc est Peccatum, & per Peccatum est Mors spiritualis: & ideo dicunt sapientes, quòd Peccatum non sit aliud, nisi *habitus privativus virtutis per liberam voluntatem electus & amatus;* igitur cognovimus, quare Peccatum sit, & Mors spiritualis, quæ est per Peccatum: & potest cognosci, quòd Homo peccator sit causa suæ Mortis perpetuæ infernalis.

Quæstio 4.

Quantum est Peccatum?

1. IN hoc passu volumus investigare Quantitatem Peccati; ut per ipsam sciamus Quantitatem Mortis, quam Homo habet per Peccatum.

2. Homo est constitutus ex Anima rationali & corpore elementato: & Homo est ille, qui facit Peccatum, quod facit cum suis partibus, hoc est, cum Anima & corpore; ergo Peccatum est influentia inordinata contra Finem spiritualem & corporalem, cùm Homo sit creatus ad faciendum bonum cum sua Anima & cum suo corpore ad honorem DEI; igitur Peccatum habet Quantitatem spiritualiter & corporaliter: hoc tamen dicitur impropriè, veruntamen ita oportet loqui, ut possimus significare Quantitatem Peccati; ergo Peccatum est in omni Homine peccatore; hoc est, Peccatum mortale, de quo loquimur: & istud Peccatum mortale est contra DEUM, qui est summum Bonum & summa Magnitudo; & ideo oportet, quòd Peccatum sit summum malum & summa malitia, & per consequens est occasio summæ Mortis spiritualis, summæ in malo & in pœna.

Quæstio 5.

Quale est Peccatum?

1. VOlumus investigare, quale sit unum Peccatum, & quale sit aliud Peccatum: & hoc facimus, ut habeamus notitiam, quæ Mors veniat per unum Peccatum, & quæ Mors veniat per aliud Peccatum: sicut Homo avarus, qui peccat per cupiditatem; & quia peccat cum Anima & cum corpore, est peccatum *unum per Animam, & aliud per corpus:* & hoc est, quia Homo cum Anima movet corpus, quando

facit Peccatum; & ideo Homo avarus, qui moritur in Peccato concupiſcentiæ, habebit poſt reſurrectionem duas Mortes, quarum una erit Mors corporis, quòd perpetuò erit in igne, & bibet argentum & aurum fuſum, de quibus ſuum ventrem habebit plenum, & non poterit mori, & vita erit ipſi Mors, ſicut Homini, qui moritur, & non eſt mortuus.

2. Alia Mors erit Mors ſpiritualis Animæ, quæ moritur, & non poterit mori, & patietur Mortem *duobus modis:* una erit *per corpus*, alia erit, quam patietur *per ſe ipſam;* illa, quam habebit *per corpus*, erit pœna vel triſtitia, quam Anima patietur propter corpus, quod amabat: ſicut in hac vita habebat triſtitiam & pœnam per infirmitatem & Mortem corporis; & pœna & mors, quam Anima patietur *per ſe ipſam* propter conſcientiam, erit conſcientia & ira, quam habebit, quia propter denarios & poſſeſſiones, quæ non ſunt de ſua natura, fecit offenſionem DEO, & ipſum per offenſionem amiſit, & propter ſuum Peccatum habebit pœnam æternaliter per recolere, intelligere & odire.

3. Eſt aliud Peccatum, quod vocatur Peccatum luxuriæ, propter quod Homo luxurioſus, poſtquam fuerit reſuſcitatus, patietur *duplicem Mortem*, ſicut dictum eſt de Homine avaro, & quarum *una erit Mors corporis*, cujus inſtrumenta, cum quibus peccavit, ſerpentes mordebunt, & ſuum cor, cum quo deſideravit Peccatum luxuriæ, & mordebunt facies mulierum, quæ in ſuis faciebus poſuerunt colores, ut apparerent pulchriores.

4. *Alia erit Mors Animæ*, quam Anima patietur *duobus modis:* una Mors erit ratione *corporis*, propter cujus pœnam habebit iram & triſtitiam: alia Mors erit, quam habebit *per ſe ipſam*, hoc eſt, habebit conſcientiam propter Peccatum luxuriæ, cùm non ſit naturale Animæ ſentire placitum in Peccato luxuriæ, quod placitum luxuriæ eſt corporale; & ſic nemo eſt, qui poſſet imaginari, dicere vel cogitare illum dolorem, mortem & triſtitiam, quæ Anima patitur propter Peccatum luxuriæ, quod fuit placitum corporis, conſiderans, quòd ipſa perdiderit DEUM, in quo habuiſſet perpetuum placitum & ſolatium ſpirituale, ſi non commiſiſſet Peccatum luxuriæ.

5. Sunt plura alia Peccata mortalia, propter quæ Homines peccatores perpetuam Mortem ſuſtinebunt in inferno ſecundùm exemplum, quod dedimus de Homine avaro & luxurioſo, qui propter avaritiam & luxuriam patietur æternam Mortem: ſicut propter Peccatum gulæ, ſuperbiæ, acediæ, vanæ gloriæ & hæreſis & propter plura alia his ſimilia.

Quæſtio 6.

Quando eſt Peccatum.

1. ID, propter quod inveſtigabimus, in quo Tempore ſit peccatum in Homine, eſt, ut inveniamus, in quo Tempore Homo ſit mortuus per Peccatum.

2. Homo eſt ille, qui facit Peccatum, & facit illud cum Anima & corpore, ût ſuprà dictum eſt; & de hoc dabimus exemplum per Peccatum luxuriæ: & hoc, quod dicemus de Peccato luxuriæ, eſt intelligendum de aliis Peccatis.

3. Petrus videt unam pulchram fœminam, & per ejus viſionem imaginatur Peccatum luxuriæ, & ejus videre & imaginari ſunt ex parte corporis; & ſua memoria recolit, & intellectus intelligit modum, per quem faciat Peccatum luxuriæ: &, ſi ſua voluntas non conſentit memoriæ, intellectui & imaginationi, vivit ejus Anima, & non moritur per Peccatum: & idem de corpore Petri, quod non poteſt peccare ſinè conſenſu Animæ; ſed ſtatim, quando Anima Petri conſentit intellectui & memoriæ, & cum ſua voluntate imaginatur deſiderans luxuriam, moritur Petrus in Peccato: &, ſi moritur in illo, ſua Anima morietur in inferno, & ſimiliter ſuum corpus poſt generalem reſurrectionem, ût ſuperiùs dictum eſt: & ſua memoria recolet, & ſuus intellectus intelliget, quòd tamdiu erit in inferno, quamdiu DEUS erit in cœlo, & de ſuo recolere & intelligere patietur ejus voluntas Mortem & ignem perpetuò; & patietur tam magnam iram & Mortem, quòd omnes corporales & ſpirituales pœnæ hujus mundi non poſſent eſſe ita magnæ, ſicut erit pœna voluntatis Petri, ſi moriatur in Peccato luxuriæ, & ſic de ipſius memoria & intellectu.

4. Eſt adhuc alius modus Peccati, quod ex toto non eſt mortale, nec ex toto eſt veniale, ſed eſt ſimilitudo utriusque: verbi gratiâ, ſi in Peccato luxuriæ memoria habeat placitum recolendo, & intellectus intelligendo, & imaginatio imaginando, ſed voluntas non eligit Peccatum, ſi ſit futurum, vel non habet dolorem, ſi ſit præteritum, & ſuſtentat placitum, quod habent memoria & intellectus & imaginatio, etiam ipſa habet placitum & culpam, quia non deſtruit & odit illud placitum: „ & „ tale Peccatum eſt præparatio & diſpoſitio ad mortale Peccatum, & eſt multiplicatio venialis Peccati per nimium re„ colere, intelligere & imaginari.

Quæſtio 7.

Ubi eſt Peccatum?

1. HAnc quæſtionem facimus, ut inveſtigemus, in quo Loco ſit Mors, quæ eſt per Peccatum, & inveſtigamus ipſam in hunc modum.

2. Illa, cum quibus Homo peccat, ſunt partes hominis: ſicut Homo, qui peccat cum ſuis oculis, cum ſuis auribus, & ſic de aliis, & peccat cum ſua imaginatione, ſuâ memoriâ, intellectu & voluntate, quæ omnia ſunt partes Hominis, & Homo eſt ipſum totum; igitur partes Hominis ſunt in Homine, & Homo eſt in ſuis partibus Homo: & quia Homo peccat cum ſuis partibus, eſt peccatum in omnibus ejus partibus & in toto Homine: & ideo Mors, quæ eſt per Peccatum, conſiſtit per omnes partes corporis & in toto Homine: & illa Mors, quam habebit Homo, qui moritur in Peccato, poſt diem reſurrectionis in igne infernali tormentabit cum illo igne & cum ſe ipſa omnes partes Hominis & totum Hominem. Ha! peccator exiſtens in inferno, quis poſſet dicere vel cogitate talem pœnam & Mortem, de qua nunquam poteris exire.

Quæſtio 8.

Quomodo eſt Peccatum?

1. HAnc quæſtionem facimus, ut, inveſtigando Modum, cum quo Homo peccat, cognoſcamus Modum, quomodo Homo moriatur per Peccatum, quam inquiſitionem ſic facimus.

2. Homo eſt compoſitus & conſtitutus ex *quinque naturis*, quarum una eſt natura *elementativa*, quæ eſt ex quatuor elementis: per hanc naturam habet Homo corpus, quantitatem, figuram & colorem, caliditatem, humiditatem, frigiditatem & ſiccitatem, ponderoſitatem & levitatem, duritiem & mollitiem, & ſic de aliis accidentibus, quæ pertinent ad corpus Hominis; *alia eſt vegetativa; alia eſt ſenſitiva; alia eſt imaginativa, & alia rationativa:* & de iſtis quinque ſumus locuti in *prima Diſtinctione* hujus Libri, & quælibet iſtarum quinque, ex quibus Homo eſt, habet ſuum proprium Modum per ſuam naturam ad eſſendum pars Hominis, & omnia habent ſe ad Finem, propter quem Homo eſt, hoc eſt, ad DEUM cognoſcendum, recolendum & amandum, laudandum & benedicendum & ipſi ſerviendum; unde, quando Homo deviat iſta quinque à Fine, propter quem ſunt, tunc exit de Modo, & peccat cum omnibus contra Modum: ſicut qui habet naturam comedendi & bibendi per naturam quatuor elementorum, quæ cum ſuis contrariis qualitatibus conſumunt corpus Hominis.

3. Qualitates *elementorum* ſunt caliditas, frigiditas, humiditas & ſiccitas: & ideo requirit Homo comedere & bibere, ut det temperamentum illis qualitatibus cum hoc, quod comedit & bibit; & oportet, quòd in ipſo ſit *vegetativa*, ut cibum, quem comedit, convertat in ſanguinem & carnem, ût ſuperiùs dictum eſt; & oportet, quòd in ipſo ſit *ſenſitiva;* ut Homo ſentiat ſaporem, & videat cibaria, & ſentiat illa, quæ ſunt bona, & illa, quæ ſunt mala: & ut cum illa Homo ſentiat famem, ſitim, nimium comedere, & nimis modicam ſaturationem, caliditatem & frigiditatem, & alia his ſimilia; oportet etiam, quòd in ipſo ſit *imaginativa*, ût ſuperiùs dictum eſt, ut imaginetur illa, quibus indiget, & utilia & damna.

4. Item oportet, quòd in ipſo ſit *rationativa*, ut omnes poteſtates ſub ipſa exiſtentes moveat ad Finem Hominis, de quo Fine ſuprà dictum eſt: & adhuc oportet, quòd rationativa habeat virtutes, ſinè quibus non poſſet regere ordinem poteſtatum inferiorum, quæ virtutes ſunt juſtitia, prudentia, fortitudo, temperantia & aliæ virtutes ſimiles iſtis: & Homo exiſtens ita ordinatus habet Modum in vivendo, & cum fide, ſpe & charitate tendit ad Finem, propter quem eſt creatus: ſed quando in ipſo non ſunt virtutes, de quibus dictum eſt, non habet Modum vivendi, nec veniendi ad vitam perpetuam: ſicut Homo, qui non habet temperantiam, & comedit

& bibit plus, quàm ſuum corpus requirat per elementationem & per vegetationem, & ſentit, quòd ipſi faciat malum, & imaginatur, quòd per nimium comedere & bibere non poſſit bene ſervire DEO, & quòd poſſit fieri infirmus & mori, ſi tamen vult nimium comedere & bibere, & non vult abſtinere, tunc deficiunt ejus rationi poteſtas & ordinatio, ſinè quibus inferiores partes pervertit in deordinationem; & in hoc paſſu poteſt cognoſci malus Modus, quem Homo habet in peccando per gulam; & ſic de aliis vitiis & Peccatis; & cognito illo Modo cognoſcitur Modus Mortis corporalis & ſpiritualis.

Quæſtio 9.

Cum quo eſt Peccatum?

1. HAnc quæſtionem facimus ideo, ut inveſtigemus illa, cum quibus Homo facit Peccatum: & hoc facimus, ut cognoſcamus illa, cum quibus Anima moritur per Peccatum. Dictum eſt ſuprà, quòd Homo peccet cum ſuis partibus; modò dicendum eſt, quòd Homo peccet cum inordinata intentione, ut intelligatur, quòd Anima moriatur cum inordinata intentione.

2. Homo habet naturaliter intentionem ad comedendum & bibendum, ut vivat, & ex ſua vita DEUM diligat, & ipſi ſerviat: ſed Homines, qui volunt vivere, ut delectentur in comedendo delicata cibaria, & bibendo, mutant intentionem comedendi & bibendi & vivendi, exiſtentes contra ordinationem, quam DEUS ordinavit in vivendo; unde, propter hoc cum inordinata intentione ſunt infirmi, & moriuntur per peccatum gulæ: &, ſi moriuntur in illo Peccato, ſemper erunt in igne perpetuo deſiderantes comedere & bibere, & nullo tempore habebunt guttam aquæ, nec micam panîs, & per eorum os intrabit & exibit flamma ignîs & aqua bulliens.

3. Natura viri requirit naturalem ſocietatem & conjunctionem habere cum fœmina ad multiplicandum ſuam ſpeciem, hoc eſt, ad habendum filios ad amandum DEUM, & ad ſerviendum ipſi, & ut Homines vivant & durent poſt mortem aliorum Hominum, qui moriuntur: & in tali conjunctione naturali dedit DEUS naturalem delectationem; unde, ſi vir & fœmina extra Matrimonium mutent in contrarium intentionem, quam DEUS ordinavit & poſuit inter virum & ſuam uxorem, faciunt luxuriam, ût ſuprà dictum eſt, cum qua moriuntur per Peccatum.

4. DEUS dedit Hominibus divitias ad ſatisfaciendum eis pro vita, & ut ipſe ex hoc laudetur & ametur: & vult, quòd divites habeant charitatem erga pauperes propter ejus amorem: &, ſi Homo dives mutet intentionem, propter quam ipſe eſt dives, & amat divitias, ut honoretur, & ut habeat multas proſperitates, eſt avarus, & peccat cum avaritia: &, ſi moritur in illo Peccato, morietur in inferno in Peccato, & contemnetur, & ſemper indigebit omni bono.

5. DEUS permittit, quòd aliqui Homines ſint pauperes in hoc mundo, ut habeant patientiam in eorum paupertate, & ut ſint humiles, & ut ipſi regratientur de omni eo, quod illis dat: &, ſi volunt eſſe divites ad habendum honores, & ſunt impatientes, peccant cum ira & ſuperbia, & ſunt contra intentionem DEI, propter quam DEUS permittit, quòd aliqui Homines ſint pauperes in hoc mundo: &, ſi moriuntur in prædicto Peccato iræ & ſuperbiæ, perpetuò iraſcentur, & nihil poterunt habere de hoc, quod deſiderabunt, & humiliabuntur dæmonibus.

6. Sunt aliqui Homines, qui rogant DEUM, & ſibi cavent à Peccatis, & faciunt eleemoſynam principaliter, ut habeant Paradiſum, & non infernum, & hoc faciunt cum intentione magìs amandi ſe ipſos, quàm DEUM: &, quia Homo in omnibus debet magìs amare DEUM, quàm ſe ipſum, ideo mutant intentionem amoris, & hujus, quod fecerunt & faciunt: & ſic peccant cum rogando DEUM & cum faciendo Eleemoſynam principaliter propter eorum utilitatem, & non principaliter propter amorem DEI: &, ſi moriuntur in tali ſtatu, intrabunt in infernum, & non amabunt DEUM, nec ſe ipſos, & eorum Animæ morientur cum odio ſinè amore.

7. Sunt aliqui Homines, qui jejunant, & qui induunt viles pannos, & qui diu ſtant in oratione, & dicunt bona verba, ut laudentur ab hominibus, & ut alios homines poſſint decipere ſub intentione boni: tales peccant per hypocriſin, per magiſterium deceptionis, per vanam gloriam & per ſuperbiam: &, ſicut deſiderant, quòd laudentur, ita blasphemabuntur & vituperabuntur: &, ſicut volunt decipere alios, ita decipientur in inferno.

8. Sunt plures aliæ res, cum quibus Homo peccat: & cum illis, cum quibus Homo peccat, morietur in inferno & tormentabitur.

9. Dictum eſt de *Morte ſpirituali*, modò intendimus dicere de *Virtutibus*, & oſtendere Modum, quomodo Homo cum Virtutibus ſciat deſtruere Peccata: & primò inquiremus & dicemus: quid ſit Virtus; & ſic de cæteris modis quærendi: & hoc facimus, ut demus Modum, per quem Homo ſciat uti Virtutibus contra Peccata.

SECUNDA PARS SECUNDÆ PARTIS.

De Medicina contra Mortem Spiritualem.

Quæſtio 1.

Quid eſt Virtus?

1. *VIrtus eſt via Paradiſi & pacis:* una Virtus eſt, quæ ſe extendit in *quatuor* branchas morales, quæ ſunt *Juſtitia, Prudentia, Fortitudo* & *Temperantia:* & ex iſtis quatuor branchis oriuntur plures rami Virtutum, ſicut ſunt humilitas, caſtitas, abſtinentia, patientia, conſcientia, & ſic de ſimilibus.

Juſtitia eſt illa Virtus, ratione cujus Homines reddunt unicuique quod ſuum eſt.

Prudentia eſt illa Virtus, ratione cujus Homines diſcreti eligunt illa, quæ ſunt bona, & dimittunt illa, quæ ſunt mala, & magis amant majora bona, quàm minora.

Fortitudo eſt Virtus, cum qua Homines ſunt fortes contra vitia, & quæ fortificat Homines ad acquirendum Virtutes.

Temperantia eſt illa Virtus, per quam Homines ſunt magìs ſani, quàm per aliquam aliam Virtutem, & per quam ſæpiùs vincunt illicitos appetitus.

2. Sunt aliæ Virtutes, quæ appellantur *Virtutes Theologicæ*, & dantur à DEO, quæ ſunt *Fides, Spes* & *Charitas.*

Fides eſt Virtus, quæ intellectum conſtringit ad affirmandum vel negandum per credulitatem veritates de DEO, vel de aliis rebus.

Spes eſt Virtus, quæ Hominem facit ſperare Finem, quem deſiderat, ad quem magìs credit venire per Poteſtatem & Bonitatem DEI, vel alterius, quàm per ſuam poteſtatem & bonitatem: & ſic de Magnitudine, Duratione, Sapientia & Voluntate DEI.

Charitas eſt Virtus, quæ facit ſocietatem & ſolatium inter amicos & amantes, qui ſe habent ad amabilia: per has *Definitiones Virtutum* poteſt cognoſci, quid ſit Virtus; & cum Virtutibus poſſunt deſtrui Vitia, quæ ſunt Peccata contraria illis.

Quæſtio 2.

De quo eſt Virtus?

VIrtus eſt de ſimilitudinibus, ſcilicet de ſimilitudinibus naturalîs Bonitatis: & idem eſt de naturali Magnitudine, Duratione, Poteſtate, Sapientia, Voluntate, Virtute, Veritate, Gloria & Perfectione; iſtæ ſimilitudines, de quibus Virtus eſt, ſunt per unum modum ſub habitu unius Virtutis: ſicut ſub habitu juſtitiæ: & per alium ſunt ſub habitu alterius Virtutis: ſicut ſub habitu prudentiæ, & ſic de aliis; unde cognitis, de quibus ſunt Virtutes, cum illis poſſunt deſtrui vitia, quia ſunt de contrariis ſimilitudinibus Virtutum: ſicut luxuria, quæ eſt de malitia & parva bonitate, & ſic de aliis.

Quæſtio 3.

Quare eſt Virtus?

VIrtus eſt propter *duo: primum* & magìs principale eſt, ut Homo habeat virtuoſam memoriam in recolendo DEUM, virtuoſum intelligere in intelligendo DEUM, virtuoſam Voluntatem in amando DEUM; cùm nemo vitioſus, vel qui ſit in peccato, ſit dignus, quòd cum peccatrice memoria debeat DEUM recolere, vel cum peccatore intellectu debeat DEUM intelligere, nec cum peccatrice voluntate ipſum amare; *ſecundum*, quare Virtus eſt, eſt, ut Homo virtuosè tractet bona, quæ DEUS ipſi dedit, & ut veniat ad perpetuam gloriam, & fugiat infinitos labores.

Quæſtio 4.

Quanta eſt Virtus?

MOrales Virtutes ſunt tantæ, quantas Homo ipſas voluerit habere: nam, ſi voluerit ipſas habere magnas, ſunt magnæ: &, ſi ipſas voluerit habere parvas, ſunt parvæ,

parvæ, & hoc ratione liberi arbitrii, quod DEUS Homini dedit, ut possit acquirere magnum meritum vel parvum; sed Virtutes *Theologicæ* sunt tantæ, qnantas DEUS ipsas voluerit dare: Homo tamen habet libertatem utendi ipsis aliquoties multùm, & aliquoties parùm: sicut unus & idem Homo, qui aliquoties multùm recolet, intelliget & amabit DEUM & suum proximum per Charitatem, aliquando per Spem, & aliquando per Fidem: & aliquando habebit magnum recolere, intelligere & amare, & aliquando parvum.

Quæstio 5.

Qualis est Virtus?

SIcut unus sensus est qualis per visum, alius per auditum, & sic de aliis sensibus, sic similiter una Virtus est qualis per justitiam, & alia est qualis per prudentiam, & sic de aliis Virtutibus; & ideo homines per unam Virtutem acquirunt unum meritum, & per aliam Virtutem acquirunt aliud meritum.

Quæstio 6.

Quando est Virtus?

NEmo habet Virtutem in illo tempore, in quo est peccator, cùm Virtus & peccatum contrarientur; igitur Virtus est in illo tempore in Homine, in quo non est in peccato mortali; ideo nemo potest habere in uno & eodem tempore virtuosum & vitiosum recolere, intelligere & amare; unde sequitur, quòd, quando virtuosi Homines tentantur ad faciendum peccatum, tunc sint propinqui peccato, & quando deliberarunt, quòd non facient peccatum, tunc sint remoti à peccato, & se profundent in Virtute.

Quæstio 7.

Ubi est Virtus?

VIrtus est habitus, qui est in Homine, & Homo est in ipsa: sicut Justitia, quæ est in Homine justo, & è converso Homo justus est in Justitia. Virtus est etiam in actibus, cum quibus Homo utitur ipsâ Virtute, sicut Justitiâ in justo recolere, intelligere & amare, & justo imaginari, videre, audire, odorare, gustare, tangere & loqui: & quia Virtus est in actibus, cum quibus Homo utitur ipsâ, est etiam in potentiis, de quibus sunt actus: sicut Justitia, quæ est in memoria, quæ habet justum recolere, & in intellectu, qui habet justum intelligere, & in voluntate, quæ habet justum amare, & in oculis, qui habent justum videre, & sic de cæteris sensibus: & de imaginatione, quæ habet justum imaginari; & sic, quamvis Homo justus, qui dormit, non utatur actibus suarum potentiarum, tamen Virtus remanet in illo, cùm ejus potentiæ sint indutæ Virtute, postquàm illâ usus est recolendo & intelligendo, & sic de aliis.

Quæstio 8.

Quomodo est Virtus?

VIrtus est per contrarium motum illius, de quo dictum est: *quomodo Homo faciat peccatum;* veruntamen bonum est, quòd demus exemplum. Justitia, quæ est Virtus, & sic de aliis Virtutibus moralibus, est per illum modum, per quem definitur, hoc est, quòd Homines sint justi, quando reddunt DEO & eorum proximo, quod suum est, etiam sibi ipsis, quibus satisfaciunt de bonis, quæ DEUS illis dedit ad eorum necessitates; igitur Justitia est per illum modum, per quem modò diximus: idem potest suo modo dici de Fide, quæ est secundùm modum significatum per ejus definitionem: sicut Christianus, qui de DEO credit vera, quamvis illa non intelligat, amando, quòd sint vera, & attingit illa per amare: sicut oculi, qui de nocte vident in camera res, quæ sunt in ipsa, mediante luce: & sic de Spe & Charitate, secundùm cujuslibet conditionem.

Quæstio 9.

Cum quo est Virtus?

VIrtus est cum contraria intentione illius, cum quo est peccatum: hoc est significatum in Quæstione, in qua quæritur: *cum quo Homo faciat Peccatum:* veruntamen volumus dare aliquod exemplum per alium modum. Virtus est cum bonitate, sinè qua non potest esse: & est cum memoria, intellectu & voluntate, in quibus sustentatur: sicut Justitia, quæ est in illis per justum recolere, intelligere & amare, ergo est cum justo imaginari & sentire, & est cum libertate volendi facere bonum,

bonum, & non facere malum; est etiam una Virtus cum alia, unâ Virtute juvante aliam contra Vitia: sicut Temperantia, quæ non potest esse sinè Fortitudine, nec è converso.

De Definitionibus Peccatorum mortalium.

1. DIximus de Virtute, quid sit, & de quo sit, nunc volumus dicere de Definitionibus Peccatorum: & postea volumus dare Doctrinam, quomodo Homo sciat multiplicare actus Virtutum, hoc est, Opera illarum, contra Peccata.

Avaritia est illud Peccatum, quod est magis contrarium fini temporalium bonorum, quàm aliquod aliud vitium.

Gula est illud Peccatum, quod sæpiùs destruit abstinentiam & temperantiam, quàm aliquod aliud vitium.

Luxuria est Vitium, quod inordinat carnalem copulam, in quantum ipsam deviat à fine, propter quem est.

Superbia est illud Vitium, ratione cujus Homines volunt habere illicitos honores.

Acedia est Vitium, per quod Homines habent pigritiam faciendi bonum, & per quod Homines gaudent de malis aliorum, & habent tristitiam de bonis illorum.

Invidia est illud Peccatum, quod est contra propriam & communem charitatem.

Ira est subitus motus voluntatis, qui venit, & est cum tristitia, per quam voluntas desiderat passionem bonarum rerum, & actionem malarum, ut bonæ res destruantur.

Infidelitas est id, quod est contra fidem cum falsis similitudinibus, quæ videntur veræ secundùm naturalem cursum.

2. De quolibet horum Peccatorum mortalium intendimus dare Artem & Doctrinam, per quam quodlibet prædictorum Vitiorum possit destrui, & per quam Operationes Virtutum possint crescere, considerando & recolendo processum & discursum Quæstionum, quæ sunt de Peccato & Virtute, de quibus superiùs dictum est, & eorum Definitionum: & *hæc Ars & Doctrina est utilis ad prædicandum, ostendendo modum, per quem homo sciat destruere Vitia, & multiplicare Virtutes.*

De Destructione Avaritiæ cum Justitia.

1. HOmo avarus inter cætera habet duas intentiones: una est, quia timet, ne bona, quæ possidet, ipsi deficiant in suis necessitatibus: alia intentio ipsius est, quia appetit esse dives, ut propter suas divitias laudetur ab Hominibus, & ut suos filios cum suis divitiis possit honorare & exaltare: & istæ duæ intentiones sunt contra Justitiam; nam DEUS dat temporalia bona, cui placet, vel aufert: & ideo ille facit injuriam DEO, quia in ipso non habet Spem, quòd ipsi sit daturus abundantiam temporalium bonorum, quando ipsis indigebit; &, si DEUS ipsi non voluerit dare abundantiam temporalium bonorum, ipse facit injuriam DEO, si propter hoc non vult habere patientiam: adhuc facit injuriam DEO & pauperibus, in quantum facit, quòd divitiæ, quas detinet, sint otiosæ: etiam in quantum ipsas deviat à fine, propter quem DEUS ipsas creavit, scilicet ad servitium Hominum; igitur est avarus contra Justitiam, quæ est Virtus, ratione cujus omnis Homo tenetur unicuique reddere, quod suum est, ratione Finis, quare DEUS dedit divitias.

2. Item Homo avarus est injuriosus, in quantum vult honorari, & vult, quòd sui filii honorentur cum divitiis malè possessis; etiam est injuriosus, in quantum suas divitias vult tenere otiosas, & de ipsis non vult satisfacere DEO & suo proximo, nec necessitati suæ salutis; igitur sequitur, quòd, si Homo avarus consideraret: *Quid* Avaritia est, & *De quo* est, & *Quare* est, & sic de aliis gradibus, & sic de Justitia, poterit destruere Avaritiam cum Justitia.

De Destructione Avaritiæ cum Prudentia.

HOmo avarus multùm laborat ad acquirendum & conservandum divitias, & acquirit & conservat ipsas cum timore, & expendit ipsas cum tristitia, &, quando ipsas perdit, multùm irascitur & desolatur, non permittens se consolari: & placitum, quod habet in possidendo ipsas, non est tantum, quantus est labor & tristitia, quam patitur in acquirendo & conservando ipsas; unde, si sæpiùs ista consideraret, & consideraret: *Quid* est Prudentia, & hoc, *De quo* est, & *Quare* est, & sic de aliis gradibus,

destrueret Avaritiam, considerans, quòd Prudentia sit Virtus, quæ monstrat facere bonum, & fugere malum, & quæ monstrat priùs eligere majus bonum, quàm minus, & priùs fugere majus malum, quàm minus: & Avaritia facit totum contrarium, cùm Homo avarus pro uno modico placito, quod audit, vel pro uno modico honore, quem Homo ipsi facit propter suas divitias, eligat sustinere majora mala in infernali igne, & etiam in hoc mundo, in quo habet plus laboris & timoris propter divitias, quàm gaudii & placiti: etiam est majus dedecus & vituperium gentium, quæ de ipso dicunt malum, & ipsum parum appretiant, & odiunt ipsum propter suam Avaritiam, quàm sit placitum, quod habet per suas Divitias; fatuus autem est, qui credit, quòd ipse debeat laudari & honorari per hoc, per quod inhonoratur & vituperatur.

De Destructione
Avaritiæ cum Fortitudine.

HOmo avarus est debilis animi, quia propter paucos denarios, quos potest acquirere, auferre vel furari, facit plura mala & fraudes, & dicit plura falsa verba, & facit, quòd gentes cognoscant suos malos mores: sed Homo largus, & qui est fortis animi, facit per contrarium, considerans, quòd plùs valeat esse legalem & veracem erga DEUM & suum proximum, & esse divitem Virtutibus, & habere cœlestem gloriam, quàm esse avarum, & semper indigere omni bono in inferno; unde, si Homo avarus sæpiùs consideraret officium, quod habet per avaritiam, & malum & laborem, quæ ipsi contingunt, & consideraret: *Quid* sit Fortitudo, ût suprà dictum est in ejus Definitione, & consideraret, quòd Fortitudo sit vis memoriæ, intellectûs & voluntatis cum Justitia, Prudentia & Temperantia, Fide, Spe & Charitate, quam vim nullum Peccatum potest destruere, & quòd ejus Finis sit perpetua beatitudo, converteretur; cùm talis vis sit intra Animam Hominis, & quæ plùs valet sinè omni comparatione, quàm divitiæ, vel quàm vis divitiarum, quam Homo habet per ipsas, quæ non sunt de natura Animæ, nec possunt juvare in morte; &, quando sunt malè acquisitæ & possessæ, sunt via ad infinita mala & labores.

De Destructione
Avaritiæ cum Temperantia.

1. TEmperantia est Virtus, cum qua Homo sanus est, & cum qua Homo moderatè loquitur & expendit, & est de temperato recolere, intelligere & amare, imaginari & sentire; & Temperantia est, ut Homo vivat, & ut hilariter & faciliter serviat DEO.
2. Item Temperantia respicit debitam qualitatem in illis qualitatibus, quæ requiruntur, & quæ in illo tempore & loco, in quibus est conveniens, vult, quòd Homo sit temperatus, & quòd habeat modum vivendi, & illa, cum quibus possit habere sanitatem, & vitare infirmitatem; & Avaritia facit, quòd Homo agat totus in contrarium: nam Homo avarus in omnibus, quæ facit, accipit inæquales terminos; &, sicut per Temperantiam plura bona veniunt, ita per Avaritiam plura mala veniunt: nam Homo avarus parum comedit de bonis cibariis sanis, & multum comedit de cibariis malè sanis, quæ parum constant, & vult plus honorari & laudari, quàm ipsi competat: & sic de aliis gradibus contrariis illis, qui sunt de Temperantia; unde, cùm hoc ita sit, si avarus Homo sæpiùs consideraret Temperantiam, Justitiam, Prudentiam & Fortitudinem animi, faciliter posset expellere Avaritiam secundùm hoc, quod de Temperantia & aliis Virtutibus suprà dictum est.

De Destructione
Avaritiæ cum Fide.

FIdes est Virtus, quæ facit Hominem credere Veritatem de DEO & de altera vita, & quæ est de Veritatibus à DEO datis, ut cum illis DEUM amet, & ipsi serviat: sed homo avarus cum sua avaritia est contra Fidem, quia magis stat ad illa, quæ sentiuntur, de quibus habet experientiam, quàm ad veritates, quæ sunt credendæ per Fidem: & ideo homo avarus magis confidit in divitiis, quàm in DEO, propter quod est dignus omni malo; sed, si homo avarus sæpiùs consideraret bona, quæ veniunt per Fidem, & offensam, quam facit DEO per Avaritiam, destrueret Avaritiam cum Fide, juvantibus tamen aliis virtutibus.

De

De Destructione
Avaritiæ cum Spe.

SPes est illa Virtus, quæ facit homines sperare finem, quem desiderant &c., ût suprà dictum est in ejus Definitione: & est de humili recolere, intelligere & amare, cum quibus Homo confidit in magna Bonitate, Potestate, Humilitate & Pietate DEI, quòd habeat misericordiam, & det gratiam & benedictionem illis, qui in ipso confidunt, sed Homo avarus facit totum oppositum cum Avaritia, quia plùs confidit in divitiis, quæ ipsi non possunt dare gloriam, nec prolongare vitam, nec dimittere peccata, quàm in DEO, qui habet Potestatem dandi gloriam, & dimittendi peccata; &, si Homo avarus sæpiùs consideraret, quomodo Avaritia & Spes sint contrariæ, & quomodo sint magna mala, quæ per Avaritiam accidunt, & quomodo sint magna bona, quæ per Spem veniunt, faciliter destrueret Avaritiam cum Spe.

De Destructione
Avaritiæ cum Charitate.

1. DIctum est: Quid sit Charitas, & Quid sit Avaritia, & hoc in illarum Definitionibus: & Charitas est de amoroso recolere, intelligere & amare, quæ Homo habet propter suum bonum Amatum: & quia Charitas habet magnam quantitatem in Virtute, ideo dat Homini magnum amare, intelligere & recolere in amando, intelligendo & recolendo DEUM & suum proximum: & Charitas est qualitas à DEO data, ut cum ipsa ametur ab illis, quibus ipsam dat: & Charitas est illa Virtus, quæ in illo tempore, in quo Homo indiget, adducit abundantiam gratiæ DEI, & in illo loco, in quo indiget ipsam habere; &, qui habet Charitatem, habet bonum modum in omnibus, & cum illa defendit se ab omnibus malis: sed avaritia facit, quòd Homo avarus agat omnia in oppositum illius, quod Charitas Hominem charitativum facit agere: nam avaritia facit Hominem perversum & avarum recolere, intelligere & amare illa, quæ sunt induta de peccato, & deviat illa à fine, propter quem sunt, & quæ sunt magna in tractando divitias, deceptiones & multa mala: cùm Avaritia sit qualitas, quæ facit malum recolere, intelligere & amare, imaginari & sentire, & dat passionem in omni loco & tempore, & ejicit Hominem de omni bono, & cum tristitia, labore & ira facit suos subditos vivere & mori.
2. Monstravimus modum, per quem Homo cum Virtutibus potest destruere Avaritiam, sæpiùs considerando conditiones Virtutum & Avaritiæ, secundùm quòd dedimus exempla, cùm plures Virtutes plus possint valere, quàm unum vitium.
3. Aliqui tamen possent dicere: quòd non sit necessarium, quòd Homo avarus accipiat doctrinam, quam dedimus, ad destruendum Avaritiam, quia per se ipsum potest illam destruere semper, quando ipsi placet, cùm Homo semper habeat liberam voluntatem faciendi bonum, & fugiendi malum.
4. Sed nos respondemus ad hoc, & dicimus: quòd Homo existens in mortali peccato sit incarceratus in carcere Potestatis & Justitiæ DEI, de quo non potest exire sinè voluntate & Gratia DEI, & sinè ejus Misericordia & Venia, & nisi sit dispositus & ordinatus ad recipiendum Gratiam & misericordiam à DEO; *unde iste Liber est factus, ut illis, qui sæpiùs legent in ipso, & ipsum intelligent & diligent, sit occasio & ars & modus ad amandum Virtutes, & ad odiendum Vitia: & sic erunt dispositi & ordinati ad recipiendum à DEO Gratiam, Veniam & Misericordiam.*

De Destructione
Gulæ cum Justitia.

1. DIximus suprà in Definitionibus: Quid sit Gula, & Quid sit Justitia; &, quia naturale est amare bonum, & odire malum, & Justitia est bona, & Gula est mala, qui sæpe consideraret: Quid sit Gula, & Quid sit Justitia, amaret Justitiam, & odiret Gulam.
2. Justitia est de justo recolere, intelligere & amare, imaginari & sentire, & Gula est de oppositio; & Justitia est propter Finem perpetuæ gloriæ, & Gula est propter deviationem ab illo Fine, & ad citò moriendum & ad habendum pœnam perpetuam.
3. Per Justitiam dat Homo magna dona pauperibus, & per Gulam aufert Homo multa dona à pauperibus; per Justitiam habet Homo qualitates activas & passivas ordinatas, & per Gulam habet ipsas in contrarium; per Justitiam est Homo omni tempore & loco innocens & hilaris, & per Gulam culpabilis, ebrius & tristis; per

Justitiam habet Homo modum loquendi, eundi, stándi, dormiendi & vigilandi, emendi & vendendi, & per Gulam habet modum totum in contrarium; item cum Justitia habet Homo societatem Hominum bonorum & verorum, & per Gulam est Homo socius Hominum, qui sunt mendaces, ebrii & latrones; item cum Justitia habet Homo audaciam, & cum Gula habet Homo gulosus timorem.

De Destructione Gulæ cum Prudentia.

HOmo habet per Prudentiam sanitatem, & per Gulam habet infirmitatem; item per Prudentiam habet Homo abundantiam, & per Gulam habet indigentiam; per Prudentiam diligit Homo magìs vitam, quàm saporem ciborum, & per Gulam diligit Homo magìs placitum ciborum, quàm longam vitam; item cum Prudentia acquirit Homo bonum, & vitat malum, & est discretus mercator, & cum Gula per oppositum; item cum Prudentia est Homo in omni tempore & in omni loco & cum omnibus gentibus sapiens, & cum Gula est Homo fatuus: Prudentia habet plures alias conditiones, quæ essent prolixæ ad enarrandum, & Gula habet plures malas conditiones.

De Destructione Gulæ cum Fortitudine.

FOrtitudo fortificat voluntatem, quòd Gula ipsam non moveat ad desiderandum comedere & bibere sinè deliberatione intellectûs, qui considerat debita cibaria ad comedendum secundùm quantitatem, tempus, locum & modum; & Gula facit totum contrarium; & ideo habet Homo gulosus fragilem voluntatem: nam in illo tempore & loco, in quo desiderat comedere & bibere, movet suam voluntatem ad hoc, quod desiderat, sinè fortitudine memoriæ & intellectûs, & sinè modo, & cum inordinatis gestibus comedit & bibit, & loquitur cum gentibus.

De Destructione Gulæ cum Temperantia.

1. GUla & Temperantia sunt contrariæ, ùt apparet per earum Definitiones: nam Temperantia est de bonis moribus, & de pulchris gestibus, & de ordinatis verbis, constantiâ, munditiâ, discretione & curialitate; & Gula est de malis moribus & turpibus, & procurat inordinata verba & dicta sinè discretione, & facit Hominem turpem, vilem & incurialem.

2. Temperantia procurat sanitatem, vitam, gloriam cœlestem & amorem DEI & Hominum, & facit Hominem legalem, honoratum & laudatum inter gentes; item facit ipsum divitem & abundantem omnibus bonis; & Gula procurat infirmitatem, mortem, pœnas infernales, iram, disgratiam DEI & Hominum, & indigentiam omnium bonorum.

De Destructione Gulæ cum Fide.

HOmo gulosus magìs delectatur in comedendo delicata cibaria, quàm in credendo vera de DEO: & hoc ideo, quia magìs amat corporalem delectationem, quam sentit per comedere & bibere, quàm spiritualem delectationem per recolere, intelligere & amare DEUM & ejus Operationes & cœlestem Gloriam; nemo est, qui hoc malum, quod gula facit, posset dicere, scribere, cogitare vel considerare: nam facit, quòd Anima obliviscatur, ignoret & odiat DEUM & perpetuam beatitudinem, & facit, quòd Homo recolat, intelligat & amet anseres, capones, gallinas, aves, perdices, bonum panem, bonum & pulchrum vinum, bonas species, plures ollas & plures scyphos, ex quorum multitudine & nimietate generatur dolor ventris, pigritia, vermes, infirmitas, mors.

De Destructione Gulæ cum Spe.

1. SPes est Virtus, quæ Animam facit pinguem sperando à DEO gratiam, misericordiam & veniam, & affert abundantiam temporalium bonorum in tempore, in quo Homo ipsis indiget: & cum Spe recurrunt Homines ad DEUM, cùm intrà vexantur per infirmitates, & extrà per lites & bella, vel in mari per tempestatem.

2. Spes est radix & lætitia omnium bonorum, & aufert iram & tenebras; & Gula est vitium, quod Animam facit macram virtutibus, & facit Hominem magìs considerare in arcis plenis pecuniis, & in anseribus, caponibus & gallinis, & in cella plena vino, & in granariis plenis frumentis, quàm in DEO & ejus Bonitate, Potestate, Gratia & Humilitate; & ideo Spes fert

fert à DEO gratiam & salvationem, & Gula dat Homini iram & damnationem.

De Destructione Gulæ cum Charitate.

1. CHaritas est forma, quæ voluntatem informat ad amandum DEUM & suum proximum & omnia bona, & ad deamandum malum: & Gula est id, quod deformat voluntatem ad deamandum DEUM & suum proximum, & informat voluntatem ad diligendum malum & ad odiendum pauperes Homines, qui possent vivere de cibariis, quæ gulosi Homines comedunt & consumunt; & ideo sunt Charitas & Gula contrariæ; nam gulosus Homo tendit ad corporalem delectationem per placitum saporem, & charitativus Homo tendit ad spiritualem delectationem per bonum & magnum amorem: &, quia eorum Fines sunt contrarii, habent gulosus Homo & charitativus Homo contrarios mores, & vadunt ad contraria loca, & sunt in contrario statu; nam charitativi Homines habent pulchros & bonos modos plenos amoribus, & vadunt ad paradisum, in quo habent perpetuam beatitudinem, & gulosi Homines habent malos & turpes modos, & vadunt in infernum, in quo habebunt malum sinè fine.

2. Dictum est, per quem modum Homo cum Virtutibus possit destruere Gulam, sæpiùs considerando Virtutes contra Gulam, ùt dictum est, præsertim in illo tempore, in quo Gula vult exercere suas operationes.

De Destructione Luxuriæ cum Justitia.

COnsiderando, Quid sit Justitia, & Quid sit Luxuria, ùt in earum definitionibus dictum est, potest cognosci eorum Contrarietas, & quòd Homo cum hoc, quod est Justitia, resistat huic, quod est Luxuria; cùm Justitia conservet & sustentet finem carnalis copulæ, & Luxuria ipsum destruat, & finis sit fortior, quàm non finis; nam finem, propter quem Matrimonium est, juvat Divina Justitia, & ejus Bonitas & ejus Potestas, & Luxuria habet nullum juvamen à DEO; & ideo sunt luxuriosi multùm increpandi, qui cum Justitia non vincunt Luxuriam, cum qua faciunt injuriam eorum mulieribus & aliis fœminis & viris & parentibus, & sunt inobedientes mandatis DEI, propter quam injuriam & inobedientiam à Justitia judicabuntur ad essendum in perpetuo igne, si moriantur in peccato Luxuriæ.

De Destructione Luxuriæ cum Prudentia.

LUxuria incipit in videndo pulchras facies & ornamenta & gestus, quos fœminæ faciunt ex amore Luxuriæ; nam imaginatio viri accipit similitudines pulchritudinum & gestuum mulierum, ratione quarum corpus calefit, & memoria accipit placita Luxuriæ; sed sapiens Homo, priusquam suus intellectus procuret Luxuriam, facit suam voluntatem ipsam odire, & facit memoriam recolere turpitudines, quæ sequuntur Luxuriam, & sunt adeò turpes, quòd sit verecundia ipsas nominare vel scribere, & imaginatio imaginando ipsas perdit placitum, & calefactio carnis revertitur in refrigidationem, & intellectus procurat Castitatem, per quam Homo acquirit gloriam Paradisi, quæ plùs valet sinè omni comparatione, quàm placitum Luxuriæ, quod procurat pœnam in infernali igne.

De Destructione Luxuriæ cum Fortitudine.

HOmo, qui est fortis animo, habet fortem memoriam, intellectum & voluntatem contra malitiam & fraudes, cum quibus vincit & impugnat fortem imaginativam, quæ fortiter imaginatur placitum & signa Luxuriæ: &, quia imaginatio non habet nisi corporalem Fortitudinem, & Fortitudo animi est in rebus spiritualibus à DEO ordinatis, quæ ab ipso recipiunt juvamen, ideo Fortitudo animi vincit Luxuriam in imaginatione, & convertit ipsam in imaginari turpes fraudes & proditiones, quas Homo facit propter Luxuriam, & infirmitatem, occisiones, vituperia, expensas, labores, timores & pericula, quæ Homo patitur propter ipsam, & modicum tempus, in quo durarunt placita Luxuriæ, & magnum tempus, in quo peccatores in inferno habent magnam pœnam propter Luxuriam.

De Destructione Luxuriæ cum Temperantia.

HOmo temperatus cum Temperantia vincit & profligat Luxuriam, quæ

requirit nimium comedere & bibere, & Homo temperatus cum Temperantia facit corpus jejunare, ut imaginatio imaginando placitum Luxuriæ non habeat poteſtatem corpus multùm calefaciendi.

De Deſtructione
Luxuriæ cum Fide.

1. CUm Fide credit Homo in unum DEUM Creatorem & Dominum omnium creatarum rerum, & credit ejus Beatiſſimam Trinitatem & mirabile Opus, quod habet in ſe ipſo, generante DEO Patre æternaliter & infinitè de ſe ipſo DEUM Filium, & Patre & Filio æternaliter & infinitè ſpirantibus Sanctum Spiritum, & quòd omnes tres Perſonæ ſint unus DEUS tantùm.

2. Item per Fidem credit Homo in Dominum JESUM Chriſtum, & conſiderat Reſurrectionem, & in credendo iſta habent Homines benè credentes, & qui ſunt amici caſtitatis, ita magnum placitum, quòd nihil appretient placita Luxuriæ, ſed vilipendant placita Luxuriæ in tantum, quòd illa non volunt imaginari, nec de illis volunt loqui: & ideo Homo credendo & amando talia de DEO poterit deſtruere Luxuriam.

De Deſtructione
Luxuriæ cum Spe.

SPes eſt Virtus, quæ ditat memoriam, intellectum & voluntatem cum gratiâ & amore DEI, & cum ſuo Juvamine, Poteſtate, Bonitate & aliis Virtutibus, quæ ſunt multæ & magnæ; & de divitiis iſtarum & aliarum Virtutum DEI habet Anima ita magnum placitum & dulcedinem, quòd, quando corpus ſe movet ad luxuriandum, & requirit, quòd Anima ſe inclinet ad deſiderandum & tractandum Luxuriam, ipſa det pudorem, & faciat imaginationem imaginari infernales pœnas & ſerpentes & bufones, qui erunt in ſocietate luxurioſorum virorum & mulierum, qui perdiderunt ſocietatem noſtri Domini JESU Chriſti & Beatæ MARIÆ ejus Matris & omnium aliorum Sanctorum Gloriæ.

De Deſtructione
Luxuriæ cum Charitate.

1. HOmo, qui habet Charitatem, diligit DEUM, ſe ipſum & ſuum proximum; &, ſi Luxuria ipſum velit inclinare ad diligendum ipſam, ille amor non poteſt intrare in ejus cor, quia eſt plenum Charitate, quæ memoriam movet ad recoſendum immunditiam, fœtorem & turpitudinem Luxuriæ, & labores & pericula, quæ propter ipſam ſequuntur, & voluntas & intellectus faciunt ſocietatem cum memoria ad procurandum Caſtitatem contra Luxuriam, & cum Bonitate Caſtitatis vincunt Malitiam Luxuriæ; & ſimiliter imaginatio, quæ imaginatur pulchritudines & munditias Caſtitatis, vincit malitiam, cujus pulchritudines ſunt Legalitas, Veritas, Conſcientia & bonus Amor, & turpitudines & immunditiæ Luxuriæ ſunt ita turpes, ita immundæ & ita fœtidæ, quòd non auſus ſum ipſas nominare vel ſcribere.

2. Breviter dictum eſt de modo, cum quo viri & fœminæ poſſunt devincere & deſtruere Luxuriam, reſiſtendo ipſi cum Virtutibus, ût ſuprà dictum eſt.

De Deſtructione
Superbiæ cum Juſtitia.

SUperbus Homo vult honorari & laudari, & vult ſervitium à minori ſe & ab æquali & à majore ſe, & nullum iſtorum vult honorare, laudare & ipſis ſervire, imò dicit malum de ipſis, & eſt eorum inimicus, quando ipſum non laudant, non diligunt, non honorant, vel ipſi non ſerviunt: & ideo Superbia in ſuperbo Homine eſt de ſuperba Memoria, Intellectu & Voluntate, & de ſuperbo recolere, intelligere & amare & imaginari; nam vult ſibi ipſi attribuere Finem, qui eſt propter DEUM, & ſic vult eſſe magis altus, quàm DEUS: & ideo nemo cadit de tam alto ad inferiora, quàm ſuperbus Homo; ſed juſtus Homo facit totum in oppoſitum, nam in ejus Juſtitia eſt Humilitas, quæ ipſum facit deſcendere ad laudandum & honorandum Homines minores ipſo in bonitate, progenie, divitiis & honore & ad ſerviendum ipſis, & ſuum parem facit ſuum ſocium, & ſe ipſum facit ejus ſubditum; & idem facit majori ſubmittendo ſe ipſum illi ad ſerviendum ipſi, & ad laudandum & honorandum ipſum; & ideo per illos gradus, per quos Superbia & injuria volunt exaltare ſuos amicos in honore, faciunt ipſos deſcendere in vituperio & in inhonoratione; & Humilitas & Juſtitia per illos gradus, ad quos faciunt deſcendere ſuos amicos ad honorandum & exaltandum omnes, exaltant ipſos in juſto & humili honore.

De

De Deſtructione
Superbiæ cum Prudentia.

NEmo habet tot inimicos, quot habet ſuperbus Homo; & hoc eſt ideo, quia ipſe vult malum ſe minoribus, æqualibus & majoribus, & ipſe procurat malum omnibus: & ideo eſt ſuperbus Homo in majori periculo, quàm alius Homo, & ſemper & in omni loco eſt triſtis & iratus, quia videt, quòd ab Hominibus non diligatur, ſed odiatur, derideatur, inhonoretur & à ſocietate ejiciatur; & ideo Homo prudens, qui fortis eſt, potiùs fugit majora mala, quàm minora; &, qui priùs eligit majora bona, quàm minora, caſtigat ſe per ſuperbum Hominem, & elongat ſe ab ejus ſocietate, & facit totum oppoſitum illius, quod facit ſuperbus Homo, ut habeat plures amicos, & ut cum Humilitate & pace ſemper ſit in omni loco, & cum omnibus Hominibus hilaris & contentus.

De Deſtructione
Superbiæ cum Fortitudine.

NEmo habet magis fragile cor, quàm ſuperbus Homo; nam ſuperbum Hominem non juvant boni mores, nec aliquis Homo, cùm ipſe ſit inimicus omnium, quia vult omnes Homines tenere inhonoratos ſub ſuis vilibus operationibus; nec juvant ſuperbum Hominem modus, ars, ingenium vel induſtria, quia illa non habet nec vult habere, & omne id, quod facit, facit cum vilitate animi: & ideo ipſius animus faciliter devincitur per humiles Homines & per eorum bonos mores, quia non habet poteſtatem reſiſtendi per aliquod bonum, vel per aliquem honorem: & quia per facta neminem poteſt vincere, credit vincere per verba inferendo minas, ſe ipſum excuſans & alios incuſans & increpans; unde, cùm ſuperbus Homo ſit de tam vilibus conditionibus, ſi illas ſæpiùs conſideraret, & conſideraret nobilitates & altitudines, in quibus ſunt Homines fortis animi, & magnam poteſtatem, quam habent contra eorum inimicos, & magnas laudes, quæ de ipſis dicuntur, diligeret humilitatem, & per fortitudinem animi vinceret Superbiam & ſuum malum ſtatum, & haberet ſolatium cum bonis hominibus.

De Deſtructione
Superbiæ cum Temperantia.

TEmperantia & humilitas ſunt amicæ & conſobrinæ; nam Temperantia facit, quòd Homines ſint ſani, & abundantes temporalibus bonis, & facit ipſos moderatè loqui, & temperatè reſpondere, & Humilitas facit humiles Homines ſe humiliare cum humilibus verbis & geſtis & bonis moribus; unde ratione amicitiæ & cognationis Temperantiæ & Humilitatis, & quia Humilitas & Superbia ſunt contrariæ, juvat Temperantia Humilitatem contra Superbiam; & quia illæ duæ virtutes ſunt fortiores, quàm unum vitium, faciunt de homine ſuperbo humilem, quandocunque voluerint habere congregationem & amicitiam.

De Deſtructione
Superbiæ cum Fide.

SIcut ſuperbus Homo eſt ſuperbus propter corporales divitias, honorem, progeniem & propter pulchritudinem, ita vult eſſe ſuperbus propter ſpirituale recolere, intelligere & amare; & ideo non vult humiliare poteſtatem ſui intellectûs ad credendum Veritates de DEO, quas non poteſt intelligere: &, quia ipſas non poteſt intelligere, nec vult humiliare ſuum intellectum ad credendum ipſas, diſcredit ipſas, propter quod eſt ſuperbus contra Fidem, quæ eſt humilis habitus, in quantum facit, quòd humilis intellectus credat Veritates DEI, quæ ſunt ita altæ, quòd ipſas non poſſit intelligere, ſed per Fidem intelligit illas, in quantum ipſas credit, & ita eſt altus in illis, quæ ſunt altæ: & recolere memoriæ aſcendit ad eſſendum altum in illis, quæ recolit, quòd intellectus intelligat de DEO; & ideo habet memoria humilem recolitionem; & ſic de humilitate voluntatis, quæ aſcendit ad amandum Veritates, quas intellectus credit de DEO, quas non intelligit: &, dum Anima ſic exiſtit in recolendo & amando Virtutes DEI & operum illius, quæ intellectus credit, & non intelligit, tunc Fides eſt contraria Superbiæ, quæ depreſſit ſuperbam poteſtatem intellectûs, qui non credit Veritates de DEO, quas non intelligit, & in illius deſcenſu deſcendit memoria, quæ recolit ea, quæ intellectus non credit, quia non intelligit, & ſic de deſcenſu voluntatis,

tis, quæ ipsas odit, & quæ diligit contrarium earum, quod falsum est, & quod non est aliquid realiter; unde, cùm Homo cum Fide sic existat superiùs per humilitatem, & inferiùs per incredulitatem & Superbiam, qui talem altitudinem & profunditatem sæpiùs consideraret, cum Fide vinceret suum superbum intellectum, qui non vult credere Veritates de DEO & ejus Operationibus, postquam ipsas non intelligit.

De Destructione
Superbiæ cum Spe.

HOmo, qui sperat in DEO, quòd DEUS illi remittet sua peccata, & quòd ipsum juvabit in suis necessitatibus, habet humilitatem, cum qua considerat sua peccata, & Altitudines & Nobilitates DEI & ejus Bonitatis, Magnitudinis, Potestatis, Largitatis & Gratiæ, Misericordiæ & Pietatis, quas DEUS habet cum Humilitate, cum qua dat Hominibus Spem, quæ affert Misericordiam & Pietatem, cum quibus DEUS dat perpetuam beatitudinem, & elongat humiles Homines à perpetuis pœnis infernalibus: sed superbus Homo, qui cecidit in peccatum per Superbiam, non considerat suam fragilitatem, nec suum peccatum, nec suum locum, in quo cecidit, & non habet Spem in DEO, nec petit ab ipso misericordiam & veniam: & ideo Humilitas DEI contrariatur illi cum Potestate misericordiæ & veniæ, propter quam Contrarietatem superbus Homo non potest surgere à peccato Superbiæ, nec ascendere ad petendum à DEO veniam & misericordiam, postquam se ipsum non vult humiliare, & cadit in desperationem, cum qua cadit in perpetuum ignem infernalem ad habendum omni tempore maledictionem; unde, cùm hoc ita sit, si superbi Homines hoc frequenter considerarent, præpararent se ipsos ad recipiendum à DEO Spem, cum qua vincerent eorum Superbiam, & haberent humilitatem, & à DEO misericordiam, gratiam & veniam, & obtinerent in Paradiso perpetuam beatitudinem.

De Destructione
Superbiæ cum Charitate.

1. HOmo superbus existens superbus non potest habere Charitatem, nam propter suam Superbiam vult, quòd magis honoretur, laudetur & ametur, & ipsi obediatur & serviatur, quàm velit, quòd DEUS laudetur, honoretur & ametur, vel quàm suus proximus: & ideo Charitas non potest in illo esse & stare cum superbia, cùm Charitas sit Virtus, quæ requirit, quòd DEUS magis laudetur & honoretur, recolatur, intelligatur & ametur, quàm omnia entia, & quòd ipsi magis obediatur & serviatur, cùm sinè omni comparatione sit melior, quàm omne, quod est.

2. Charitas requirit etiam, quòd Homo tantum diligat honorem & utilitatem sui proximi, quantum sui ipsius, & etiam plùs, cùm Charitas & Humilitas habeant magnam amicitiam & societatem: &, si in superbo Homine non potest esse Charitas, est in illo contrarium illius cum ira DEI & sui proximi; unde, si superbus Homo ita consideraret suum statum, haberet per tale considerare adjutorium à DEO & à Charitate contra suam Superbiam & suum malum statum, & exiret de peccato, & cum humilitate essent in ipso DEUS & Charitas.

3. Dictum est, quomodo Homo cum Virtutibus possit destruere Superbiam, frequenter impugnando ipsam cum una Virtute, & postea cum alia secundùm prædictum modum.

De Destructione
Acediæ cum Justitia.

HOmo est servus & subditus DEI, quia ipsum creavit ad ipsum honorandum, cognoscendum & amandum & ad serviendum ipsi, & omnia bona naturalia, & hoc idem de divitiis, dedit illi ad ipsum laudandum & benedicendum, & ad serviendum & obediendum ipsi: &, quia DEUS est bonus, & ejus Bonitas est magna, dedit Homini magna bona naturalia & accidentalia, & quia bonum est Homini esse & habere Animam & corpus, memoriam, intellectum & voluntatem, imaginativam, sensitivam & elementativam: item magnum bonum est Homini habere oculos ad videndum, aures ad audiendum, nares ad odorandum, os ad gustandum & loquendum, manus ad palpandum & operandum, pedes ad ambulandum, & vitam ad vivendum: item magnum bonum est Homini habere bestias, campos, vineas, denarios, ferrum, scientiam, justitiam & alia his similia; &, quia hæc omnia sunt bona & magna, & à DEO data, requirit Justitia, quòd Homo faciat magna bona & magna facta, & omnia faciat ad

ad laudem & honorem DEI, sed Homo acediosus & Homo negligens, & qui diligit malum, & cui displicet bonum, facit in contrarium, nam cum sua memoria non vult recolere, nec cum suo intellectu intelligere, nec cum sua voluntate amare bonum, sed malum, & idem facit cum sua imaginatione, & cum suo visu & auditu, & tenet suas manus otiosas, cum quibus non vult facere bonum de bonis, quæ DEUS ipsi dedit, nec cum suo ore vult laudare DEUM, nec rogare, nec cum pedibus vult ire per bonas vias: & ideo facit injuriam DEO & partibus suæ Animæ & sui corporis & bonis, quæ possidet, quæ tenet otiosa; unde ratione hujus Justitia DEI condemnat ipsum in tota Anima & in omnibus suis partibus, & condemnat corpus & omnes partes illius, privando ejus Animam & ejus corpus cum omnibus suis partibus gloriâ Paradisi, & judicando illa ad sustinendum infinita mala & labores; unde, si Homo acediosus, iniquus & piger frequenter consideraret suum malum statum, & judicium, in quo est positus, esset diligens ad faciendum bonum, & ad fugiendum malum, & in habendo placitum de bono sui proximi, & pietatem & dolorem de ejus malo.

De Destructione
Acediæ cum Prudentia.

PRudens Homo considerat, quòd facile sit recolere, intelligere & amare, imaginari facere bonum, sed considerat, quòd difficile sit facere bonum; nam corpus sentiendo & se movendo laborat in faciendo bonum, cùm sit instrumentum Animæ: & ideo sapiens Homo, qui sinè labore & motu corporis non potest facere bonum, diligit motum & laborem corporis, & cum sua Anima movet suum corpus ad faciendum bonum: &, quia ad faciendum majora bona requiritur plus laboris, quàm ad faciendum minora, magis amat magnos labores, quàm parvos, sed acediosus Homo facit totum contrarium, nam, quando recolit, intelligit & diligit bonum, & imaginatur illud bonum, & vult movere corpus ad faciendum bonum, & sentit gravamen & laborem corporis, est piger, & non vult se movere ad faciendum bonum, & ejus Anima pervertitur in recolere, intelligere & amare malum sui proximi, & in odire bonum, quod facit suus proximus, nam de hoc habet invidiam; & quia ipse illud bonum non facit, est talis piger Homo plenus malo, & remotus à bono, qui est dignus omni malo; &, si sæpe consideraret Prudentiam & bonum, quod sequitur ex Prudentia, & malum statum, in quo est per Acediam, destrueret & vinceret suam Acediam cum Prudentia.

De Destructione
Acediæ cum Fortitudine.

HOmo, qui est fortis animi, movet cum Fortitudine suæ voluntatis corpus ad faciendum hoc, quod desiderat: & de hoc habemus experientiam in diligentibus Hominibus, qui faciunt corpus jejunare, laborare, vigilare, pugnare & stare ad sustinendum ictus lancearum, sagittarum & gladiorum, ad vulnera & mortem, quia timent verecundiam, & amant honorem & attingere hoc, quod desiderant; sed acediosus Homo facit totum in contrarium, quia timet sustinere labores & pericula corporis, & non habet verecundiam, nec timet increpationem gentium, nec timet perdere Paradisum, & perpetuò esse in infernali igne: & qui ista frequenter diceret acediosо Homini, & ipse vellet ista intelligere, posset vincere & destruere suam Acediam.

De Destructione
Acediæ cum Temperantia.

SIcut Homo negligens & piger timet labores corporis, ita est solicitus & diligens & amat placita, quæ corpus sentit in dormiendo, sedendo, jacendo, comedendo & bibendo: & ideo sunt Acedia & gula amicæ & vicinæ, & Homines, qui nimium comedunt & bibunt, volunt plùs dormire, quàm vigilare, & sedere, quàm ire, & quia Temperantia & Gula sunt contrariæ, & Diligentia & Temperantia sunt vicinæ & amicæ, qui vult vincere Acediam, vincat gulam cum Temperantia, ût dictum est, & cum Diligentia & Temperantia poterit vincere Acediam.

De Destructione
Acediæ cum Fide.

HOmo, qui habet Fidem, vincit superbiam cum Fide sui intellectûs, ût dictum est in Capite *de Destructione Superbiæ cum Fide:* & ideo acediosus Homo cum alta & magna potestate sui intellectûs, memoriæ & voluntatis non vult

vincere Superbiam ſui corporis, quæ ipſi reſiſtit ad faciendum bonum, & ad fugiendum malum: & ideo, ſi Homo negligens, cui placet malum alterius, & displicet bonum illius, caperet exemplum, & ſæpe conſideraret in altam operationem Fidei, & in ejus magnam fortitudinem, inclinaret ſuum corpus, quod habet modicam poteſtatem, ad operationes diligentiæ, quæ ſunt magnæ in poteſtate bonitatis memoriæ, intellectûs & voluntatis.

De Deſtructione
Acediæ cum Spe.

OMnes Homines, qui in DEO habent Spem, ſunt ſoliciti & diligentes in ſæpe recolendo, intelligendo & amando DEUM, & frequenter loquuntur de ipſo, & ipſum invocant, laudant & benedicunt, & ſperant ab ipſo gratiam, miſericordiam & veniam, quorum Spes à DEO affert conſolationem, lætitiam, bonitatem, devotionem, fortitudinem & diligentiam: &, quia Homo piger eſt inimicus boni, & amicus mali, non habet in DEO Spem, propter quod eſt triſtis, deſolatus & plenus malâ voluntate, & eſt faſtidioſus omnibus gentibus, &, quando moritur, non habet Spem in DEO; cùm Homo non poſſit habere Spem ſinè magna diligentia in recolendo DEUM, intelligendo & amando, honorando, rogando, laudando & ipſi ſerviendo; unde iſtis rebus frequenter conſideratis, intellectis & amatis poteſt acedioſus Homo vincere ſuam Acediam cum Spe.

De Deſtructione
Acediæ cum Charitate.

HOmo, qui habet Charitatem, in omni tempore & in omni loco, in quo ſit, diligit ſuum bonum amare, cum quo amat DEUM & ſe ipſum & ſuum proximum & bonos mores, & eſt magìs diligens ad procurandum unum bonum amare, quàm per centum vices dormire, recumbere, ſedere, vel bibere aut comedere: & ideo habet quietem in laboribus, quos ſuſtinet propter bonum amare, & ſimiliter in placitis, quæ ipſi contingunt. Sed negligens & piger Homo facit totum contrarium; nam plùs diligit procurare dormire, recumbere, ſedere, comedere & bibere, & de hominibus dicere malum, quàm unum bonum amare, vel quàm DEUM honorare, laudare & illi ſervire, vel quàm ſibi & ſuo proximo procurare ſalvationem; igitur ſunt multa mala, quæ procurantur per negligentiam, quæ diligentia impedit: & ideo, ſi acedioſus Homo frequenter conſideraret bona & mala, vinceret negligentiam cum charitate, cùm omne bonum ſit amabile, & malum odibile.

De Deſtructione
Invidiæ cum Juſtitia.

INvidia eſt peccatum, quod eſt contra propriam & communem Charitatem; & ideo Homines, qui habent invidiam, faciunt injuriam DEO & eorum proximo: faciunt DEO injuriam, nam DEUS dedit Homini pulchram mulierem, pulchrum equum, pulchram vineam & forte caſtellum, & vult, quòd divites Homines de eorum divitiis cum eleemoſyna ſatisfaciant pauperibus, ut habeant Charitatem; & quia DEO faciunt injuriam, in quantum ſunt contra ejus velle & contra ejus ordinationem, ideo ſunt injurioſi & contra ordinem & Juſtitiam, & ordo & Juſtitia eſt contra illos: & idem de Charitate, cùm Juſtitia ſit illa Virtus, quæ unicuique reddit, quod ſuum eſt; igitur Juſtitia requirit, & idem de ordine & Charitate, quæ idem requirunt, quòd DEUS ſit contra illos, qui ſunt contra ipſum, & quòd non diligat illos, qui ipſum non diligunt; unde, ſi Homo, qui habet invidiam, frequenter conſideraret, quomodo DEUS ſit contra illum cum odio & cum Juſtitia, ipſe non haberet Invidiam de bonis ſui proximi, cui facit injuriam, in quantum habet Invidiam de bonis, quæ DEUS ipſi dedit: nam eſt valde modicum bonum Homini habenti Invidiam, ſi habeat illam rem, de qua habet Invidiam, ſecundùm comparationem; & eſt ipſi magnum malum, quòd DEUS ſit contra ipſum per Charitatem & Juſtitiam, quia aufert ab ipſo perpetuam gloriam, & per Juſtitiam dat ipſi perpetuum ignem infernalem: & ſi Homo habet illud bonum, de quo habet Invidiam, parùm durabit ipſi, & poſſidebit illud cum timore, nam ſua conſcientia remordebit ipſum, & ejus proximus, à quo aufert illud bonum, faciet ipſi guerram.

De Deſtructione
Invidiæ cum Fortitudine.

INvidia facit deſiderare aliena bona contra Charitatem, ut Homines faciat peccare;

care; & quando tentat Homines, qui habent fortem animum, Fortitudo fortificat ipſos contra Invidiam: & tunc eſt guerra inter Invidiam & Fortitudinem; illa, quæ juvant Invidiam, ſunt pulchritudo fœminæ & equi, pinguedo porci, magnitudo vineæ, & fortitudo caſtelli; illa verò, quæ juvant Fortitudinem, ſunt DEUS, Juſtitia, Prudentia, Temperantia, Fides, Spes & Charitas: & ideo fortis Homo, qui habet fortem Animum, poteſt faciliter per ſe & cum illis, quæ ipſum juvant contra Invidiam, ipſam vincere & deſtruere, cùm illius adjutores ſint multò fortiores, quàm adjutores Invidiæ: ſed, ſi ipſe non requirat juvamen ab his, quæ dicta ſunt, nec ſe defendat cum Fortitudine, habet fragilem animum, & Invidia facit de illo per ſe ipſam, & cum illis, quæ ipſam juvant, quidquid vult, & facit ipſum peccare & ire in perpetuum ignem.

De Deſtructione
Invidiæ cum Temperantia.

SIcut Juſtitia, Prudentia & Fortitudo faciunt, quòd invidioſus Homo habeat pro extranea mulierem ſui proximi, ejus equum, domos & alia bona illius, ita Temperantia facit, quòd guloſus Homo habeat pro extraneis cibaria, quæ vult comedere per ſuperfluitatem, de quibus habet Invidiam ad comedendum: &, quia de ipſis habet Invidiam contra Juſtitiam, Prudentiam & Fortitudinem, ideo eſt Temperantia contra Invidiam, & ligat ſe cum Juſtitia, Prudentia & Fortitudine, & cum illis defendit ſe contra gulam & Invidiam; & idem facit, quando Homo vult nimium comedere & bibere, & idem facit contra nimium loqui, nimium expendere, & ſic de ſimilibus; igitur poteſt cognoſci, ût dictum eſt, quomodo Temperantia faciat, quòd ſuperfluitas comedendi & bibendi habeatur pro extranea, & quomodo Homo cum Temperantia poſſit deſtruere Invidiam.

De Deſtructione
Invidiæ cum Fide.

SEcundùm quòd dictum eſt, Fides eſt credere vera de DEO, quæ intellectus non intelligit: & ideo Homines, qui credunt in decem Præcepta, quæ DEUS dedit Moyſi in Lege, ſunt contra DEUM, ſi habeant Invidiam de bonis eorum proximi, quia ſunt contra hoc, quod credunt, & habent majorem Invidiam, quàm gentiles, quando habent Invidiam de bonis eorum proximi, qui non credunt in decem Præcepta; & ideo Chriſtianus habens Invidiam, & qui moritur in peccato Invidiæ, habebit multò majorem pœnam in inferno, quàm gentilis vel paganus; &, ſi tu Chriſtiane habens Invidiam frequenter conſiderares hoc, quod diximus, vinceres Invidiam cum tua frequenti conſideratione cum Fide.

De Deſtructione
Invidiæ cum Spe.

QUia Spes & Prudentia ad invicem habent ſocietatem, Homines, qui habent Prudentiam & Spem, non volunt propter invidere minora bona amittere Spem, cum qua ſperant majora bona, quæ magìs durant: &, quia invidus Homo invidet minora bona, & credit habere Spem in majoribus bonis, eſt fatuus, & non habet prudentiam, & per conſequens non habet Spem, cùm habeat Invidiam de minoribus bonis ſui proximi contra majora, quæ ſunt DEI & Paradiſi, in quo ſunt tot bona, & tam magna, quòd non poſſint dici nec ſcribi; &, ſi tu invide peccator hoc diu conſiderares, deſtrueres Invidiam cum Spe.

De Deſtructione
Invidiæ cum Charitate.

CHaritas eſt Virtus, quæ facit Hominem magìs amare DEUM, quàm ſe ipſum, & quæ facit ipſum tantum amare ſuum proximum, quantum ſe ipſum; & Invidia eſt peccatum, quod Hominem facit amare in contrarium; nam invidus Homo magìs diligit ſe ipſum, quàm DEUM, in quantum vult habere bona ſui proximi contra præcepta DEI, qui illi mandavit, ne invideret illa bona; & magìs diligit ſe ipſum, quàm ſuum proximum, in quantum vult habere uxorem ſui proximi, vel equum, vel caſtellum; & ipſe non vult, quòd ſuus proximus habeat illius uxorem, equum nec illius caſtellum; unde, ſi tu invide Homo fortiter conſiderares tuum peccatum, quod facis, magìs amando te ipſum, qui es de nihilo, & qui ſtas in *non eſſe* per peccatum, quod eſt contra omne, quod eſt, quàm DEUM, qui te creavit, & qui eſt Bonum Æternum & infinitum; iterum, ſi tu conſiderares, quomodo gravi-

ter pecces contra tuum proximum, quem DEUS tibi dedit in ſocium, ut te juvet ad vivendum & ad ſalvationem, & tu ipſum ſimiliter, non haberes Invidiam, imò haberes tantum de Charitate, quòd poſſes deſtruere Invidiam, quantumcunque magna eſſet.

De Deſtructione
Iræ cum Juſtitia.

JUſtitia requirit, quòd Homo, qui facit bonum, habeat bonum, & ſecundùm magnum bonum, quod facit, habeat magnum bonum; & quòd Homo, qui facit malum, habeat malum, &, ſi malum, quod facit, ſit magnum, quòd habeat magnum malum: & Ira requirit, quòd illi, qui ſunt boni, habeant malum & paſſionem, & quòd illi, qui ſunt mali, habeant bonum & actionem: ſicut Homo iratus, qui eſt malus per Iram, qui vult habere actionem ſupra bonum Hominem faciendo ei malum: igitur Ira & Juſtitia ſunt contrariæ; ſed, ſi iratus Homo fortiter conſideraret Contrarietatem, quam habet, uteretur in illa conſideratione Juſtitiâ, & vinceret ſuam Iram cum Juſtitia, & eſſet patiens in tantum, quòd vellet, quòd bonus Homo haberet actionem ſupra ipſum, & quòd ab ipſo peteret veniam, judicando ſe ipſum de ſuo defectu.

De Deſtructione
Iræ cum Prudentia.

„ DEUS ordinavit, quòd intellectus præcederet memoriam & voluntatem, inveſtigando bonum & malum, „ verum & falſum, & quòd, cùm attigerit „ hoc, quod inveſtigaverit, illud traderet „ memoriæ ad memorandum, ut intellectus illud, quod tradidit memoriæ, „ iterum poſſit intelligere, & habere deliberationem cum voluntate conſulendo „ ipſi, quòd debeat diligere bonum & verum, & quòd debeat odire malum & falſum; *& talis ordinatio eſt naturaliter „ poſita in Anima Hominis*, & ſapiens „ Homo utitur ipsâ cum Prudentia; ſed Ira deſtruit illam ordinationem in Anima irati Hominis, qui præponit ſuam Iram & ſuam malam voluntatem, quæ ſinè deliberatione eligit, diligendo malum & falſum, & odiendo bonum & verum in tantum, quòd intellectus præ nimio furore & ira non habeat deliberationem ad dandum conſilium voluntati, nec ad recuperandum à memoriâ hoc, quod ſupradictus ordo intellexit, nec memoria poteſt ſubitò recolere, & ita ligato intellectu & memoriâ præ vi nimiæ voluntatis facit iratus Homo malum, quod malum diligit, & bonum odit: ſed, ſi iratus Homo, priusquam ſequeretur ſuam voluntatem, intelligeret & recoleret ſupradictum ordinem, in illo tempore, in quo intelligeret & recoleret illum ordinem, exerceret Prudentiam & ejus actum, & deſtrueret Iram.

De Deſtructione
Iræ cum Fortitudine.

DIximus, quòd Fortitudo ſit vis animi, hoc eſt, vis voluntatis fortificata per vim intellectûs & memoriæ: ſicut voluntas, quæ eſt fortis in amando magìs magnum bonum, quàm parvum, & in evitando magìs magnum malum, quàm parvum: & hoc facit voluntas per vim, quam habet, in quantum per naturam rationis recolitivam & intellectivam majus bonum eſt eligibile, quòd plùs diligatur, quàm minus bonum, & majus malum plùs odiatur, quàm minus malum, & talis ordo conſiſtit per Fortitudinem; ſed Ira deſtruit iſtum ordinem, in quantum non patitur, quòd voluntas diligat vel odiat cum Fortitudine intellectûs & memoriæ, ſed cum illa Fortitudine, quam Ira ipſi dat: & ideo in irato Homine eſt Ira domina, & Fortitudo eſt devicta, & in devictione illius ſunt devictæ plures aliæ Virtutes, quæ ſunt patientia, abſtinentia, continentia, legalitas, humilitas, juſtitia, prudentia & plures aliæ Virtutes; ſed, ſi iratus Homo abſtineret, usque dum ſua voluntas, memoria & intellectus ſe invicem fortificarent, uteretur Fortitudo ſuâ poteſtate in tantum, quòd Ira devinceretur, & plura alia vitia ſimiliter devincerentur in devictione illius, quæ ſunt impatientia, ſuperbia, ignorantia & plura alia ſimilia iſtis.

De Deſtructione
Iræ cum Temperantia.

GUla & Temperantia ſunt contrariæ, ût *in Capite de Deſtructione Gulæ cum Temperantia* dictum eſt, quòd Homo ſciat deſtruere gulam cum Temperantia: & quia aliqui Homines guloſi ſunt irati, quando non poſſunt habere cibaria, quæ deſiderant, poterit illorum Ira deſtrui cum Temperantia, deſtruendo cum Temperantia eorum guloſitatem, ût ſuprà exemplificatum eſt.

De Deſtructione
Iræ cum Fide.

FIdes, lætitia & bonum conveniunt, & hoc cum magnitudine, nam in conſiderando cum Fide Veritates DEI ſentit voluntas magnum bonum & ætitiam: &, quia Ira, triſtitia & malum conveniunt, & hæc cum parvitate ſecundùm comparationem magnitudinis, cum qua conveniunt Fides, lætitia & bonum, poteſt Homo deſtruere Iram cum Fide, cùm convenientia magnitudinis ſit fortior in poteſtate, quàm convenientia parvitatis; igitur deſtrueret Homo Iram, quotiescunque hilariter crederet veritates & bona, quæ DEUS habet in ſe & in ſuis operibus.

De Deſtructione
Iræ cum Spe.

SPes eſt Virtus, cum qua Homo ſperat bona, quæ non habet, quæ deſiderat ad honorandum DEUM, & ad habendum ſalvationem; & Ira eſt peccatum, per quod Homo non vult ſperare bonum, & eſt iratus, quia non habet bonum, nec poteſt habere: & ideo Spes & Ira ſunt contrariæ; iterum, Spes facit Hominem Sperare bonum cum juſtitia, lætitia & aliis virtutibus, cum quibus Homo facit bonum, & illud bonum, quod deſiderat, aſſequitur, & Ira cum triſtitia & faciendo malum vult, quòd Homo habeat hoc, quod deſiderat; & quando non poteſt habere hoc, quod deſiderat, facit Hominem deſiderare malum, & illud ſtatim procurare: & ideo, ſi iratus Homo fortiter vellet conſiderare hoc, quod de Spe & Ira dictum eſt, poſſet cum Spe vincere ſuam Iram & triſtitiam.

De Deſtructione
Iræ cum Charitate.

VOluntas habet duos ramos, hoc eſt, duas operationes, una eſt amare, & alia eſt odire: &, quia voluntas eſt fortior & melior per amare, quàm per odire, eſt ejus amare antecedens, & ejus odire eſt conſequens; & iſte ordo eſt in illa per Charitatem, hoc eſt, ipſa diligit bonum propter bonum, & odit malum, ut poſſit amare bonum; ſed ira facit omnia in contrarium, quia ſe fortiùs ponit in odire, quàm in amare, quia propter modicum bonum, quod facit deſiderare, odit magnum bonum, & amat magnum malum: ſicut Homo, qui eſt iratus alteri, qui ipſi dixit vel fecit aliquod vituperium, quod non eſt ita magnum malum, ſicut eſt malum, quod vult illi, qui ipſi fecit vel dixit vituperium; nam non eſt percuſſus nec mortuus propter illud vituperium, quod ipſi dixit, & tamen vult, quòd alius percutiatur vel moriatur propter illud vituperium ipſi ab alio dictum vel factum; & ideo irati Homines requirunt duplicare malum contra Charitatem, & judicant vituperium duplicatum contra Charitatem, quæ inter Hominem & ſuum proximum requirit Æqualitatem, & propter DEUM patientiam, abſtinentiam, humilitatem, miſericordiam & veniam; quæ Charitas vincit iratos Homines, & facit illos ſe humiliare ad dandum miſericordiam & veniam, & ad faciendum ſatisfactionem quandocunque Homo ipſam voluerit habere, & à DEO petere.

De Deſtructione
Infidelitatis cum Juſtitia.

1. JUſtitia eſt illa Virtus, ratione cujus Homines reddunt ea, quæ detinent, illis, quorum ſunt; & Infidelitas eſt id, quod eſt contra fidem cum falſis ſimilitudinibus, quæ videntur veræ ſecundùm naturam; igitur ſequitur, quòd ille, qui voluerit deſtruere Infidelitatem Infidelium, qui non ſunt Chriſtiani, reddat cum Juſtitia DEO hoc, quod ſuum eſt, hoc eſt, quòd Homines ſapientes in Lege Chriſtianorum, & qui ſunt Chriſtiani, & qui ſunt DEI, ſe reddant DEO ad monſtrandum Infidelibus Veritates de ipſo, dicendo, prædicando & diſputando cum ipſis, & quòd DEUS ſit juſtus, & quòd per ſuam Juſtitiam agat de ſuis creaturis, ſicut ipſi placet, & ſecundùm quòd requirit ejus Magnitudo, Æternitas & Poteſtas, & ſecundùm quòd ſcit ejus Sapientia cum Virtute, Gloria & Veritate: & ideo poteſt de creaturis agere miraculosè ſupra curſum naturæ, ne DEUS faciat injuriam ſuæ Poteſtati, quæ eſſet ligata, ſi non poſſet agere de creatura ſupra curſum naturæ: & quia DEUS ſibi ipſi non poteſt facere injuriam de creatura utendo illâ, & vult illâ uti ſupra curſum naturæ, ideo creavit mundum ex nihilo, quæ creatio fuit ſupra curſum naturæ: & hoc

non credunt illi, qui credunt, quòd mundus sit æternus.

2. Iterum: DEUS debet per Justitiam in se ipso & de se ipso agere tantum Bonum, quantum requirit Magnitudo suæ Bonitatis, & quantum potest sua Potestas, & scit sua Sapientia, & quantum sua Æternitas potest æternare, & sua Voluntas amare, & sic de Virtute, Gloria & Veritate: quòd si non, faceret contra hoc, quod Bonitas requirit cum omnibus aliis Dignitatibus, & esset injustus, si non redderet suis Dignitatibus magnum bonum, quod requirunt habere in se ipsis per Naturam, hoc est, Operationem Sanctæ Trinitatis, quam non credunt Infideles; quia ipsis videtur quòd sit supra cursum naturæ: & verum est, quòd sit supra naturam creaturæ, sed non est supra Naturam DEI, quæ est cum Potestate infinita & æterna; „ unde, cùm „ hoc ita sit, si plures boni, sapientes & „ devoti Christiani scientes Idiomata Infidelium, qui non dubitarent pati mortem ad honorandum illum, cujus sunt, „ (& quia Justitia hoc requirit, postquàm „ propter hoc sunt) irent per mundum ad „ prædicandum & disputandum cum Infidelibus monstrando Veritatem Catholicæ Fidei, per talem modum possent „ destruere Infidelitatem Infidelium, adjuvante tamen gratiâ DEI.

De Destructione
Infidelitatis cum Prudentia.

1. SUnt aliqui Infideles, qui ita credunt mori, sicut bos & gallina moritur; & videtur ipsis, quòd non sit Resurrectio, quia esset supra cursum naturæ, si esset; & ideo possunt Christiani illos reprehendere secundùm Sapientiam, demonstrando ipsis, quòd Sapientia requirat, quòd Homo magìs debeat amare majora bona, quàm minora: unde, cùm Sapientia hoc requirat secundùm ordinem & naturam hìc inferiùs in Homine, qui est creatura, bene sequitur & multò meliùs sinè omni comparatione, quòd superiùs in DEO, qui est Creator, & abundans omnibus bonis, ejus Sapientia requirat, quòd ipse magìs amet majora bona, quàm minora, & quòd magìs odiat majora mala, quàm minora; unde, cùm Sapientia requirat secundùm ordinem, quòd diligat bona Hominis, inter quæ est resurrectio, & quòd odiat mala Hominis, inter quæ esset *non* resurrectio; igitur tu, qui credis resurrectionem, potes veraciter arguere contra Infideles, qui credunt, quòd non sit futura resurrectio, postquam ipse secundùm naturam & ordinem suæ magnæ Sapientiæ & Bonitatis debeat amare majus bonum, & evitare majus malum Hominis, suppositio tamen, quòd ad hoc conferant sua Justitia, Misericordia & venia.

2. Item tu Christiane potes arguere contra Infidelem, qui non credit Incarnationem: cùm Incarnatio sit majus & nobilius Bonum, quod possit esse in creatura, & per quod DEUS & creatura magìs possunt participare, & Homo potest à DEO recipere plus gratiæ & bonorum, & per quod ipsum plùs potest cognoscere, amare, laudare & ipsi servire: igitur convenit, quòd in generali sit verum id, per quod DEUS & creatura per majus bonum possunt participare, & per quod Homo magìs potest DEUM cognoscere, amare, laudare & ipsi servire: &, si non conveniret, quòd hoc esset, convèniret, quòd deberet esse contrarium, hoc est, quòd in generali esset verum hoc, per quod DEUS & creatura minùs possent participare, & Homo minùs posset DEUM cognoscere, amare, laudare & ipsi servire: &, si hoc esset verum, forma prudentiæ & sapientiæ mutaret se in deformitatem, hoc est, esset major sapientia magìs amare minora bona, quàm majora: &, quia hoc est inconveniens & impossibile, potes tu, qui es sapiens Christianus, cum tua fidelitate & credulitate veraciter arguere Infidelem de Infidelitate & incredulitate.

De Destructione
Infidelitatis cum Fortitudine.

INfidelis non habet fortitudinem Intellectûs; nam ejus intellectus non est fortificatus per argumentum nec per credulitatem, sinè quibus ejus intellectus non potest esse fortis; cùm Infideli non sit datum argumentum de Incarnatione Filii DEI, nec de ejus Nativitate suâ Matre existente Virgine, nec de ejus Morte, Resurrectione, Ascensione, nec de illius Adventu ad judicandum vivos & mortuos, & omne id, quod verum est, infidelis Homo non vult credere: igitur non habet fortem intellectum ad credendum vera de DEO, postquàm ipsi deficit argumentum & credulitas, & Christianus, qui habet fortem intellectum per argumentum & credulitatem

litatem in sciendo & credendo Veritates de DEO, ût significavimus, & in Sacra Scriptura in pluribus locis est significatum, non habet fortem voluntatem in amando DEUM & Veritatem Operationum illius, si est otiosus in sua Sapientia, & timet laborem & mortem eundi ad prædicandum Infidelibus veritatem Catholicæ Fidei, & ad disputandum cum ipsis, & ad destruendum ipsis omnes objectiones, quæ possunt fieri contra Catholicam Fidem; unde, cùm DEUS suas oves tradiderit Pastoribus ad custodiendum, ipse in die judicii petet numerum suarum ovium à Pastoribus, qui habuerunt levem animum in custodiendo oves, quas nullo tempore poterunt retrahere, & semper ab ipsis requiretur numerus ovium.

De Destructione
Infidelitatis cum Temperantia.

TEmperantia & gula sunt contrariæ; & ideo fidelis Christianus gulosus est contra Temperantiam, per quam contrarietatem non est dispositus ad destruendum Infidelitatem, imò destruit Fidelitatem per malum exemplum; nec Infidelis, qui non habet temperatum intellectum in disputando, in quantum non vult supponere possibile, quòd Christiana Fides sit vera, potest attingere nec intelligere Veritatem Christianæ Fidei, nec errorem, in quo ipse est: & ideo, si Infidelis errat contra Temperantiam intellectûs, & fidelis Christianus contra exemplum & dispositionem, ût dictum est, non est mirum, si Fidelitas & Infidelitas sint contrariæ propter defectum suorum subditorum,

De Destructione
Infidelitatis cum Fide.

INfidelis non credit in Sanctum Sacramentum Altaris, nec in alia Sacramenta; & hoc est, quia sunt supra cursum naturæ; sed fidelis Christianus credit in Sanctum Sacramentum Altaris & in alia Sacramenta, quamvìs sint supra cursum naturæ; igitur incredulitas Infidelis non potest esse ita magna, sicut est credulitas Catholicorum, nam Infidelis non credit illam majorem operationem, quam DEUS potest habere hìc inferiùs in creatura supra cursum naturæ, sed Catholicus credit illam: &, quia convenit, quòd illa credulitas, quæ plus credit de DEO supra cursum naturæ, sit vera, ut possit cognosci major Veritas de Magnitudine Potestatis, Bonitatis, Amoris, Participationis & Humilitatis DEI, ideo tu Christiane potes cum tua Fide & Veritate Infideli destruere ejus Infidelitatem arguendo contra ipsum, ût suprà significavimus.

De Destructione
Infidelitatis cum Spe.

1. INfidelis, qui non credit Creationem, nec Resurrectionem, nec Trinitatem, nec Incarnationem, non est dispositus ad habendum Spem in DEO; nam, in quantum non credit Creationem & Resurrectionem, quia sunt operationes supra naturam, non potest habere Spem, quòd DEUS ipsi faciat gratiam supra naturam in alio sæculo nec in isto, cùm Gratia DEI cum Misericordia & Indulgentia sint operationes supra naturam. Item, si crudelitas esset vera, Anima infidelis Hominis non esset creata, sed esset hoc, quod est, per naturam; &, sicut esset per naturam, ita moreretur in morte Hominis per naturam, & non posset resurgere per naturam: igitur vera Spes esset impossibilis, & Justitia DEI similiter, quæ non posset Hominibus dare præmium, nec peccatoribus pœnam supra cursum naturæ; &, quia hoc est impossibile, potes tu, qui es Christianus fidelis, cum Spe destruere Infidelitatem Infidelìs, qui non credit Creationem nec Resurrectionem secundùm probationem, quam fecimus.

2. Hoc idem potes facere, in quantum Infidelis non credit Trinitatem & Incarnationem; nam, si eorum opinio esset vera, DEUS non posset vel non vellet vel non deberet in se habere Operationem bonam, magnam, æternam & infinitam supra cursum naturæ creaturæ, quæ est finita, principiata & terminata, & deamaret meliorem & majorem operationem, quam haberet in creatura, & per quam plùs potest intelligi, amari, laudari & ipsi servitium fieri à creatura, ût dictum est; unde sequeretur deformatio & destructio Spei, cùm Homo non debeat habere Spem in illo, qui non amat, vel qui non potest habere majorem & meliorem operationem in se ipso nec in creatura.

De Deſtructione Infidelitatis cum Charitate.

CHaritas eſt Virtus, per quam Homo naturaliter debet amare ſe ipſum & ſuum proximum, & eſt Virtus, quæ requirit, quòd Homo magis diligat DEUM, quàm ſe ipſum, & illa requiſitio eſt ſupra naturam voluntatis Hominis: ſicut Fides, quæ eſt ſupra curſum naturæ intellectûs Hominis, qui de DEO credit veritates, quas non intelligit; unde, cùm Charitas ſit hoc, quod ſuprà dictum eſt, ſi eſſet verum id, quod Infidelis non credit de Trinitate DEI & de Incarnatione & de Sancto Sacramento Altaris, quòd DEUS non poſſet facere Operationem in ſe nec in creatura ſupra curſum naturæ creatæ, Charitas non poſſet eſſe Virtus, per quam Homo poſſet DEUM amare ſupra naturam ſuæ voluntatis, nec credere in ipſum, nec in ejus operationes ſupra naturam ſui intellectûs; &, quia hoc eſt inconveniens & impoſſibile ſecundùm altam Nobilitatem & Infinitatem Divinæ Bonitatis, Magnitudinis, Æternitatis, Poteſtatis &c., potes tu, qui Chriſtianus es & fidelis, per talem veram probationem deſtruere errorem & falſitatem Infidelis, qui non vult credere ſupra curſum naturæ Excellentias & Operationes DEI.

Explicit Secunda Diſtinctio hujus Libri, quæ eſt de Morte Hominis.

TERTIA DISTINCTIO DE Oratione.

HÆc tertia Diſtinctio eſt *de Oratione*, quæ dat Doctrinam, ut Homo ſciat DEUM laudare, adorare, benedicere & rogare.

Orationes ad noſtrum Dominum DEUM.

1. ADoro te Domine DEUS meus in tua *Eſſentia, Eſſe, Natura & in tua Unitate*, quibus do meam eſſentiam, eſſe, naturam & meam unitatem ad te recolendum, intelligendum & amandum, laudandum, benedicendum, honorandum & tibi ſerviendum toto tempore meæ vitæ.

2. Adoro te Domine DEUS in tua *Sancta Trinitate* perfecta & glorioſa, quæ eſt una Eſſentia, unum Eſſe, una Natura & una Deitas, cui meam unitatem & pluralitatem do & commendo.

3. Adoro te Domine DEUS *Pater*, qui es Pater omnium patrum: adoro te Domine DEUS *Fili*, qui es Pater omnium creaturarum: adoro te Domine DEUS *Sancte Spiritus*, qui inamoras omnes Homines bene amantes: adoro omnes tres Perſonas Divinas æternas & infinitas, quæ æqualiter ſunt unus DEUS, una Eſſentia, una Natura & una Subſtantia ſimplex ſinè aliquo accidente.

4. Adoro te Domine DEUS & tuam æternam *Vitam*, per quam es immortalis: tua Vita, Domine, eſt illa Vita, per quam vivit omnis alia vita; tuam Vitam, Domine, laudo & benedico, & ab ipſa peto, quòd mihi det ſanctam & longam vitam, ut cum ſancta & longa vita te diu poſſim amare, adorare, honorare & tibi ſervire, & effugere perpetuam mortem.

5. Adoro Domine DEUS tuam glorioſam *Sanctitatem*, per quam es innocens ab omni peccato: tua Sanctitas, Domine, ſanctificat & glorificat Sanctos: tuam Sanctitatem, Domine, laudo & benedico, & ab ipſa humiliter precando peto ſanctum recolere, intelligere & amare, ſentire & imaginari, ſinè quibus non poſſum eſſe dignus te rogare, laudare & tibi ſervire.

6. Tu Domine DEUS es pulcher ſupra omnes pulchritudines: pulcher es Domine, per tuam Unitatem, Trinitatem, & pulcher es per tuam Bonitatem, Magnitudinem, Æternitatem & per omnes alias tuas Dignitates, quæ ſunt tuæ Pulchritudines: tuam *Pulchritudinem*, Domine, adoro, laudo & benedico, & rogo illam, quòd mihi det pulchrum cogitare, pulchrum recolere & amare, cum quibus te pulchrè poſſim honorare & tibi ſervire.

7. Adoro Domine DEUS tuam ſanctam *Bonitatem*, à qua procedit omne perfectum bonum, & à qua nunquam proceſſit malum vel peccatum: tuam Bonitatem, Domine

Domine, laudo & benedico, & rogo te, quòd me facias tuum ſervitorem, ut cum bonitate, quam mihi dabis, poſſim laudare & honorare tuam ſummam Bonitatem & ipſi ſervire cum bono recolere, intelligere & amare.

8. Adoro te Domine DEUS & tuam *Magnitudinem* æternam & infinitam, quæ comprehendit & continet omnes alias magnitudines: & tu, Domine, poſtquàm es magnus, fac me habere magnum recolere, intelligere & amare, & à te magnam miſericordiam petere.

9. Adoro te Domine DEUS & tuam glorioſam *Æternitatem*: Æternitatem, quæ non poteſt mutari nec moveri, per quam omne, quod eſt, durat, & quæ nunquam habuit Principium, nec habebit Finem; & illam benedico, & de illa dico laudes, & illa, Domine, faciat me diu durare, ut de ipſa poſſim dicere multas & magnas laudes.

10. Adoro te Domine DEUS & tuam mirabilem *Poteſtatem*, quæ bona & magna eſt, & quæ potuit creare omne, quod eſt, & etiam poſſet plus creare: tua Poteſtas, Domine, nullum peccatum facere poteſt nec magnum nec parvum; à tua Poteſtate peto poteſtatem recolendi, intelligendi & amandi, ut poſſim facere bonum, & fugere malum, & te laudare, honorare, benedicere & tibi ſervire.

11. Adoro te Domine DEUS & tuam *Sapientiam*, quæ ſcit & comprehendit omne, quod eſt: Sapientiam, per quam Homo ſcit hoc, quod ſcit, & ſinè ipſa poteſt Homo nihil ſcire, & ipſa monſtrat Hominibus facere bona, & fugere mala, & volo eſſe laudator & ſervus illius, placeat tibi Domine, quòd mihi det ſuum amorem.

12. Adoro Domine DEUS tuam Sanctam *Voluntatem* plenam omni Charitate: tuam Voluntatem Domine, quæ vult omne bonum, & vult nullum malum, & quæ plus dat de bono, quàm Homo ab ipſa petat, & quæ plùs diligit dimittere peccata, quàm tormentare peccatores: tuam Voluntatem, Domine, precor, quòd de ſe ipſa me inamoret, & mihi det ſuum amorem, & me do ipſi in ſervitorem & laudatorem.

13. Adoro te Domine DEUS & tuam perfectam *Virtutem*, quæ dat omnes virtutes contra omnia vitia & peccata: ab illa peto, Domine, virtuoſum recolere, intelligere, amare, imaginari & ſentire, ut cum omnibus meis viribus ſpiritualibus & corporalibus tibi virtuosè poſſim ſervire, te benedicere & laudare, & à te petere miſericordiam.

14. Adoro Domine DEUS tuam *Veritatem*, quæ menſurat & comprehendit omnes veritates, & per quam ſunt id, quod ſunt: Veritatem, cum qua Homo poteſt dicere verum, & non falſum, quam laudo & benedico, & ſit de ejus miſericordia, quòd me faciat ita veracem, quòd non timeam dicere verum.

15. Adoro Domine DEUS tuam *Gloriam* perfectam omni bono, quam omnis bonus Homo deſiderat: Gloriam, quam nemo poteſt deſiderare cum peccato; à te, Domine, peto tuam Gloriam, deſiderans ipſam laudare, & ipſi ſervire omni tempore, ut poſſim pervenire ad ipſam, & effugere infernalem ignem.

16. Adoro Domine DEUS tuam *Perfectionem*, per quam es completus, quæ nullum defectum habet in aliquo, & cum qua creaſti omnem creaturam perfectam, perfice me, Domine, de tua Perfectione, & munda me de mea imperfectione & defectu, ut ſim, Domine, tuus perfectus laudator & ſervitor.

17. Adoro Domine DEUS tuam magnam *Juſtitiam*, cum qua judicas peccatores, qui non dolent de malis, quæ fecerunt & faciunt, nec faciunt pœnitentiam, ſed perſeverant in peccato usque ad mortem: & cum tua Juſtitia, Domine, remuneras juſtos, qui tibi ſerviunt & te amant; tua Juſtitia, Domine, facit te dare, & remittere peccatoribus humiliter petentibus, cum ſpe peto à te veniam; & volo illam Juſtitiam recolere, amare, laudare, honorare & tibi ſervire, & illa ſit mihi roſæ, lilia, violæ & amores, ſive me velit punire, ſive mihi velit parcere.

18. Adoro Domine DEUS tuum magnum *Dominium*, per quod es Dominus cœli & terræ, & etiam nihili, in quantum creaſti ex ipſo quidquid eſt: tuum altum Dominium, Domine, timeo in tantum, quòd doleo de meis peccatis, & propter ejus amorem propono impoſterum non facere peccatum, & trado me tibi in amatorem, laudatorem & ſervitorem; tu, Domine, es Creator omnium creaturarum, & ego ſum tua creatura creata ad te honorandum, laudandum, adorandum & tibi ſerviendum, & ad petendum miſericordiam à te, & pla-

& placeat tuæ Misericordiæ, Domine, quòd me faciat pervenire ad illum finem, propter quem creasti me.

19. Adoro Domine DEUS tuam summam *Humilitatem*, quæ te æternaliter & infinitè magnum humiliavit ad creandum mundum de nihilo in tempore inceptum, & in quantitate terminatum, & quem peccatores destruunt & debilitant, quem tu benè creasti & ordinasti; etiam, Domine, per tuam Humilitatem voluisti incarnari, & fieri verus Homo, quem humiliasti ad moriendum in Cruce ad recreandum mundum, & ad salvandum Homines, & ad dandum nobis exemplum humilitatis, propter quod tuam sanctam Humilitatem laudo, adoro & benedico, & sit de ejus misericordia, quòd me faciat suum servitorem.

20. Adoro Domine DEUS tuam dulcissimam *Pietatem*, per quam es Pius in amando, plus dando veniam & misericordiam, quàm peccatores possint peccare, & in remunerando plus justos, quàm possint mereri; tuam Pietatem, Domine, volo laudare, amare & ipsi servire, & illa sit mihi flos rosæ, lilii, violæ & omnis magni amoris, quæ per suum amorem me inamoret, & me faciat suspirare & flere, & pro peccatis pœnitere.

21. Adoro Domine DEUS tuam magnam *Patientiam*, quæ te facit exspectare peccatores, quòd veniant ad pœnitentiam, & à te petant misericordiam & veniam, ut ipsis possis dare glorioſum & æternum donum, & non infernalem pœnam; unde, cùm tu Domine sis ita Patiens & erga tot Homines, tuam magnam Patientiam laudo, adoro & benedico, & illam volo amare, & propter ejus amorem mea peccata plorare.

22. Adoro Domine DEUS tuam magnam *Largitatem*, quæ te facit largum ad dandum & remittendum, & quæ te facit ita largum, quòd in Gloria faciat dare te ipsum ad glorificandum Angelos & Homines, qui in te videndo habent Gloriam & perpetuò habebunt; & tua Largitas facit te ita largum, quòd tu magis vis nostra peccata remittere, quàm peccatores propter illorum magna peccata tormentare.

Adoravimus nostrum Dominum DEUM in suis Dignitatibus, Proprietatibus & Virtutibus, modò volumus adorare nostrum Dominum JESUM Christum verum DEUM & verum Hominem.

Orationes ad Dominum JESUM Christum.

1. DOmine JESU Christe adoro tuam sanctam infinitam & æternam Deitatem, & tuam veram sanctam altam glorioſam Humanitatem, per quas tu es verus DEUS & verus Homo; verus DEUS es per tuam Divinam Naturam; verus Homo es per tuam humanam Naturam: te verum DEUM & Hominem volo recolere, intelligere & amare, laudare, honorare & tibi servire toto tempore meæ vitæ: & tu Domine, da mihi bonum magnum & verum amorem, qui me faciat tuum bonum magnum & verum amatorem & tuum servitorem.

2. Adoro te Domine DEUS Fili conceptum & factum Hominem per Sanctum Spiritum in nostra Domina glorioſa Virgine Sancta MARIA, cujus es Filius Homo: propter quod adoro te DEUM & Filium Hominem unum JESUM Christum natum ex Virgine DEUM Hominem, & tu Domine facias me in Virtute nasci virtuoſum Hominem, ut te virtuosè possim laudare, honorare & tibi servire, & à te petere misericordiam.

3. Adoro te Domine JESU Christe in tua Nativitate, & quia natus & positus fuisti in paupere lecto, & involutus in pauperibus pannis, illam tuam paupertatem, Domine, laudo & benedico, & propter ejus amorem volo me inamorare paupertate, ut sim dives tuo amore.

4. Adoro te Domine JESU in tua Infantia, in qua fuisti parvus Infans nutritus & servitus, sed major in Virtute, quàm sint omnes creatæ virtutes, & major in Sapientia, Potestate, Voluntate, Bonitate & Sanctitate, quàm sint omnes creatæ virtutes, sapientiæ, potestates, voluntates & bonitates: & tu, Domine, inamores me in multum te recolere, intelligere, amare & laudare, & à te gratiam & misericordiam petere. Domine JESU te adoraverunt tres Reges tanquam Regem omnium Regum, & ego adoro te, Domine, tanquam Dominum amoris, & peto à te ita bonum & magnum amare, quòd propter tuum amorem me facias suspirare & plorare.

5. Domine JESU Christe tu fuisti parvus Infans in templo præsentatus & per Simeonem receptus in significationem repræsentationis humani generis, quod per te in Cruce

Cruce fuit restauratum & repræsentatum tuo DEO Patri: tuam sanctam altam & glorioſam Præsentationem, Domine, adoro, & illi facio reverentiam & honorem.

6. Tu Domine JESU Christe fuisti baptizatus à Joanne in flumine Jordano, ubi tuus DEUS Pater per Sanctum Spiritum te salutavit: tuus Baptismus, Domine, fuit generalis omni Baptismo, sinè quo Homines non possent habere salvationem; tuum Sanctum Baptismum, Domine, adoro, qui mundat quemlibet baptizatum à peccato, & qui dat sanctitatem; & placeat tibi, Domine, per tuam sanctam pietatem, postquam sum baptizatus, & per tuum Sanctum Baptismum Christianus factus, quòd de meis actualibus peccatis sim mundus & purgatus.

7. Domine JESU Christe tu jejunasti in deserto quadraginta diebus & quadraginta noctibus: tuum Jejunium, Domine, fuit generale, quod instituit nostra jejunia & quadrageſimam: non jejunasti propter tuam necessitatem, quia nunquam peccasti, nec potuisti peccare, sed jejunasti ad instituendum nostra jejunia, per quæ possemus fugere à peccatis; tuum Sanctum Jejunium adoro, & facio ipsi reverentiam & honorem, & volo jejunare propter ejus amorem.

8. Tu Domine JESU Christe fuisti tentatus in monte à diabolo, & voluisti pati tentationem ad significandum, quòd tentatio sit magnum periculum: &, si diabolus te tentavit, quis est ille, quem non tentabit? &, quia tu vicisti diabolum, & diabolus fuit victus, dedisti exemplum, quòd omnis Homo, quando tentatur, cum tua Potestate & Virtute se debeat juvare contra diabolum, etiam contra mundum & contra carnem, à quibus Homo frequenter tentatur, & vincit, & non vincitur, quando sperat, quòd tua Potestas & Virtus ipsum juvabunt; tuam Potestatem & Virtutem, Domine, adoro, laudo & benedico, in quibus habeo Spem, quòd me juvabunt contra omnem tentationem; & tibi, Domine, placeat propter tuam pietatem, quòd non tenter, quia non habeo spem in mea potestate & virtute.

9. Domine JESU Christe, tu comedisti in Cœna cum tuis Discipulis, in qua significabas pacem, charitatem, amicitiam, participationem & societatem inter amicum & Amatum; tua comestio, Domine, fuit comestio amoris, quando instituisti generale Sacrificium, hoc est, Sacramentum Altaris, quando dicebas, quòd panis, quem dabas tuis Discipulis ad comedendum, esset tuum Corpus, & quòd Vinum, quod eis dabas ad bibendum, esset tuus Sanguis; in illa tua Comestione, Domine, te laudo & benedico, & in omnibus aliis Sacrificiis institutis per illam tuam Comestionem & Potationem; & placeat tuæ Misericordiæ, quòd in die meæ mortis recipiam Sanctum Sacramentum Altaris, ut per illud munder ab omni mortali peccato.

10. Domine JESU Christe, tu DEUS & Homo lavisti & osculatus fuisti pedes tuorum Apostolorum ad dandum exemplum magni amoris, humilitatis & pacis, propter quod te laudo, invoco, & tibi facio reverentiam & honorem; & placeat tibi Domine propter tuam pietatem per tuum exemplum me informare, ut sim humilis cuilibet tuo servitori, & ut ipsum diligam propter tuum amorem.

11. Tu Domine JESU Christe contumeliosè fuisti spoliatus tuis vestimentis, quæ cooperuerant tuum Corpus sanctum & glorioſum & majus in Potestate & Virtute, quàm sit cœlum & terra & omnia corpora in illis contenta: O Domine, utinam modò de illis pannis & vestimentis tuis tam altis & tam nobilibus possem tenere unum filum, ut illi darem osculum, & ponerem illud supra meum caput, & propter tuum amorem illud adorarem, laudarem & benedicerem.

12. Tu Domine fuisti adoratus & rogatus & invocatus ad resuscitandum Lazarum de corporali morte ad temporalem vitam; & ego, Domine, rogo & invoco te, ut de spirituali morte me resuscites ad cœlestem æternam vitam.

13. Domine JESU Christe tuum Corpus transfiguraſti in Monte Thabor in valde resplendenti & excellenti figura, quam adoro, & ab ipsa peto misericordiam, ut meum corpus per peccatum defiguratum & deturpatum refiguret & reformet ad illum finem, ad quem est creatum.

14. Tu Domine prædicasti Judæis, & tu parvus Infans vicisti illos senes & veteres per rationes; & ideo tuas rationes & disputationes adoro & requiro, laudo & benedico, & de illis fortifico meum animum & intellectum.

15. Tu Domine ambulasti supra mare, & salvasti Beatum Petrum in fluctibus; per illud miraculum & per omnia alia tua miracula & beatitudines, quas promisisti tuis Apostolis, te adoro & invoco, laudo & benedico, & spero à te perpetuam beatitudinem.

16. Domine, ad demonstrandum tuam Humilitatem voluisti duci in asina, in quibus ducuntur rustici; & Rex, Eques & Civis haberent sibi hoc dedecori, si in illa ducerentur; & ideo adoro te, & facio tuæ magnæ Humilitati reverentiam & honorem, cùm sis Rex Regum, & sis collocatus super throno, qui est supra cœlum & terram.

17. Tu Domine JESU Christe fecisti Orationem dominicam, quæ dicitur *Pater noster:* tu Domine, in quantum Homo, adorasti tuum DEUM Patrem; & ideo adoro tuam Orationem, & illi do laudem, & per illam inamora me de *Pater noster*, cui me do pro servitore.

18. Tu Domine JESU Christe, qui plus vales, quàm omne, quod est, fuisti venditus pro paucis denariis; propter quod te adoro, quia te tantum voluisti humiliare, & dedisti signum, quòd peccator cum modica pœnitentia & fletu possit emere tuum magnum amorem, & à te sperare gratiam & benedictionem.

19. Tu Domine JESU Christe fuisti falsò osculatus, traditus & captus, qui omne, quod est, capis in tua Persona; Domine, te adoro, & sic facio in omni, quod capis; & tu Domine, postquam omne capis, captus fuisti; ideo capiam ego tuum amorem, per quem totum meum amare sit captum & comprehensum.

20. Domine JESU Christe, quando beatus Petrus te negavit, fuisti negatus ab Homine, quem multùm dilexisti, & quem constituisti tuum Vicarium generalem in hoc mundo; & quia tu Domine propter ejus pœnitentiam & fletum illi remisisti, ideo adoro, laudo & benedico tuam Misericordiam, & humiliter peto à te veniam de meis peccatis.

21. Domine JESU Christe, cui oculi fuerunt cooperti, & à judæis fuisti derisus & percussus: tuam Patientiam, Domine, adoro, à qua peto patientiam, cum qua possim pati derisiones & labores propter tuum amorem ad fugiendum iram.

22. Domine JESU Christe, tua Sancta & gloriosa Facies, quæ est centrum & quies Sanctorum Paradisi, qui in illa habent Gloriam, fuit conspurcata sputo, & deturpata per fœtentia & mendacia ora falsorum judæorum; per humilitatem tuæ Faciei tam resplendentis, tam glorioſæ & tam pulchræ te adoro, & propter ipsius amorem volo omni tempore esse ipsius servitor, & vellem, quòd mea facies frequenter esset in fletu propter ipsius amorem.

23. Tu Domine, qui es Judex generalis & verus Judex, permittebas te judicari ad mortem à judæis proditoribus, qui te falsò judicarunt; quapropter volo te adorare, & propter tuam Justitiam te laudare, honorare & tibi servire.

24. Domine JESU Christe ad te deridendum & torquendum erant tua Brachia ligata ad columnam; Brachia ita fortia, quòd potuerunt creare totum mundum, & quæ se poterant dissolvere, columnam destruere, & destruere & occidere omnes judæos; sed tu Domine voluisti hoc pati ad salvandum nos, & ut nostrum amorem ligares ad tuum amorem, propter quod te volo adorare, laudare & benedicere, & me totum humiliare fortitudini tuorum Brachiorum.

25. Domine JESU Christe, tu volebas sustinere, quòd Creator frequenter verberaretur & percuteretur cum corrigiis habentibus nodos, & ita fortiter, quòd totam cutem tui dorsi, costarum, pectoris, brachiorum, coxarum & tibiarum vulneraverunt, & in te fuerunt facti fontes, ex quibus exierunt amores & flores rubei, quos adoro, & propter eorum amorem fac meos oculos fontes lachrymarum.

26. Domine JESU Christe, Judæi fecerunt te portare Crucem, in qua fuisti crucifixus & mortuus, quam te fecerunt portare ad torquendum tuum Corpus, & ad deridendum te: illam tuam veram Crucem, Domine, adoro, quæ est generale exemplar cujuslibet Crucis, quæ repræsentat tuam figuram cum gravi passione & dolore, & illi facio reverentiam & honorem.

27. Domine JESU Christe tu fuisti conclavatus cum fortissimis clavis & eversus in terram, ut Crux esset supra te, in qua clavi fuerunt replicati, ut magis deridereris & torquereris, propter quod te adoro, & sentio magnum dolorem in meo corde de tua gravi Passione, quando bene considero tuam gravissimam Passionem & magna vituperia, quæ volebas sustinere propter nostram salvationem.

Quan-

28. Quando erexerunt Crucem, tuum glorioſum Corpus, Domine, nudum pependit in Cruce coram omnibus, ut ipsum deriderent; & quia pendebat, junctura & nervi brachiorum se diviserunt ab invicem in tantum, quòd Vulnera Manuum & Pedum emiserunt Sanguinem, & rigaverunt Corpus, Crucem & pavimentum Sanguine; Passionem Domine, quam passus fuisti, nemo potest dicere; sed propter nostrum amorem erant tuæ pœnæ amores, rosæ & violæ, quas adoro, & malè facio, si non desiderarem mori propter tuum amorem.

29. Tu Domine JESU Christe eras crucifixus inter duos latrones, ut vituperareris & illudereris; unus illorum te inhonoravit, in quantum in te non habuit spem, & alius honoravit te, in quantum à te petiit Paradisum; te, Domine, adoro, in quantum es dator Paradisi, & qui habes memoriam de illis, qui in te habent spem.

30. Tu Domine, ut illudereris & haberes pœnam, eras coronatus cum corona ex spinis valde pungentibus, quæ intraverunt per tuum Caput, & Sanguis vitæ exivit ex tuo Capite; illum tuum pretiosissimum Sanguinem adoro, qui exivit de fontibus amoris ad salvandum peccatores.

31. Domine JESU Christe, tibi fuit datum in Cruce ad bibendum fel mixtum cum aceto, ut illudereris & haberes pœnam, quando dicebas: sitio; illam Sitim Domine, quam habuisti, & verba, quæ dixisti, & pœnas, quas passus fuisti, adoro, laudo & benedico, pœnæ, quæ venerunt ex amore magis nobili, quàm Rubinus, Smaragdus, Topasius & Saphyrus.

32. Tu Domine JESU, tradidisti tuam Matrem in custodiam Beati Joannis, & aspectus, quem ipsa tibi faciebat, augebat tuum dolorem; & dolorem, quem ipsa sustinuit propter tuam Passionem, significabat tibi ille aspectus; quis posset dicere illam tuam pœnam, quam habuisti? illum tam magnum dolorem, Domine, adoro, laudo & benedico, nam ille dolor fuit supra omnes dolores, quia eratis de nobilissimis creaturis, quæ se adinvicem possent amare.

33. Tu Domine JESU Christe exclamasti voce magnâ in puncto mortis, & tua Anima creata cum te DEO Filio conjuncta, & à te tuo DEO Patri tradita exivit de tuo Corpore, quod post exitum tuæ Animæ remansit mortuum, & revixit humanum genus, quod fuit mortuum per peccatum; illam tuam Mortem, Domine, quæ destruxit tam magnam mortem totius humani generis, & quæ dedit magnam vitam, adoro, laudo & benedico, & propter ejus amorem volo suspirare & plorare, & ad serviendum ipsi desidero sustinere labores & mortem.

34. Tu Domine JESU fuisti vulneratus cum Lancea in Latere, quæ tibi dividebat Cor; in quo erant amores DEI & Hominis, ex quo continuò exivit Sanguis & Aqua; Aqua exivit ad mundandum humanum genus; Sanguis exivit ad inamorandum Sanctos: illum Sanguinem & Aquam, Domine, adoro; & quia Longino reddiderunt suum oculum, adoro Vulnus Lateris, nam est fons & porta, ex quo exit amor, & qui peccatores eruit ab infernali igne, & ponit illos in luce & in gloria Paradisi.

35. Domine JESU Christe, tuum Corpus pendens in Cruce dedit Pilatus Josepho ab Arimathia, qui ipsum deponebat de Cruce, & accipiebat, & posuit ipsum in novo Monumento; illud sanctum & glorioſum Corpus, quod DEO Patri dedit & reddidit humanum genus, quod fuerat perditum per peccatum, benedico, laudo & adoro, & desidero ipsi servire, nam per ipsum fuit datum majus donum, quod possit dari, & per quod majus bonum potuit restaurari.

36. Domine JESU Christe, quando tu eras mortuus in Cruce, tua sancta & glorioſa Anima descendit ad inferos, & extraxit Adam & Prophetas & omnes Sanctos, qui habuerunt spem in tuo sancto Adventu, qui ascenderunt ad Cœlos; illam tuam Animam Domine, quæ tot animas de tam magno malo liberavit, & quas ita hilares fecit, & quibus donavit tam magnam gloriam, adoro, laudo & benedico ex omnibus meis viribus, & spero de ejus Misericordia, quòd me mundet à peccato, & quòd me faciat ipsam semper amare.

37. Domine JESU Christe, tu tertiâ die resurrexisti à mortuis, sicut promiseras tuis Apostolis, & apparuisti Magdalenæ, cui Angelus sedens supra lapidem Monumenti dixit: quòd resurrexeris; & apparuisti tuæ Matri nostræ Dominæ & tuis Apostolis, quando cum eis comedebas de favo mellis, & duobus peregrinis in castello de Emaus, quando panem benedixisti & fregisti; illam tuam benedictam Resurrectionem & Apparitionem adoro, credo, laudo

& benedico, & tu Domine, per tuam misericordiam & Sanctam Resurrectionem & Apparitionem munda me ab omnibus peccatis, ita, quòd resuscitet à peccatis, & sim scriptus & positus in libro vitæ.

38. Tu Domine JESU Christe ascendisti ad Cœlos in præsentia tuæ Matris nostræ Dominæ & Apostolorum, ubi sedes ad Dexteram Patris; tu sedes ad Dexteram tui Patris, quia perfeciſti hoc, propter quod tuus Pater te misit in hunc mundum; illam tuam Ascensionem, Domine, ita magnam & mirabilem adoro, laudo & benedico, quæ omnes Sanctos gloriæ lætificat, quia per ipsam eorum gloria multiplicabatur; & placeat tibi Domine propter tuam Misericordiam, quòd in die meæ mortis meam animam facias ascendere ad cœlum, & quòd in tua præsentia semper lætificetur & glorificetur, & ab infernali pœna liberetur.

39. Domine JESU Christe, quando fuisti in Cœlo, non dedisti oblivioni tuos servitores Apostolos, imò illuminasti ipsos Sancto Spiritu, quem transmisisti ad ipsos, & ad prædicandum tuum Adventum ad tuum honorem & salvationem gentium dedisti ipsis diversas linguas; quapropter te adoro & invoco, & per tuam Misericordiam rogo, quòd mihi parcas, & mihi mea peccata remittas, & quòd meum os aperias ad dicendum tuos honores & valores, & de te vera & sancta verba.

40. Adoravimus nostrum Dominum JESUM Christum secundùm suam Incarnationem, Passionem, & pluribus aliis modis, quos narravimus; modò, quantum possumus imaginari, intendimus dicere, quomodo ipse est in Cœlo empyreo supra choros Angelorum & Sanctorum gloriæ, ubi sedet super thronum, & est coronatus super omnes inæstimabili Luce, Sanctitate, Gloriâ, Bonitate, Magnitudine, Dominio, Potestate & Virtute ornatus & perfectus, sicut Divina Sapientia benè scit ordinare omnia, & Divina Magnitudo magnificare, & Divina Potestas possificare, & sicut divina Voluntas vult amare, & secundùm quòd sua Humilitas potest sustinere. Quomodo noster Dominus JESUS Christus honorificè, benè & gloriosè sit coronatus & ornatus in Cœlo empyreo, non possumus in hac vita imaginari, nec perfectè intelligere, possumus tamen credere, amare, desiderare, adorare, laudare & benedicere; idcirco intendimus dicere aliqua verba ad laudem ipsius.

De Laudibus nostri Domini JESU Christi.

1. REgina cœli & terræ nostra Domina Sancta Maria gloriosa Virgo, tu es in cœlo superiùs glorificata & honorificè ornata prope tuum Filium nostrum Dominum JESUM Christum, & plùs laudata, quàm omnes Angeli, Archangeli, Patriarchæ & Prophetæ, & quàm omnes Sancti gloriæ, & tuus Filius facit tibi pulchriorem & magìs amorosum aspectum, quàm faciat omnibus Sanctis; &, quia tu Regina es bona, justa & gloriosa, ideo laudas tuum charissimum Filium omni laude dignissimum, & qui te tantum honorat.

2. O Domini Angeli laudate nostrum Dominum JESUM Christum, ad cujus honorem estis creati, ut intelligatis, quomodo omnis creatura sit exaltata per humanam Naturam nostri Domini JESU Christi, cum qua & in qua DEUS factus est Homo, & Homo DEUS, vobis participantibus in natura cum spirituali Natura nostri Domini JESU Christi, quæ est Anima rationalis, cui estis similes per creationem, & quia estis animalia rationalia immortalia.

3. O Domini Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, & omnes Sancti & Sanctæ gloriæ considerate & videte, quomodo Dominus JESUS sit elevatus in altum supra cœlos, & honoratus & ornatus, & quomodo Angeli ipsum laudent, benedicant, & de ipso continuò cantent laudes; igitur vos omnes, qui per ipsum salvati estis, & exaltati ad tam excellentem gloriam, & liberati ab infernali igne, & qui videtis, quomodo DEUS illum Hominem vocatum JESUM in se ipso tantum honoraverit, quòd velit, quòd ipse sit DEUS, & quòd DEUS sit ille Homo, cantate omnem gloriam, & dicite laudem majori Domino DEO & Homini, & qui est ille Dominus, qui omne, quod est, mensurat, comprehendit, gubernat & sustinet.

4. O vos Homines, cùm in die judicii eritis resuscitati, & noster Dominus JESUS Christus venerit ad judicandum bonos & malos, vos omnes, qui eritis salvati per Dominum JESUM Christum, ipsum laudabitis, adorabitis, benedicetis, & ipsi agetis magnas gratias, & facietis de ipso ita magnas laudes, quòd non poteritis facere majores, ejus Bonitatem recolendo, intelligendo & amando, & bonum, quod vobis dabit; sed vos diaboli & homines in die judicii condemnati ad sustinendum perpetuos labores, possetis Dominum JESUM Christum amare, si de vestra condemnatione ipsum laudaretis, cùm vos justè condemnabit; &, si ipsum laudaretis, ex hoc sentiretis gloriam, & sic non essetis damnati, & amaretis ipsum: igitur noster Dominus JESUS non permittet vobis ipsum amare, ut ipsum non possitis laudare, & ut per Justitiam vos possit judicare: &, si ipsum non laudabitis, quid ergo facietis? ipsum blasphemabitis & increpabitis, & in vestris blasphemiis & increpationibus habebitis perpetuas pœnas. Ego Homo, secundùm quòd potero, & secundùm quòd tu Domine JESU mihi dabis gratiam, volo te breviter laudare in hac præsenti vita, cùm hunc Librum breviter faciam.

5. Domine JESU Christe tua gloriosa Facies, quam salvati videbunt, quando erunt resuscitati, est generale centrum & terminus, in quo omnes gloriæ corporalium sensuum habebunt finem & quietem; nam in videndo tuam glorioſissimam Faciem, & in audiendo tua verba, habebunt Homines ita magnum placitum, quòd non desiderabunt comedere, bibere, palpare & dormire, quia in te videndo & audiendo fiet temperamentum qualitatum corporum elementorum, quæ in se habent contrarias qualitates, sed tunc concordabunt ad invicem, & corpus cujuslibet sancti Hominis erit magìs illuminatum per tuum Corpus, quàm Luna illuminetur per Solem. Etiam per tuum glorioſissimum Corpus, quod est incorruptibile & immortale, erunt incorruptibilia omnia corpora sanctorum virorum & mulierum, & vivent æternaliter in gloria, quæ erunt ita levia, quòd volabunt sinè alis, & per omnia loca, per quæ voluerint, transibunt, & quàm citò eorum voluntas voluerit, quòd corpus sit in aliquo loco, tam citò erit in illo loco, in quo eorum voluntas voluerit.

6. Domine JESU Christe tua Imaginatio in uno & eodem tempore imaginatur omnia corporalia, quæ sunt in cœlo & in terra; unde, sicut corpora Beatorum à tuo glorificato Corpore accipiunt claritatem & lucem, ita imaginatio Beatorum accipit influentiam & virtutem à tua Imaginatione ad imaginandum tuum glorioſum & excellens Corpus, & tuam nobilem sedem in throno: & omnis Homo imaginabitur alium & se ipsum, & operationes cœli & terræ, & illas, quas fecerit propter tuum amorem: quis posset dicere vel scribere vel narrare gloriam, quam Sancti habebunt in imaginando?

7. Domine JESU Christe tua creata Memoria fuit fortificata, augmentata & exaltata per increatam Memoriam in recolendo tuam Divinam & Humanam Essentiam & Naturam, Dignitates & Operationes utriusque, etiam in recolendo omnes essentias, naturas & operationes creaturarum; & ex influentia, quæ ex Divina Memoria venit ad humanam, habent memoriæ Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum & aliorum Sanctorum gloriæ ita magnam exaltationem & augmentationem, influentiam & potestatem ad recolendum Divinam Essentiam, Naturam, Trinitatem, Bonitatem, Magnitudinem & alias Dignitates DEI, & ad recolendum tuam humanam Naturam, & ad recolendum modum, per quem est verus DEUS & verus Homo, & per quem modum una memoria potest recolere aliam, & recolere cujuslibet, & etiam illa, quæ quælibet recoluit in hoc mundo; nec omnes Homines possent dicere, nec recolere, nec intelligere magnam exaltationem, quam tua humana Natura habet in recolendo omne id, quod recolit, & quam Sancti habent per illam.

8. Domine JESU Christe tuus Divinus Intellectus informat, augmentat & exaltat tuum humanum Intellectum ad intelligendum, quomodo DEUS Pater de tota sua Natura & Essentia, Bonitate, Magnitudine & Æternitate & de omnibus aliis suis Dignitatibus æternaliter & infinitè generet intelligendo, Deificando, naturando, bonificando, infinitando, æternando & possificando te DEUM Filium, & quomodo DEUS Pater te amando, & tu DEUS Filius amando DEUM Patrem spiratis Sanctum Spiritum amando æternaliter & infinitè, & quomodo Pater & tu DEUS Filius & Sanctus Spiritus sunt unus DEUS, una Essentia, una Natura, una Substantia, una Bonitas, unum Bonificare, una Infinitas, unum Infinire, una Æternitas & unum Æternare, & sic de aliis Dignitatibus & eorum actibus; & ex hac exaltatione, informatione & augmentatione, quas tuus humanus Intellectus habet per conjunctionem cum tuo Divino

Divino Intellectu, habent Intellectus Sanctorum ita magnam influentiam & augmentationem virtutis & fortitudinis, quòd ſupra eorum naturam tranſcendant ad intelligendum Beatiſſimam Trinitatem & Operationem, quæ in illa eſt æternaliter & infinitè; & per altum intelligere, quod habent per tuum divinum Intelligere, intelligunt tuam ſanctam Humanitatem, & quomodo ſit una Perſona conjuncta ex Divina & Humana Natura.

9. Unde cùm intelligere Sanctorum ſit tam altum & verum, recipiunt Sancti influentiam ad intelligendum quilibet ſe ipſos & quemlibet alium Sanctum & ejus intelligere & quidquid propter tuum amorem fecerunt in hoc mundo; unde totum intelligere, quod Sancti per te habent, non poſſum intelligere, neque omnes Homines poſſent ipſum intelligere.

10. Ha! Domine DEUS JESU Chriſte, quàm dignus es magnâ laude propter hoc, quod es; &, quia habes ita magnum & altum Intelligere, & Sanctis das magnum intelligere, fac, quòd Homo per te poſſit intelligere, quòd Chriſtiana Fides ſit vera, nam ſinè te, DEUS, non poſſet Sanctis dari ita magnum & altum intelligere, quod per te datur illis; & idem de eorum recolere & amare.

11. Domine JESU Chriſte per conjunctionem Divinæ & Humanæ Voluntatis eſt tuum naturale & humanum Amare exaltatum per tuum Divinum Amare, ſicut dictum eſt de exaltatione tui Recolere & Intelligere; & per exaltationem tui Amare habet quilibet Sanctus ſuum amare exaltatum ad te amandum, ût dictum eſt de eorum recolere & intelligere, & ad amandum ſémet ipſum & quemlibet alium Sanctum, & amat in uno & eodem tempore ſe ipſum & alium, & quidquid in hoc mundo fecit propter tuum amorem; quapropter ſis laudatus & benedictus, & tibi fiat honor & reverentia, poſtquam es ita bonus & magnus Amator, & facis ita bonos & magnos amatores.

12. O Cœlum & Cœli laudate noſtrum Dominum DEUM JESUM Chriſtum, qui vos creavit ita pulchros & magnos; & idem dico vobis duodecim Signis, quæ ſunt *Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius & Piſces;* etiam hoc idem dico vobis ſeptem Planetis, qui ſunt *Saturnus, Jupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius & Luna*, cùm noſter Dominus JESUS Chriſtus vobis dederit virtutem ſupra terrena corpora, in quantum eſt DEUS, & in quantum eſt Homo ad ſuum ſervitium & ad ſerviendum Hominibus, qui ipſi ſerviunt; item hoc dico omnibus Stellis Cœli & earum motui & earum incorruptioni.

13. O vos quatuor Elementa *Ignis, Aër, Aqua & Terra*, & idem dico veſtris naturis & qualitatibus, laudate & benedicite noſtrum Dominum DEUM JESUM Chriſtum, ad cujus honorem eſtis creata, & ita magna eſtis creata, quòd omnia elementata corpora ſint de veſtris eſſentiis & naturis conſtituta, & in vobis ſint ſuſtentata & beneficiata.

14. O vos Aves, quæ in aëre volatis, & quæ in terra eſtis, laudate Dominum JESUM Chriſtum, nam ſinè ipſo vos non eſſetis creatæ, & per ipſum ſunt vobis datæ alæ, cum quibus volatis, & pennæ, quas induitis, ut non habeatis frigus, & cuilibet veſtrûm eſt data poteſtas cantandi, ut ipſum laudetis, & uni avi dedit aliam avem ad faciendum filios: & vobis aquilis & falconibus, vulturibus & accipitribus dedit aves, ut de ipſis vivatis, & vobis gruibus, perdicibus & gallinis dedit ſemina & herbas pro vita, & ungues, ut ſcalpatis terram, in qua invenitis ſemina ad comedendum: & cuilibet avi dedit Dominus JESUS Chriſtus illud ſemen, quod ad ipſam pertinet.

15. O vos Beſtiæ laudate Dominum DEUM JESUM Chriſtum, qui, in quantum eſt DEUS, vobis dedit eſſe & naturam; &, quia ipſe eſt Homo, creavit vos ad ſerviendum homini, & dedit vobis corium, ut non habeatis frigus, & dedit vobis pilos, ut ſitis pulchræ, & vobis beſtiis rapinæ dedit alias beſtias ad comedendum, & vobis dedit dentes, cum quibus comederetis, & induſtriam, levitatem & ungues, cum quibus ipſas capiatis, & ſenſum, cum quo ipſas ſentitis; & vobis aliis beſtiis, quæ non vivitis de rapina, dedit herbas ad comedendum, & ungues pro calceamentis, & cornua, cum quibus vos defendatis contra beſtias rapinæ; & Dominus JESUS Chriſtus dedit tibi lepori levitatem ad fugiendum.

16. O vos Arbores & Herbæ laudate noſtrum Dominum JESUM Chriſtum, ad cujus honorem eſtis creatæ, & creavit vos pulchras, bonas & magnas, ut in veſtra pulchritudine, bonitate & magnitudine & etiam in veſtra virtute cognoſcatur ſua Pulchritudo, Bonitas, Magnitudo & Virtus; & laudate ipſum, quia ipſe dedit vobis rorem, pluviam & aërem, cum quibus vivatis, & terram, in qua ſtetis & creſcatis.

17. O vos Piſces, qui in aquis vivitis, laudate & benedicite noſtrum Dominum JESUM Chriſtum, qui creavit aquas, in quibus natatis, & in quibus invenitis cibaria, de quibus vivatis, & qui vos creavit in tali figura, cum qua poſſetis natare, & cum natura, cum qua poſſetis anhelare & ſuſtinere frigiditatem.

18. O vos Aquæ maris, fluminum, rivorum & fontium, quæ ſervitis ſanctis Hominibus, qui ſerviunt DEO, laudate & benedicite noſtrum Dominum JESUM Chriſtum, qui vobis dedit naturam & proprietates ad ſuum ſervitium.

19. O vos Rubini, Smaragdi, Topaſii & Saphyri, Aurum, Argentum, Ferrum & alia Metalla laudate & benedicite noſtrum Dominum JESUM Chriſtum; nam, in quantum ſervitis ſanctis Hominibus, & diſſervitis malis Hominibus, ſervitis Domino JESU Chriſto.

De Precationibus.

1. DOmine JESU Chriſte, tu adoraſti & rogaſti tuum DEUM Patrem, quando feciſti *Pater noſter* &c. Et in Cruce dicens: *In manus tuas Domine commendo Spiritum meum;* & hoc feciſti, ut tua Oratio & Precatio Hominibus eſſet generale exemplum ad rogandum & orandum DEUM, & ut tua ſancta & innocens Humanitas, per quam es Homo, roget tuam Deitatem, per quam es DEUS, ut DEUS ſalvet & gubernet ſuum populum, & ut ipſum cuſtodiat & defendat à mundo, carne & diabolo.

2. Domine JESU Chriſte tu Homo, qui per DEUM es DEUS, in quantum DEUS eſt factus Homo, habes magnum privilegium ad rogandum Dominum pro tuo populo, & DEUS habet magnam rationem ad exaudiendum tuas Preces; & ideo, Domine, nos, qui ſumus tuus populus, & pro quo ſuſtinuiſti mortem, habemus magnam ſpem in tuis Precibus & Orationibus.

3. Sancta MARIA glorioſa Virgo, tu es Mater Hominis DEI, ideo habes magnum privilegium ad rogandum pro tuo populo, qui de die & de nocte te invocat, & ſe tibi commendat; & tuus Filius habet magnam rationem, quòd te exaudiat, poſtquam es ſua Mater, & voluiſti ipſum per Sanctum Spiritum concipere, lactare, veſtire & nutrire, & quia te tantum diligit; etiam, quia nos ſumus tui cognati & tui Filii, in quantum ipſe eſt Homo, & in quantum nos ſumus Homines.

4. Regina Cœli, Bonitas, Magnitudo & alia principia Cœli ſunt alta in Cœlo ſupra Bonitatem, Magnitudinem & alia principia quatuor elementorum, quæ ex principiis cœli recipiunt influentiam & beneficium: ſimili modo tu es Cœlum virorum & fœminarum, qui in ſuis neceſſitatibus recurrunt ad tuam Bonitatem, quæ es Cœlum omnis creatæ Bonitatis poſt Bonitatem tui Filii, quòd ipſis facias bonum, poſtquam tu es ita bona; & quòd illos defendas ab omni malo, poſtquam non es mala in aliquo; & idem faciunt tuæ Sanctitati, quæ eſt Cœlum Sanctitatis omnium virorum & fœminarum & omnium Angelorum; & idem de tua Magnitudine & aliis Virtutibus & Proprietatibus, quæ ſunt Cœli Gratiæ, Amoris, Humilitatis, Pietatis, Advocationis, Miſericordiæ & Indulgentiæ.

5. Glorioſa Virgo, Sol eſt in medio planetarum, quia eſt major, potentior, nobilior & virtuoſior ſtella, quæ ſit in cœlo, & in ipſo recipiunt ordinem & virtutem omnes aliæ ſtellæ; ſimili modo tu es Aurora & major Stella, quàm omnis alia ſtella, quæ eſt inter diem & noctem, ut juves peccatores, qui ſtant in nocte tenebrarum per peccata, & ut juves & conſerves juſtos, qui ſunt in die claritatis per bonas operationes

6. Sancta & miſericordioſa Virgo, tu es Luna Cœli Miſericordiæ, quæ eſt Cœlum Hominum peccatorum, quæ Miſericordia ſuam ſimilitudinem influit in te Lunam, ſicut Sol ſuam claritatem influit in Lunam cœli; & ideo tu Regina illuminas juſtos & peccatores de tua Miſericordia & Pietate, poſtquam es adeò illuminata per Miſericordiam tui Filii DEI Hominis; Luna cœli etiam movet inferiora corpora cum virtute & claritate, quam recipit à Sole.

7. Regina Sancta MARIA, tu multò meliùs es Ignis Amoris per Amorem, quàm

sit ignis per calorem & per comburere, cùm sis amorificata & inamorata per Amorem tui Filii DEI Hominis; postquam es ita plena amore; & sis amorificata Advocata peccatorum, qui te amant, & in te spem habent.

8. O Domicella Amoris, Rubinus, Smaragdus, Topasius & Saphyrus! Ventus est aër motus, qui movet folia arborum, & qui ab illis removet malos vapores, & similiter à villis & civitatibus, ut homines in ipsis sint sani; iterum movet naves in mari, ut possint pervenire ad portum, similiter, & etiam multò meliùs, tu Gloriosa es Amor motus per spem peccatorum ad rogandum pro peccatoribus obumbratis in tua Umbra Pietatis & Misericordiæ, in qua ipsi sanati & mundati à peccatis per te veniunt ad portum salutis.

9. O Domina, quæ es clara & lucens Fontana! in aquis lavantur & mundantur panni, & cum aquis rigantur prata, hortus & Viridaria; similiter tu es Aqua, in qua lavantur & mundantur peccatores, & quæ rigat oculos peccatorum, ex quibus facis exire lachrymas, quæ sunt aquæ, quæ rigant ipsorum conscientias, pœnitentias, confessiones & satisfactiones, quæ sunt rosæ, violæ & lilia amoris.

10. Domina, quæ es Spes & Solatium peccatorum, ex terra exeunt arbores, quæ faciunt flores, odores & fructus: item ex terra exeunt herbæ, de quibus vivunt homines, aves & bestiæ, similiter tu es Terra, ex qua tuus Filius natus est, qui est plenus Misericordiâ, & qui te implet Misericordiâ & Pietate, quam à te sperant peccatores, qui in terra vexantur & periclitantur per peccata mortalia, sperantes, quòd per te adjuventur & mundentur, cùm ab ipsis invocaris.

11. Regina plena Virtute, tu es Arbor Vitæ, in qua peccatores accipiunt vitam, & tu es sancta Herba, cum qua omnis peccator curatur, quando à te petit Misericordiam; tu es Rubinus & Rosa, Smaragdus & Viola; & tu es Magnes, quæ peccatores attrahis ad medicinam; tu es Castellum, in quo homo se defendit à peccato; tu es Consolatio, tu es Porta Paradisi, Palatium, in quo est omne bonum, & à quo non venit aliquod malum; & tu es ita perfecta, quòd ad te laudandum non sufficiunt imaginari, recolere & intelligere; veruntamen sicut es perfecta, ita vellem te amare, & à te per misericordiam petere, quòd roges tuum Filium, ut mihi remittat mea peccata, & ut ipsum honoremus, & ad suam benedictionem veniamus, quando exibimus ex hac vita.

12. O vos Domini Sancti Michäel, Gabriel & Raphäel, Cherubim & Seraphim & omnes Angeli rogate Dominum JESUM Christum pro nobis, cùm vos sitis pleni in intelligendo, recolendo & amando Divinam & Humanam Naturam, quæ sunt unitæ & conjunctæ in nostro Domino JESU Christo DEO & Homine, & ex ipsis est JESUS Christus DEUS & Homo, qui cum suo amore vos implet amore, & cum suo intelligere vos implet intelligere, & cum suo memorare vos implet memorare, & cum sua Bonitate facit vos bonos, & cum sua Magnitudine magnos, & cum sua Gloria facit vos glorioſos, & sic de aliis Dignitatibus, quæ implent vestras qualitates, cum quibus estis perfecti sinè aliquo defectu.

13. Vos Domini Patriarchæ Abraham, Isaac & Jacob, & omnes Prophetæ, & vos Domini Apostoli & omnes Sancti & Sanctæ, qui estis in portu salutis, rogate nostrum Dominum JESUM Christum, quòd juvet nos, qui adhuc non sumus in portu salutis, in quo vos estis; viæ, per quas vadimus, sunt difficiles cum labore & periculo; & ideo est vestrum juvamen nobis valde necessarium.

14. Domine Sancte Petre, super quo Dominus JESUS Christus ædificavit Sanctam Ecclesiam, cùm sis generalis Prælatus, roga Dominum JESUM Christum, ut nobis det bonum Apostolum & bonos Prælatos; & tu Domine Sancte Ludovice, qui eras Rex Franciæ, & modò es Rex in cœlo, & leproso, cujus manus fuisti osculatus, propter Dominum JESUM Christum dedisti ad comedendum, quem dilexisti, & modò plùs diligis ipsum, & ipse te dilexit, & modò plùs te diligit, ideo roga nostrum Dominum JESUM Christum, ut nobis det bonos Prælatos & Principes, quia totus mundus veniret ad bonum statum; nam per malos Prælatos & per malos Principes est totus mundus inordinatus & perversus.

15. Domine JESU Christe ego sum peccator, propter quod non sum dignus pro me rogare, nec pro meo proximo; sed, quia tu es dignus, quòd rogeris & invoceris, per illam tuam dignitatem, quam habes, te rogo, & quæso à te propter tuam misericordiam, ut mihi parcas, & omnibus illis, qui me juvant ad te amandum, honorandum

randum & tibi serviendum, & omnibus illis, qui in te spem habent.

16. Domine JESU Christe cum orare convenit amare, & si preces & orationes sint magnæ, requirunt, quòd amor sit magnus; & si ille, cui fiunt preces, sit justus, convenit, quòd preces sint justæ: ego, Domine, non sum bonus, nec meus amor est magnus, tamen amo te, & justum est, quòd à te petam misericordiam de meis mortalibus peccatis, de quibus doleo, & imposterum in tota mea vita non intendo facere mortale peccatum, & hoc magìs propter tuum amorem, quàm propter meam utilitatem; & ita rogo & oro te, & nescio te per alium modum rogare nec orare; & ideo fac hoc, quod tibi placet, me judicando, aut mihi parcendo, nam ero contentus de omni eo, quod mihi facies, quia scio, quòd bene facies, cùm in nullo possis errare, nec unquam erraveris; veruntamen non possum intermittere, quin in te habeam spem, ut mihi parcas, & ut mihi des justitiam, cum qua habeam justum sentire, imaginari, recolere, intelligere & amare ad te honorandum, timendum, audiendum, & tibi obediendum & serviendum.

17. Domine JESU Christe ad te rogandum & orandum convenit, quòd Homo habeat Prudentiam; nam, qui fatuè te rogat, rogat te ad suam damnationem, & non procurat veniam, sed damnationem; ideo, Domine, rogo te propter tuam Misericordiam, ut mihi des prudentiam, cum qua te sciam rogare & orare & à te petere veniam, in tantum, quòd sæpiùs & cum majori devotione à te petam majora bona, quàm minora, & quòd me facias magìs vitare majora mala, quàm minora; cùm sit magna fatuitas magìs rogare propter minora bona, quàm propter majora.

18. Domine JESU Christe, mundus, caro & diabolus habent magnam fortitudinem, & ego sum in mundo, & sum caro & de carne, & dæmon, mundus & caro habent magnam amicitiam contra me, &, quia sum ita vicinus & propinquus ipsis, & ipsi habent tam magnam fortitudinem, ego vincar & superabor, si non habeam fortitudinem contra ipsos; quapropter peto à te fortitudinem animi fortificatam per tuam Fortitudinem, cum qua vincam eorum fortitudinem; & si ipsam mihi non das, ligabor & capiar in peccato, & deviabor à fine, propter quem sum creatus; & à tua Pietate non recolar, nec à tua Potestate adjuvabor, quod non decet, postquàm me creasti ad te amandum, honorandum & tibi serviendum, & quòd propter Pietatem remittas peccata omnibus iis, qui habent spem in tua pietate, & qui à te petunt veniam & fortitudinem, cum qua vincant potestatem & vim sæculi, carnem & dæmonem, qui ligant, capiunt & occidunt in peccatis viros & fœminas, qui sunt tuæ creaturæ.

19. Domine JESU Christe, Temperantia est bona Virtus, de qua dictum est in *secunda Distinctione hujus Libri;* & est bona Virtus, quia est instrumentum, cum quo Homines tibi possunt servire, cùm per illam procuretur sanitas, & ordinata & discreta verba, & moderatæ expensæ, & ut cum illa tibi possit serviri, & gula, & vitia illi magìs propinqua possint destrui; rogo te, sit de tua Misericordia, quòd mihi des temperantiam, per quam sanè, moderatè & longo tempore vivam, ut de te dicam multa bona verba, & ut per nimiam comestionem & potationem non sim pauper, nec fatuè loquar, nec sim infirmus, nec faciam me derideri à gentibus.

20. Domine JESU Christe, Fides est Virtus, quam tu das, ut Homo cum illa credat tuas Veritates; & mihi dedisti Fidem, & conservas me in Fide; rogo te propter misericordiam, ut mihi des gratiam & cognitionem ad regratiandum tibi de Fide, quam mihi dedisti, & ad multiplicandum illam cum tuo auxilio inter multos Homines, qui ipsam non habent, nec credunt tuas Veritates; imò de te dicunt multas falsitates & falsos sermones, & qui vadunt in perpetuum ignem, quia non habent veram Fidem.

21. Domine JESU Christe, Spes est virtus, quæ hominem per tuam Largitatem facit sperare dona, & per tuam Misericordiam veniam, & per tuam Potestatem auxilium, & per tuam Bonitatem consolationes, & per tuum Amorem devotiones, & per tuam Gloriam quietem & pacem; unde, cùm Homo sinè Spe non possit habere de te ista, quæ suprà dicta sunt, quæ sunt meliora dona, quæ Homo possit habere in hac vita, & illa non habere sit majus malum, ideo rogo te propter Misericordiam, & omnes Sanctos & Sanctas gloriæ, ut me juvent ad te rogandum, quòd mihi des Spem, & me conserves in illa usque ad

punctum mortis, &, quòd, quando Anima exibit à corpore, in te habeam Spem, quòd ipsi des Paradisum, & ipsi remittas omnia peccata propter tuam magnam Pietatem.

22. Domine JESU Christe, Charitas est Virtus, quam tu das, & quam das gratis, quia est magnum donum, cùm tu libentiùs des majora dona, quàm minora; unde ratione tuæ bonæ consuetudinis peto à te charitatem, quæ informet meam voluntatem ad amandum te super omnia, & meum proximum tantum, quantum me ipsum, & ad habendum pietatem de pauperibus, & in meis laboribus consolationem ad procurandum de meis bonis tuam laudem & honorem & servitium.

23. Domine JESU Christe à te quæro honorem, non talem honorem, per quem gentes me teneant honoratum, nam non sum dignus tali honore, cùm sim vilis & magnus peccator; sed peto à te honorem, per quem habeam honoratum sentire, imaginari, recolere, intelligere & amare, cum quibus possim te honorare in me, qui es Dominus honorabilis, & qui es inhonoratus in inhonorato peccatore per inhonoratum sentire, imaginari, intelligere & amare per peccatum, quod est tam inhonorata Operatio, quòd in se nullum honorem habeat, imò inhonorant omne sentire, imaginari, intelligere & amare, cum quibus faciunt peccatum.

24. Domine JESU Christe, tu es Sanctus Sanctorum, & ideo peto à te Sanctitatem, per quam Homines sunt sancti & innocentes sinè peccato, nam Sanctitas informat in illis Virtutem, in quantum ipsis dat sanctum sentire, sanctum imaginari, recolere, intelligere & amare; &, qui non habet Sanctitatem, habet difformatum & peccaminosum sentire, imaginari, recolere, intelligere & amare, & non habet, cum quo te possit honorare, laudare & tibi servire; & ideo propter Pietatem peto à te Sanctitatem, ut cum sancto sentire, hoc est, cum sancto videre, audire, odorare, gustare, palpare & cum sancto loqui te possim honorare: etiam, ut cum sancta imaginatione possim imaginari tuam sedem supra choros Angelorum, & tuam Coronationem, & ut cum Sanctitate habeam sanctum recolere, intelligere & amare in recolendo, intelligendo & amando tuam sanctam & excellentem Divinam & Humanam Naturam, & tuam sanctam & excellentem Bonitatem, Magnitudinem & alias tuas Dignitates: & sic de tuis sanctis & excellentibus Operationibus.

25. Ha Domine! postquàm habes ita magnam Patientiam, placeat tibi propter misericordiam mihi dare patientiam; nam patientia est valde bona Virtus, quia Homo cum patientia vincit, & non vincitur; & quamvis sit difficile habere patientiam, quando ira incipit; tamen, si Homo in principio vincat impatientiam, sentiet multò majus placitum, consolationes & delectationes per patientiam in Medio & in Fine, quàm laborem vel tribulationem, quam Homo fuit passus in Principio cum patientia.

26. Domine JESU Christe, tu eras pius, quando propter nostrum amorem fuisti passus vituperia, derisiones, labores, graves passiones & mortem in hoc mundo; item es pius in cœlo, in quantum Pietas te facit exaudire peccatores, quos pœnitet, & qui te amant, & propter Pietatem à te petunt veniam, & tu Domine gratis parcis illis.

27. Ha Domine! postquàm es tam pius, etiam quia nostra Domina te facit recolere illam Pietatem, quam erga nos habuisti in Cruce, placeat tibi propter misericordiam, quòd mihi des Pietatem; nam Pietas est Virtus, quæ Hominem facit plorare, quando suum proximum videt in malo & in paupertate positum, & quæ Hominem movet ad charitatem, spem & humilitatem, cum quibus Homo vincit mundum, carnem & diabolum.

28. Domine JESU Christe, luxuria est fœtidum peccatum, quod est contra virginitatem & castitatem: & tu Domine eras conceptus cum Virginitate, & natus ex Muliere Virgine, in qua assumpsisti Naturam & proprietatem Virginitatis, per quam in hoc mundo semper fuisti Virgo corporaliter & spiritualiter; & ideo, Domine, placeat tibi, quòd mihi des castitatem, & quòd in illa me conserves, & quòd faciam satisfactionem cum castitate, & pœnitentiam de peccatis, quæ commisi cum luxuria.

29. Domine JESU Christe, Abstinentia est Virtus, quæ procurat spatium temporis, ut humanus intellectus habeat deliberationem ad cognoscendum bonum & malum, & se possit induere habitu prudentiæ, ut voluntas possit habere electionem cum prudentia ad eligendum & amandum magis majora bona, quàm minora, & ad magis odiendum majora mala, quàm minora; unde,

unde, Domine, rogo te propter Pietatem & Amorem, quòd mihi des abstinentiam, ne subitò mortaliter peccem.

30. Domine JESU Christe, dictum est suprà de tua magna Humilitate, quæ est tam magna, quòd ipsam non possim cogitare, dicere nec scribere; & ideo rogo te propter Bonitatem, Largitatem & Charitatem, postquam habes tam magnam Humilitatem, quòd mihi des humilitatem, & quòd sit magna, ut donator & donum datum sibi invicem correspondeant per magnitudinem; & si mihi das magnam humilitatem, vincam magnam superbiam dæmonis, mundi & carnis, quæ est tam magna, quòd cum parva humilitate non potest vinci.

31. Domine JESU Christe, tu perseverabas usque ad mortem in bonis moribus, propter quod rogo te propter tuam Bonitatem, quòd mihi des perseverantiam utendi bonis, quæ mihi tradidisti ad te honorandum & tibi serviendum, cùm perseverantia sit Virtus, quæ peccatum non sinit intrare in bona opera, nec ea separare & rumpere per malas consuetudines.

32. Domine JESU Christe, rogo te, ut mihi des conscientiam, quæ est spirituale lumen intellectûs, cum quo videam peccatum, quod homo fecit, vel facit, vel vult facere, quod lumen facit intellectum tristem, & dat illi passionem, quando peccato consentit: & de ejus tristitia & passione venit tristitia & passio in memoriam & voluntatem, quæ consenserunt peccato; &, quia conscientia est ita bona Virtus, quæ Homines movet ad contritionem, confessionem & satisfactionem, ad suspirandum & ad plorandum, placeat tibi propter Bonitatem, Misericordiam & Charitatem, quòd mihi des conscientiam in meo recolere, intelligere & amare & imaginari, ut te possim tenere honoratum.

33. Domine JESU Christe, tu habuisti diligentiam in hoc mundo ad procurandum honorem DEO Patri, qui te misit in hunc mundum ad procurandum salvationem Hominum: & habuisti tam magnam diligentiam, quòd nec mortem nec ullum laborem timebas; unde, postquam habebas tam magnam diligentiam, placeat tibi, quòd mihi des diligentiam; nam diligentia facit Homines vigilare, adorare, rogare, jejunare, laborare, & se ipsos dare ad honorandum te & ad serviendum tibi.

34. Domine JESU Christe, timor est consequentia amoris, qui Hominem facit timere, ne Domino, quem diligit, faciat displicentiam; &, quia Homo sinè timore non potest multùm amare suum Dominum, placeat tibi propter tuam Humilitatem & Bonitatem, quòd mihi des timorem, cum quo tibi sim obediens ad procurandum honorem tui amoris.

35. Domine JESU Christe, in horto in quantum Homo rogasti tuum Patrem, quòd Calix à te transiret, Calix, hoc est, quòd non morereris; veruntamen tu dixisti, quòd hoc non esset ad tuam voluntatem, sed ad voluntatem tui Patris, cui volebas esse obediens & mori, postquam ipse hoc volebat; tu etiam eras obediens, in quantum volebas sustinere vituperia, derisiones, labores, pœnam & mortem ad obediendum DEO Patri, qui hæc omnia tibi assignabat ad ordinandum & perficiendum Recreationem humani generis, quod fuerat deviatum à Fine, propter quem creatum fuerat.

Finita est hæc *tertia Pars, quæ est de Oratione, Laudibus & Precationibus.*

De Fine hujus Libri.

EXplicit iste Liber, qui ideo factus est, *ut Homo cognoscat se ipsum, & cum se ipso sciat honorare Dominum DEUM*, cui damus & commendamus hunc Librum; & factus est iste Liber in Civitate Majoricarum in mense Novembris Anno Incarnationis nostri Domini JESU Christi MCCC.

DEO GRATIAS.



Nota. Licèt in Exemplari aliàs correctiori & Stylo noſtri Illumin. Doctoris conformiori ſequens Paragraphus non contineatur, quia tamen in ordine Deſtructionis Vitiorum cum Virtutibus pag. 42. deſiderari videtur, hinc eundem ex alio exemplari ſupplendum eſſe duximus.

De Deſtructione.

Invidiæ cum Prudentiâ.

SApiens Homo, cùm Invidia ipſum voluerit movere ad habendum Invidiam de bonis ſui proximi, conſiderabit, quid ſit ipſi majus bonum, aut habere illa bona, de quibus habet Invidiam, aut habere amorem DEI, & habere gloriam perpetuam, & non pœnam infernalem; &, quia Prudentia eſt Virtus, quam, ſi Homo ponat in ſuo conſilio, facit Hominem eligere majora bona, & non minora, & minora mala, & non majora; &, quia ſapiens Homo in ſuo conſilio ponit Prudentiam, eſt cum illa fortis contra Invidiam in tantum, quòd ſe non permittat vinci & ſuparari ab ipſa, ſed ipſam vincat & occidat.

XIX

BEATI RAYMUNDI LULLI
DOCTORIS ILLUMINATI ET MARTYRIS
LIBER
DE PRIMA ET SECUNDA INTENTIONE.

DEUS infinitè intelligibilis & amabilis! quidam homo vilis non cognitus, pauper Virtutibus & amicis, indignus per culpas & peccata facit in tua Virtute hunc *Librum de Intentione* ſuo amato Filio; ut Intentio per tuam gratiam illum dirigat ad cognoſcendum, amandum & honorandum te, & ad ſerviendum tibi, & ut honor & vera Intentio, qui tibi conveniunt, ſint in hoc mundo & in alio, Amen.

DE PROLOGO.

DUm in cubili ſtrato meo corpore jacerem in lecto, conſiderans recolui, quomodo mundus eſt in perturbato ſtatu per privationem veræ Intentionis abſentatæ ab humano Intellectu propter defectum inordinati velle & recolere & intelligere; quia ſunt pauci homines, qui ſint in bono ſtatu ſecundùm comparationem illorum, qui perturbant mundum, qui in ſuis operibus non habent veram Intentionem: ideo eſt mihi multùm timibilis defectus, qui eſt in mundo; & timeo mihi, ne meus Filius, quem natura mihi facit amabilem, & qui noviter venit in mundum, habeat defectum Intentionis; *& propterea facio hunc Librum, in quo meus Filius ſciat cognoſcere Intentionem, per quam cognitionem ſua Voluntas illam velit amare & illi ſervire & illam monſtrare gentibus.*

De Divisione hujus Libri.

IN recolitionem quinque Vulnerum nostri Domini JESU Christi, qui est DEUS & Homo, dividimus hunc librum in *quinque consequentia Capita*, scilicet in Caput *De Divisione Intentionis, De DEO, De Creatione, De Incarnatione*, & *De Tentatione:* amabilis Fili, ista quinque Capita de Intentione sunt sufficientia ad habendam doctrinam & usum de Intentione; & in omni, quod cogitabis, loquéris vel facies, coneris habere ordinationem & veram Intentionem, & non sis illi injuriosus vel inobediens, quia aurum nec argentum, castella nec civitates, imperia nec regna, nec honores nec delectationes nec vita valent tantum, quantum valet vera, devota & ordinata Intentio fortificata in humano animo cum deliberatione liberi arbitrii in justificato recolere, velle & intelligere.

CAPUT I.

De Divisione Intentionis.

1. AMabilis Fili, Intentio est operatio Intellectûs & Voluntatis, quæ se movet ad dandum complementum desideratæ & intellectæ rei; & Intentio est actus naturalis appetitûs, qui requirit perfectionem, quæ illi naturaliter convenit.
2. Fili, hæc Intentio, quæ tibi est necessaria, dividitur in *duos modos*, scilicet in *Primam Intentionem* & *Secundam Intentionem*; & Prima est melior & nobilior, quàm Secunda, quia est magis utilis & magis necessaria: & Prima est principium Secundæ, & Secunda movetur per Primam tali modo, quòd Secunda est instrumentum & dispositio, quòd Prima Intentio habeat hoc, quod illi convenit secundùm suum complementum.
3. Convenit, Fili, quòd tibi exemplificem ambas Intentiones, ut possis habere cognitionem illarum; &, quia ego laboro in tuam utilitatem, tu labora in hoc, quod tibi monstrabo de Intentione, & intellige & recole hæc verba, ut multoties recolas & ames & intelligas Intentionem in tua cognitione.
4. Si tu, Fili, facis scribi quendam Librum ab aliquo Scribâ, tu habes Primam Intentionem in faciendo Librum, & habes Secundam ad dandum denarios illi scribæ, qui tibi facit Librum; &, quia magis amas Librum, quàm denarios, quos das, ideo habes Primam Intentionem ad Librum, & Secundam ad denarios; & scriba facit contrarium hujus, quia ipse magis amat denarios, quos illi solvisti pro suo labore, quàm librum; nam, si magis amaret habere librum, quàm denarios, non daret tibi librum pro denariis.
5. Fili, tibi locutus sum de Intentione, quæ est in *sensualibus & artificialibus operibus*, modò volo tibi dare exemplum de Intentione in *intellectualibus operibus*; & intellige, quòd liber, quem fecisti scribi, est per Secundam Intentionem, & scientia, quam desideras habere ex illo, est per Primam Intentionem, quia scientia plus valet, quàm liber.
6. Fili, Intellectus, quem habes, est per Secundam Intentionem, & operatio Intellectûs, scilicet intelligere, est per Primam; nam operatio Virtutis est melior, quàm Virtus, cùm Virtus sit ad hoc, ut sit operatio.
7. Fili, bona operatio, quam habes in tuo Intellectu, quando intelligis, est per Secundam Intentionem, & meritum, quod habes, est per Primam; quia tu intelligis, ut inde habeas meritum; & meritum, quod habes per intelligere, est per Secundam Intentionem, & gloria, quam inde habebis, est propter meritum, quod est per Primam; quia tu habes meritum, ut habeas gloriam.
8. Fili, gloria, quam habebis in Paradiso, si in illum intras, erit per Secundam Intentionem, & Cognitio, quam habebis de DEO & Amor, erit per Primam; quia Intentio est melior in cognoscendo & amando DEUM, quàm in habendo gloriam per cognoscere & amare DEUM, cùm DEUS sit magis intelligibilis & amabilis, quàm tu glorificabilis.
9. Fili, DEUS est tam dignus cognosci & amari, quòd Intentio, quam homo habet in cognoscendo & amando DEUM (quia illis est dignus) non potest ascendere in altiorem gradum; & propter hoc contingit, quòd Intellectus est melior per intelligere, quando intelligit DEUM, quàm sit meritum & gloria, quam homo habet per intelligere; &, si hoc non esset ita, sequeretur, quòd Intentio esset magis obligata homini, quàm honorificentiis DEI.
10. Fili, sufficienter tibi locutus sum de artificiali Intentione in corporalibus & spiritualibus

tualibus rebus, si hoc scis intelligere; & scies hoc intelligere, si voles intelligere; &, quia tibi volo loqui de *naturali Intentione*, intellige, quomodo arbor est per Secundam Intentionem, & fructus est per Primam, quia fructus est melior, quàm arbor.

11. Fili, corpus, quod habes, est per Secundam Intentionem, & anima est per Primam, cùm anima plùs valeat, quàm corpus, & corpus sit, ut anima in illo possit recolere, intelligere & amare DEUM, virtutes & bona opera.
12. Amabilis Fili, *tribus modis* tibi dedi cognitionem de Prima Intentione & de Secunda Intentione; & rogo te, quòd habeas tuam Intentionem ordinatam tali modo, quòd per Secundam Intentionem non ames hoc, quod convenit amare per Primam, nec per Primam ames hoc, quod non est dignum, quòd ametur.
13. Fili, homines peccatores accidentaliter amant ambas Intentiones inordinatas in suis amoribus; nam amare suum pulchrum librum, quia est pulcher, & non amare illum, ut intelligatur, est inordinata Intentio; & amare librum est per Primam Intentionem, & amare intelligere ipsum est per Secundam, quando homo facit majorem conatum Voluntatis in faciendo pulchrum librum, quàm in intelligendo illum.
14. In Voluntate hominum, qui magis amant terrena, quàm Spiritualia, sunt inversæ ambæ Intentiones; & illi homines sunt ideo peccatores, quia inordinant Intentionem contra suas substantiales ordinationes.
15. Fili, in omnibus, quæ facies & dices & cogitabis, habeas cognitionem duarum supradictarum Intentionum; quia convenit, quòd in omnibus, quæ homo facit & potest facere corporaliter & spiritualiter, necessariò sint duæ Intentiones, & una non potest ibi esse sinè alia, & homo potest illas habere ordinatè vel inordinatè in qualibet re.

CAPUT II.

De DEO.

1. DEUS, qui est supremum Bonum, est intelligibilis & amabilis; & ideo, Fili, convenit, quòd habeat Intentionem ad se ipsum; & convenit, quòd illa Intentio sit DEUS, cùm infinitè & æternaliter sit intelligibilis & amabilis; & convenit, quòd illa Intelligibilitas & Amabilitas sit DEUS, per quem sua Intelligibilitas intelligatur, & sua Amabilitas ametur in Infinitate & Æternitate divinæ Entitatis, & quòd insimul sint una simplex Substantia & unus DEUS.
2. Scias, Fili, quòd, si DEUS non haberet in se ipso Intentionem, haberet superfluitatem in suo Intellectu, si se intelligeret, & in sua Voluntate, si se amaret, postquam inde non sequeretur utilitas in DEO de suo intelligere & de suo amare in se ipso; quam utilitatem convenit esse æqualem DEO in hoc, quòd convenit, illam esse infinitum & æternum DEUM, propter quam Æternitatem & Infinitatem sua Justitia non potest nec vult in se multiplicare Virtutem, nec sua utilitas potest cessare in sua Intentione, quæ infinitè & æternaliter habet suam Perfectionem.
3. In Intentione DEI non est divisio & Secunda Intentio, in qua sit Majoritas, quia sua tota Intentio est infinita & æterna: & ideo, Fili, in illa non potest capi Secunda Intentio; &, quia Intentio DEI est in tam alta excellentia Virtutis, ideo DEUS est intelligibilis & amabilis per se ipsum, & creavit in te & pro te Intentionem, ut cum illa intelligas & ames ipsum propter Bonitatem & Perfectionem DEI.
4. Scias, Fili, quòd DEUS sit magis amabilis, quàm timibilis, quia Amor est melior, quàm timor; nam Amor est infinitè & æternaliter in DEO, & timor habet principium; &, quia DEUS est magis amabilis, quàm timibilis, ideo consulo tibi, Fili, quòd tu habeas intentionem ad DEUM, quia est Bonus, Potens, Magnus & dignus omnibus honoribus, & habeas tuam Primam Intentionem ad amandum DEUM, & Secundam ad timendum illum.
5. O Fili, quàm pauci homines sunt, qui habeant veram Intentionem in amando & timendo DEUM; quia plurimi homines, qui amant & timent DEUM, amant illum, ut ipsis det cœlestem gloriam vel temporalia bona, & timent illum, ne illis det infernales pœnas vel temporales afflictiones; & DEUS est dignus, quòd ametur, quia est Bonus, Infinitus & Æternus, Potens, Sapiens, Amans, Justus, Verax, infinitè & æternaliter completus omnibus bonis.
6. Illi homines, qui magis amant DEUM, ut illis faciat bonum, & ipsum timent, ne illis faciat malum, faciunt de Prima Inten-

tione Secundam, & de Secunda faciunt Primam: & ideo, Fili, illorum Intentio eſt inverſa & falſa & contra Intentionem, propter quam DEUS illam creavit: unde, cùm hoc ita ſit, qualis Juſtitia judicabit, quòd talis tam perverſa Intentio habeat gloriam ſinè fine in Intentione DEI?

7. Non eſt ullus homo ſolus, qui fecit tantum mali, ſicut illud, quod fecit Mahometus, qui tot homines poſuit in errorem; nihilominus plus boni ſequitur, quando homo habet Primam Intentionem ad DEUM, quàm ſit omne malum, quod fecit Mahometus; quia majus bonum eſt in uno homine, qui fortiter amat DEUM per Primam Intentionem, quàm ſit malum in omnibus hominibus, qui ſunt damnati: unde, cùm hoc ita ſit, Fili, aperi oculos tuæ mentis, & intellige, quàm magnum ſit bonum, quod eſt per Primam Intentionem, contra malum, quod eſt per Secundam.

8. „Non mireris, Fili, ſi mundus eſt in tri-
„ bulatione & in periculo, poſtquam DEUS
„ tam parum cognoſcitur & amatur propter
„ defectum veræ Intentionis; unde ſuper
„ omnia tibi conſulo, & tibi commendo,
„ quòd coneris, quantum potes, in tua In-
„ tentione, quòd cum illa ames DEUM &
„ cognoſcas illum, habendo Primam Inten-
„ tionem ad illum, & Secundam ad te & ad
„ tuum proximum.

9. Amabilis Fili, non poſſem tibi dicere nec ſcribere bona, quæ Prima Intentio recipit à DEO, quando ipſum amat & ipſum cognoſcit; nam ſanat infirmos, & ditat pauperes, & illuminat cæcos, & afflictis dat conſolationem, & ſuis ſervis ſpem, & peccatoribus lachrymas, & contemptis honorem, & reſtituit injuriatos.

10. Fili, hortulanus dat arboribus aquam ratione fructuum; & eques dat ſuo equo avenam ratione ſervitii, quod illi facit; & artifex ſolvit ſuo famulo ſuum debitum ratione laboris; igitur Fili, ſi tu habes Primam Intentionem ad DEUM Gloriæ, qui eſt tam abundans Juſtitiâ, Poteſtate, Sapientiâ, Charitate, bene potes ſcire, quòd tua Secunda Intentio habebit ſuum complemcntum per Primam.

11. Scias, Fili, quòd ſit multùm dedecens & reprehenſibile amare denarios, cibos, filios, poſſeſſiones, honores & alias res per Primam Intentionem, & amare DEUM per Secundam; & non amare DEUM per PrimamIntentionem, ſed per Secundam, eſt multùm reprehenſibile: unde cùm hoc ſit tam magnus defectus, & inde ſequantur tot mala, igitur eſt valde neceſſarium hoc prædicare & monſtrare gentibus, quæ ignoranter putant amare & cognoſcere DEUM cum Prima Intentione, & amant illum cum Secunda.

CAPUT III.

De Creatione.

1. DEUS creavit mundum eâ Intentione, ut amaretur & cognoſceretur per creaturam; nam propter magnam Rationem, quam DEUS habet in ſe, facit amari & cognoſci Filium DEI; & eſt conveniens creare mundum, ut ſua Juſtitia ſatisfaciat alto honori, qui convenit Bonitati & Magnitudini DEI, quam habet in Æternitate, Poteſtate, Sapientia & in omnibus Virtutibus.

2. Amabilis Fili, DEO non fuit neceſſarium creare mundum propter ullam rem, quæ DEO eſſet utilitas in creatione mundi, ſed ſicut Regi, qui eſt largus animo & abundans divitiis, convenit dare per ſuam bonitatem & per ſuam poteſtatem, ita DEO per ſuum complementum infinitæ Largitatis & Perfectionis in omnibus Virtutibus convénit, quòd crearet mundum, & quòd faceret multum boni.

3. Intentio, quam DEUS habuit in creando mundum, & ſua Juſtitia convenerunt cum Sapientia & Voluntate tunc, quando DEUS creavit mundum; & ideo non convénit, quòd mundus eſſet citiùs nec tardiùs, nec minor nec major, nec alterius ſtatûs, præter iſtum; nam, ſi conveniſſet mundum creare in alio ſtatu, in Intentione DEI eſſet paſſio & defectus.

4. Amabilis Fili, Intentio DEI non accepit ullam alterationem nec mutationem, quando creavit mundum; nam Intentio, quæ creavit mundum, eſt DEUS infinitus & æternus in omni Perfectione; & ideo eſt impoſſibile, quòd per ullam rem, quam DEUS creavit & fecit, in DEO poſſit eſſe ulla mutatio.

5. Si in DEO non eſſet Intentio generandi DEUM, & producendi DEUM, Intentio eſſet nobilior in DEO modò, cùm mundus eſt, & eſſet minùs nobilis, antequam mundus eſſet creatus; cùm Intentio ſinè utilitate non conveniat cum Bonitate & Perfectione contra otioſitatem Intentionis in utilitate Charitatis, Sapientiæ & Magnitudinis.

6. Fili, DEUS creavit in mundo quasdam creaturas propter Intentionem aliarum, ſicut cœleſtia corpora, quæ ſunt creata ad dandum influentiam terrenis corporibus elementatis, & terrena ſunt creata propter Intentionem animæ rationalîs, & ſic de omnibus rebus, quæ ſunt creatæ ad ſerviendum homini.

7. Plora Fili, quia elementa, plantæ, aves, beſtiæ & omnes res hujus mundi ſequuntur ordinem & regulam Intentionis, propter quam ſunt creatæ, & ſolus homo, ſub quo omnia iſta ſunt, eſt contra Intentionem, propter quam eſt creatus, faciendo peccata, quæ ſunt contraria Intentioni DEI.

CAPUT IV.

De Incarnatione.

1. AMabilis Fili, Filius DEI eſt incarnatus in Utero noſtræ Dominæ Sanctæ MARIÆ eâ Intentione, ut Angelis & hominibus demonſtraret Magnitudinem Bonitatis, Poteſtatis, Charitatis, Humilitatis & Largitatis.

2. Majus bonum, quod poſſit creari, eſt bonum creatum conjunctum DEO in Unitate Perſonæ; & ideo, Fili, Bonitas DEI concordat cum majori Intentione, cum qua poteſt concordare in creando creaturam, uniendo ſe ipſum creaturæ eâ Intentione, ut tam fortiter ametur & cognoſcatur, ſicut illa creatura poteſt habere Virtutem ad cognoſcendum & amandum DEUM.

3. Divina Poteſtas non poteſt plùs exaltare creatam poteſtatem, quàm illam, quam ſibi ipſi univit; & Poteſtas DEI poteſt habere tam magnam Intentionem, ut Charitas, Juſtitia, Magnitudo & Bonitas habeant Concordantiam cum Poteſtate, ut Poteſtas utatur tantâ Intentione in creatura, quantam creatura poteſt ſuſtinere.

4. Fili, ſi infinita Virtus & Perfectio eſſet contraria Intentioni, quam DEUS habuit in Carne, quam aſſumpſit, Intentio eſſet minor, quàm Poteſtas, quam DEUS habet in infinita Virtute & Perfectione; & ſequeretur, quòd in DEO quædam Virtutes eſſent contra alias in Intentione; & hoc eſt impoſſibile.

5. Ut DEUS in Gloria poſſet dare ſe ipſum ad glorificandum hominem, ideo habuit Intentionem aſſumendi humanam Carnem, ut homo per illud glorioſum Corpus noſtri Domini DEI poſſet habere majorem Gloriam, cujus majoritatem non poſſet habere ſinè Incarnatione & Conjunctione & Unione DEI & Hominis.

6. Fili, noſter Dominus DEUS eſt incarnatus ad recreandum hominem, qui perierat & ceciderat in iram DEI per peccatum primi Patris; & non convénit, quòd illa Intentio, quam DEUS habuit in aſſumendo humanam Carnem, DEO eſſet Prima Intentio, & quòd illa Intentio, quam DEUS habuit in aſſumendo Carnem ad demonſtrandum ſuas Virtutes, eſſet Secunda, cùm Juſtitia habeat magis appropriatam Intentionem ad demonſtrandum Magnitudinem ſuæ Bonitatis, Poteſtatis & Sapientiæ, quàm ad recreationem.

7. Fili, magnæ Charitati DEI convenit occaſionare hominem multùm magnâ Intentione ſalvando homini liberum arbitrium; & ideo DEUS voluit, quòd Poteſtas de hoc daret majorem poteſtatem in homine ad amandum & intelligendum Incarnationem, quæ eſt major & melior operatio, quam DEUS poſſit habere in creatura, & creatura recipere.

CAPUT V.

De Tentatione.

AMabilis Fili, ſub hoc *Capite de Tentatione* ad *ſignificationem triginta denariorum*, quibus noſter Dominus DEUS JESUS Chriſtus fuit venditus, volo tibi exemplificare Intentionem *per triginta conſequentes Rubricas;* ut per illas habeas cognitionem, quomodo Tentatio & Intentio ſint differentes, concordantes & contrariæ; & tu, Fili, habeas benè in tua Memoria & in tuo Intellectu hoc Caput, quia erit tibi multùm utile ad conſervandum virtutes, & ad reſiſtendum vitiis, & ad conſervandum Intentionem ad hoc, propter quod es.

De Fide.

1. FIli, Fides eſt eâ Intentione, ut homo credat veritatem, quam intellectus non poteſt intelligere; & hæc Fides eſt in cuſtodia Spei, Charitatis, Juſtitiæ, Prudentiæ, Fortitudinis & Temperantiæ; & ideo eſt diabolica tentatio, quando ſeptem mor-

talia peccata tentant Fidem contra Intentionem, propter quam Fides est: &, quia dæmon vult destruere Virtutes & Fidem, ideo tentat hominem hoc modo, quo audies, & etiam multis aliis modis his similibus.

2. Fili, si tu credis & cogitas, quòd DEUS Pater generet de se ipso DEUM Filium, & de Patre & Filio procedat DEUS Sanctus Spiritus, & Pater & Filius & Sanctus Spiritus sint unus DEUS, non tres Dii, & tu habes tentationem, quòd non possit esse verum hoc, quod credis in supradictis Articulis, tunc debes recurrere ad Fortitudinem, Charitatem & Justitiam, ut te adjuvent ad conservandum Fidem in Intentione, propter quam est data; & Fortitudo confortabit te cum Charitate, quæ adjuvat Fidem amando Intentionem, propter quam est; & Justitia dicet tibi, quòd non velis facere injuriam Fidei per hoc, quod non intelligis, & demonstrabit tibi, quòd tu non semper habeas directum intellectum ad intelligendum omne id, quod velles intelligere, & ideo conveniat tibi credere hoc, quod non potes intelligere, usque quò possis intelligere illud.

3. Si tu Fili intelligis, quòd DEUS Pater, qui est infinitus in Essentia, & æternus in Duratione, per infinitam & æternam Potestatem possit de se ipso generare DEUM Filium infinitum & æternum, & habes tentationem & dubitationem, utrùm sit verum, considerando, quòd DEUS non faciat omne id, quod potest sua Potestas, tunc recurre ad Spem, Justitiam & Charitatem; quia per Spem & Justitiam debes credere, quòd DEUS in se ipso debeat facere æternum & infinitum Opus, quod sit DEUS & generatum de DEO, ne DEUS sit otiosus in se ipso; quia Justitia monstrabit tibi, quòd, postquam DEUS habet Potestatem producendi DEUM in se ipso & de se ipso, & hæc sit melior & nobilior Operatio, quæ possit esse, conveniat, quòd Voluntas DEI velit hoc, quod Potestas potest, & Potestas faciat hoc, ut non sit otiosa, secundùm quod divina Justitia hoc judicat in divina Voluntate.

4. Amabilis Fili, si tu vis intelligere hoc, quod credis, suppone, quòd sit possibile, quòd sit verum hoc, quod desideras intelligere; cùm hoc, quod supponis, sit Fides, & Fides adjuvabit te ad exaltandum intellectum ad intelligendum; &, si hoc non suppones, facies injuriam Intentioni, propter quam Fides est, & obedies diabolicæ tentationi: &, Fili, si illud, quod intelligis, non est contra Fidem, scias, quòd tunc habueris Primam Intentionem ad hoc, quod intelligis, & habueris Secundam Intentionem ad Fidem tunc, quando supposuisti, quòd posses intelligere hoc, quod credebas: &, si hoc, quòd putas intelligere, est contra Fidem, quam antea habebas, scias, Fili, quòd hoc, quod putas intelligere in supradictis Articulis, non intelligas; nam, si intelligeres hoc, esset Veritas; &, si esset Veritas, Fides, quam habes, esset falsa: & ideo consulo tibi, quòd cum Charitate, Prudentia & Fortitudine te adjuves contra tales tentationes, ne sis contra Fidem in aliquo, quod intelligis; &, si intelliges hoc, quod veraciter credis, convenit, quòd illud sit in concordantia Primæ Intentionis.

De Spe.

1. FIli, Spes est eâ Intentione, ut homo de DEO speret Justitiam, Misericordiam & Pietatem; & hæc Intentio custoditur cum aliis Virtutibus: unde, si tu, Fili, es peccator, & desperas de DEO, quia fecisti multa peccata, tunc es tentatus & victus, & facis contra Fortitudinem, Charitatem, Prudentiam & Justitiam; quia cum Fortitudine debes stare fortis in tuo animo tanto tempore, quousque Charitas te faciat amare Misericordiam DEI, & timere suam Justitiam, ut Justitia te faciat confiteri tua peccata, & Prudentia recolat magnam Misericordiam DEI.

2. Si tu, Fili, habes magnum timorem à morte, vel times, ne vincaris à tuis inimicis, vel times perdere divitias & honores vel aliam rem, quam multùm amas, & vis esse certificatus de illis rebus, quas times, ne habeas adversitatem, tunc tentaris Fili contra Intentionem, propter quam Spes est; nam ratio, propter quam Spes tibi data est, est, ut utaris illâ, & ut confidas in adjutorio DEI; & est tibi melius stare cum timore, & habere Spem, quàm esse securum, & esse sinè Spe: unde, cùm hoc ita sit, Justitia, Fortitudo & Prudentia te docent, quomodo habeas Primam Intentionem ad Spem, & Secundam ad adversitatem, quam suffers sub Spe: &, si tu, Fili, credis meis verbis, amabis Intentionem, propter quam Spes est, & uteris Spe & aliis virtutibus, per quem usum eris acceptabilis DEO & gentibus.

De Charitate.

1. FIli, Charitas est eâ Intentione, ut homo amet DEUM & se ipsum & suum proximum; hæc Virtus se adjuvat cum suamet Virtute & cum Intentione, propter quam sunt aliæ Virtutes; &, si tu, Fili, tentaris contra Charitatem, adjuva te cum Intentione, propter quam Charitas est, & adjuva suam Intentionem ad conservandum illam cum aliis Virtutibus; nam, conservando in tuo animo Intentionem, propter quam Charitas est, vinces tentationem, in cujus victione vinces peccata, & exaltabis Virtutes.

2. Si tu, Fili, amas tuum terrenum Dominum in terrenis rebus per primam Intentionem, & te ipsum per Secundam, habes Charitatem, quæ in tuo animo concordat cum Justitia, Fortitudine, Prudentia, Temperantia, Fide & Spe; nam justum est in temporalibus bonis magìs amare suum Regem vel Principem, quàm se ipsum, cùm Princeps sit in nobiliori Intentione, quàm vasallus, quia de temporalibus bonis potest facere majorem utilitatem & evitare plus mali, quàm vasallus.

3. Fortitudo ideo est in Charitate, quia dat passionem magìs amandi delicias hujus mundi in alio, quàm in se ipso; Prudentia est ibi, quia inde acquiritur magnum meritum; Temperantia, Fili, est in supradicta Charitate, quia ibi est continentia & abstinentia; & Fides non perdit ibi suum jus, quia credit in Justitiam DEI; & hoc idem sequitur de Spe: unde, quando tu, Fili, tentaris ad appropriandum tibi ipsi bona tui proximi, vel es piger ad defendendum illum de suis inimicis, tunc recurre ad Charitatem, & ad alias Virtutes, & salva Charitati Intentionem, propter quam est, ût suprà specificavimus.

4. Fili, si in cœlestibus bonis magìs amas te ipsum, quàm tuum Dominum, tunc uteris Charitate in te per Primam Intentionem, & in tuo Domino per Secundam, & in illo usu est Justitia, Prudentia & Spes: habes Justitiam in hoc, quòd habes terrenum Dominum eâ Intentione, ut habeas DEUM in Gloria sinè fine: habes Prudentiam in hoc, quòd uteris Intentione, propter quam es, & propter quam est tuus terrenus Dominus; nam illud est Prudentia, quod contra tentationem conservat finalem Rationem, propter quam res est: habes spem in hoc, quòd speras gloriam, magis tractando in Virtutibus tui animi, quàm in Virtutibus tui Domini vel tui proximi.

5. Scias, Fili, quòd tibi sit data societas & amicitia tui proximi eâ Intentione, ut in illa opereris cum Charitate secundùm Intentionem, propter quam tibi Charitas est data; &, si tu amas tuum proximum per Secundam Intentionem, & te ipsum per Primam, habes in illo Amore Justitiam, Spem & Prudentiam: habes Justitiam, ut utaris Charitate, propter quam tibi data est societas tui proximi: habes Spem in hoc, quòd per usum Charitatis speras præmium: habes Prudentiam in hoc, quòd scis acquirere meritum gloriæ, credens in tuo intelligere obtinere gloriam, quæ datur per opus meritorium.

6. Si tu, Fili, amas DEUM in tuo proximo per Primam Intentionem, & amas tuum proximum per Secundam Intentionem, &, si tentaris, quòd facias contrarium, recurre ad Justitiam, Spem & Fortitudinem, & judica in tuo animo Intentionem, propter quam Charitas & aliæ Virtutes sunt, & compara DEUM ad majoritatem Nobilitatis & Potestatis, Bonitatis, Sapientiæ & Amoris, & compara tuum proximum ad minoritatem, principium & mortalitatem & ad alios defectus, qui sunt in homine; &, si tu, Fili, habes talem Intentionem, artem & modum contra tentationem, faciliter potes esse in amicitia nostri Domini DEI.

De Justitia.

1. JUstitia est propter Intentionem Æqualitatis factæ inter majorem & majorem, majorem & minorem, & minorem & minorem contra inæqualitatem in rebus, in quibus convenit Concordantia; Fili, hanc Justitiam habebis & amabis, si cognoscas & ames hoc, propter quod es, & sic resistes tentationi, quæ convenit cum injuria.

2. Fili, si tu es peccator, & te agnoscis pro peccatore, & amas peccatum per Primam Intentionem, & injuriam per Secundam, tunc tentaris in hoc, quia peccatum, quod committis, intelligis, & amas per Primam Intentionem, & injuriam per Secundam; & ideo deest tibi Justitia cum suis sororibus, quæ sunt Spes, Charitas, Prudentia, Forti-

Fortitudo & Temperantia: & in te non est Justitia, quia habes nimiam injuriam in tuo intellectu & in tua voluntate; & non habes Charitatem, quia magìs amas peccatum; & putas habere Spem in hoc, quòd amas peccatum, & expectas in futuro exire de peccato; & ideo habes contrarium Prudentiæ, scilicet ignorantiam & stultitiam, quia ignoras, quamdiu vives, nec es certus, an DEUS tibi volet parcere, postquam tu odis DEUM in amore, quem habes ad peccatum; quia injuriosè putas habere Spem; ideo Justitia DEI non vult, quòd in te amante peccatum sit Spes nec aliæ Virtutes.

3. Fili, Intentio & Justitia concordant contra injuriam & tentationem, quia injuria est contra Justitiam, & est contra Intentionem cum tentatione facta in Secunda Intentione, ut possit destruere Primam tali modo, quòd Intentio sit inversa & contra hoc, propter quod est data hominibus; &, si tu, Fili, vis intelligere hoc, igitur attende: quando tu, Fili, per Secundam Intentionem amas labores, quos sustines propter Justitiam, quando amas Justitiam per Primam Intentionem, tunc injuria tentat Fortitudinem in Charitate, ut Charitas vincatur in obviatione laborum; &, si Charitas vincitur per privationem Fortitudinis, Justitia perdidit suas radices & suas vires in Prudentia & Temperantia, quæ se regebant cum Charitate & Fortitudine, & per hoc privatur Secunda Intentio in Prima; &, quia Prima Intentio non potest remanere in Justitia sinè Secunda Intentione, ideo moritur Justitia in privatione Primæ Intentionis, & nascitur injuria, & Prima Intentio est inversa in tua Voluntate, quæ magìs amat quietem & prosperitates, quàm sustinere labores pro Justitia: unde, cùm hoc ita sit, si tu, Fili, amas Justitiam, cave tibi ab injuria & à tentatione, quæ incipit in Secunda Intentione ad destruendum Justitiam.

De Prudentia.

1. Filli, Prudentia est eâ Intentione, ut homines sciant amare Virtutes, & evitare vitia amando & cognoscendo DEUM, & amando se ipsum & suum proximum; hæc Prudentia multoties tentatur in hominibus per mortalia & venialia peccata; quæ tentatio fit per Intentionem, propter quam Prudentia est; quia deviatâ Prudentiâ ab Intentione, propter quam est data hominibus, sua deviatio est occasio, quòd in homine sit contrarium Prudentiæ, scilicet ignorantia & stultitia.

2. Amabilis Fili, Prudentia & Sapientia sunt quasi unum & idem; *unde, si tu tentaris per ignorantiam, recurre ad Intellectum, & cum illo inquire in Memoria res, quas Intellectus in illa conservat & reponit, quæ res sunt recolibiles in illa cum justa Voluntate temperata per Fortitudinem animi contra acediam, quæ convenit cum ignorantia;* &, Fili, cum intellexeris rem recolitam in Memoria, tunc da illam cum Justitia Voluntati, ut Voluntas & Justitia sequantur Intentionem, propter quam Prudentia est in homine.

3. Fili, Prudentia est Virtus, quæ requirit Voluntatem illuminatam per Intellectum, & judicatam per Justitiam, ut Spes, Charitas, Fortitudo, Temperantia conservent Prudentiæ suam Intentionem, quæ est eligere melius bonum, & citiùs evitare majus malum, quàm minus, & de malo trahere bonum, & habere artem & modum reducendi accidentes casus & facta secundùm quòd convenit in tempore & in loco, in loqui & tacere, in cogitare & operari & in aliis his similibus.

De Fortitudine.

1. Filli, Fortitudo est eâ Intentione, ut Voluntas sit in humano animo cum temperato velle secundùm Justitiam, Charitatem, Prudentiam & Spem, ut homo sit fortis in animo contra inurbanitatem, perversitatem & fraudem, à quibus Fortitudo tentatur, ut in humana Voluntate sit desperatio, injuria, ignorantia & inimicitia, per quam possit intrare superbia, astutia, falsitas, ira, avaritia & injuria.

2. Scias, Fili, quòd Virtutes cum Fortitudine stent fortes contra vitia, & per absentiam Fortitudinis vitia stant fortia contra Virtutes; & ideo tentatio tentat hominem contra Fortitudinem cum minis & cum paupertate, vel cum ira & mala voluntate, divitiis, pulchritudine personæ, mundanis delectationibus & etiam cum honoribus & cum aliis rebus his similibus.

3. Amabilis Fili, tentatio, de qua tibi loquor, fit in Libertate Voluntatis cum veniali peccato in Secunda Intentione tunc, quando ab aliquo homine inhonoraris vel tibi minatur, vel quando habes indigentiam

am vel displicentiam alicujus rei; nam, si tu amas contemni, ut habeas Patientiam & Humilitatem, & tua Voluntas se vult alterare ad amandum honorem, amando inhonorationem in illis hominibus, qui te contemnunt, tunc debilitatur Fortitudo in Justitia, Charitate, & Prudentia, quæ cum Patientia & Humilitate stant subditæ in Fortitudine contra debilitatem animi.

4. Amabilis Fili, si vis esse subditus Fortitudini, eris liber contra vitia, & non loquéris, usque dum intelligas Intentionem, propter quam velis loqui, nec ibis in locum, usque dum Justitia & Charitas tibi dent licentiam eundi & operandi in hoc, in quo Justitia & Charitas volunt salvare Fortitudini suum jus & suum honorem; &, si tu, Fili, habes Fortitudinem, vinces te ipsum & tuos inimicos, & contemnes fraudes & superbiam & vilitates & defectus.

5. Quando tu, Fili, tentaberis, & te senties mutari in alium statum contra statum, in quo solebas esse antequam tentatio te tentabat, tunc est tempus utendi Fortitudine, cum qua debes excitare & probare Prudentiam, Justitiam, Charitatem & Temperantiam, ut te adjuvent contra tentationem cum Spe, in qua te defendet abstinentiâ privante tentationem, & mutante tuam considerationem in bonas cogitationes, in quibus vincentur diabolicæ tentationes.

De Temperantia.

1. Filli, Temperantia est eâ Intentione, ut cum Justitia stet in medio duarum extremitatum concordantium cum injuria; Fili, hæc Temperantia conservat Intentionem contra tentationem cum Charitate, Prudentia, Justitia & Fortitudine; quia Charitas ponit Justitiam in Voluntate, ut velit ponere suum velle in medio duarum extremitatum, in quo medio stat Voluntas capta à Fortitudine & Prudentia cum Libertate amata & judicata per modum meriti nati de Libertate cum Virtute Voluntatis, in quâ Justitia, Charitas, Fortitudo, Prudentia adjuvant cum Temperantia contra tentationem, quæ concordat cum duabus extremitatibus, ubi stant vitia contra Temperantiam.

2. Amabilis Fili, homo potest habere Temperantiam in comedere, loqui, vestire, ire, cogitare, velle & intelligere, & in aliis rebus his similibus, quia homo potest uti quâlibet supradictarum rerum in nimìs parva vel in nimìs magna quantitate, & ideo est homini data Temperantia; &, si tu, Fili, in illis tentaris contra Temperantiam, convenit, quòd te adjuves cum aliis Virtutibus, cum quibus Temperantia defenditur; nam Spes adjuvat illam in cogitando præmium; & Justitia adjuvat illam ad sustinendum passionem ad conservandum sanitatem; & Charitas facit magìs amare Temperantiam, quàm placita, per quæ Temperantia devenit in privationem; & Prudentia demonstrat, quàm periculosa res sit intemperantia; & Fortitudo confortat Voluntatem cum Abstinentia & Patientia.

3. Amabilis Fili, tentatio quandoque incipit tentare hominem cum majori extremitate, quandoque in minori; & scisnè quare? ideo, ut, si cum unâ extremitate non potest ejicere Temperantiam è medio loco, illam inde ejiciat cum alia extremitate; & ideo, Fili, consulo tibi, quòd resistas tentationi cum Fortitudine & cum Abstinentia tanto tempore, donec veniat Justitia, Prudentia & Charitas; quia Justitia monstrabit tibi cum Prudentia, quòd Temperantia plùs valeat in medio duarum extremitatum, scilicet superfluitatis magni & parvi, quàm Intemperantia in ambabus extremitatibus; & Charitas te faciet amare hoc, quod est melius, si, antequam habeas distemperantiam, illam velis conservare in tua Memoria, Intellectu & Voluntate.

4. Fili, cum Virtutibus tibi exemplificavi operationem Virtutum & Intentionem, per quam homo se potest defendere à tentationibus factis per vitia & per malignos Spiritus, modò volo tibi dicere de septem mortalibus peccatis.

De Gula.

1. Gula est vitium per superfluitatem comedendi & bibendi; quod vitium stat in inordinata Voluntate per absentiam Temperantiæ oditæ à Voluntate; & hoc vitium, Fili, non est propter ullam Intentionem, quæ sit creata, sed accidentaliter venit ad destruendam Intentionem, propter quam Temperantia est creata.

2. Amabilis Fili, omnia virtuosa accidentia sunt creaturæ, quia ita convenit, ut DEUS sit creator omnium bonorum; & vitiosa accidentia non sunt creaturæ, sed

sunt inclinatio, ut creaturæ deveniant in nihilum, & ut in illis non sit Intentio, propter quam sunt; & propterea, Fili, sicut dæmon tentat hominem ad destruendum temperantiam, ita bonus Angelus tentat hominem, ut habeat Temperantiam, ne Gula illum inclinet ad infirmitatem per farturam multi comedere & bibere, unde illi veniat mors.

3. Fili, necessitas comedendi & bibendi est ad sustentandum vitam, & Gula est ad nimium comedendum & bibendum; unde, quando tu Fili temperatè comedisti & bibisti secundùm Justitiam, & vis plus comedere, quàm tibi convenit, tunc Angelus, quem DEUS tibi dedit, consulit tibi in Justitia, Prudentia & Fortitudine & Continentia, quòd habeas Abstinentiam & Temperantiam, ne per Gulam sis inclinatus ad culpam & peccatum.

4. Fili, gulosus homo habet secundam Intentionem ad congregandum divitias, ut possit comedere; & ideo habet Primam Intentionem ad comedendum, quæ Prima Intentio illum facit nimium comedere & bibere, & tam fortiter facit crescere Secundam Intentionem in congregando divitias, quòd ideo faciat latrocinia & fraudes & falsitates; &, quia Prima Intentio est fortior, quàm Secunda, ideo contingit, quòd homines fiant pauperes & dilapident sua bona per nimium comedere, propter quod sunt pigri, dormientes & infirmi contra diligentiam congregandi divitias & conservandi illas.

5. Si tu, Fili, in te vis destruere gulositatem, ama Gulam per Secundam Intentionem, & Temperantiam per Primam Intentionem; tunc Justitia, quæ est major in Fortitudine per Primam Intentionem, quàm per Secundam, te faciet odire gulositatem, & esse in Prima Intentione, & Prudentia te faciet amare Libertatem, quam habes de gulositate, ut meliùs possis uti Temperantiâ in Charitate, Justitia & Fortitudine.

6. Scias, Fili, quòd non sit ullum peccatum, in quo homo sit tam ignorans, & in quo non putat esse ignorans, sicut est peccatum Gulæ; & in nullo peccato homo tam frequenter peccat, sicut in Gula; & per nullum peccatum tam frequenter homini evenit mors, infirmitas, paupertas & defectus sensûs, sicut per Gulam; & ideo consulo tibi, Fili, quòd multùm timeas peccatum Gulæ.

De Luxuria.

1. Fili, Luxuria est peccatum conceptum in Voluntate, in quâ injuria conatur destruere Intentionem, propter quam est Castitas; & Luxuria est occasio, in qua Castitas potest exaltari per Fortitudinem Voluntatis odientis Luxuriam, in qua tentatur Voluntas contra Prudentiam, Charitatem & Virginitatem.

2. Si tu, Fili, tentaris à Luxuria, habeas Primam Intentionem ad Castitatem, & Secundam ad tentationem luxuriæ, quia per tentationem potes habere Fortitudinem, Justitiam, Charitatem & Prudentiam amando Castitatem; „ Veruntamen, si tentatio „ Luxuriæ tam fortiter multiplicatur in tuo „ animo, quòd Fortitudo se inclinat ad de„ bilitatem, ejice, Fili, Luxuriam de Se„ cunda Intentione cum ignorantia, scili„ cet oblivisendo Luxuriam & omnes suas „ circumstantias, & recolendo alias res, „ quæ cum Fortitudine conveniunt cum „ Castitate.

3. Amabilis Fili, gulositas, superbia, invidia & injuria habent concordantiam cum luxuria; & ideo quando tentaberis à luxuria, statim recole in tuo Intellectu Temperantiam contra gulam, Humilitatem contra superbiam, & Legalitatem & Continentiam contra invidiam, & Justitiam contra injuriam, & in illa recolitione pone Prudentiam & Charitatem.

4. Amabilis Fili, pulchra vestimenta & pulchritudo speciei sunt arma, cum quibus luxuria tentat amicos Castitatis, sed recolitiones mortis, imaginatio impuritatis, quæ fit in ipso opere luxuriæ, & intellectio pulchritudinis & munditiæ puræ virginitatis sunt vires Castitatis, cum quibus resistit castitas, ut sit in Prima Intentione.

5. Amabilis Fili, ad destruendum luxuriam convenit, quòd Castitas sit per Primam Intentionem; & convenit, quòd Charitas, Justitia, Prudentia, Fortitudo & Temperantia sint per Secundam Intentionem, ut serviant Primæ Intentioni, ut luxuria non possit radicare in Prima nec in Secunda Intentione.

6. Scias, Fili, quòd Secunda Intentio quandoque sit *duplex*, scilicet quòd illa Libertas, quam habes ad habendum luxuriam, est amabilis per Secundam Intentionem, quia inde meliùs potes amare aliam Intentionem, quæ est Secunda, scilicet illam, in qua

qua Charitas, Justitia, Prudentia & Fortitudo serviunt Castitati, quando est in Prima Intentione: unde, cùm hoc ita sit, consulo tibi, Fili, quòd fortiùs in tua anima multiplices in majoritate Secundam Intentionem, quam habes ad prædictas Virtutes, quàm Secundam, quam habes in libertate ad luxuriam, secundùm quam multiplicationem Secunda Intentio per modum comparationis deveniat in Primam Intentionem, in qua stat Castitas.

7. Amabilis Fili, cum Oratione, Contritione & Afflictione, & fugiendo occasionem faciendi fornicationem potes destruere luxuriam in tuo animo, quando habes tentationem; &, si omnia ista tibi non sunt sufficientia, multiplica illorum quantitatem in Charitate, Fortitudine, Justitia & Prudentia in Libertate, quam habes in tua Voluntate & possibilitate.

8. Fili, convenit facere diversas comparationes contra tentationem luxuriæ, scilicet quòd homo cum Prudentia comparet, quid sit eligibile & amabile, an Virtutes vel vitia, an Præsentia DEI vel absentia, an sanitas vel infirmitas, & sic de aliis rebus his similibus, & quòd Charitas, Justitia & Fortitudo concordent cum Prudentia, quæ est eâ intentione, ut bonæ res sint in Charitate, & malæ in suo contrario.

De Avaritia.

1. Fili, avaritia est inversa Intentio contra Intentionem Largitatis, quæ concordat cum Spe, Charitate, Justitia & Fortitudine contra avaritiam, superbiam, acediam, invidiam & iram; unde, si tu, Fili, tentaris per avaritiam, scias in tua Largitate habere ordinationem in Prima & in Secunda Intentione cum Spe, Charitate, Justitia, Prudentia & Fortitudine contra avaritiam, superbiam, acediam, invidiam & iram.

2. Amabilis Fili, avarus homo est simpliciter magis inordinatus, quàm alius homo, quia amat divitias per Primam Intentionem, & amat per Secundam Intentionem ea, propter quæ congregat divitias, & propter quæ illas conservat: unde talis avarus homo à tentatione vincitur pervertens dictas Intentiones; quia divitiæ debent amari per Secundam Intentionem, & hoc, propter quod divitiæ sunt amabiles, scilicet bona, quæ justitia vult multiplicare per Largitatem, Charitatem & Spem, per Primam Intentionem.

3. Fili, sunt quidam homines, qui sunt avari Intentione gulæ, quia amant multum comedere; alii sunt avari propter famam, quia volunt laudari à gentibus propter nomen divitiarum; alii sunt avari ad ditandum suos filios, & sic de aliis rebus his similibus: unde tales homines tentantur contra Spem, Justitiam & Charitatem, quæ conveniunt cum Largitate; & amant avaritiam per Secundam Intentionem, & amant supradictas res per Primam: unde si tu, Fili, vis vincere avaritiam, habeas Prudentiam, cum qua scias mutare & custodire duas Intentiones, amando cibos, honores & filios per Secundam Intentionem, & DEUM per Primam.

4. Amabilis Fili, multùm fortiter consulo tibi, ne habeas avaritiam, quia est vitium, quod dat magnam passionem suis subditis; quia per injuriosam Intentionem Voluntas non potest satiari congregando divitias, in qua congregatione habet multa pericula & labores; & hoc idem accidit in conservando divitias; & avarus homo semper stat suspiciosus, dubius & timidus contra Legalitatem & Spem, & acedia facit illum desiderare malum, & invidia torquet illum cum ira in hoc, quòd non potest complere suam Voluntatem lucrando sibi vel perdendo aliis; & avaritia de nullo defectu & injuria dat conscientiæ ullam cessationem vel remedium.

5. O Fili, quot sunt homines, qui sunt avari, & non putant esse avari? & quot sunt illi, qui præ avaritia moriuntur antequam naturaliter morerentur? & scias Fili, quòd avarus homo non cognoscat in se ipso avaritiam; quia in sua inordinata Voluntate non habet cognitionem per Primam & Secundam Intentionem: & scisnè Fili, quare homo citiùs moriatur præ avaritia, quàm aliàs moreretur? ideo, quia DEUS vult, quòd illa bona, quæ avarus homo impedit, serviant pauperibus, & faciant utilitatem in aliis hominibus; quia DEUS non fecit temporalia bona ad standum otiosa sub possessione avarorum, qui in illis impediunt utilitatem.

De Superbia.

1. Fili, superbia est punibilis operatio Voluntatis contra Humilitatem; &, quia

Humilitas est eâ Intentione, ut homo cognoscat, quòd per creationem devenerit de nihilo, & quòd se humiliet DEO, qui æternaliter & infinitè est completus omnibus bonis; ideo, Fili, superbia accidentaliter devenit in hominem, ut homo illi resistat in Humilitate, & ut homo cum Charitate, Justitia, Prudentia & Fortitudine pugnet ad fortificandum Humilitatem contra superbiam, ut in se ipso habeat cognitionem, quòd venerit de nihilo, & quòd sit obligatus ad cognoscendum & amandum Supremum Bonum.

2. Fili, si tentaris per superbiam propter divitias, vel amicos, vel robur, vel pulchritudinem, vel scientiam, vel audaciam vel aliam rem his similem, statim recurre ad Prudentiam & Fortitudinem, ut tibi afferant Justitiam, quæ in te ordinet duas Intentiones, dando Secundam Intentionem divitiis, honoribus, amicis, robori, pulchritudini, scientiæ & audaciæ, & des Primam Intentionem DEO, qui te creavit de nihilo, & pro te in humana Natura se univit & humiliavit ad mortem.

3. Amabilis Fili, superbus homo tentatur per Humilitatem in contemptu gentium, in quo est, quia homini, in quo est superbia, non convenit honor; & hoc ideo, quia ipse vult esse honoratus super omnes, & est in omnibus inhonoratus, in quantum quilibet illum contemnit in suo animo; ideo inhonoratio deberet illum humiliare per Justitiam, quæ humiliatio esset honor, si se judicaret, ut contemneretur à gentibus, habendo Secundam Intentionem ad contemptum, & Primam ad Humilitatem.

4. De necessitate convenit Fili, quòd, si humilis homo habeat Primam Intentionem ad Humilitatem, & Secundam ad honorem, superbus homo habeat Secundam Intentionem ad superbiam, & Primam ad honorem: unde cùm hoc ita sit, duæ Intentiones humilis hominis sunt contrariæ duabus Intentionibus superbi hominis; & scisnè quare? quia duæ Intentiones humilis hominis faciunt hoc, propter quod sunt, in Charitate, Justitia, Prudentia & Fortitudine; & ideo tenent humilem in honore; & duæ Intentiones superbi hominis tenent illum inhonoratum, quia cum injuria & cum contrario Charitatis & Prudentiæ convenit inhonoratio.

De Acedia.

1. Fili, acedia est confusum peccatum contrarium communi Intentioni, propter quam sunt Spes, Charitas, Justitia, Prudentia & Fortitudo; & ideo, Fili, homines de nullo peccato habent tam modicam conscientiam & cognitionem, sicut de peccato acediæ.

2. Acedia est amare malum & odire bonum in omni Virtute, & ideo dæmon tentat homines per acediam, ut cum illa possit inducere illos ad gulam & luxuriam vel ad aliud peccatum; & ideo, Fili, quamprimùm tentaris per acediam, recurre ad Intentionem, per quam in te est Spes & Charitas, & vide, in qua Virtute dæmon te fortiùs tentet cum acedia, & conforta illam cum aliis Virtutibus, dando DEO Primam Intentionem, & Virtutibus Secundam, & dando illi Virtuti, in qua tentaris, Primam Intentionem, & dando aliis Virtutibus, cum quibus illam vis fortificare, Secundam: &, si tu Fili scis & vis habere & scire supradictam Artem & modum, poteris mortificare tentationem, & habere alias Virtutes illi contrarias.

3. Amabilis Fili, per nullum peccatum est tam significabilis salvatio & damnatio, sicut per acediam; & hoc est ideo, quia se habet magis ad communitatem, quàm aliud peccatum, per quam majorem communitatem meliùs significatur salvatio in hominibus amatoribus communis boni, quàm specialis boni, cùm bonum sit majus & utilius in communitate, quàm in specialitate; & ideo, Fili, habeas Primam Intentionem ad commune bonum, & Secundam ad speciale bonum.

4. Amabilis Fili, scisnè, quare sit diabolica tentatio in acedioso homine, quæ convenit cum negligentia & pigritia, ut homines diligentes, justi & amatores boni contemnantur & odiantur in suis operibus? & scisnè Fili, quare sit tentatio boni Angeli in homine, in quo est acedia? ut, quamprimùm tentatio incipit advenire, homo expergiscat ad cogitandum in bonas cogitationes, & ut homo se disponat, quòd sit amator boni: & ideo, Fili, mala tentatio est excitatio boni operis in homine amatore boni, ne stet otiosus ad cogitandum & operandum bonum ex sua potestate.

De Invidia.

1. Fili, invidia est serva gulæ, luxuriæ, superbiæ, avaritiæ, acediæ & iræ, contra Spem, Charitatem, Justitiam, Prudentiam, Fortitudinem & Temperantiam; unde, si tu Fili tentaris ab invidia, statim recurre ad Prudentiam, ut illa te certificet, secundùm quod peccatum invidia te fortiùs tentat, & cui Virtuti invidia in illa tentatione est magis contraria.

2. Amabilis Fili, si invidia te tentat cum gulositate, recurre ad Temperantiam, cui da Primam Intentionem, & illi cibo, quem invidia te facit desiderare, da Secundam, & Justitia confortabit tuum animum cum Prudentia, quæ tibi apportabit utilitatem in Charitate contra gulositatem; & hanc eandem regulam, Fili, potes habere contra invidiam in quacunque Virtute vel vitio tenteris.

3. Fili, sunt multi homines, qui habent invidiam vel aliud vitium, quod vellent non habere; sed, quia non habent modum, quomodo illud cognoscere & mortificare possent, ideo sunt in peccato; &, Fili, si illi scirent uti Primâ & Secundâ Intentione secundùm supradictam artem & modum, possent & scirent mortificare & cognoscere peccata, in quibus sunt, resistentes tentationibus, & fortificantes Virtutes.

4. Fili, non habeas invidiam, nam antequam esses, nihil habebas; & hoc, quod DEUS dat tuo proximo, non invideas, quia DEUS habet, quod donet, & hoc, quod donat, est onus illis, qui illud accipiunt; & quò majus est commissum, eò majus est periculum in possessione, & illorum anima est magis remota à contemplativa vita, quæ est melior vita, quàm activa, quæ activa vita in divitiis est in majori labore, quàm in paupertate.

5. Amabilis Fili, invidia dat tristitiam, & tollit lætitiam, & facit insatiabilem appetitum, per quem venit passio iræ contra Charitatem & Justitiam, quæ sanant Voluntatem à tristitia cum Fortitudine animi per Spem, Legalitatem, Timorem, Humilitatem, Abstinentiam & Temperantiam.

De Ira.

1. Fili, ira est eâ Intentione, ut Patientia possit nasci de Charitate, Justitia, Fortitudine & Temperantia contra tentationem, quam dæmon facit contra istas Virtutes cum ira, ut homines habeant impatientiam, quæ est vitium contrarium Virtutibus; & ideo, Fili, Patientia est per Primam Intentionem, & ira est per Secundam, & ambæ Intentiones sunt contrariæ; nam sicut Prima & Secunda Intentio concordant in diversis Virtutibus tunc, quando una virtus habet suum opus, ut ipsa habeat aliam Virtutem; ita Prima & Secunda Intentio sunt contrariæ, quando una Intentio descendit de Virtutibus, & alia de vitiis.

2. Si tu, Fili, tentaris ab ira, recurre ad Fortitudinem, & sta fortis in tuo animo tanto tempore, donec venerit Charitas, Justitia & Prudentia, quæ confortent tuum animum contra iram, in qua confortatione nascitur Patientia principiata per Abstinentiam tunc, quando incipis habere Fortitudinem contra iram per passivam Voluntatem obedientem illuminato Intellectui.

3. Amabilis Fili, ira venit subitò, & crescit in recolitione defectûs vel injuriæ, quæ est facta homini; & ideo homo subitò debet recurrere ad Fortitudinem, Abstinentiam & ad alias Virtutes, ut Voluntas possit habere deliberationem ad amandum Fortitudinem per Secundam Intentionem, & Patientiam per Primam, & Charitas possit amare veniam & pietatem per Secundam Intentionem, & in se ipsa meritum per Primam, per quod meritum Spes lætificat animum patientis hominis cum Justitia & Prudentia contra avaritiam, superbiam, invidiam & acediam, culpam & pœnam.

4. Si tu, Fili, dicis, quòd non possis habere Patientiam & Abstinentiam, quando es iratus, tunc negas Potestatem Libertatis in tua libera Voluntate, in qua noster Dominus DEUS ordinavit, quòd Fortitudo, Prudentia, Justitia cum Charitate & Patientia sint contra malam voluntatem, impatientiam & iram; & per talem negationem affirmas, quòd in libertate ira & impatientia habeant potestatem contra Justitiam, Sapientiam & Misericordiam DEI.

5. Amabilis Fili, navis & castellum & civitas non fiunt in una die tantùm, sed ibi convenit tantum temporis, quantum convenit materiæ & formæ, per quod veniant ad complementum; & ideo, Fili, ira multoties non subitò moritur, sed durat longo tempore, quia homines ignorant illam

obliviſci nec mortificare cum Virtutibus, quam mortificationem facerent, ſi ſubitò cum magna Fortitudine recurrerent ad alias Virtutes, quæ ſunt contra iram, & ordinarent duas intentiones, amantes per Secundam Intentionem hoc, per quod homo habet occaſionem iræ, & amantes Virtutes per Primam Intentionem.

6. Fili, non odias libertatem, quam habes in hoc, quòd Secundam Intentionem potes mutare in Primam, & Primam in Secundam; nam, ſi hoc non poſſes ſecundùm Veritatem, ſequeretur, quòd tua Voluntas non haberet Libertatem in Virtutibus & in vitiis, & tua Voluntas eſſet voluntas beſtiæ, & non hominis; &, quia hoc eſt impoſſibile, ideo, Fili, ama patientiam contra iram.

7. „ Amabilis Fili, in Supradictis Virtutibus „ & vitiis tibi exemplificavimus tentatio„ nem & intentionem quomodo ſint in „ homine, modò volumus tibi exemplifi„ care in his conſequentibus Rubricis, ut „ ſcias & habeas triſtitiam de injuria, quæ „ Intentioni fit in hoc mundo per tenta„ tionem vitiorum contra Virtutes; prop„ ter quam injuriam, Fili, habeas in tuis „ oculis ploratus, & in tuo corde ſuſpiria „ & dolores.

De Oratione.

1. Fili, oratio eſt eâ intentione, ut anima habeat DEUM in ſuo recolere, intelligere & amare; nam, ſicut comedere & bibere eſt ad ſuſtentandum corporalem vitam, ita oratio eſt ad conſervandum animæ Intentionem, propter quam illi eſt data Memoria, Intellectus & Voluntas.

2. Amabilis Fili, multi homines tentantur in ſua oratione amantes DEUM per Secundam Intentionem, & amantes vitam vel divitias vel honores vel proles vel alias res per Primam; & ideo, Fili, talis oratio eſt multùm inacceptabilis DEO, cùm ipſe ſit dignus amari per Primam Intentionem ſuper omnia: unde, quando tu Fili rogabis DEUM, aperi oculos tuæ animæ, & cave, ne ames DEUM per Secundam Intentionem; nam, ſi hoc facis, es indignus, quòd exaudiaris in tua oratione, in qua es contra Spem, Charitatem & Juſtitiam.

3. Fili, homines debent rogare DEUM in oratione per Primam Intentionem, ut illis det ſpiritualia, ſcilicet Virtutes, & debent à DEO petere temporalia per Secundam, cùm Intentio, propter quam ſunt temporalia, ſit Secunda, & Intentio, propter quam eſt Fides, Spes, Charitas & aliæ Virtutes, ſit Prima Intentio; &, quia dæmon odit orationem, ideo, Fili, tentat homines in Prima & in Secunda Intentione, conſulens, quòd homo roget DEUM pro terrenis per Primam Intentionem.

4. Fili, oratio oris eſt per Secundam Intentionem, & oratio mentis eſt per Primam; & ideo dæmon tentat homines, quòd mutent Intentiones, adorando DEUM per verba, & cogitando in vanas temporales res, per quas cogitationes ſunt contrarii orationi; qui homines putant, quòd per multa verba exaudiantur, quamvis in ſua mente habeant multas vanas cogitationes contrarias ſuis verbis.

5. Fili, quando voles facere orationem, tenta te ipſum, an ſis magìs diſpoſitus ad rogandum DEUM propter tuam utilitatem vel tui proximi, vel ad petendum à DEO, quòd tibi det Virtutes, vel quòd te defendat à vitiis; & tenta tuam Voluntatem, in qua Virtute ſit magìs diſpoſita ad contemplandum, & quod vitium ſit illi magìs odibile; & tenta in oratione magìs convenientem locum & tempus, & vide, an aliquod vitium tibi faciat impedimentum, & in iſta tentatione ordina Primam Intentionem ad magìs nobilia, & Secundam ad minùs nobilia.

6. Amabilis Fili, convenit, quòd in oratione ſecundùm Charitatem & Juſtitiam commune bonum ſit per Primam Intentionem, & ſpeciale bonum per Secundam; veruntamen dæmon tentat hominem, ut homo pro ſua utilitate roget per Primam Intentionem, & pro communi utilitate roget per Secundam Intentionem; & ideo in oratione injurioſè ſunt inverſæ duæ Intentiones, & non exaudiuntur à juſtitia.

7. „ Multi homines timent altè rogare DE„ UM in lumine intelligentiæ propter ti„ morem perdendi meritum Fidei, qui ti„ mor eſt contra Spem, Fortitudinem, „ Juſtitiam & Charitatem; nam, quantò „ magìs Intellectus eſt exaltatus ad intelli„ gendum DEUM in Unitate Eſſentiæ & „ in Trinitate Perſonarum, intelligendo, „ quomodo Pater æternaliter & infinitè ge„ neret Filium, & quomodo Sanctus Spiri„ tus procedat de ambobus, tantò altio„ rem contemplationem poteſt homo ha„ bere in majori Charitate, Devotione & „ exau-

„ auditione; & ideo dæmon tentat cum „ timore, ne Voluntas poſſit habere mag„ nam devotionem & fervorem per præ„ ſentiam cognitionis.

8. Si tu, Fili, tentaris in oratione per tædium, reſiſte tentationi cum mutatione conſiderationum in diverſa objecta & cum novis & neceſſariis Rationibus; &, ſi in tam longa & devota oratione tentaris à verecundia, quam habes coram gentibus in devotè & diu rogando DEUM, ama verecundiam per Secundam Intentionem, & orationem per Primam.

De Confeſſione.

1. Fili, Confeſſio eſt ſecreta accuſatio ſuî ſacerdoti facta intentione pœnitentiæ & ſatisfactionis ſecundùm conſilium illius, qui eſt miniſter ſancti ſacerdotalis Sacramenti, cui data eſt poteſtas indulgendi & pœnitentiam injungendi per virtutem DEI.

2. Hæc Confeſſio, Fili, conſiſtit in *duabus* Intentionibus; *una* eſt perfecta in Charitate, Spe, Juſtitia, Prudentia & aliis Virtutibus; & *alia* eſt imperfecta propter defectum Fortitudinis, in qua deficiunt Virtutes; & ideo, Fili, perfecta Confeſſio eſt amabilis per Primam Intentionem, & imperfecta per Secundam.

3. Fili, Confeſſio, quæ eſt per Primam Intentionem, eſt amabilis, quando Voluntas accuſat ſuum peccatum coram Sacerdote cum contritione pœnitendo, & Intellectus ſe judicat ad juſtitiam recolente Memoria cum Spe Miſericordiam DEI, ne gula & avaritia & alia vitia ullo tempore ſint acceptabilia Voluntati, quæ agit pœnitentiam.

4. Fili, Confeſſio, quæ per Secundam Intentionem eſt amabilis, eſt ſerva & diſpoſitio Primæ, quia multi homines ſunt in mortali peccato, cujus perfectè non pœnitent, nec volunt exire, & proponunt, quòd adhuc aliquo tempore vivant, & ſperant, quòd DEUS illis det gratiam, quòd confiteantur accuſantes ſua peccata, & ſuſtinentes verecundiam & paſſionem in Confeſſione.

5. Amabilis Fili, homo tentatur in Prima Intentione vel per gulam vel per luxuriam vel per aliud vitium, quòd per admonitionem dæmonis vult ponere Secundam Intentionem in Confeſſione, & vanam gloriam in Prima; ſed, quando Fortitudo, Charitas & Juſtitia & aliæ Virtutes ſe illaqueant & ligant contra ſuperbiam & vanam gloriam & malum exemplum, tunc Confeſſio eſt per Primam Intentionem in Perfectionibus ſupradictarum Virtutum in Contritione & Satisfactione, quæ eſt per Secundam Intentionem.

6. Fili, dæmon tentat homines, quòd ſibi non proponant obedientiam Charitatis & Fortitudinis contra avaritiam, luxuriam vel aliud peccatum; unde per juſtitiam ſignificatur, quòd illa ſit imperfecta Confeſſio; & ideo, Fili, ſunt multi homines, qui magìs volunt non capere & differre Pœnitentiam, & decipiuntur, & vincuntur per nimìs magnam conſcientiam & per parvam fortitudinem, & cum ſtulta Spe, quòd adhuc ante mortem venient ad veram Confeſſionem; quæ Spes multiplicatur in Confeſſione, quæ vadit per Secundam Intentionem.

7. Amabilis Fili, homo peccator facit magnam injuriam Contritioni, Fortitudini, Charitati & Juſtitiæ, quando confitetur cum Intentione non exeundi de peccato; & ille homo, qui non confitetur, quia non habet veram Confeſſionem, facit magnam injuriam Fidei, Spei & Prudentiæ; & ideo, Fili, quia Confeſſio eſt filia Juſtitiæ contra injuriam, conſulo tibi, quòd veraciter confitearis per Primam intentionem; &, ſi habes cor tam debile retinens, quòd non confitearis per Primam Intentionem, conſulo tibi, quòd confitearis per Secundam, ut ſis magìs propinquus Primæ Intentioni, &, ne ſis tam contrarius ſanctæ Catholicæ Fidei & Sacramentis Sanctæ Matris Eccleſiæ, & ne ſis tam manifeſtus peccator ingratus DEO & gentibus.

De Sacrificio.

1. Fili, Sacrificium eſt eâ intentione, ut DEUS in ſacrato Corpore JESU Chriſti vincat locum, tempus, quantitatem, motum ad ſignificationem divinæ Operationis infinitæ & æternæ, quam DEUS habet in ſe ipſo ſinè tempore, loco & motu.

2. Amabilis Fili, DEUS Pater generat DEUM Filium, & de DEO Patre & de DEO Filio procedit DEUS Sanctus Spiritus, & omnes tres ſunt unus DEUS, qui eſt immobilis ſinè loco, quantitate & tempore; nam in infinita & æterna Eſſentia, & in Operatione, quæ infinitè & æternaliter ſit per totam Eſſentiam, non poteſt eſſe tempus,

pus, quantitas, locus & motus: & ideo, Fili, DEUS inter nos facit Opus in Sacrificio, in quo naturaliter non est tempus, motus, quantitas & locus.

3. Amabilis Fili, Sanctum Corpus nostri Domini JESU Christi est in cœlo & in omnibus aliis locis, in quibus est consecratum per virtutem verborum; & ideo in Sacrificio vincitur tempus & quantitas, motus & locus, quia uno tempore est in diversis locis, & sub modica quantitate Hostiæ est tota Persona JESU Christi, quæ est major, quàm quantitas Hostiæ; hoc Opus, Fili, est per Potestatem, Voluntatem, Sapientiam & Justitiam, in quibus est infinita Virtus & Perfectio & Gloria; & ratione hujus demonstratur infinita Virtus per Opus Sacrificii; nam nulla alia Virtus posset facere simile nec æquale opus, nec creatura posset fortiùs recipere *significationem* à divino opere Virtutis, quam DEUS habet de Æternitate & Infinitate in se ipso.

4. Fili, Veritas est in Spiritualibus per Primam Intentionem, & in corporalibus per Secundam; & ideo tentatio tentat homines in Sacrificio per sensuales sensus contra potentias animæ; nam per hoc, quòd Hostia non mutatur de colore, nec de quantitate, nec de sapore, quamvis sub illa sit forma & materia Carnis, apparet in sensualitate, quòd intellectualitas, quæ credit, illam Hostiam esse Corpus JESU Christi, non sit in Veritate: unde, si tu, Fili, tentaris à tali tentatione, recurre ad divinam Potestatem, quæ potest facere omnia, & habeas ad intellectualia Primam Intentionem, & ad sensualia Secundam.

5. Amabilis Fili, Sanctum Sacramentum Altaris est eâ Intentione, ut Fides, Spes & Charitas inde sint majores in homine, & ut Intellectus se possit magìs exaltare ad intelligendum Bonitatem, Potestatem, Humilitatem & Charitatem nostri Domini DEI; nam facit magnam Bonitatem, quando facit tam magnum & tam mirabile Opus; in quo sua Potestas est magna super naturale Opus; & sua Humilitas est multùm magna, quando se vult humiliare ad nos, & tam frequenter esse in tot locis cum nobis; DEUS etiam facit nobis Amorem & Charitatem, Misericordiam & Pietatem, Amicitiam & Societatem per Sacrificium: „Unde, si tu Fili, non credis huic „ operi, quia vis obedire sensualibus sen„ sibus, facis injuriam Veritati & DEO & „ spiritualibus sensibus, qui sunt amabiles „ per Primam Intentionem.

De Matrimonio.

1. FIli, Matrimonium est eâ Intentione, ut concordantes voluntates sint obedientes ad generandum filios per ordinationem DEI, qui filii ament & cognoscant DEUM, & ut per illos conservetur humana natura in mundo.

2. Amabilis Fili, in conjunctione viri & fœminæ est carnalis delectatio, quam DEUS in illa creavit eâ intentione, ut vir & fœmina se conjungant & generent infantes; &, quia carnalis delectatio est per Secundam Intentionem, & generatio est per Primam, ideo dæmon cum luxuria tentat viros & fœminas, ut habeant Secundam Intentionem ad generandum infantes; & Primam ad carnales delectationes, ut luxuria possit destruere castitatem in illorum animo.

3. Fili, in Matrimonio debet homo per Secundam Intentionem petere amicos & pulchram speciem, divitias & honores, quia Matrimonium est per Primam Intentionem, sed gentes ex majori parte mutant Intentiones; & ideo, Fili, vix est ullus homo, qui in Matrimonio utatur intentione, propter quam est.

4. Amabilis Fili, sicut DEUS ordinavit, quòd natura ordinatè utatur suo cursu in suis operibus, ita DEUS voluit, quòd homo habeat ordinatam Intentionem in generando filios & filias, & quòd illos in bonis moribus enutriat per Primam Intentionem, & illos diteſcat per Secundam; sed, Fili, plurimi homines faciunt de his Intentionibus contrarium, per quod illorum filii malè educantur, & multoties deveniunt in paupertatem, & sunt ingrati DEO.

De Scientiis.

1. FIli, Scientiæ sunt Intentione cognoscendi & amandi DEUM, & ad conservandum mundum in bono statu; unde scias Fili, quòd *Theologia* sit, ut homo loquatur de DEO, & est per Primam Intentionem, & omnes aliæ scientiæ sunt per Secundam; Fili, *Philosophia* est Intentione cognoscendi DEUM, quæ cognitio demonstratur per naturalem operationem; & *Jus* est scientia Intentione tenendi justitiam: *Medicina* est Intentione conservandi sanitatem; sunt adhuc aliæ scientiæ, Fili,

Fili, in quibus DEUS posuit Intentionem, propter quam sunt, quia nulla Scientia est creata sinè Intentione.

2. Amabilis Fili, homines, qui sciunt *Theologiam*, tentantur in Prima & in Secunda Intentione, ut destruant Theologiæ Intentionem, propter quam est; & ideo dæmon conatur, quòd homo amet Theologiam, ut sit Prælatus vel Magister, vel dives, vel honoratus & laudatus propter scientiam, & ut homo habeat Secundam Intentionem ad Scientiam; & propter tales Intentiones, Fili, sunt multi homines, qui addiscunt Theologiam, amantes DEUM per Secundam Intentionem, & se ipsos per Primam, propter quem amorem non utuntur Theologiâ secundùm Intentionem, propter quam est.

3. Fili, *Philosophia* est scientia multùm acceptabilis scitu, quia est scientia, per quam homo est multùm illuminatus in operibus naturæ & in Theologia; veruntamen, Fili, multi homines inde ceciderunt in errorem, quia amabant illam per Primam Intentionem, propter quem amorem discredebant in Theologia contra Fidem, Spem & Charitatem.

4. Fili, *Jus* est scientia, quæ cum justitia convenit contra injuriam; in hac scientia multi homines tentantur, qui amant scientiam per Secundam Intentionem, & divitias & prælationes, honores & delicias per Primam Intentionem; & ideo, Fili, scientia est à talibus injuriata contra Fidem, Spem, Charitatem & Justitiam in hoc, quòd illam deviant ab Intentione, propter quam est.

5. Fili, *Medicina* est Scientia, quæ à corporibus docet expellere infirmitatem, & illa conservare in continua sanitate; & ideo est amabilis per Primam Intentionem, & plurimi homines amant illam per Secundam Intentionem, ut habeant honores & divitias; & per hoc, Fili, scientia est in illis injuriata & deviata ab Intentione, propter quam est; per quam deviationem multi perversi Medici falsò utuntur Medicinâ.

6. Amabilis Fili, dæmon conatur in supradictis scientiis destruere Intentionem, propter quod scientiæ sunt multùm confusæ in practica multorum perversorum hominum, qui cum falsa intentione utuntur illis: unde, cùm hoc ita sit, consulo tibi, Fili, si amas scientiam, quòd illam ames per Intentionem, propter quam est, ut meliùs & fideliùs scias uti illâ, & operari in illa, & ut meliùs possis resistere dæmoni.

7. „O Fili! quàm magna ordinatio esset, „ si ordinaretur, quòd scientiæ conserva„ rentur in Intentione, propter quam DE„ US illas creavit; & *quàm magna illuminatio & directio & abbreviatio esset in scientiis, qui illas ordinaret ad necessaria principia secundùm Artem Compendiosam inveniendi Veritatem, ut homo cum universalibus posset invenire particularia, quæ conveniunt cum practica scientiarum.*

De Infidelibus.

1. FIli, sunt multi Infideles in mundo, qui non credunt in Sanctam Catholicam Fidem, qui sunt eâ Intentione, ut fideles Christiani possint habere materiam & dispositionem, in qua possint amare & cognoscere DEUM per prædicationem & viam Martyrii, non timentes mori nec sustinere labores pro amore DEI.

2. Fili, illi Infideles deberent amari per Secundam Intentionem, & via ad Martyrium & ad honorandum DEUM deberet amari per Primam Intentionem; sed dæmon tentat Christianos in duabus Intentionibus, ut ament devictionem & mortem infidelium per Secundam Intentionem, & terras & divitias, quas Infideles possident, per Primam; & ideo, Fili, diabolica tentatio per absentiam Fidei, Spei, Charitatis, Fortitudinis & Prudentiæ, & per præsentiam avaritiæ, acediæ & invidiæ facit multum mali in mundo in deviando Intentiones de illis rebus, propter quas sunt.

3. Fili, conversio Infidelium est amabilis per Primam Intentionem, & bellum & prælium contra Infideles est amabile per Secundam; & ideo, Fili, Christiani deberent fortiùs continuare & uti Primâ Intentione in Infidelibus, quàm Secundâ; & quia hoc non faciunt, injuriatur Prima Intentio, & Secundæ fit major honor, quàm illi convenit.

4. „Amabilis Fili, major & altior Intentio, „ quam homo potest habere ad multipli„ candum Fidem, Spem, Charitatem, Ju„ stitiam, Prudentiam & Fortitudinem, „ est habere Intentionem dandi cognitio„ nem de DEO, & eundi ad Infideles, qui „ illum ignorant & illum non amant; & „ per hanc tam altam Intentionem tam alìè

„ Apoſtoli & Martyres aſcenderunt in „ Sanctitate & in Gloria: unde cùm hoc ita „ ſit, Fili, quando erit illud tempus, quòd „ in honoribus DEI ſit Intentio, quæ ſo„ lebat eſſe?

De Divitiis.

1. FIli, divitiæ ſunt eâ Intentione, ut ſit communis Charitas, in quâ Juſtitia & Miſericordia habeant diſpoſitionem ad ſatisfaciendum Intentioni contra avaritiam, quæ convenit cum injuria & crudelitate; & ideo, Fili, divitiæ ſunt amabiles per Secundam Intentionem, & Charitas & Juſtitia & Miſericordia ſunt amabiles per Primam.

2. Amabilis Fili, ſi avaritia, acedia & invidia non eſſet, temporalia bona eſſent communia ſinè alia ſpecialitate; unde deſtruere avaritiam, acediam & invidiam, & congregare divitias eſt per ſpecialem Intentionem divitiarum, ut homines cum divitiis habeant Poteſtatem in tenendo Juſtitiam, & in dando eleëmoſynas pauperibus hominibus, & quòd habeant Spem, Charitatem, Prudentiam & Fortitudinem contra vitia, quæ per abſentiam Spei, Charitatis & Juſtitiæ capiuntur in animo vitioſi hominis.

3. Fili, propter defectum Fortitudinis deſiderantur, congregantur & poſſidentur multæ divitiæ malè diviſæ, & dantur multis filiis indignis divitiis, qui habent magìs contrariam Intentionem ad divitias, quas poſſident, quàm haberent, ſi viverent in Paupertate.

4. Scisnè Fili, quare homines fortiùs conentur congregare corporales divitias, quàm divitias Virtutum? ideo, quia amant temporalia bona per Primam Intentionem, & cœleſtia per Secundam; & ideo, Fili, ſunt multi homines divites denariis, poſſeſſionibus, caſtellis, villis & civitatibus, qui ſunt pauperes Fide, Spe, Charitate & aliis Virtutibus, per quam Paupertatem dæmon tenet illos tentatos, & ſunt ingrati DEO.

De Paupertate.

1. FIli, Paupertas eſt eâ Intentione, ut homo per illam in ſua anima poſſit meliùs intelligere DEUM recolendo, intelligendo & amando, ejiciendo è ſuo recolere, intelligere & amare divitias hujus mundi, quæ ſunt impedimentum ad recolendum, amandum & intelligendum DEUM.

2. Amabilis Fili, Paupertas eſt amabilis per Secundam Intentionem, & divitiæ Virtutum per Primam; ſed dæmon tentat homines in his duabus Intentionibus, ut ament divitias Virtutum per Secundam Intentionem, & Paupertatem per Primam, & quòd ament Paupertatem per Secundam Intentionem, & uſum vitiorum per Primam; & hanc tentationem facit dæmon, ut ſit contra legitimam Intentionem Paupertatis.

3. Fili, Paupertas vix eſt in animis hominum per Primam Intentionem, quia tantùm amant delicias hujus mundi, quæ conveniunt cum divitiis, & tantùm timent paſſiones, quas Paupertas inducit, ut homo utatur Fide, Spe, Charitate, Fortitudine & Temperantia; quæ Paupertas Spiritûs quaſi non habet, in quo ſe fortificet contra amatores divitiarum.

4. Amabilis Fili, pauperes ſunt homines, qui habent ſuas divitias & ſuos theſauros in divitibus hominibus, qui amantur per Secundam Intentionem, & illorum divitiæ amantur per Primam; & ideo divites & pauperes homines tentantur ſupradicto modo contra Intentionem paupertatis, quæ deberet reſtitui & conſervari ab illis, quos paupertas facit honoratos, & eſſe acceptabiles DEO & Hominibus.

De Honore.

1. FIli, Honor eſt in hominibus, ut honorent DEUM; & ideo hominibus convenit honor per Secundam Intentionem, dando DEO honorem per Primam Intentionem; ſed dæmon tentat homines in duabus Intentionibus, ut habeant Primam Intentionem ad ſe ipſos, & Secundam ad DEUM.

2. Amabilis Fili, homo, qui amat eſſe honoratus per Primam Intentionem, eſt ſuperbus & invidus contra Juſtitiam, Fortitudinem & Charitatem; & eſt ſuperbus, in quantum amat magìs honorari, quàm DEUS; nam, ſi amaret, quòd DEUS magìs honoraretur, quàm ipſe, amaret honorari per Secundam Intentionem, & amaret, quòd DEUS honoraretur per Primam; eſt etiam invidus, quia habet invidiam de honore, qui illi disconvenit; & eſt injurioſus in Intentione, propter quam vult honorari; & eſt contra fortitudinem animi victus per ſuperbiam & invidiam.

Fili,

3. Fili, injuria non habet Charitatem, poſtquam magìs amat ſuum honorem, quàm Honorem DEI; ideo Fili, ut homo habeat vitia contra Virtutes, tentat dæmon homines in Intentione, propter quam illis convenit honor; quæ tentatio eſt, Fili, ût tibi ſuprà diximus; & ideo honores in hominibus quaſi exierunt de vera & legitima Intentione; & ideo homines peccatores ſunt inhonorati in hoc, in quo putant habere honorem; quia eſt homini magnum dedecus eſſe obedientem dæmoni, & eſſe ſubditum peccato, & quòd in illa ſubmiſſione putet eſſe honoratus.

4. Amabilis Fili, honor divitiarum, veſtium, curiæ, menſarum & expenſarum debet deſiderari per Secundam Intentionem, & honor Fidei, Spei, Charitatis, Juſtitiæ, Prudentiæ, Fortitudinis, Temperantiæ, Humilitatis, Legalitatis, Abſtinentiæ & Patientiæ debet deſiderari per Primam Intentionem; ſed dæmon tentat homines, ut habeant Primam Intentionem ad corporales honores, & Secundam ad ſpirituales; & ideo, Fili, multi homines honorantur in curiis magnorum Dominorum, & habent honorata veſtimenta, & ſunt ſpiritualiter inhonorati, in quantum inclinant ſuas cogitationes ad injurias, falſitates, proditiones, aſtutias, fraudes & defectus.

5. Fili, ſi tu amas honorem, ama ſpiritualiter in illo honore Charitatem & Juſtitiam, ut in illo ſint Spes, Prudentia & Temperantia, per quas honoraberis in Sapientia & in Voluntate DEI; nam major honor, quem poſſis habere, eſt, quòd DEUS te ſciat juſtum & amatorem ſuorum honorum, & quòd ameris à DEO; & major inhonoratio, quam poſſis habere, eſt, quòd DEUS, qui omnia ſcit, te ſciat totum luxurioſum, avarum, ſuperbum, acedioſum, invidum, iracundum, falſum, proditorem, ſubditum infinitis laboribus, & lapſum in iram DEI.

6. Amabilis Fili, ſi homines te inhonorant, quando honoras DEUM, tunc honoraris per DEUM & in DEO & cum DEO; honoraris *per DEUM*, quando ille te honorat in ſuo intelligere & velle; honoraris *in DEO*, quando in ſua ſapientia ſciris juſtus & virtuoſus, & in ſua voluntate amaris; honoraris *cum DEO*, in quantum in illo ipſo per omnia tempora glorificaberis, modò in tuo recolere, intelligere & amare teneas illum honorem, qui convenit DEO.

7. O Fili, quàm periculoſum eſt deſiderare honorem in hoc mundo; quia honor non eſt deſiderabilis, niſi ut honoretur officium, quod illi eſt commiſſum ad honorandum DEUM; ſed plurimi homines deſiderant habere honorata officia, ut ipſi ſint honorati; & dæmon tentat homines, quòd honorent officiales Intentione illorum ipſorum, & non propter officium; & propter hoc, Fili, ſunt in mundo tot labores & tot errores, fraudes & defectus.

8. Scias Fili, quòd magìs virtuoſus & affectuoſus appetitus, quem homo habet in deliciis hujus mundi, & in deſiderare honores, ſit, quando ad amandum DEUM & ad liberiùs ſerviendum illi relinquuntur denarii, parentes, poſſeſſiones, filii, uxor, honorata veſtimenta & delicati cibi; ſed vix eſt homo, qui non velit habere honorem contra Intentionem, propter quam eſt deſiderabilis.

De Elementis.

1. FIli, Elementa ſunt Intentione naturalîs operis, ut ſit humanum corpus, & ut de Elementis ſit compoſitum, generatum & ſuſtentatum, ut homo poſſit eſſe, & habere vitam in amando & cognoſcendo DEUM. Iſta Elementa, amabilis Fili, ſequuntur curſum & Intentionem, propter quam ſunt, ad ſignificandum, quòd homines in ſuis officiis ſequantur Intentionem, propter quam officia ſunt; nam, ſi Elementa, quæ non habent diſcretionem nec rationem, ſequuntur Intentionem, propter quam ſunt, quantò magìs homo, qui habet diſcretionem & rationem, debet in ſuo officio ſequi Intentionem, propter quam eſt ſuum officium, & rationem, propter quam ſuum officium eſt illi datum.

2. Amabilis Fili, ignis eſt calidus & ſiccus, & aër eſt humidus & calidus, & aqua eſt frigida & humida, & terra eſt ſicca & frigida; *ignis* eſt calidus per ſuam proprietatem, & eſt ſiccus per proprietatem terræ; & *aër* eſt humidus per ſuam naturam, & eſt calidus per naturam ignîs; *aqua* eſt frigida per ſuam naturam, & humida per aërem; & *terra* eſt ſicca per ſe ipſam, & eſt frigida per aquam; & ideo, Fili, quodlibet elementum ſecundùm prædictam ordinationem habet ad ſe ipſum & ad ſuam qualitatem Primam Intentionem, & ad aliud Elementum Secundam.

3. Fili, ignis recipit ſuam ſiccitatem à terra per Primam Intentionem, quia ſuus calor convenit cum ſiccitate; & per Secundam Intentionem recipit ſiccitatem, ut in illa ſiccitate poſſit mortificare & deſtruere frigiditatem, quæ eſt in ſiccitate, ut ſit contraria igni in Secunda Intentione aquæ; & ignis, Fili, dat ſuum calorem aëri per Primam Intentionem, ut calor conveniat cum humiditate aëris; & ignis calefacit aërem per Secundam Intentionem, ut in calefacta humiditate, quam aër dat aquæ, ignis mortificet frigiditatem, quæ illi eſt contraria, & aqua recipit illam humiditatem calefactam, ut in ſe ipſa poſſit mortificare & deſtruere caliditatem; & hoc idem ſequitur de aëre & de terra; & propter hoc Elementa deſcendunt de ſuis ſphæris deorſum, & aſcendunt ſurſum per Primam & Secundam Intentionem, ſecundùm quod ſunt qualitates cujuslibet elementi.

4. Amabilis Fili, per ſupradictam ordinationem duarum Intentionum intrant Elementa in compoſitionem per generationem & corruptionem, & ſunt contraria & concordantia per medium & ſinè medio: unde, cùm hoc ita ſit, Fili, per hoc, quod Elementa faciunt per Primam & Secundam Intentionem, ſcilicet naturalem appetitum, conſulo tibi, quòd tu debeas capere exemplum in illis, utendo Intentione cum Virtutibus contra vitia, ut habeas Primam Intentionem ad DEUM ſuper omnia.

De Prælatis.

1. FIli, Prælatus eſt Intentione regendi & gubernandi Clericos, qui ſunt ſub illo, ſicut populus, qui eſt ſub Principe; & iſti Prælati, Fili, debent habere Primam Intentionem ad Clericos, & Secundam ad ſuam Prælationem; ſed dæmon tentat Prælatos, ut habeant Primam Intentionem ad Prælationem, & Secundam ad Clericos; unde provenit, quòd per talem mutationem Intentionum amentur delicati cibi, impinguationes, honor & vanitates, per quas deſtruitur vera Intentio, contra Virtutes Charitatem, Juſtitiam, Humilitatem & Fortitudinem.

2. Amabilis Fili, Intentio habendi Prælaturam non eſt poſita in genere nec in ſucceſſione filii ad patrem, nec agnati ad agnatum, ſicut principatus eſt ſucceſſivè per genus; & hoc, Fili, eſt ideo, quia Prælatio acquiritur cum perfectione Fidei, Spei, Charitatis & Juſtitiæ & cum aliis Virtutibus; ſed dæmon tentat homines, quòd deſiderent eſſe Prælati, & quòd habeant Intentionem ad conquirendum prælaturam per contraria Virtutibus.

3. Fili, in principio quando homines intrant in Cleriſiam Intentione poſſidendi divitias, & habendi honores, qui conveniunt Prælato, in illo tempore incipit Simonia; & ſcisnè quare? ideo, quia habent falſam intentionem contra Intentionem, propter quam eſt prælatio: unde, ſi tu, Fili, deſideras eſſe Prælatus, eſt tibi licitum illud deſiderium, dummodò habeas Intentionem, quòd in illa Prælatione meliùs velis & poſſis uti Virtutibus, habendo Primam Intentionem ad DEUM, & Secundam ad te ipſum.

4. Fili, multi homines habent bonam Intentionem in deſiderando eſſe Prælati, ſed quando ſunt Prælati, dæmon tentat bonam Intentionem, in qua ſolebant eſſe, antequam eſſent Prælati, quam tentationem facit illis cum divitiis & honoribus, qui conveniunt Prælato; &, quia ipſi non ſciunt habere Fortitudinem in Charitate, Juſtitia, Prudentia, Humilitate & Temperantia, ideo vincuntur in Prælatis contra Intentionem Prælationis.

De Religioſis.

1. FIli, Religioſus eſt eâ Intentione, ut habeat contemplativam vitam exaltatam ſuper activam vitam; & ideo, Fili, in vero Religioſo Prima Intentio ſe habet ad contemplativam vitam, & Secunda ad activam vitam; & dæmon tentat Religioſos, ne ſint in vera Intentione, per quam tentationem perverſus Religioſus conſentit dæmoni, & habet Primam Intentionem ad activam vitam, & Secundam ad contemplativam vitam ſub habitu Religionis.

2. Sicut milites ſunt ſubditi ſuo Principi, ut Princeps poſſit conſervare ſuum populum in pace & Juſtitia, ita, Fili, Religioſus in activa vita debet eſſe ſubditus Pontifici & Prælato ad ordinandum populum, qui illis eſt commiſſus; & ideo, Fili, Religioſis eſt aſſignata prædicatio & peccatorum confeſſio, ut ſit activa vita, & ut juſtitia & populus conſervetur cum Fide, Spe, Charitate & cum aliis Virtutibus.

3. Scias Fili, quòd dæmon contra Fortitudinem Fidei, Spei, Charitatis, Juſtitiæ, Prudentiæ, Temperantiæ & Humilitatis tentat

tentat Religioſos per activam vitam, & contemplativus Religioſus defendit ſe cum contemplativa vita.

4. Amabilis Fili, Intentio eſt nobilior per opera, quàm per verba; & ideo verus Religioſus debet habere Primam Intentionem ad bona opera, & Secundam ad verba ſecundùm comparationem prædicationis & ſanctæ vitæ; ſed, Fili, dæmon tentat Religioſum, quòd habeat Primam Intentionem ad prædicandum cum pulchris verbis, & Secundam ad ſanctam vitam, ut injuria cum vitiis in illo vincat Juſtitiam in Fortitudine & in aliis Virtutibus.

5. Fili, Intentio, propter quam in ſtatu Religioſo eſt altior & nobilior vita, quàm in alio ſtatu, eſt, quia Religio eſt per Intentionem, ut Religioſus ſit lumen & exemplum gentibus, & ut Infideles reducantur ad veritatem per martyrium & prædicationem devoti ferventis Religioſi, qui non dubitat ſuſtinere mortem ex Amore honorandi DEUM, & ut per orationem devotorum ſanctorum contemplativorum Religioſorum magna Miſericordia DEI det veniam nobis peccatoribus, & ut Juſtitia, quæ convenit cum Miſericordia, exaltet ſuos ſervos in Charitate.

De Clericis.

1. FIli, Clericus eſt eâ Intentione, ut precetur DEUM pro ſæcularibus hominibus; ut DEUS illis det gratiam, quòd faciant bonum, & non faciant malum, &, ſi faciant malum, quòd DEUS illis hoc remittat.

2. Amabilis Fili, facere bonum eſt per Primam Intentionem, & ceſſare à malo, eſt per Secundam, quia melius eſt facere bonum, quàm ceſſare à malo; nam in facere bonum concordant Fides, Spes, Charitas & aliæ Virtutes una cum aliis, & in ceſſare à malo Virtutes concordant contra vitia per Intentionem, ne faciant malum: unde, cùm hoc ita ſit, dæmones, Fili, tentant Clericos, quòd habeant Primam Intentionem ad ceſſandum à malo, & Secundam ad faciendum bona opera; & ideo multi Clerici putant eſſe in ſtatu ſalvationis, quando non faciunt malum nec bonum, in quo *non facere* bonum putant eſſe excuſati, quia non faciunt malum; & propter hoc, Fili, deviant ab Intentione, propter quam ſunt.

3. Clerico non eſt licitum habere uxorem, nec eſſe opificem; & hoc, Fili, eſt per Intentionem, quòd non ſint occupati per filios nec per terrena bona in precando DEUM & in utendo ſuo officio, in quo ſunt, ſecundùm Intentionem, quam illorum officium requirit; & propterea, Fili, Clericis dantur decimæ, ut de illis vivant, & ut tota illorum vita ſit in rogando DEUM pro populo; ſed dæmon tentat illos in Intentione, propter quam ſunt, & facit illos deſiderare divitias & temporales delicias, ut illorum oratio impediatur, & ut ipſi ſint indigni, quòd exaudiantur.

4. Fili, Clericus eſt propter Intentionem defendendi & amplificandi Sanctam Catholicam Fidem, & eſt ad faciendum Sacrificium DEO, & ad deſtruendum hæreticos & errores, & ad audiendum confeſſiones, & ad certificandum homines de dubiis, quæ habent de Fide; & Clericus eſt, Fili, ad prædicandum & ad diſputandum cum Infidelibus, & eſt ad dandum conſilium, & ad pacificandum homines, qui ſunt in laboribus: unde, Fili, cùm Clericus ſit propter Intentionem omnium ſupradictarum rerum & multarum aliarum, ideo dæmon tentat Clericos in Intentione, propter quam ſunt, ut illos poſſit ejicere de illa Intentione, & ut illi in ſuo officio ſint ſinè Intentione & utilitate.

5. Amabilis Fili, dæmon tentat ſæculares homines propter Intentionem Clericatûs, quia multi homines ſunt, qui faciunt ſuos filios Clericos propter amorem divitiarum & honorum, quos habent Clerici; & dæmon tentat Clericos per luxuriam, ut ſint contra officium, quod habent, faciendi Matrimonium inter maritum & uxorem, concupiſcentes uxores & filias proximi. Dæmon etiam tentat Clericos per avaritiam, ut bona, quæ illis ſuperſunt, non dent pauperibus JESU Chriſti; & tentat illos per injuriam, ut illa bona dent ſuis cognatis; & tentat illos per ſuperbiam, in deſiderando honores; & tentantur per gulam, comedendo delicatos cibos; & per multa alia tentantur Clerici, ut illorum opera ſint malum exemplum gentibus: unde, cùm hoc ita ſit, Fili, aperi oculos, & vide, quot Clerici devient ab Intentione, propter quam ſunt, quia amant officium Clericatûs per Secundam Intentionem, & divitias Eccleſiæ per Primam Intentionem.

)(o)(

De Principibus.

1. FIli, Princeps est eâ Intentione, ut cum timore teneat justitiam in suo Principatu; nam, sicut Sanctus Pater Apostolicus est in mundo per Intentionem, quòd cum amore gubernet & defendat suos subditos, ita, Fili, Princeps est per Intentionem, quòd timeatur ab hominibus inimicis justitiæ.
2. Amabilis Fili, Princeps debet habere Primam Intentionem ad lucrandum meritum in suo officio per opus Fidei, Spei, Charitatis, Justitiæ &c., & debet habere Secundam Intentionem ad suum officium; sed dæmon, qui est contrarius ordinationi duarum Intentionum, tentat Principes, ut Intentio exeat de ordinatione, propter quam est creata in homine.
3. Quando Princeps habet Primam Intentionem, ut sit Marchio, Dux, Rex vel Imperator, & Secundam ad Virtutes, tunc, Fili, deviat ab Intentione, per quam deviationem est injustus contra Justitiam, quæ in illo perdidit suum jus; & ideo, Fili, talis Princeps honoratur à gentibus per Intentionem, quòd teneat Justitiam, & ille facit se servum & captivum injuriæ, cui non convenit honor Imperii, Regni vel ullius alterius Principatûs.
4. Si non esset injuria, non esset Princeps; & si non esset Princeps, non esset, qui haberet perfectam Intentionem ad tenendum Justitiam; veruntamen multi Principes sunt in mundo, & Intentio, quam habent in tenendo Justitiam, est modica secundùm comparationem illius, quam habent, ut sint honorati, divites, sani, diu stantes in prosperitatibus hujus mundi.
5. Enumera Fili, quàm pauci in numero sint Principes, qui sunt in mundo secundùm comparationem tot hominum illis subjectorum; & æstima Fili, quomodo tam pauci homines in numero Principum possent ordinare & dirigere mundum, dummodò haberent ordinatam Intentionem in Fide, Spe, Charitate, Justitia &c.; &, quia mundus est in tam magnis inordinationibus, laboribus & erroribus, cogita Fili, an & quomodo Principes cum Intentione conveniant in Virtutibus vel in vitiis?
6. Amabilis Fili, Intentio potest esse major vel minor in homine secundùm gradum, in quo est positus; unde, quando accidit, quòd Intentio deviatur à sua regula, in quantò altiori gradu est homo, tantò magis est contra veram Intentionem; talis est, Fili, inimicus Intentionis & gradûs, ad quem Intentio illum exaltavit, ipso tenente Intentionem in majori inhonoratione, quàm alius homo: unde, cùm ista verba, quæ ego tibi dico, sint vera, plora & plange damnum, inhonorationem, injuriam, superbiam & multa alia mala, quæ sequuntur per indigentiam veræ perfectæ honoratæ humilis & virtuosæ Intentionis fortis cum Fortitudine Veritatis & Justitiæ contra fraudes & errores.

De Equitibus.

1. FIli, Equites sunt per Intentionem serviendi Principi cum Justitia, ut Princeps cum amore & cum timore teneat Justitiam; &, cùm timor & amor conveniant, & amor sit nobilior Virtus, quàm timor, ideo, Fili, Eques debet habere Primam Intentionem ad amorem, & Secundam ad timorem.
2. Amabilis Fili, Eques tentatur à dæmone, qui illum tentat in suo officio in rebus, quæ conveniunt Intentioni, propter quam est Eques, quam tentationem illi facit in mutatione Intentionis, propter quam est Eques; & ideo Fili, quando Eques ignorat se defendere à tentatione, vincitur & superatur in campo Justitiæ, Charitatis, Fortitudinis, Prudentiæ & Humilitatis, in quo campo illum vincit dæmon cum vitiis contra Virtutes, ut Eques sit sinè Intentione militiæ.
3. Scisnè Fili, quare tentatio fiat contra Intentionem? ideo, quia est occasio destruendi hoc, quod convenit cum *esse*, & adducendi ad privationem illud *esse* per privationem veræ Intentionis; nam per privationem veræ Intentionis res, quæ sunt in *esse*, se inclinant ad non *esse*, & res, quæ sunt in non *esse*, deveniunt in *esse*, quæ sunt indignæ ipso *esse*: & ideo, Fili, vera Intentio & falsa Intentio contrariantur in Equite, quando Eques de Prima facit Secundam, & de Secunda Primam.
4. Fili, multa sunt in officio Equitis per Intentionem, quòd Eques cum omnibus illis sciat custodire & defendere Intentionem in suo officio, quæ custodia fit cum fortitudine justi humilis veracis legalis & fortis animi contra perversitatem & fraudem gulæ, luxuriæ, avaritiæ, superbiæ, acediæ, invidiæ, iræ, fraudulentiæ, proditionis, vanæ gloriæ & vanorum verborum.
5. Amabilis Fili, Eques, qui habet majorem Intentionem, ut sit benè armatus corporalibus armis, quàm spiritualibus, magis amat laudari per magnos ictus in prælio cum lancea, gladio, & magis injuriosè occidendo homines, quàm laudari per ictus Justitiæ contra injuriam, & Humilitatis contra superbiam, & Castitatis contra luxuriam, & Legalitatis contra proditionem.
6. Id, propter quod dæmon tentat Equitem contra Intentionem, propter quam est Eques, est ideo Fili, ut Eques sit inordinatum medium inter Principem & populum; & ideo, Fili, sapiens Eques est ille, qui scit conservare Intentionem, propter quam est Eques, ad salvandum Intentionem, quæ est in Principe & in populo.

De Populo.

1. FIli, populus est per Intentionem aggregationis & conjunctionis gentium, ut in illis nascantur boni mores, & ut sint diversi opifices in civitate, qui sunt necessarii aliis hominibus, sicut mercatores, fabri ferrarii, lignarii, sutores & alia officia, quæ conveniunt cum mechanicis artibus.
2. Amabilis Fili, Populus & civitas sunt per Primam Intentionem, & villæ & castella sunt per Secundam; & civitas est per Secundam Intentionem, & artes mechanicæ sunt per Primam; & artes mechanicæ sunt per Secundam Intentionem, & septem liberales Artes sunt per Primam, quæ Prima Intentio, Fili, est Secunda secundùm comparationem Theologiæ, Philosophiæ, Juris & Medicinæ, quæ sunt per Primam; & omnia ista, Fili, sunt per Secundam Intentionem, & Theologia & septem Virtutes sunt per Primam, quæ Virtutes, Fili, sunt Fides, Spes, Charitas &c.
3. Fili, cùm Populus sit per Secundam Intentionem, & septem Virtutes per Primam, ideo dæmon tentat Populum, ut generetur inordinatio in gradibus supradictarum Intentionum, quæ conveniunt cum ordinatione; & hoc, Fili, facit dæmon contra septem Virtutes, quæ sunt viæ perdurabilis gloriæ, & ut vitia, quæ sunt viæ infinitorum laborum, sint in Populo.
4. Amabilis Fili, in civitate sunt burgenses & Magistratus per Intentionem, quòd defendatur universale jus commune populo, qui habet privilegia, libertates & immunitates per Intentionem, quòd bonæ consuetudines ibi defendantur, per quas Intentio sit in gradibus, qui conveniunt; sed, Fili, dæmon tentat burgenses & Magistratus cum delicatis vestimentis, cibis, epulis & prosperitatibus, ut illos ejiciat de Intentione, propter quam sunt constituti in civitate, & ut illos ponat in gulositate, luxuria, avaritia, superbia, acedia, invidia & ira, quæ sunt contrariæ Virtutibus.
5. Fili, mercatores sunt constituti in civitate & in aliis locis per Intentionem, quòd adferant res necessarias illi civitati, & Justitia consentit, quòd pro suis laboribus possint lucrari in suo officio; sed dæmon tentat mercatores cum avaritia contra Spem & Conscientiam, ut habeant superbiam contra Humilitatem; & ideo facit illos desiderare officium burgensium, cum quo desiderio illos ejicit de Intentione, propter quam sunt constituti in civitatibus, castellis & villis; quod officium burgesiæ desideratur per Secundam Intentionem, & deliciæ & honores, in quibus burgenses sunt, desiderantur per Primam, quin timeatur paupertas, quæ faciliùs accidit in burgensibus, quàm in mercatoribus.
6. Fili, in civitate sunt constituti ferrarii per Intentionem fabricandi, & hoc idem sequitur de aliis opificibus; sed dæmon tentat opifices, sicut ferrarium, quem facit desiderare fabricare per Intentionem, quòd vivat, & quòd habeat divitias, per quas possit esse honoratus, & ponere suas proles in magnum honorem mercaturæ vel burgesiæ, & ideo, Fili, ferrarius, qui consentit dæmoni, est falsus in suo officio in Intentione, propter quam est ferrarius, & ferrarius est sinè Intentione ferrariæ; sicut mercator, qui est extra Intentionem mercaturæ, quando falsò jurat emendo vel vendendo.
7. Amabilis Fili, Intentio est complementum & perfectio illius, propter quod homines sunt obligati ad amandum, operandum & movendum se de uno loco in alium, & ad cogitandum & desiderandum diversas res, quæ conveniunt huic mundo & alteri; & ideo, Fili, dæmon fortiùs tentat homines in Intentione, quàm in alia re; nam per deviationem ab Intentione destruitur omne id, quod est per Intentionem: unde, cùm hoc ita sit, & cùm dæmon destruat Intentionem de Prima in Secundam,

cundam, & de Secunda in Primam cum mutatione concordante cum vitiis contra Virtutes; ideo consulo tibi, Fili, quòd tibi caveas à dæmone in Intentione, quam habebis in tuis factis; nam, si illam veraciter & ordinatè potes habere, eris acceptabilis DEO & gentibus.

De Fine hujus Libri.

1. AMabilis Fili, finitus est hic Liber de Intentione cum gratia & adjutorio DEI; &, Fili, cùm vera Intentio perdiderit suam possessionem in plurimis hominibus, & per privationem ordinatæ Intentionis mundus sit fortiùs in labore & errore, quàm per aliam rem, ideo precor te, & commendo tibi multùm charè cum Justitia, & cum Amore & timore, quòd tu, Fili, plores & plangas damnum, quod sequitur in mundo, eò quia gentes non habent rectam Intentionem in suis operibus; „ & non solùm precor te, Fili, quòd plores „ & plangas, imò precor te, & mando ti„ bi, quòd desideres homines multùm sa„ pientes & devotos, audaces & ferventes, „ qui in brevi tempore veniant & vadant „ prædicando per mundum, quomodo In„ tentioni restituatur Veritas, Conscientia, „ Ordinatio, Honor & Perfectio.

2. Fili, si habes oculos, scias cum illis videre, & si habes aures, scias cum illis audire, & si habes Memoriam, scias cum illa recolere, ut cum tuo Intellectu scias intelligere, & cum tua Voluntate amare hoc, quod DEUS ordinavit in mundo; nam faber, latomus & alii opifices habent tot instrumenta ab illis tractanda, ut singulariter cum quolibet, & communiter cum omnibus possint sequi ordinationem Intentionis, quam sequentes frequenter & ferventer utantur Virtutibus contra vitia, cognoscendo & amando illum, qui omnibus & singulis est una vera & summa Intentio verus DEUS.

)(I)(

BEATI RAYMUNDI LULLI DOCTORIS ILLUMINATI ET MARTYRIS LIBER DE DEO, ET JESU CHRISTO.

Glorioſe DEUS! propter tuum Amorem facimus hunc Librum, qui vocatur *Liber de DEO*, ſcilicet divina Cognitio.

PROLOGUS.

1. CUm Principalis finis, propter quem homo est creatus, sit recolere, intelligere & amare DEUM, & homo ipsum tantò meliùs possit recolere, amare, honorare & illi servire, quantò plùs ipsum cognoscit, ideo facimus hunc Librum ad cognoscendum DEUM; *veruntamen, si in aliquo erramus in hoc Libro contra Sanctam Catholicam Fidem, vel erravimus in aliquibus aliis nostris Libris, submittimus ipsos Correctioni Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ.*

2. Intendimus hunc Librum facere quantò breviùs possumus; & quantò meliùs possumus, investigabimus DEUM; *tamen convenit, quòd in aliquibus passibus subtiliter loquamur de DEO, ut de ipso clariùs ostendamus veritates, quas proponimus dicere & probare, quas non possemus significare & ostendere grosso modo.*

De Divisione hujus Libri.

1. DIvidimus hunc Librum in *duas Partes*, in *prima Parte* tractabimus de DEO secundùm suam Essentiam, Proprietates, Dignitates & Actus earum; in *secunda Parte* tractabimus de nostro Domino JESU Christo, & de sua Incarnatione, & declarabimus aliquas operationes pertinentes ad ipsum.

2. In hoc Libro intendimus procedere secundùm *Artem Generalem* cum suis Principiis & Regulis investigando veritates, quas intendimus investigare & declarare; quæ principia sunt hæc: *Bonitas, Magnitudo, Æternitas, Potestas, Sapientia, Volun-*

Voluntas, Virtus, Veritas, Gloria, Differentia, Concordantia, Contrarietas, Principium, Medium, Finis, Majoritas, Æqualitas, Minoritas; & suæ Regulæ sunt decem generales Quæstiones, per quas potest quæri de omnibus rebus; sicut quærere: *Utrùm* res sit vel non? *Quid* est? *De quo* est? *Quare* est? *Quanta* est? *Qualis* est? *Quando* est? *Ubi* est? *Quomodo* est? & *Cum quo* est?

3. Per has decem Quæstiones procedemus in prima & secunda Parte hujus Libri, ut meliùs possimus investigare & declarare veritates, quas desideramus invenire; & ad quamlibet Quæstionem respondebimus per *decem Rationes.*

4. „ Iste Liber est valde utilis ad sciendum, „ quia per ipsum potest homo destruere „ tentationes, si quas habet, contra Sanc„ tam Catholicam Fidem; præterea cum „ ipso potest homo resistere Infidelibus „ destruendo eorum errores & objectio„ nes, quas faciunt contra Sanctam Catho„ licam Fidem, contra quos per hunc Li„ brum possunt fieri objectiones & proba„ tiones, quas non possunt destruere per „ rationes.

5. Item dicimus, quòd iste Liber sit utilis ad sciendum, quia in doctrina, quam in ipso dabimus ad investigandum veritates de DEO, & de sua Incarnatione, potest haberi ars & doctrina ad investigandum Veritatem aliorum Entium, sicut investigare, utrùm Angeli sint, quid sint, de quo sint; & sic de aliis rebus.

PRIMA PARS
De DEO.

QUÆSTIO I.
Utrùm sit DEUS?

AD probandum, quòd DEUS sit, dabimus *decem Rationes,* quarum contrarium est impossibile; de quibus decem Rationibus hæc est prima.

1. Aut summa Bonitas est, aut non est? & sic de summa Magnitudine, Duratione, Potestate, Sapientia, Voluntate, Virtute, Veritate, Gloria; &, si summa Bonitas non est, nec Magnitudo, & sic de aliis, inferior bonitas non est, nec magnitudo, & sic de aliis; & hoc est impossibile: cùm summa Bonitas & inferior se habeant relativè; nam, si una ipsarum est, convenit, quòd sit alia ipsarum; &, si non est ita, alia non potest esse: quòd summa Bonitas sit, habemus experientiam in hoc, quòd vegetatæ substantiæ sint meliores, quàm lapides, & sensatæ substantiæ sint meliores, quàm arbores, & homo sit melior per naturam, quàm equus; igitur summa Bonitas est, quæcunque illa sit: Bonitas hominis non potest esse summa, cùm homo possit peccare, & cùm sit mortalis; &, quia peccatum & mors sunt mala & contraria Bonitati in subjecto, in quo sunt, ideo non potest esse summa Bonitas: nec in cœlo potest esse summa Bonitas, quæ sit de sua essentia; cùm cœlum non habeat Intellectum, Voluntatem & Memoriam, cum quibus possit facere electionem de duobus contrariis, nec acquirere habitus Virtutum, per quas mereatur fœlicitatem; præterea cœlum servit homini, elementis, plantis, bestiis & aliis rebus, quæ serviunt homini, & cœlum à nullo istorum accipit servitium, propter quod non potest esse subjectum summæ Bonitatis: idem est de elementis, plantis, metallis & brutis animalibus, quæ non possunt habere summam Bonitatem, cùm homo & sol habeant nobiliorem Bonitatem, quàm illa habent; igitur est una alia substantia, quæ habet summam Bonitatem, quæ substantia est nulla prædictarum hujus mundi; illa substantia, quæ habet summam Bonitatem, est DEUS, quem investigamus, & quem convenit habere summam Magnitudinem, Durationem, Potestatem, Sapientiam, Voluntatem, Virtutem, Veritatem & Gloriam, sinè quibus non posset habere summam Bonitatem, quia illarum privatio esset illi summum malum; & cùm summa Bonitas & summum malum non possint esse, quia sunt contraria: igitur est una substantia, quam vocamus unum DEUM, quæ

quæ habet unam summam Bonitatem, unam summam Magnitudinem, & sic de aliis; habet unam summam Bonitatem, & non multas, quia, si essent multæ summæ bonitates differentes per essentiam, nulla ipsarum esset summa respectu alterius, nec aliqua ipsarum esset infinita, sed omnes essent finitæ, & essent plures Dii finiti per bonitatem, quorum finitas esset eis summum malum, quod summum malum non potest esse; & hoc, quod diximus de summa Bonitate, potest dici de summa Magnitudine & aliis: probavimus igitur, quòd sit unum summum Bonum per summam Bonitatem, & quòd sit unum summè magnum per summam Magnitudinem, & sic de aliis, & quòd sit unus DEUS tantùm, qui continet & gubernat omne, quod est.

2. Probavimus summam Bonitatem, Magnitudinem, Durationem (quam appellamus Æternitatem) & sic de aliis Dignitatibus, quas DEO attribuimus, quæ sunt summa Potestas, summa Sapientia &c., sinè quibus DEUS non potest esse summum Ens; modò volumus probare, quòd quælibet suarum Dignitatum sit quælibet alia per essentiam & naturam; quia, si per essentiam & naturam essent differentes, accidentia caderent in ipsas, cum quibus non possent esse summæ Dignitates, cùm accidentia sint Ens, quod per se non potest esse, sed per aliud; & accidentia, quæ essent in ipsis, essent impossibilia, quia Bonitas non esset magna per se, sed per Magnitudinem, & Magnitudo non esset bona per se, sed per Bonitatem, & sic de aliis; unde sequeretur, quòd per accidentia essent inferiùs, & in quantùm essent substantiæ, essent superiùs; & quia hoc est impossibile, quòd una & eadem substantia per suas partes sit superiùs & inferiùs, de necessitate sequitur, quòd sit summa Bonitas & summa Magnitudo, & sic de aliis, quarum quælibet est alia, & quòd omnes insimul & sinè aliquo accidente sint unum summum Ens, & è converso, quòd illud sit omnes illæ Dignitates existentes summum Ens, quod per se est summum, bonum, magnum, æternum &c., in quo Bonitas per se est magna, æterna, & sic de aliis; & illud unum Ens sic consideratum & inventum vocamus DEUM, cujus *esse* sit laudatum & benedictum.

3. Probavimus, quòd sint summæ Dignitates, & probavimus, quòd quælibet sit alia, modò volumus probare, quòd actus illarum sint summi; per quam probationem probabimus, quòd DEUS sit; & actus Dignitatum appellamus bonificare Bonitatis, magnificare Magnitudinis, æternare Æternitatis, possificare Potestatis, intelligere Sapientiæ, velle Voluntatis, virtuificare Virtutis, verificare Veritatis, & glorificare Gloriæ; sinè istis actibus nulla Dignitas posset esse summa, sicut Bonitas, quæ sinè bonificare haberet otiosam naturam, quæ otiositas illi esset mala, cum qua non posset esse summa; idem est de Magnitudine, quæ sinè magnificare haberet otiosam naturam, cujus otiositas illi esset parvitas, cum qua non posset esse summa, cùm parvitas illi contrarietur; & hoc idem de actibus aliarum Dignitatum; igitur sunt summi actus, postquam sunt summæ Dignitates: & quia summæ Dignitates convertuntur, convenit, quòd summi actus ipsarum convertantur in tantum, quòd unus actus sit alius actus, per quorum conversionem convenit, quòd sit unum summum Ens, quod quærimus, & quod appellamus DEUM, qui est summus per summum Bonificare, Magnificare, Durare &c.; & in hoc passu incipimus significare Beatissimam Trinitatem DEI, de qua loquemur in aliis subsequentibus Quæstionibus.

4. Suprà in *tertio paragrapho* probavimus summos Actus summarum Dignitatum, modò volumus probare, quòd non possent esse summi, nisi quilibet actus esset de Essentia suæ Dignitatis, sicut bonificare, quod non posset esse summum, si non esset de Essentia summæ Bonitatis, & de Essentia summi Bonificantis, & de Essentia summi Bonificati vel Bonificabilis; & volumus probare, quòd omnes tres sint de Essentia summæ Bonitatis, & quòd Bonitas sit de ipsis; quia, si Bonificare summi Bonificantis & summi Bonificabilis non esset de Essentia summæ Bonitatis, Bonificare esset compositum de duabus Essentiis, scilicet de una summa, & de alia infima, & tale bonificare non esset summum simpliciter: unde ex hoc sequeretur summum malum, summum vitium & summa parvitas Magnitudinis, Potestatis &c., quod est impossibile: igitur est probatum, quòd sit summum Bonificare, quod simpliciter est de Essentia summæ Bonitatis; & idem potest probari de summo Magnificare,

quod convenit esse de Essentia summæ Magnitudinis, & sic de aliis actibus & suis dignitatibus: unde cùm probaverimus in *primo paragrapho*, quòd summæ Dignitates sint, & in *secundo paragrapho*, quòd una Dignitas sit alia, & in *tertio paragrapho*, quòd quilibet actus sit alius actus, & cùm probaverimus, quòd summi Actus sint de summis Dignitatibus, de necessitate convenit, quòd DEUS sit, qui sit summus per summas Dignitates & per summos actus, sinè cujus esse summæ Dignitates & summi actus non possent esse; & in hoc paragrapho significamus Beatissimam Trinitatem DEI.

5. Æternitas de necessitate est Ens, quia, si non esset Æternitas, mundus principiasset se ipsum; quod est impossibile: nam, si mundus principiasset se ipsum, esset contradictio, quæ non potest esse, eò quòd mundus fuisset, antequam fuisset, postquam principiavit se ipsum, & mundus non antè fuisset, quàm fuisset, postquam fuit principiatus; igitur Æternitas est Ens necessarium, non possibile; & est impossibile, quòd Æternitas non sit: &, quia Æternitas est Essentia infinita in Duratione, ideo potest esse; postquam Æternitas est, potest esse per essentiam sibi existentem infinitam potestatem, sinè qua non posset esse infinita; igitur infinita Potestas est, quæ per suam essentiam & naturam habet infinitam possificationem; quia, si non haberet infinitam possificationem, plus posset per æternitatem, quàm per se; quod est impossibile: unde cùm probaverimus in *secundo paragrapho*, quòd summæ Dignitates ad invicem sint idem numero, id est, quòd quælibet Dignitas sit alia; & in *tertio paragrapho*, quòd quilibet summus Actus sit quilibet alius actus; & in *quarto paragrapho* probaverimus, quòd summi Actus sint de summis Dignitatibus, de necessitate sequitur, quòd infinita Potestas sit cum infinito possificare, sicut infinita Æternitas est cum infinito Æternare, & quòd infinitum Æternare & Possificare sint unus Actus, postquam infinita Potestas & Æternitas sunt una & eadem Essentia: igitur mundus non habet æternitatem, postquam non habet infinitam potestatem in possificando, nec æternum & infinitum possificabile possificatum; igitur est una Æternitas, quæ habet infinitum æternare, & ista est infinita Potestas, quæ habet infinitum possificare, quæ ad invicem sunt unum summum Ens & una summa Substantia, quæ est infinita Æternitas & infinita Potestas, quod summum Ens habet infinitum æternare & infinitum possificare; & tale Ens ita conditionatum, sicut diximus, quod investigavimus & invénimus, appellamus DEUM, cujus *Esse* adoramus & amamus, & ab ipso speramus gratiam & benedictionem.

6. Probatum est, quòd sit infinita Æternitas & infinita Potestas, modò probabimus, quòd sit infinita Magnitudo in extensitate (ût ita loquar) Infinita Potestas est, ût probatum est, quæ habet infinitum Possificare, quod convertitur cum Æternitate & Æternare; igitur convenit, quòd convertatur cum infinita Magnitudine & cum infinito Magnificare, ut infinito Possificanti habenti infinitum & æternum Possificare possit sufficere Essentia magna & infinita per infinitum Magnificare, sinè qua, scilicet infinita Magnitudine & infinito Magnificare Possificanti non sufficerent infinitum Possificare & Æternare, quia non haberet, de quo possificaret, æternaret & magnificaret extensè (ût ita loquar) & infinitè Possificatum, Æternatum & Magnificatum, nec infinita Virtus sufficeret sinè infinito Subjecto extenso per infinitam Magnitudinem: igitur est probatum, quòd sit infinita Magnitudo & infinitum Magnificare, quæ convertuntur cum infinita Æternitate & Æternare, & cum infinita Potestate & Possificare, ût probavimus in *tertio paragrapho:* igitur probatum est, quòd DEUS sit, sinè cujus *Esse* Æternitas & Æternare, infinita Potestas & Possificare, infinita Magnitudo & infinitum Magnificare non possent esse nec converti.

7. Probavimus in *quinto paragrapho*, quòd de necessitate sit Æternitas & infinita Potestas; modò volumus probare, quòd Æternitas & infinita Potestas de necessitate convertantur, & quòd sint una & eadem Essentia; quia, si essent diversæ Essentiæ, Æternitas non posset esse potens per se, nec Potestas posset esse æterna per se; unde sequeretur, quòd Æternitas, quæ est Ens necessarium, posset esse Ens possibile & contingens, & similiter infinita Potestas; quia Potestate deficiente Æternitati deficeret Æternitas, & Æternitate deficiente sequeretur possibilitas & contingentia, per quas mundus potuisset creare & principiare se

se ipsum; quod est impossibile, ût probavimus in *quinto paragrapho:* sequeretur etiam, si Æternitas & infinita Potestas essent diversæ Essentiæ, quòd esset possibile & contingens, quòd infinita Potestas deveniret in privationem Æternitate deficiente ipsi: item ex hoc sequeretur contradictio, cùm sit impossibile, quòd infinita Potestas possit devenire in privationem; nam, si posset devenire in privationem, infinita Potestas esset de necessitate & per contingentiam; quod est falsum & impossibile: ergò Æternitas & infinita Potestas sunt una & eadem Essentia, & per consequens est probatum, quòd DEUS sit, in quo infinita Potestas & Æternitas sunt una & eadem Essentia.

8. Si DEUS non est, in substantia mundi non est tantum de Bonitate, quantum de malitia, nec tantum de Magnitudine, quantum de parvitate, nec tantum de Duratione, quantum de privatione Æternitatis, nec est tantum de Potestate in substantia mundi, quantum in ipsa est de privatione ipsius, nec in ipsa est tantum de Sapientia, quantum de ignorantia, nec tantum de Amabilitate, quantum de odibilitate, nec tantum de Virtute, quantum de vitio, nec tantum de Veritate, quantum de falsitate, nec tantum de Gloria, quantum de pœna; & hoc esset, quia omnes positivi habitus, quos substantia haberet, haberent quantitatem; sicut substantia mundi, quæ esset æterna, si DEUS non est, & sua Potestas esset finita & privata infinitâ Potestate Æternitatis, quæ non posset esse una Essentia cum Potestate, & privativus habitus esset infinitus; & diversitas essentiarum, quam haberent, esset infinitum malum; & idem de Magnitudine Æternitatis mundi, & de sua Potestate & de sua Bonitate, quæ positivè esset finita, cùm mundus sit terminatus & rotundus per substantiam mobilis cœli, quod non habet infinitam Magnitudinem extensam; & idem de Potestate mundi, quæ non est infinita in possificatione, & sic de aliis substantiis mundi: unde, cùm positivi habitus habeant concordantiam cum *esse*, & privativi habitus cum *non esse*, convenit, quòd sit una summa Substantia, in qua sit infinita Bonitas sinè aliqua malitia, & in qua sit infinita Magnitudo sinè aliqua parvitate, & in qua Æternitas, Potestas & aliæ Dignitates sint una & eadem Essentia; & illam Substantiam appellamus DEUM, qui totum universum creatum ordinavit ad unum generalem Finem, propter quem in substantia cœli plus est de naturali Bonitate, quàm de sua privatione; & idem de Magnitudine & aliis; & idem de substantia hominis & de aliis substantiis mundi: igitur probatum est, quòd DEUS sit de necessitate, sinè cujus *esse* sequerentur omnia supradicta inconvenientia, quæ sunt falsa & impossibilia.

9. Si DEUS non est, secundæ intentiones sunt nobiliores & veriores, quàm primæ, sicut in arte fabrili, in qua martellus est per secundam intentionem, & clavus per primam; & clavus per secundam, & denarius, quem faber accipit, per primam; & denarius per secundam, & panis venditus pro denario per primam; & panis per secundam, & vivere fabri per primam; & hæc prima intentio, quæ est vita, mortuo fabro nullum finem attingit; quia si DEUS non est, faber moritur sicut gallina vel sicut canis, qui post suam mortem nihil est, nec aliquid erit: igitur martellus attingit suum finem, propter quem est, qui est clavus, & clavus denarium, & sic de gradu in gradum usque ad vitam hominis, qui nihil attingit post suam mortem, si DEUS non est; imò in ipso perduntur omnes intentiones & fines, qui erant ad serviendum illi, ut viveret; idem sequitur de naturalibus intentionibus & finibus, quod sequitur de artificialibus intentionibus & finibus, sicut cœlum, signa & planetæ, quæ sunt per secundam intentionem, & quatuor simplicia Elementa per primam; & quatuor simplicia Elementa per secundam, & quatuor composita Elementa per primam; & Elementa composita sunt per secundam intentionem, & Elementata sunt per primam; & Elementata sunt per secundam, & vegetata per primam; & vegetata per secundam, & sensata per primam; & sensata per secundam intentionem, & imaginativa per primam; & imaginativa per secundam, & anima rationalis per primam, quæ nullam finem attingit, si DEUS non est; & omne id, quod anima rationalis de DEO considerat, est falsum, & omnes intentiones existentes sub illa, de quibus suprà dictum est, attingunt in ipsa finem, propter quem sunt: unde, cùm sit impossibile, quòd fines secundæ intentionis sint nobiliores & veriores, quàm primæ, de ne-

ceſſitate convenit, quòd DEUS ſit, per cujus *eſſe* primæ intentiones ſunt nobiliores & veriores, quàm ſecundæ; ſicut vita fabri, quæ per bonas operationes & Virtutes attingit perpetuam vitam in alio ſæculo, & anima rationalis, quæ de DEO, ipſum amando, conſiderat veras res, attingit DEUM in ſempiterna gloria.

10. Si DEUS non eſt, æternitas mundi eſt, & non eſt primus homo nec ultimus, nec aliquis homo realiter & naturaliter eſt æternus; unde ſequitur, quòd Finis, propter quem homo eſt, ſit Finis alterius hominis, ſicut filius Raymundi, qui eſt Finis ſui patris, & ſuus pater eſt Finis ſui avi, & ſic per continuam lineam, in qua non eſt Principium nec Finis, & mortuo patre Raymundi perditur finis ſui patris; per quod eſt declaratum, quòd nemo habeat ſuum finem in ſe, ſed in alio homine; & quia eſt impoſſibile, quòd Finis patris ſit in filiatione, & non in paternitate, & quòd homo ſit magìs, ut ſit pater, quàm ut ſit hoc, quod eſt, cùm paternitas dicat proprietatem, & homo dicat ſubſtantiam, de neceſſitate ſequitur, quòd ſit primus homo & ultimus, & quòd mundus non ſit æternus, ſed principiatus; hoc non poteſt eſſe, ſi DEUS nihil eſt: ergò eſt demonſtratum & probatum, quòd DEUS ſit de neceſſitate.

QUÆSTIO II.
Quid eſt DEUS?

1. DEUS eſt illa Unitas, quæ eſt plena ſuî ipſius; nulla verò Unitas eſt plena ſuî ipſius, niſi Unitas DEI tantùm; ſicut Unitas Angeli, quæ non eſt plena ſuî ipſius, in quantum Angelus non unit de ſua eſſentia, nec habet unitum nec unire; nec ſol nec homo habet Unitatem ſuî ipſius plenam, in quantum vir ſinè adjutorio fœminæ non poteſt unire hominem: item nec unitas ignîs eſt plena ſuî ipſius, poſtquam recipit ſiccitatem à terra, & ſic de unitatibus aliarum creatarum ſubſtantiarum, quarum nulla eſt plena ſuî ipſius; nec etiam Unitas mundi eſt plena ſuî ipſius, in quantum non poteſt habere ita magnum unire, ſicut ipſa eſt; ſed Unitas DEI eſt plena ſuî ipſius, in quantum habet naturam unientis, unibilîs & unire de ſua tota Eſſentia, & in ſua Eſſentia, & per ſuam Eſſentiam æternaliter & infinitè, ſinè qua natura unientis, unibilîs & unire non poſſet eſſe plena ſuî ipſius, imò eſſet ita vacua & otioſa, ſicut eſſet calor ignîs, ſi in ipſo eſſet privata natura calefacientis, calefactibilîs & calefacere; & idem eſſet de Intellectu, ſi in ipſo eſſet privata natura intelligentis, intelligibilîs & intelligere: igitur DEUS eſt illa Unitas, quæ eſt plena ſuî ipſius, quia habet coëſſentialem & ſubſtantialem naturam unientis, uniti & unire; & habet unam Bonitatem, & non plures, quæ convertitur cum ſua Eſſentia & Natura, & eſt plena ſuî ipſius, in quantum habet unum bonificativum, unum bonificabile & unum bonificare, qui ſunt de ſua Eſſentia & Natura; & ſic ſuo modo de Magnitudine & de aliis Dignitatibus DEI.

2. DEUS eſt illa ſubſtantia, in qua quælibet ſuarum Dignitatum eſt alia; ſicut ſua Bonitas, quæ convertitur cum ſua Magnitudine, Æternitate &c.; talis converſio non eſt in aliqua creata ſubſtantia, ſicut in Angelo, in quo Bonitas, Magnitudo, Duratio, Poteſtas &c. non convertuntur; quia, ſi converterentur, Bonitas non poſſet eſſe parva, poſtquam eſſet Magnitudo; nec Magnitudo poſſet eſſe ſubjectum malo, nec devenire in privationem, poſtquam eſſet Bonitas & Duratio; & Sapientia non poſſet ignorare, poſtquam eſſet Poteſtas intelligendi; & Voluntas poſſet habere totum hoc, quod poſſet & vellet, poſtquam converteretur cum Magnitudine & Poteſtate: & Angelus poſſet eſſe DEUS, ſi vellet, qui non poteſt eſſe DEUS, poſtquam Voluntas, Poteſtas & Magnitudo in ipſo non convertuntur: igitur DEUS eſt illa Subſtantia, in qua quælibet ſuarum Dignitatum eſt alia; & ideo ſua Bonitas, quæ eſt Magnitudo, non poteſt eſſe parva, quia eſt Magnitudo; nec Magnitudo poteſt eſſe mala nec devenire in privationem, quia eſt Bonitas & Æternitas; & Sapientia, quæ eſt Poteſtas & Magnitudo, poteſt ſcire infinitum poſſificativum, poſſificabile & poſſificare, infinitum intellectivum, intelligibile & intelligere; &, quia Voluntas convertitur cum Poteſtate, Magnitudine & Sapientia, poteſt amare infinitum poſſificativum, poſſificabile & poſſificare, intellectivum, intelligibile & intelligere, amativum, amabile & amare; & idem de infinito æternificativo, æternificabili & æternificare, bonificativo, bonificabili & bonificare, poſtquam convertuntur cum Bonitate & æternitate.

DEUS

3. DEUS eſt illa Subſtantia, in qua ſuæ Dignitates habent ita magnos actus, ſicut ipſæ ſunt magnæ; hoc verò non eſt in Subſtantia Angeli, cœli & hominis, & ſic de aliis creatis ſubſtantiis; quia Bonitas Angeli non habet ita magnum bonificare, ſicut ipſa eſt magna, cùm ſuum bonificare non ſit ita magnum, ſicut ſuum bonificans & bonificativum; & idem de Bonitate cœli & de Bonitate hominis, & ſic de aliis principiis: igitur DEUS eſt illa Subſtantia, in qua ſuæ Dignitates habent ita magnos actus, ſicut ipſæ ſunt magnæ; ſicut Divina Bonitas, per quam DEUS eſt, eſt tantum bonificans, ſicut eſt ſua Bonitas, & quæ habet ita magnum Bonificare, ſicut eſt ſua Bonitas, id eſt DEUS Pater, qui de ſua tota Bonitate bonum Filium producit per bonificare; & idem de ſua Magnitudine, Æternitate &c.

4. DEUS eſt illud Ens, quod tantum poteſt de ſe, quantum ipſum eſt: Angelus non eſt tale Ens, quia Angelus non poteſt de ſe producere Angelum, nec homo de ſe toto poteſt producere hominem, cùm ipſe non producat filium de ſua anima rationali, nec ſemen, quod transmittit in fœminam, eſt homo; & ſic de aliis creatis entibus: igitur DEUS eſt illud Ens, quod tantum poteſt de ſe, quantum ipſum eſt; & hoc eſt ideo, quia ipſe & ſua Poteſtas convertuntur, per quam converſionem DEUS Pater, in quantum eſt poſſificans in producendo de ſe toto DEUM Filium, tantum poteſt de ſe, quantus ipſe eſt; & poteſt Filium ita bonum, magnum & æternum, quantum ipſe eſt bonus, magnus & æternus; & ſic de Poteſtate, Sapientia &c.

5. DEUS eſt illud Ens, quod extra ſe non indiget aliquo; talis definitio non poteſt dari de Angelo, nec de aliquo alio creato ente, quia Angelus indiget gratiâ DEI & ſuâ ſuſtentatione; & ſic de mundo, qui deveniret in nihilum, niſi DEUS ſuſtentaret ipſum, nec homo poſſet vivere ſinè cibo & potu, nec imaginari roſam ſinè colore & figura roſæ, nec ignis poſſet calefacere aërem ſinè ſiccitate terræ, cum qua mortificat humiditatem, & ſic de aliis creatis ſubſtantiis, quæ per ſe non poſſunt perfici: igitur DEUS eſt illud Ens, quod extra ſe non indiget aliquo; &, quia DEUS per naturam eſt bonus, & non indiget aliquo bono extra ſe, producit bonum intra ſe, hoc eſt, DEUS Pater, qui eſt Bonitas, per naturam ſuæ Bonitatis habet naturam producendi bonum Filium de ſe ſinè indigentia alicujus Bonitatis exiſtentis extra ſe, & ſic de Magnitudine, Æternitate &c., per quarum naturam habet naturam producendi Filium magnum, æternum &c. absque hoc, quòd indigeat aliquo juvamine extra ſe.

6. DEUS eſt illa Subſtantia, quæ eſt ſua naturalis Bonitas, Magnitudo, Æternitas, Poteſtas, Sapientia, Voluntas, Virtus, Veritas, Gloria & Perfectio; hoc non poteſt dici de aliqua creata ſubſtantia; ſicut Angelus, qui non eſt ſua Bonitas, cùm ſua naturalis Bonitas ſit una de ſuis partibus, & pars non poteſt eſſe ita magna, ſicut totum; & ſic de cœlo, homine & de aliis creatis ſubſtantiis, quæ non ſunt ſua Bonitas, ſicut de Angelo dictum eſt: igitur DEUS eſt illa Subſtantia, quæ eſt ſua naturalis Bonitas, Magnitudo, Æternitas &c.; & convenit, quòd ſit Bonitas, ut per ſe ſit bonus, & quòd per Bonitatem ſit remotus à malo; & convenit, quòd ſit Magnitudo, ut per ſe ſit magnus, & quòd per Magnitudinem ſit remotus à parvitate; & convenit, quòd ſit Æternitas, ut per ſe ſit æternus, & quòd per Æternitatem ſit remotus à privatione, novitate & à motu; item convenit, quòd ſit Poteſtas, ut per ſe ſit potens, & quòd ſit remotus à privatione Poteſtatis, & ſic de aliis: præterea convenit, quòd ipſe ſit Bonitas, quia nullum ens poteſt eſſe magìs nobile nec magìs perfectum, quàm Bonitas; item convenit, quòd DEUS ſit Magnitudo, quia nullum ens poteſt eſſe majus, quàm Magnitudo; item convenit, quòd DEUS ſit Æternitas, quia nullum ens poteſt magìs durare, quàm Æternitas; & convenit, quòd ſit Poteſtas, quia nullum ens poteſt plus, quàm Poteſtas; præterea convenit, quòd ſit Intellectus, quia nullum ens poteſt plus intelligere, quàm Intellectus; & convenit, quòd DEUS ſit Voluntas, quia nullum ens poteſt plus amare, quàm Voluntas; & ſic de aliis: ergò DEUS eſt Bonitas, Magnitudo &c.

7. DEUS eſt illa Subſtantia & Eſſentia, quæ eſt de pluribus exiſtens ſinè partibus, hoc non poteſt dici de Angelo nec de aliqua alia creata ſubſtantia, cùm ſubſtantia Angeli ſit conſtituta de naturali Bonitate, Magnitudine, Duratione &c., quæ ſunt partes ipſius, in quantum una non eſt alia;

ſed

sed in DEO Bonitas, Magnitudo, Æternitas &c. convertuntur, ût probatum est *Prima Quæstione* in *secundo paragrapho*, in quo probatur, quòd DEUS sit: DEUS etiam est Substantia, quæ est de pluribus sinè partibus, in quantum est Bonitas, ût probatum est suprà; quæ Bonitas est de pluribus sinè partibus, hoc est, de Bonificativo, Bonificabili & Bonificare; &, quia Bonificativum est tota Bonitas, non est pars illius; & quia Bonificativus de se toto bonificat Bonificatum, Bonificatus est tota Bonitas, & non pars illius; & sic de Bonificare, quod est tota Bonitas, in quantum est de toto Bonificante & Bonificato: item DEUS est Substantia & Essentia, quæ est de pluribus sinè partibus, in quantum DEUS Pater est tota Divina Substantia, & de toto se ipso generat DEUM Filium, qui est tota Substantia, & de tota Substantia amborum exit Sanctus Spiritus, qui est tota Substantia Divina.

8. DEUS est illa Substantia, quæ habet infinitas & æternas Proprietates; nec Angelus nec aliqua alia Substantia potest habere infinitas & æternas proprietates; quia, si sic, posset esse æqualis DEO, qui est sus Creator; & hoc est impossibile: & quia DEUS habet infinitas & æternas Proprietates, convenit, quòd ipsas habeat propter finem æternum & infinitum; sicut sua Bonitas, quæ est sua æterna & infinita Proprietas; & idem est de Magnitudine, Æternitate & aliis; in qua Bonitate est propria Bonificativitas, quam appellamus Paternitatem, & in Bonitate est propria Bonificabilitas, quam appellamus Filiationem, & in Bonitate est proprium Bonificare, quod appellamus Generare, per quod bonus Pater generat bonum Filium; item Bonificare appellamus Spirare, per quod Pater & Filius æternaliter & infinitè spirant bonum Sanctum Spiritum.

9. DEUS est illud Ens, quod est Creator omnium creaturarum; nec Angelus nec ulla creatura potest esse creator; quia, si sic, posset creare semetipsum, & posset esse antequam esset; &, quia DEUS est Creator, & mundus est creatura, ût probatum est in *quinto paragrapho primæ Quæstionis*, debemus laudare & benedicere DEUM, quia ipse nos creavit & gubernat; quia, si ipse nos non creavisset, nos non essemus; &, si nos non gubernaret, deveniremus in *non esse*; veruntamen debemus ipsum magis amare propter suam Bonitatem & propter Bonificare, quod DEUS Pater habet in generando DEUM Filium, quàm quia nos creavit & gubernat; cùm Bonificatio, quam DEUS Pater habet in generando DEUM Filium, sit nobilior, quàm sit Bonificatio nostrî.

10. DEUS est ille Dominus, qui resuscitabit bonos & malos, & qui est generalis Judex; quia in die generalis Judicii judicabit bonos ad æternam gloriam, & malos ad æternam pœnam; & convenit, quòd resuscitet bonos & malos, ut sua Justitia habeat bonum actum in judicando hominem, qui fecit bonum & malum in hac vita; sinè qua resurrectione DEUS non judicaret illum, qui fecit bonum & malum; & convenit, quòd bonos judicet ad æternam gloriam, & malos ad æternam pœnam, ut suum judicium correspondeat justitiæ bonæ, magnæ, æternæ, potenti, Sapienti &c.

QUÆSTIO III.

De quo est DEUS?

1. DEUS est de se ipso, & est suî ipsius, quia est æternus & infinitus, cùm æterna & infinita Essentia non possit esse de alia essentia; quia, si esset de alia essentia, sua essentia non posset esse æterna & infinita; &, quia DEUS est de se ipso, habet naturam, quòd in sua Essentia aliqua proprietas sit de alia, ut habeat naturam, per quam sit de se ipso; sicut in sua Bonitate, in qua æternus & infinitus Bonificatus est de æterno & infinito Bonificante, & sic æternum & infinitum Bonificare est de æterno & infinito Bonificante & Bonificato; propter quod Bonitas, quæ est DEUS, habet naturam, per quam potest esse de se ipsa, cùm Bonificans, Bonificatus & Bonificare sint una & eadem Essentia, una Natura, & una Infinitas, Æternitas, Potestas &c.

2. DEUS est de se ipso, ut suæ Dignitates non sint otiosæ, quæ essent otiosæ, si DEUS non haberet naturam, per quam in ipso aliquid posset esse de alio; sicut DEUS, qui intelligit suam infinitam & æternam Potestatem: Unde in hoc, quòd intelligit suam infinitam & æternam Potestatem, intelligit, quòd possit res infinitas & æternas, quas non potest producere de nihilo; cùm conveniat, quòd omne illud, quod

quod est productum de nihilo, sit novum & terminatum; nec DEUS potest producere infinitas & æternas res de alia essentia, nisi de sua Essentia tantùm, cùm omnis alia essentia sit finita & principiata: igitur convenit, quòd DEUS intelligat, quòd de suamet Essentia possint esse æternæ & infinitæ res, postquam intellexit suam Potestatem æternam & infinitam, à qua Bonitas, Magnitudo, Æternitas, Voluntas, Virtus, Veritas & Gloria DEI requirunt, quòd de infinito & æterno Potente sit æternus & infinitus Possitus (ût ita loquar) & quòd de infinito & æterno Potente & Possito sit æternum & infinitum Possificare, ut æterna & infinita Potestas non sit otiosa; &, ut hoc, quod Sapientia DEI intellexit de sua Potestate, sit verum, & ut se habeat ad æternum & infinitum Finem.

3. DEUS intelligit, quòd in sua Substantia nullum accidens sit, & ideo intelligit, quòd suum Intelligere non sit accidens; igitur intelligit, quòd suum Intelligere sit Substantia; non autem posset esse Substantia, nisi esset de substantiali Intelligente & Intellecto; igitur DEUS intelligit, quòd in se & de sua Essentia unum suppositum sit de alio, & quòd sint de una Essentia, & quòd Essentia sit de ipsis: unde DEO ita intelligente intelligit se ipsum, quòd sit de se ipso, intelligendo, quòd ipse sit Intelligens, Intellectus & Intelligere, & suâmet Essentia & Substantia; & hoc, quod significavimus de Divina Trinitate per hoc, quod DEUS intelligit, potest etiam de illa significari per hoc, quod DEUS bonificat, magnificat, possificat, æternificat & amat in se ipso & de se ipso.

4. DEUS intelligit, quòd sua Unitas sit perfecta; & DEUS non posset intelligere, quòd sua Unitas esset perfecta sinè Natura Unientis, Uniti & Unire, sinè quibus sua Natura non haberet naturalem Potestatem, nec naturalem Concordantiam, nec Æqualitatem, Virtutem, Gloriam & Bonitatem: igitur Divina Unitas, quæ est perfecta, habet Naturam Unientis, Uniti & Unire, per quam naturam Unus est de Uno, sicut lumen de lumine, hoc est, Unitus de Uniente, & Unire ex utroque; & Unire per viam Generationis est Pater & Filius; & est Pater & Filius, quia in Generare & Unire est Filius ex Patre generante Filium de se ipso, & non de alio, & quælibet est Proprietas singularis personalis, & ambo insimul sunt una communis Proprietas, de qua communi Proprietate exit singularis personalis Proprietas appellata passiva Spiratio per Unire & Spirare, quod Spirare & Unire sunt Pater & Filius per communem Spirationem; & sic Unire & Spirare secundùm communem Proprietatem est unum, & secundùm singularem Proprietatem est aliud

5. DEUS est bonus, & est bonus per suam Bonitatem, & non per alienam; &, quia sua Bonitas est infinita & æterna, DEUS non habet necessitatem, quòd sit bonus per alienam Bonitatem, quia sua Bonitas illi sufficit ad hoc, ut per ipsam sit bonus, per cujus naturam se habet ad producendum bonum, ut se habeat ad Finem suæ naturalis Bonitatis, quem Finem convenit esse infinitum & æternum, ut Infinitas & Æternitas naturæ Bonitatis & suus Finis sibi invicem æqualiter correspondeant & se respiciant. DEUS non posset se habere ad producendum æternum & infinitum Bonum, nisi ipsum produceret de sua naturali & essentiali Bonitate, quæ est infinita & æterna; quia nulla alia essentia posset sufficere productioni infiniti & æterni boni: unde convenit, quòd in DEO Bonum sit de Bono, ut DEUS se possit habere ad ita magnum Finem Bonitatis, sicut est Essentia suæ Bonitatis; igitur DEUS Pater, qui est bonus, & qui est tota Bonitas, habet se ad generandum Filium de tota sua Bonitate; & Pater & Filius, qui sunt bonæ Personæ Divinæ, habent se ad spirandum de sua tota Bonitate bonum Sanctum Spiritum, qui est una Divina Persona: unde sequitur, quòd de Divina Bonitate sit DEUS de DEO, & Bonus de Bono, & Persona de Persona.

6. In Divina Essentia est DEUS de DEO, & non dico, quòd unus DEUS sit de alio DEO; quia, si unus DEUS esset de alio DEO, essent duo Dii differentes per infinitam essentiam, cùm ad DEUM pertineat propria & singularis infinita Essentia; &, quia duæ differentes essentiæ non possunt esse infinitæ in extensa magnitudine (ût ita loquar) nec in Bonitate, Æternitate, Potestate &c., cùm quælibet terminaret & comprehenderet aliam, ideo non possunt esse duo Dii, nec plures: igitur est unus DEUS tantùm, qui potest habere singularem & infinitam Essentiam, in qua DEUS est de DEO, id est, DEUS est de

Essentia DEI per Generationem & Spirationem, quolibet distincto ab alio, sicut una Proprietas est distincta ab alia Proprietate, in quantum una Proprietas est de alia, & insimul sunt una Essentia & unus DEUS, qui habet suam propriam singularem & infinitam Essentiam.

7. In Divina Essentia est Forma de Forma sinè materia, cùm Divina Essentia sit simplex Forma, & DEUS Pater, qui est Essentia & Forma, de sua simplici Essentia & Forma generat & informat DEUM Filium, qui est simplex Forma existens sinè materia, ut simplex correspondeat huic, de quo est Forma; & Formam, qui est Pater, appellamus Paternitatem, & Formam, qui est Filius, appellamus Filiationem, & Formam, qui est Sanctus Spiritus, appellamus passivam Spirationem; & in quantum sunt personales, sunt distinctæ; & in quantum una est de Essentia alterius æternaliter & infinitè, & Essentia non potest esse nisi una, convenit, quòd omnes tres personales Formæ sint una communis Forma, quæ est una communis Essentia, Substantia, Natura, Bonitas, Magnitudo &c.

8. In Divina Essentia est Simplex de Simplici sinè compositione; sicut DEUS Pater, qui est simplex Divina Essentia æterna & infinita, qui de sua simplici Essentia (ipsâ existente simplici Personâ) generat simplicem DEUM Filium, & ex utroque procedit simplex DEUS Sanctus Spiritus, & hoc æternaliter & infinitè: & quia simplex est de simplici æternaliter & infinitè, ideo in Divinis Personis non habet locum compositio, quæ non potest esse in simplici, qui est de simplici æternaliter & infinitè, cùm compositio non possit esse sinè partibus finitis per quantitatem, & constitutis in tempore.

9. In Essentia DEI Infinitum est de Infinito, & Æternum de Æterno, & propter hoc est impossibile, quòd in Essentia DEI possit esse decrementum, augmentum vel alteratio; in Essentia DEI non potest esse augmentum nec decrementum, postquam in ipsa est infinitus Actus, qui est Infinire per Generare & Spirare, Patre generante de se, qui est infinitus, DEUM Filium infinitum per Infinire, & ambobus producentibus æternaliter & infinitè Sanctum Spiritum per suum Infinire; & ideo Infinire conservat, quòd in Essentia DEI non possit esse multiplicatio per creationem mundi; & æternare non permittit, quòd in Essentia DEI sit alteratio per creationem mundi, vel per aliquas operationes, quas DEUS habet intra se vel extra.

10. In creatione creare est de Creatore & de creatura, & Operationes, quas DEUS habet in creaturis, sunt de DEO & de creaturis; de DEO per actionem, & de creaturis per passionem; &, quia Creatio & Operationes, quas DEUS habet in creaturis, sunt artificiales, & non naturales, Essentia DEI & Essentia mundi non conjunguntur in tantum, quòd non multiplicent unam essentiam de utraque per Creationem, nec per Justitiam & Misericordiam, DEO judicante hominem & miserente illius, & sic de aliis; sed DEUS est agens in creato subjecto, & Actio DEI est DEUS, & passio creati subjecti est creatura, quæ creatura est Operatio increati Agentis; sicut in fabrili arte, in qua faber est agens, & ferrum motum, quòd de ipso fiat clavus vel cultellus, est operatio fabri, quæ non sunt de essentia fabri.

QUÆSTIO IV.

Quare est DEUS?

1. AD hanc Quæstionem potest responderi *duobus modis*, *uno* modo per Essentiam, *alio* modo per Finem; per Essentiam, sicut DEUS, qui est per se, postquam est infinitum & æternum Ens; cùm infinitum & æternum Ens sit necessarium, & ipsum non esse sit impossibile; & hoc probavimus *in prima Quæstione*. DEUS est per se ratione Finîs, hoc est dictum, DEUS est propter DEUM, sicut Pater, qui est propter Filium, & Filius est propter Patrem; & hoc est in Essentia DEI, ut ipsa & suus Finis convertantur, qui non converterentur, nisi Essentia, quæ est Pater, sit propter suum Finem, & nisi Finis sit propter ipsam.

2. DEUS est DEUS, quia suæ Dignitates convertuntur in ipso, ût probatum est in *secundo paragrapho Secundæ Quæstionis*, sinè quarum conversione DEUS non posset esse hoc, quod est, quia esset compositus de pluribus finitis essentiis, & actus, quos haberet per ipsas, essent finiti & compositi; & actus unius essentiæ non posset sufficere actui alterius; sicut Potestas, quæ non posset sufficere Voluntati in perficiendo omne id, quod Voluntas æternaliter & infinitè vult habere; sed, quia in DEO suæ Dignitates convertuntur, quilibet actus potest sufficere actui alterius Dignitatis; sicut, quia Bonitas & Magnitudo convertuntur, bonificans & magnificans habent fœcunditatem & abundantiam in bonificando & magnificando bonificatum & magnificatum.

3. In DEO Essentia, Esse & Natura convertuntur, & ideo DEUS est propter DEUM; &, si DEUS non esset propter DEUM, Divina Natura non haberet Esse nec essentiam; sicut in essentia hominis privaretur natura hominis, si unus homo non esset, ut de illo generaretur alius homo; &, quia DEUS est propter DEUM, per Divinam Naturam est DEUS de DEO; & DEUS est de Essentia, de Esse & de Natura, hoc est, personaliter.

4. DEUS non esset dives, si non haberet DEUM, sicut Intellectus, qui non esset dives, si non haberet intellectum, & sicut Voluntas, quæ esset pauper, si non haberet amatum; igitur DEUS est, ut habeat DEUM, de quo sit; sicut in Sanctissima Divina Trinitate, in qua DEUS est, ut habeat DEUM; sicut DEUS Pater, qui propter hoc est DEUS, ut habeat DEUM Filium, & DEUS Filius est DEUS Filius, ut habeat DEUM Patrem; & Pater & Filius sunt DEUS, ut habeant DEUM Sanctum Spiritum, qui propter hoc est DEUS, ut possit sufficere amori Patris & Filii.

5. In DEO una Dignitas est propter aliam, sicut Potestas, quæ est, ut Æternitas possit esse infinita in Duratione; & Æternitas est, ut Potestas sit æterna; &, sicut una Dignitas est propter aliam, cùm una non possit esse sinè alia, ita actus cujuslibet Dignitatis est propter actum alterius; sicut Æternare, quod est, ut Potestas possit habere æternum Possificare, & Potestas, quæ habet infinitum Possificare, ut Æternitas possit habere Æternare; & omnes isti actus & alii sunt propter Generare & Spirare.

6. DEUS propter hoc habet Bonitatem, ut sit bonus, & propter hoc habet Magnitudinem, ut sit magnus, & Æternitatem, ut sit æternus, & sic de aliis; & propter hoc est bonus, quia habet Bonitatem, & propter hoc est magnus, quia habet Magnitudinem, & est æternus, quia habet Æternitatem, & sic de aliis; hoc non posset esse, si Bonus per Bonitatem non esset bonificatus vel bonificans, & si Magnus per Magnitudinem non esset magnificatus vel magnificans, & si Æternus per Æternitatem non esset æternatus vel æternans, & quòd habeant Bonificare, Magnificare, Æternificare, &c.

7. DEUS est propter hoc, quia habet Proprium & Commune per Essentiam & Naturam, sicut in suo Intellectu (& sic de aliis suis Dignitatibus) in quo Intellectus intelligens est una propria Proprietas, & Intellectus est alia propria Proprietas, & Amor, quem habent ad invicem, qui convertitur cum intelligere utriusque, est communis spirativa Proprietas, in quantum est de intelligere & amare; & Intelligens & Amans sunt communis Proprietas, in quantum sunt Intellectus & Amor, & idem est de Intellecto & Amato; & ambo sunt insimul una communis Divina Essentia, id est, communis Intellectus, una communis Voluntas; & sic de una communi Bonitate & aliis: & in hoc passu potest cognosci, quomodo Pater & Filius sint una communis Proprietas in spirando Sanctum Spiritum.

8. DEUS est propter hoc, quia in ipso Essentia & suus Actus convertuntur, sicut Bonitas & suum naturale bonificare, Magnitudo & magnificare, Æternitas & æternare &c.; &, si Bonitas & suum bonificare non converterentur, essent distinctæ essentiæ finitæ; & idem de Magnitudine & magnificare &c., & Æternitas non posset sufficere infinitæ & æternæ Bonificationi, & Magnitudo infinitæ & æternæ Magnificationi: unde sequeretur etiam, quòd DEUS esset finitus, & quòd esset de finitis partibus; quod est impossibile: igitur DEUS est propter hoc, ut suæ Dignitates & Actus convertantur, per quam conversionem infinita Bonitas potest sufficere infinitæ Bonificationi, & Magnitudo infinitæ Magnificationi, & sic de aliis; per quam sufficientiam DEUS potest esse infinitus per Essentiam & per suam Operationem.

9. DEUS est propter hoc, quia est perfectus, cùm perfectio conveniat cum esse, & imperfectio cum non esse; &, quantò magis perfectum est ens, tantò magis convenit cum esse, & quantò plus habet de imperfectione, tantò minùs convenit cum esse; igitur DEUS est propter hoc, quia est Ens magis perfectum, quàm aliud ens; &, quia est ens magis perfectum, quàm aliud ens, magis perficit, quàm aliud ens;

& tantum perficit, quantum est perfectus, ut suum perficere sit tam æternum & infinitum, quàm æterna & infinita est Essentia suæ perfectionis; & ideo DEUS est Ens perficiens & perfectum; & Ens, quod est Ens perficiens & Ens perfectum, est ex perficiente, qui habet perfectam Bonitatem, Magnitudinem, Æternitatem &c., & Perficere est ex Perficiente & Perfecto.

10. DEUS est propter hoc Creator, quia creavit hoc, quod est, de nihilo, non, quòd nihil sit aliquid, sed quòd hoc, quod est, & non erat, productum sit, & non sit productum de alio; &, quia DEUS ita produxit mundum, & quolibet die producit animas hominum, propter hoc est Creator: & DEUS etiam propter hoc est Creator, ut manifestet suum Esse & suam Operationem, quam habet in se; & propter hoc est Creator Bonitatis, ut manifestet suam Bonitatem; & propter hoc est Creator Magnitudinis, ut manifestet suam Magnitudinem; & est Creator Durationis, ut manifestet suam Durationem, & sic de aliis; & propter hoc est Creator magnæ Bonitatis, magnæ Durationis & magnæ Potestatis &c., ut manifestet Magnitudinem suæ magnæ Bonitatis, Æternitatis, Potestatis &c.: & DEUS propter hoc est factor, quia unam creaturam facit de alia creatura, & ex alia creatura & cum alia; velut vegetativa, quam facit de elementativa, & cum vegetativa transmutat elementativam in vegetatam substantiam; & hoc facit DEUS, ut ostendat & manifestet hoc, quod facit in se, ex se, & cum se, *quod facere, quod habet in se, appellamus producere per generare & spirare;* per generare, sicut Pater, qui generat Filium de se ipso, & Pater cum Amore, quem habet ad Filium, & Filius cum Amore, quem habet ad Patrem, insimul spirant & producunt Sanctum Spiritum: DEUS est etiam bono homini bonus, quia homo est bonus, & est malo homini malus, quia homo est malus, cui DEUS est malus, quia illi facit malum; & DEUS est propter hoc misericors, quia homo pœnitet de peccatis; & DEUS est propter hoc hominibus gratiosus, quia habent spem in ipso; & propter hoc amat justos homines, quia ipsum amant & timent; & sic de aliis rebus similibus istis.

)(o)(

QUÆSTIO V.

Quantus est DEUS?

1. DEUS est Substantia sinè aliquo accidente; &, quia quantitas est accidens, DEUS non potest esse quantus per quantitatem; item quia DEUS est infinita Substantia, quantitas non habet in ipso locum nec secundùm extensitatem, & virtutem, nec secundùm tempus; &, quia in DEUM non cadit quantitas, DEUS Pater sinè quantitate producit & generat DEUM Filium æternaliter & infinitè, & Pater & Filius sinè quantitate spirant Sanctum Spiritum per infinire & æternare.

2. DEUS est unus, & non duo nec plures Dii; quia, si essent duo vel plures, quilibet esset finitus & terminatus in alio, nec ullus ipsorum esset DEUS, quia non esset infinitus, & ad DEUM pertinet, quòd sit infinitus; &, quia est unus DEUS tantùm, potest esse infinitus, & habere conditiones, quæ pertinent ad DEUM, quas nullum creatum ens potest destruere vel impedire, cùm infinita Potestas vincat, & non possit vinci.

3. In DEO est una Bonitas, & non plures, una Magnitudo, & non plures, una Æternitas, & non plures, & sic de aliis; ratio, quare in DEO est una Bonitas, & non plures, & sic de aliis, est, quia una Bonitas potest esse infinita, & plures bonitates non possunt esse infinitæ, quia una terminaret aliam; &, sicut essentia cujuslibet Bonitatis terminaret essentiam alterius Bonitatis, ita actus cujuslibet Bonitatis terminaret actum alterius Bonitatis: unde sequeretur, quòd DEUS esset terminatus & finitus per essentiam & per actus suarum Dignitatum; quod est impossibile.

4. In Essentia DEI non est nisi unus Pater, unus Filius, & unus Sanctus Spiritus; & hoc est, ut quilibet ipsorum possit esse Persona infinita & sufficiens in Bonitate, Magnitudine &c.; nam, si in Divina Essentia essent necessarii duo Patres, duo Filii & duo Sancti Spiritus vel plures, unus pater ita terminaret alium patrem per essentiam, naturam & per actum, sicut diximus, si in Essentia DEI essent duæ Bonitates, & finitæ & terminatæ personæ essent necessariæ ipsi Essentiæ, quæ est infinita; quod est impossibile: ratione cujus declaratum est, quòd in Divina Essentia non sit nisi

nisi unus Pater, unus Filius & unus Sanctus Spiritus; & quamvis sit Distinctio inter Personas, per hoc non sequitur, quòd una Persona terminet aliam Personam, cùm Filius sit de tota Essentia Patris, & sit cum conditione, quòd sit Filius, & non Pater; & Sanctus Spiritus sit de Essentia amborum, & sit cum conditione, quòd non sit Pater nec Filius.

5. In Divina Bonitate, & sic de aliis Dignitatibus, non convenit, quòd sit nisi unus Bonificativus, unus Bonificatus & unum Bonificare; quia, si in ipsa essent duo bonificativi differentes per essentiam, unus bonificativus terminaret alium bonificativum, & quilibet ex ipsis non posset esse tota essentia Bonitatis; & sic de duobus bonificatis, & de duobus bonificare; & sic de aliis Dignitatibus: sed, quia in Bonitate non est nisi unus Bonificativus, qui est Pater, ille Bonificativus est tota ipsa Bonitas, & de tota suâ Bonitate potest producere Bonificatum, & Bonificare potest esse de tota Essentia amborum, & quodlibet illorum trium concretorum potest esse tota Essentia Bonitatis; & in hoc passu significatur, quòd non conveniat, quòd in Divina Essentia sit nisi unus Pater, unus Filius & unus Sanctus Spiritus.

6. In omnibus Divinis Dignitatibus est unus Pater, qui est unus Bonificativus, Magnificativus, Æternificativus &c.; & in omnibus non est nisi unus Filius, qui est Bonificatus, Magnificatus, Æternificatus &c.; & in omnibus non est nisi unus Sanctus Spiritus, qui est unum Bonificare, Magnificare, Æternificare &c.; & hoc est, quia quælibet Dignitas est alia: veruntamen Bonificare, Magnificare, Æternificare &c. sunt communes actus ad duos communes Actus, qui sunt Generare & Spirare; & in quantum se habent ad Generare, sunt unus Pater & unus Filius; & in quantum se habent ad activam Spirationem, sunt simul Pater & Filius; & in quantum se habent ad passivam Spirationem, sunt Sanctus Spiritus.

7. In Divina Essentia est una Unitas, quæ est principium numeri, & alia Unitas, quæ est principiatus numerus, & alia Unitas, quæ est perfectus numerus. Illa Unitas, quæ est principium numeri, est Paternitas; & Unitas, quæ est principiatus numerus, est Filiatio; & Unitas, quæ est perfectus numerus, est passiva Spiratio; & ideo Pater, qui est Paternitas, principiat numerum, & suus numerus non est principiatus ab aliquo, sed de se ipso numerat Filium numeratum principiatum; &, quia convenit, quòd, postquam numerus est principiatus, sit perfectus, ideo numerans & numeratus perficiunt ipsum in tertio numero, qui exit de numerante & de numerato; & numerus est perfectus in tertio numero, ut perficere non sit necessarium in quarto numero, nec in quinto, & sic usque ad infinitum numerum, in quo infinito numero unitatum numerus non posset esse perfectus; nec quarta unitas, nec quinta unitas, & sic de aliis, esset ita propriè perfecta ad primum numeratorem nec ad primum numeratum, sicut est tertia Unitas, quæ est ita propriè ad numeratorem, sicut ad numeratum, quia exit de ambobus; item quia est perfectus numerus, postquam est in Unitate & Pluralitate, Singularitate & Paritate, propter hoc non indiget quaternitate nec quintitate, & sic de aliis.

8. DEUS est Unus per Essentiam, & Trinus per Personas sinè multiplicatione quarti numeri; quia, si in Essentia DEI esset multiplicatus quartus numerus, Essentia non esset Personæ, nec Personæ essent Essentia; unde sequeretur, quòd Pater (& sic de aliis Personis) non esset DEUS, postquam non esset Essentia; nec Filius esset generatus de Divina Essentia, nec Sanctus Spiritus spiratus, & esset destructa tota Trinitas; per cujus destructionem Essentia non haberet, in quo sustentaretur; & sic destrueretur DEUS, & deveniret in privationem, aut suum esse esset impossibile; & quia DEUS est, ût suprà probatum est in *prima Quæstione,* & sua Trinitas per plura loca est significata, & est declarata Unitas Divinæ Essentiæ, & tres Unitates, quæ sunt personales Proprietates, non multiplicant quartum numerum, sed sunt in tertio numero; & sunt in tertio numero, quia unus est Pater, & alius est Filius, & alius Sanctus Spiritus; & Pater est tota Essentia, & quia de tota sua Essentia producit Filium, ideo Filius est tota Essentia, & sic de Sancto Spiritu, qui est tota Essentia, quia est de toto Patre & de toto Filio: igitur Essentia est DEUS, in quantum convertitur cum *esse* Patris, qui est DEUS, & cum *esse* Filii & Sancti Spiritûs, & quilibet ipsorum est DEUS, & omnes tres sunt una Essentia & unus DEUS, & Essentia est om-

nes tres & unus DEUS, in tantum, quòd Unitas & Trinitas non sunt nisi in tertio numero.

9. DEUS est unus, & per naturam suæ Unitatis intelligit se unum ; & DEUS est Pluralitas, & per naturam suæ Pluralitatis intelligit se multas Personas ; & per naturam sui Intellectûs, in quo habet naturam intelligentis, intellecti & intelligere, intelligit se tres Personas, & non plures, nec pauciores, cùm in suo Intellectu sint tres Proprietates, & non plures, nec pauciores ; & hoc idem de Bonitate, Magnitudine &c.

10. DEUS est unus Finis, sicut est una Bonitas, una Magnitudo, una Æternitas &c. ; & sicut in sua Bonitate sunt naturalis Bonificans, Bonificatus & Bonificare, sic in suo fine sunt tria concreta, cùm in DEO Finis, Bonitas, Magnitudo, Æternitas &c. convertantur : DEUS etiam est unus Finis omnium, quæ sunt creata, ut finis creaturarum sit magìs nobilis ; & quia in Divina Bonitate (& sic de aliis) Bonificans est Finis activus, productivus, ideo est Finis omnium creaturarum productivarum & activarum per Bonitatem ; &, quia in Divina Bonitate Bonificatus est passivus Finis æternaliter productibilis & productus, ideo est Finis omnium finium passivorum creatorum productibilium & productorum per Bonitatem ; & hoc idem de Bonificare Divinæ Bonitatis, quod est Finis omnium bonorum actuum creaturarum : &, quia Bonificativus, Bonificatus & Bonificare convertuntur per Essentiam, similiter convertuntur per unum Finem in tantum, quòd æternaliter sunt Finis omnium creaturarum, ût suprà dictum est, & per Unitatem sunt unus Finis mundi.

QUÆSTIO VI.
Qualis est DEUS?

1. DEUS est naturaliter bonus per naturalem & substantialem Bonitatem, & est magnus per naturalem & substantialem Magnitudinem, & sic de aliis ; & quamvìs in DEO Bonitas, Magnitudo & aliæ Rationes convertantur, per totum hoc non sequitur, quòd DEUS non sit bonus per Bonitatem, magnus per Magnitudinem &c. ; & hoc est ratione Distinctionis Divinarum Personarum, per quam relucent Actus, & per illorum relucentiam relucent Dignitates in essendo multæ Rationes reales, ut bonus Pater de sua Bonitate & per suam Bonitatem & in sua Bonitate generet bonum Filium generando illum de Bonitate per Bonitatem & in Bonitate ; & etiam, ut Pater, qui est magnus per Magnitudinem, generet magnum Filium de sua Magnitudine, & sic de aliis ; &, sicut omnes Rationes sunt una Essentia per Unitatem DEI, ita sunt multæ & reales per Distinctionem Personarum, & per illorum Actus.

2. DEUS est naturaliter & substantialiter concordans ; est concordans per Concordantiam suarum Personarum & per Actus Rationum illarum, & est una Concordantia per Essentiam ; &, ut DEUS sit concordans, convenit, quòd sit Distinctio Personarum concordantium per existentiam multitudinis Personarum & Rationum realium, & per Unitatem Divinæ Essentiæ & Naturæ.

3. DEUS est Principium, & in DEO Bonitas, Magnitudo & aliæ Rationes sunt realia principia ; sicut Pater, qui de sua Bonitate principiat bonum Filium, & de sua Magnitudine principiat magnum Filium, & de sua Æternitate principiat æternum Filium &c. ; & hoc idem est de Sancto Spiritu, qui est principiatus de Bonitate, Magnitudine, Æternitate &c. Patris & Filii ; &, quia per Naturam in Bonitate, & sic de aliis, est Bonificativus, Bonificabilis & Bonificare, ideo Bonitas per quodlibet principium est generalis omni bono, per quam DEUS est generale Principium ; DEUS etiam est generale Principium per coëssentiales, consubstantiales & naturales Bonificantem, Bonificatum & Bonificare, qui cum sua Bonitate convertuntur in tantum, quòd Bonificans est Principians, & Bonificatus est Principiatus, & Bonificare est Principiare ; &, si hoc non esset ita, in DEO Bonitas & Principium non possent converti, & differrent per essentiam & naturam ; quod est impossibile.

4. In Divina Bonitate est reale & consubstantiale Bonificare, sicut in Divina Sapientia est Intelligere, & in Divina Voluntate Amare ; & sic de aliis : &, quia Bonificare (& sic de Intelligere & Amare) est in medio Bonificantis & Bonificati, ideo potest dici, quòd DEUS sit Medium, cùm sit suúmmet proprium coëssentiale Bonificare.

5. DEUS est Æqualitas, per quam Divinæ Personæ sic sunt æquales, sicut per Divinam Distinctionem sunt distinctæ, & per Concordantiam concordantes, & per Bonitatem bonæ, & per Magnitudinem infinitæ, & per Æternitatem æternæ ; veruntamen non sunt tres infinitæ nec tres æternæ essentiæ, sed unus DEUS infinitus & æternus.

6. DEUS est vivus per infinitam & æternam Vitam, & ideo bene potest dici, quòd DEUS sit immortalis æternaliter & infinitè ; &, quia Vita DEI & sua Bonitas convertuntur (& sic de Magnitudine &c.) ideò potest dici, quòd, sicut DEUS est Vivificans, Vivificatus & Vivificare, ita possit dici, DEUS est Bonificans, Bonificatus & Bonificare ; &, si hoc, quod de DEO potest dici per Bonitatem, non posset dici per Vitam, conveniret, quòd Bonitas DEI & sua Vita essent differentes essentiæ ; quod est impossibile.

7. DEUS est simplex, & est ita simplex per Simplicitatem, sicut est bonus per Bonitatem, & unus per Unitatem, & sic de aliis ; &, quia Pater, qui est simplex intellectivus, & qui est de tota Essentia Simplicitatis, sicut est tota Essentia intellectûs, generat de tota sua Simplicitate Filium simplicem, & de ambobus exit Sanctus Spiritus simplex ; ideo est ita impossibile, quòd Substantia DEI sit composita de Patre & Filio & Sancto Spiritu, sicut est impossibile, quòd sit ignorata per Patrem & Filium & Sanctum Spiritum.

8. DEUS est justus per suam propriam naturalem Justitiam, per quam habet justum memorare, intelligere & amare, non autem posset habere justum memorare, intelligere & amare sinè justo memorante, intelligente & amante, & sinè justo memorato, intellecto & amato ; & hoc idem de concretis aliarum Dignitatum, quas convenit esse justas ratione conversionis Justitiæ & illarum.

9. DEUS est misericors, & est misericors per Misericordiam, & Misericordia, in quantum est activa, est DEUS ; & hoc idem de misericordiare activo, & misericordiabile & misericordiatum est subjectum creatum, hoc est homo dispositus, quòd DEUS illius misereatur ; & hoc idem potest dici de Justitia secundùm justum Creatorem & justam creaturam.

10. DEUS est gloriosus, & est ita gloriosus secundùm duos respectus, sicut justus secundùm unum respectum ; est ita gloriosus per suam Gloriam, sicut potens per suam Potestatem, & verus per suam Veritatem, & virtuosus per suam Virtutem, & bonus per suam Bonitatem, & sic de aliis : igitur est gloriosus per Gloriantem & Gloriatum & Gloriare, quæ sunt coëssentialia & naturalia concreta suæ Gloriæ ; & ita est gloriosus per secundum respectum, hoc est, in quantum glorificans & actio glorificandi est DEUS, & passiva gloria & passivum glorificari sunt creaturæ sustentatæ in Sanctis, qui habent gloriam in DEO, qui est illorum Gloria, & in se ipsis habent gloriam, in quantum accipiunt gloriam à DEO.

QUÆSTIO VII.
Quando est DEUS?

1. DEUS est æternus, secundùm quòd probavimus in *prima Quæstione ;* & ideo non est in tempore, sicut ens comprehensum, sed sicut ens, quod comprehendit tempus ; & ideo DEUS est, fuit & erit in omnibus creatis momentis, horis, diebus & annis, & etiam DEUS est, fuit, & erit extra omnia momenta, horas, dies & annos, qui sunt, fuerunt & erunt, cùm DEUS sit Ens æternum & Æternitas existens sinè principio & sinè fine, & hæc est Duratio, quæ fuit ante tempus, quod est ens creatum & principiatum.

2. DEUS est Æternitas, quæ convertitur cum Æternare ; & ideo DEUS est, fuit & erit in æternare, in quod non cadit tempus, sicut in infinire non cadit locus, & in complere non cadit deficere, nec in intelligere cadit ignorare : & DEUS habet se ad æternare, postquam Æternare & Æternitas convertuntur. Item, quia DEUS est Æternans, in quantum est Pater, & Æternatus, in quantum est Filius, & in quantum Æternare exit de ambobus per amare, est Sanctus Spiritus : igitur omnes tres sunt in Æternare & in Æternitate, & per Essentiam sunt una eadem Æternitas & unum idem Æternare.

3. In DEO convertitur Æternitas cum Bonitate, Magnitudine &c. ; & ideo Bonitas DEI, Magnitudo &c., sunt ita æternæ per Æternitatem, sicut Æternitas est bona per Bonitatem, infinita per Magnitudinem, potens per Potestatem &c. ; & quia Æternitas & Æternare convertuntur, & Æternitas

nitas & Bonitas &c., & Bonitas convertitur cum suo coëssentiali Bonificare, & Magnitudo convertitur cum suo coëssentiali Magnificare, & sic de aliis, ideo Divina Bonitas & suum coëssentiale Bonificare, Magnitudo & suum coëssentiale Magnificare sunt, fuerunt & erunt sinè tempore in Æternitate & Æternare; & in hoc passu potest homo cognoscere, quòd per Operationem, quam DEUS habet in se ipso per Generare & Spirare, & per creare vel per aliquid aliud, quod DEUS facit in hoc mundo, non cadat novitas nec mutatio in DEUM.

4. DEUS est purus Actus in tantum, quia in illo nihil est in potentia, quod sit de sua Essentia; quia, si in illo aliquid esset in potentia, illud, quod in ipso esset in potentia, non esset de æterna natura, quia non esset in Æternitate nec in Æternare; &, quia DEUS est purus Actus per Essentiam & per suam coëssentialem, substantialem & naturalem Operationem, DEUS est ens præsens non existens in tempore, sed est Creator in tempore, & ita comprehendit suam creaturam per Æternitatem & Æternare, sicut comprehendit illam in quantitate per Infinitatem & Infinire, & sicut comprehendit creatam bonitatem cum sua increata Bonitate.

5. Quando DEUS creavit mundum, fuit in tempore, quod creavit, & fuit ita in tempore, sicut magister in suo opere, quamdiu facit illud; quod opus non est de sua essentia, sed producit illud in tempore de potentia in actum; & in isto passu potest cognosci, quàm impropriè homo loquatur, quando dicit: DEUS fuit & erit, & quàm propriè, quando dicit: DEUS est Ens æternum; cùm DEUS, antequam creavit tempus, erat æternus, & quando creavit tempus erat æternus, & hoc idem, quando illud creavit, absque eo, quòd in suâ Æternitate per creationem temporis habuerit aliquam novitatem, ita, & etiam multò meliùs, sicut faber ferrarius, qui, antequam faciebat clavum, erat homo, & dum facit clavum est homo, & similiter quando illum fecit, est Homo, absque eo quòd homo habeat novitatem, quantùm ad essentiam humanitatis & naturæ in faciendo clavum.

6. DEUS Pater est Principium æternum DEI Filii, & ambo sunt principium æternum DEI Sancti Spiritûs, & DEUS Pater est principium æternum DEI Filii, quia cum æterno principiare principiat de Essentia suæ Æternitatis suum Filium principiabilem & principiatum: & sicut impropriè dicitur: DEUS fuit & erit, & propriè dicitur: DEUS est, ita impropriè dicitur: DEUS Filius est principiatus & principiabilis, & propriè dicitur: DEUS Filius est æternus; & hoc idem de Sancto Spiritu, in quantum impropriè dicitur, quòd sit spiratus & spirabilis, & propriè dicitur: Sanctus Spiritus est æternum Amare; nam in quantum dicitur: Sanctus Spiritus est spiratus, apparet, quasi cessaret Amor, quem Pater & Filius habent ad invicem; & in quantum dicitur: spirabilis, apparet, quasi dicatur, quòd ille sit dispositus in potentia, ut producatur in Actum.

7. Sapientia DEI est æterna, & habet in se coëssentialem Intelligentem, Intellectum & Intelligere; &, quia mundus est principiatus, DEUS intellexit mundum & suas partes, antequam esset creatus, & mundus, antequam esset creatus, æternaliter fuit idæa intellecta (& hoc idem de suis partibus) quæ idæa fuit in Sapientia DEI; & totum hoc, quod fuit in Sapientia DEI, antequam mundus fuit creatus, erat DEUS, & mundus, qui est creatus, in quantum est creatus, non est DEUS, cùm DEUS sit Ens increatum & Creator; & ideo unus est mundus, in quantum est idæa æterna; alius, in quantum est essentia creata, cujus tempus est ita comprehensum & terminatum per idæam æternam, sicut quantitas mundi creati est comprehensa per increatam Infinitatem DEI.

8. Quando DEUS creavit Judam Iscariotem, sciebat, quòd Judas esset damnandus; & scire DEI, quod habuit de Juda, est DEUS & idæa æterna, quæ idæa est immutabilis, postquam est æterna; & DEUS creando Judam, creavit illum cum justitia, quæ est idæa æterna & immutabilis, cùm in DEO Justitia & Æternitas convertantur: DEUS non potuit creare Judam cum justitia absque eo, quòd illi non daret liberum arbitrium ad faciendum bonum, & ad fugiendum malum, ut per facere bonum posset illum salvare, & per facere malum damnare. Tandem Judas peccavit contra JESUM Christum, & fuit damnatus, quia se ipsum laqueo suspendit, & est mortuus desperans de Misericordia DEI: unde hoc, quod Judas fecit, est ita differens ab idea, quæ est DEUS, sicut essentia mundi est differens ab idea Sapientiæ DEI secundùm supradictum paragraphum; & in hoc passu potest homo cognoscere, quomodo Prædestinatio, quæ est idea, & similiter Justitia, quæ est idea, sint æternæ & immutabiles, & extra tempus, & comprehendant tempus; & quomodo operatio Judæ, & libertas, quam habuit ad fugiendum malum, fuerint in tempore & in contingentia, in quo fuit factum judicium reale suæ damnationis, & potuit fuisse salvationis, cujus possibilitas fuit significata in societate, quam per bona opera habuit cum JESU Christo & cum Apostolis, antequam peccaret.

9. Creatio fuit in tempore, in quantum tempus fuit principiatum & creatum; & in quantum DEUS est Creator, & est æternus, ita fuit Creator in tempore, sicut agens, quod operatur in subjecto, quod non est de sua essentia, secundùm quòd suprà exemplificavimus: igitur DEUS est in Æternitate sinè tempore, & in novo subjecto cum tempore; sicut in homine prædestinato vel præscito, in quo DEUS per unum modum est æternaliter, & per alterum cum tempore; æternaliter est, secundùm quòd dedimus exemplum de Juda; est cum tempore, in quantum electio, quam Judas habuit in prodendo JESUM Christum & in suspendendo se ipsum, fuit opus novum factum ab illo in tempore, in quo DEUS ita fuit per Justitiam in damnando illum in puncto mortis, sicut fuit per Misericordiam in Cruce, quando dedit veniam latroni, qui in Cruce ab illo petebat Misericordiam, & illum salvavit.

10. DEUS, in quantum est æternus, est in die Dominica, die lunæ, & in omnibus aliis diebus septimanæ, & quia DEUS est bonus, sapiens, amorosus, potens & justus, est in qualibet die bonus, sapiens, potens, amans & justus, cùm sua Bonitas, Sapientia, Amor, Potestas & Justitia convertantur cum sua Æternitate; & ideo, quando Petrus est bonus in die Dominica, DEUS est in illo per Gratiam suæ Bonitatis, Sapientiæ, Amoris, Potestatis & Justitiæ; & quando Petrus die Lunæ est peccator mortalis, DEUS non est in illo per Gratiam suæ Bonitatis, Sapientiæ, Amoris, Potestatis & suæ Justitiæ, sed per contrarium gratiæ, quod est sua ira, est contra Petrum à DEO oditum; & ideo DEUS est æternus in die Dominica & in die lunæ absque eo, quòd sit in tempore; veruntamen est in die Dominica & in die lunæ in tempore, in quantum Petrus facit nova opera in die Dominica cum Virtutibus, & in die Lunæ cum peccatis; quæ opera sunt mutabilia & variabilia, in quantum Petrus se mutat de uno habitu in alium, qui habitus non mutant DEUM, qui est talis in uno die, sicut in alio, per Essentiam & per Bonitatem, Sapientiam, Voluntatem, Potestatem & Justitiam; & in hoc passu potest homo cognoscere, quomodo DEUS sit extra tempus per Æternitatem, & sit in tempore, in quantum habet novas operationes in novis subjectis creatis.

QUÆSTIO VIII.

Ubi est DEUS?

1. DEUS est in se ipso, qui habet naturam, quòd sit in se ipso, quia habet Operationes in se ipso, quæ cum illo convertuntur; sicut suum Intelligere, Amare, Bonificare, Infinire, Æternare & alii actus, qui sunt in sua Essentia & Natura, & de sua Essentia & Natura; sicut suum Intelligere, quod est DEUS & Intellectus, & quod est de Intelligente & Intellecto, qui sunt Divinus Intellectus, est de illis, & in illis, & illi sunt in illo, & Intelligens est in Intellecto, & Intellectus est in intelligente, & omnes tres scilicet Intelligens, Intellectus & Intelligere sunt unus DEUS, qui est in illis, in quantum quilibet illorum est in alio, & omnes tres sunt in illo; & in isto passu potest homo cognoscere Naturam & Potestatem, per quam DEUS potest esse in se ipso, & est in se ipso.

2. DEUS est in Generare & Spirare; est in Generare, in quantum Pater generat Filium de sua Essentia & Natura, in qua Essentia & Natura DEUS est Pater, quia de se ipso generat Filium, qui Filius est Filius in Essentia & Natura; & quia Pater & Filius relativè sunt distincti, & per Essentiam & Naturam convertuntur, potest homo cognoscere in isto passu, quomodo Pater sit in Filio, & Filius in Patre, & quomodo Pater sit in Generatione activa, & Filius in Generatione passiva; hoc idem est de Sancto Spiritu, qui est de Patre & Filio per Spirationem activam, & est hoc, quod est, per Spirationem passivam.

3. In Divina Bonitate, & sic de aliis, DEUS

Pater est Generator; & in illa DEUS Filius est Generatus, in quantum DEUS Pater illum generat de sua Bonitate; & Sanctus Spiritus, qui spiratur de Bonitate amborum, est bona Spiratio in Bonitate passiva, & Pater & Filius sunt bona Spiratio in Bonitate activa, & omnes tres sunt in Bonificare, quod est Actus Bonitatis; in bonificare sunt Pater & Filius per Generare, in quantum Pater generat bonum Filium per Naturam, & omnes tres sunt in illa, in quantum Pater & Filius spirant bonum Sanctum Spiritum per Amorem.

4. DEUS est in Infinitate & in Infinire, & in Æternitate & in Æternare, sicut est in Bonitate, secundùm quòd diximus: in isto passu potest homo cognoscere naturam & potestatem, per quam infinita & antiqua & æterna Operatio DEI comprehendit operationes creatas novas sinè novitate infiniendi & æternandi, in quibus novitas vel alteratio non potest intrare, existente Creatore & Factore in Operationibus novis sinè mutatione sui ipsius.

5. DEUS est in quolibet puncto creato, quantumcunque sit divisibile vel indivisibile; & hoc est ideo, quia infinita Essentia DEI comprehendit omnem essentiam creatam per extensitatem (ita loquendo) & ideo potest dici, quòd DEUS sit in omni loco & extra locum essentialiter & præsentialiter; & hoc idem potest dici de actibus essentialibus & naturalibus Dignitatum, qui cum Divina Essentia convertuntur.

6. DEUS est bonus in homine bono, & justus in homine justo, & sapiens in homine sapiente, & charitativus in homine, qui habet charitatem, & pius in homine, qui habet pietatem; & DEUS non est bonus in homine malo, in quantum DEUS non facit bonum per gratiam homini malo, condemnando illum ad sempiternum ignem, in cujus damnatione DEUS est bonus per Justitiam, quæ est Bonitas; hoc idem de Sapientia, quæ est in homine malo sciendo peccata illius, quæ sunt mala, in quo scire DEUS est bonus, cùm illud scire sit bonum, & sic de cæteris; & in isto passu potest cognosci, quomodo Bonitas DEI, & sic de aliis Dignitatibus, secundùm suam Essentiam sit immutabilis in hominibus; & sic de sua operatione intrinsecâ, & de operatione extrinsecâ, quam habet in hominibus; sicut DEUS, qui est bonus in homine bono per Bonitatem & per bonificare, & est bonus in homine malo per Essentiam suæ Bonitatis, quæ est in omni loco, & per bonificare Justitiæ, quod est bonum, in quantum punit hominem malum non dignum boni, & dignum ignis infernalis, qui est malus homini.

7. Antequam mundus esset, nihil erat, nisi DEUS tantùm; & quando creavit mundum, creavit locum, in quo fuit mundus collocatus, sinè quo mundus non potuisset esse; igitur DEUS est in illo loco, in quo est mundus; & si DEUS non esset in illo loco, in quo est mundus, conveniret, quòd DEUS, antequam creavit locum mundi, creavisset vacuitatem in sua Essentia, in qua mundus caperetur cum loco creato, & Essentia DEI, quæ est infinita & æterna, esset divisibilis, terminata, finita & corporalis; quod est impossibile: igitur DEUS est in illo loco, in quo mundus est collocatus: & in isto passu potest cognosci, quomodo DEUS sit in loco immutabiliter, & absque eo, quòd in loco sit collocatus, nec locus in sua Essentia faciat figuram; & hoc idem de suis operationibus, quas habet in loco, hoc est in illo loco, in quo sunt suæ operationes.

8. DEUS amat hominem justum, in cujus Amare est Judicare, Bonificare & Magnificare, quæ cum Amare DEI convertuntur; & in quantum cum Æternitate convertuntur, & Amare convertitur cum Æternitate, est in Amare Æternare, quod convertitur cum Æternitate, & illud Æternare & alii Actus sunt in Dignitatibus DEI Ideæ; & quando homo justus fit injustus & malus, amare, quod est idea, remanet æternum & bonum in judicando hominem injustum & malum ad infernalem ignem, quod judicium est bonum, & mutatio boni & mali hominis fit in duobus habitibus justitiæ & injuriæ: & in hoc passu potest cognosci, quomodo DEUS est in suis ideis immutabilibus & infinitis, & illæ in illo, per quas DEUS est in habitibus novis & mutabilibus remanens in sua antiquitate & immutabilitate.

9. Inter DEUM & mundum est multò major differentia sinè omni comparatione, quàm inter cœlum & terram, & quàm inter hominem & lapidem, cùm DEUS sit infinitus & æternus, & mundus sit finitus & novus; & in illa differentia est DEUS, sicut

sicut est in creatione mundi, in qua est sicut Creator, & mundus est sicut creatura; quia in differentia DEI & mundi DEUS est sicut Essentia æterna & infinita, & mundus sicut essentia finita & principiata: & in isto passu potest cognosci, quomodo de Differentia DEI & mundi non multiplicetur alia differentia in tertio numero, quæ non sit DEUS nec creatura: & per hoc, quod per talem Differentiam intelligimus, potest intelligi, quòd Divina Voluntas, & sic de cæteris suis Dignitatibus, quæ non volebat, quòd mundus esset, antequam esset, & voluit, quòd esset, quando fuit, non sit in aliqua multiplicatione, nec in novâ alteratione per non velle illum nec per velle illum, sicut diximus; cùm Voluntas DEI sit æterna & infinita per suum velle & non velle, & principium mundi sit novum & finitum.

10. Inter DEUM & hominem justum est Concordantia, sicut inter Factorem & suam facturam, & illa Concordantia est bona; igitur DEUS est in illa Concordantia, postquam est bona; &, si esset mala, DEUS non posset esse in illa per gratiam suæ Bonitatis, cùm bonum & malum sint contraria, quæ Concordantia esset mala, si DEUS, qui est æternus, esset mutabilis & non æternus in faciendo novam facturam; &, si non posset remanere æternus faciendo novam facturam, sua Potestas esset finita & alterata de Infinitate in finitatem; &, ut hoc non fieret, faceret mundum æternam facturam, & homo justus non posset esse injustus, nec injustus justus, & sic de aliis partibus mundi; veruntamen homo justus non semper est justus, nec injustus semper est injustus. Item quilibet homo est mortalis: unde cùm hoc ita sit, potest cognosci, quomodo DEUS sit in actibus creatis & mutabilibus ipso existente in suis actibus coëssentialibus & naturalibus immutabili & toto bono sinè culpa & peccato.

QUÆSTIO IX.

Quomodo est DEUS?

IN hac Quæstione convenit respondere secundùm *esse* & operari, quia una consideratio est considerare *esse* DEI, alia est considerare operari naturale, quod habet in se ipso, & operari artificiale, quod habet in creaturis: *Esse* DEI consideravimus, in quantum illud definivimus in *secunda Quæstione*, nunc volumus considerare, quomodo DEUS sit hoc, quod est, & quomodo habeat Operationem naturalem in semetipso, sinè qua DEUS non esset hoc, quod est, & quomodo habeat Operationes in creaturis.

1. DEUS est de necessitate, postquam est Infinitas & Æternitas, & cum Infinitate & Æternitate convertuntur Bonitas, Potestas, Sapientia & Voluntas &c.; igitur DEUS est hoc, quod est, secundùm modum conversionis illarum, qui Modus est Ens necessarium & non possibile, & suum contrarium est impossibile.

2. DEUS habet Modum essendi bonus per Bonitatem, & quia habet Modum essendi bonus per Bonitatem, suus Modus est bonus; & quia sua Bonitas convertitur cum Infinitate, suus Modus est infinitus; & quia Bonitas & Infinitas convertuntur cum Æternitate, suus Modus est bonus infinitus & æternus; & quia Bonitas, Infinitas & Æternitas convertuntur cum Potestate, suus Modus est bonus infinitus æternus & potens, & sic de aliis Dignitatibus, secundùm quas DEUS habet Modum in essendo sapiens, amans, virtuosus, verus & gloriosus, per quem DEUS est hoc, quod est, & sinè quo DEUS non esset hoc, quod est: unde sicut Martinus non esset bonus absque eo, quòd faceret bonum, & ille faciendo bonum est bonus, ita DEUS est bonus producendo bonum, & est magnus producendo magnum, & sic de cæteris: unde, sicut homo respondet illi, qui quærit: quomodo Martinus sit bonus, dicendo, quòd sit bonus faciendo bonum; ita respondemus quæstioni factæ de DEO, quòd DEUS sit bonus producendo bonum, & sit magnus producendo magnum, & sic de aliis.

3. DEUS habet Modum in essendo Pater & Filius & Sanctus Spiritus, & hic Modus est illi necessarius & non possibilis, quia est infinitus & æternus per Infinitatem & Æternitatem, quæ sunt Dignitates necessariæ; DEUS habet Modum in essendo Pater, in quantum intelligit, se esse potentem ad producendum de se ipso tam bonum Filium, sicut ille potest esse Pater; & quia DEUS ita naturaliter, infinitè & æternè intelligit & diligit, ideo DEUS habet Modum naturalem infinitum & æternum in essendo Pater, qui infinitè

& æternè per Naturam generat DEUM Filium.

4. DEUS Pater habet Modum amandi DEUM Filium, quia eſt bonus, & habet bonum Filium; &, quia Filius eſt bonus in bono Patre, habet Modum amandi Patrem; &, quia Bonitas & Amor Patris & Filii convertuntur cum Infinitate, Æternitate, Poteſtate &c., ideo Amor, quem ambo erga ſe habent, habet bonum Modum infinitum æternum & potentem; quare convenit, quòd ipſe ſit Perſona, & ita bona & infinita æterna & potens, ſicut Perſona Patris & Perſona Filii: unde, cùm hoc ita ſit, poteſt reſponderi illi, qui quærit: quomodo DEUS eſt Pater & Filius & Sanctus Spiritus? ſecundùm ſupradictum modum.

5. In Divina Eſſentia quælibet Dignitas habet ſuum Modum, ſicut Bonitas, quæ habet Modum per naturalem ſubſtantialem Bonificantem, Bonificabilem & Bonificare; & Magnitudo per naturalem ſubſtantialem Magnificantem, Magnificabilem & Magnificare, & ſic de cæteris: unde ſicut textura de Serico (ita loquendo) quæ per ordinata fila mota cum ordine habet modum eſſendi texta, & habendi in ſe figuras florum, leonum vel hominum, propter diverſos colores & lineas, ita & multò meliùs ſinè omni comparatione omnes Dignitates DEI inſimul ſe habent ad Generationem & Spirationem per ordinem ſpiritualem, per quem Divinæ Perſonæ exiſtunt diſtinctæ, & inſimul una eadem Eſſentia & Natura, & Dignitates ſunt in tam magna Operatione naturali, ſicut eſt illorum Eſſentia & Natura.

6. Aliquæ formæ in ſubſtantiis creatis ſunt in potentia, quæ ſunt poſſibiles educi in actum per agens naturale aut artificiale, & convenit, quòd habeant modum per ſubjectum, in quo ſunt, & quòd habeant modum per modum illius operantis, ſinè quibus duobus modis non poſſent deduci in actum; non tamen dicimus, quòd DEUS Pater habeat talem modum in producendo DEUM Filium, nec ambo in producendo Sanctum Spiritum; cùm modus, qui eſt in creaturis, ſit principiatus de potentia in actum, & in tempore & in loco & cum motu; & ſubſtantiæ operentur cum ſuis accidentibus, quæ ſunt inſtrumenta ad operandum, quia in DEO non eſt aliquod accidens, & tota ſua Operatio & Natura exiſtit in puro actu æternaliter & infinitè.

7. DEUS habet Modum in amando cum ſua Bonitate, Infinitate, Æternitate &c., & habet Modum in intelligendo cum Bonitate, Infinitate, Æternitate &c., & habet Modum in bonificando cum Infinitate, Æternitate, Poteſtate &c., & ſic de omnibus aliis Actibus ſuarum Dignitatum habendo Modum & Ordinem in qualibet & in omnibus Dignitatibus & Actibus illarum; & ideo DEUS eſt purus Modus & purus Ordo in hoc, quod eſt, & in hoc, quod facit; per quem Modum & Ordinem eſt hoc, quod eſt in ſe ipſo & in ſua Operatione naturali; & per talem modum & ordinem poteſt reſponderi illi, qui quærit: quomodo eſt DEUS ordinatus ſecundùm ſuam Eſſentiam & naturalem Operationem?

8. DEUS habet Modum & Ordinem in creando mundum cum modo & ordine ſuarum Dignitatum, quæ requirunt Operationem & Ordinem in creaturis, per quam illarum Operatio & Ordo recolatur & cognoſcatur & ametur, honoretur & ſerviatur illi ab hominibus & Angelis; & quia Operatio & Ordo DEI eſt bonus & magnus, creavit creaturas bonas & magnas, quæ ſunt bonæ & magnæ per naturam: unde cùm hoc ita ſit, ideo DEUS propter talem finem eſt Creator & ordinatus ad creandum mundum per Ordinem & Modum ſuarum Dignitatum & Actuum illarum: & per talem Modum & Ordinem poteſt reſponderi illi, qui quærit: quomodo DEUS eſt Creator?

9. DEUS habet Modum in puniendo peccatores cum ſua Juſtitia, in cujus Actu ſunt omnes actus Divinarum Dignitatum, cùm ſuum judicium ſit bonum, in quantum eſt à bono Judice; magnum, quia Judex eſt magnus, & punit peccatorem in pœnis æternis, quia peccavit contra bonum Judicem magnum & æternum, & ſic de aliis; igitur DEUS habet Modum in puniendo peccatores, qui cum peccatis ſunt contrarii Divinis Dignitatibus & Actibus illarum, & per talem Modum poteſt reſponderi illi, qui quærit: quomodo DEUS judicet & puniat peccatores.

10. DEUS habet Modum ad condonandum peccatori, qui pœnitet cum modo & ordine, qui modus & ordo eſt per contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem, habendo

bendo Spem in DEO, quòd ſibi det veniam, in quantum ad DEUM cum devotione facit juſtam orationem; &, quia peccator ponit ordinem in ſua pœnitentia, ordo, quem ponit in ipsâ, eſt bonus, cui Divina Bonitas correſpondet cum Ordine; &, ſi pœnitentia eſt magna, correſpondet illi Divina Magnitudo; &, ſi eſt durabilis, correſpondet illi Divina Æternitas; &, ſi eſt potens, correſpondet illi Divina Poteſtas; &, ſi eſt ſapiens, correſpondet illi Divina Sapientia; & ſic de aliis: ita, quòd actui humano morali correſpondeat Actus Divinus tanquam ſimile ſimili, propter quod DEUS habet Modum condonandi peccata, & recipiendi peccatores in Gratiam & Charitatem: unde, cùm hoc ita ſit, igitur per hoc, quod diximus, ſignificavimus, quomodo DEUS habeat Modum in remittendo culpas & peccata.

QUÆSTIO X.

Cum quo eſt DEUS?

REſponſionem hujus Quæſtionis convenit inquirere cum illis Proprietatibus & Conditionibus, ſinè quibus DEUS non poſſet eſſe; & cum illis convenit reſpondere ad quæſtionem.

1. DEUS eſt cum ſua Bonitate, quia ſinè ſua Bonitate non poſſet eſſe; cùm ſinè Bonitate non haberet, cum quo eſſet bonus, nec haberet naturam faciendi bonum, nec haberet, cum quo eſſet remotus à malo; &, ſi non eſſet bonus, conveniret, quòd eſſet malus, cùm conveniat, quòd omne id, quod eſt, vel ſit bonum vel malum, & DEUS non poteſt eſſe malus; igitur DEUS eſt cum ſua Bonitate ſecundùm quòd probavimus. DEUS etiam eſt cum ſua infinita Magnitudine, ut habeat, cum quo ſit magnus infinitè, & cum quo habeat naturam magnificandi & infiniendi, & cum quo ſit remotus à parvitate & finitate. DEUS eſt cum Æternitate, ut habeat, cum quo ſit æternus, & habeat Naturam æternandi, & cum quo ſit remotus à tempore. DEUS eſt cum Poteſtate, ut habeat, cum quo ſit potens, & habeat Naturam poſſificandi, & cum qua non poſſit vinci. DEUS eſt cum Sapientia, ut habeat, cum quo ſit ſapiens, & habeat Naturam intelligendi, & cum qua non poſſit ignorare. DEUS eſt cum Voluntate, ut habeat, cum quo ſit volens, & habeat Naturam volendi, & cum qua non poſſit odire. DEUS eſt cum Virtute, ut habeat, cum quo ſit virtuoſus, & habeat Naturam virtuificandi, & cum qua non poſſit eſſe vitioſus. DEUS eſt cum Veritate, ut ſit verus, & habeat Naturam verificandi, & cum qua non poſſit mentiri. DEUS eſt cum Gloria, ut ſit glorioſus, & habeat Naturam glorificandi, & cum qua non poſſit habere pœnam. Etiam DEUS eſt cum Perfectione, ut habeat, cum quo ſit perfectus, & cum quo non poſſit habere defectum.

2. DEUS eſt cum converſione ſuarum Dignitatum, ſinè qua non poſſet eſſe, quia, ſi Bonitas & Magnitudo &c. in DEO non converterentur, ſequeretur, quòd ſua Bonitas eſſet magna accidentaliter, & ſimiliter Magnitudo bona; quod accidens eſſet malitia cum parvitate contra Divinam Bonitatem & Magnitudinem; &, quia in Divina Subſtantia non poteſt eſſe parvitas neque malitia, cùm ſit infinitè bona & magna, convenit, quòd DEUS ſit cum converſione ſuarum Dignitatum.

3. Convenit, quòd Æternitas ſit cum infinita Poteſtate, & infinita Poteſtas cum Æternitate & cum infinita Magnitudine, & ſic de aliis Dignitatibus, quas convenit unam eſſe cum aliis. Item convenit, quòd Æternitas ſit cum infinita Poteſtate, ut poſſit eſſe infinitè; & convenit, quòd Poteſtas ſit cum Æternitate, ut æternaliter poſſit durare; & convenit, quòd Poteſtas ſit cum infinita Magnitudine, ut poſſit habere infinitam Poſſificationem; & convenit, quòd infinita Magnitudo ſit cum Æternitate & Poteſtate infinita, ut poſſit habere Magnificare, Æternare & Infinire; & convenit, quòd Æternitas ſit cum infinita Magnitudine, ut poſſit habere infinitum Æternare extenſum (ita loquendo) in Magnitudine.

4. DEUS eſt cum Natura, quia ſinè Natura non poſſet habere naturalem Operationem in ſe ipſo, ſinè qua omnes Dignitates eſſent defectivæ; ſicut in Bonitate eſſet defectus ſinè naturali Bonificare, & in Magnitudine ſinè naturali Magnificare, & in Æternitate ſinè naturali Æternare, & in Poteſtate ſinè naturali Poſſificare, & in Sapientia ſinè naturali Intelligere, & ſic de aliis: igitur DEUS eſt cum Natura, ut ſuæ Dignitates poſſint habere naturales Actus.

Cum Naturâ DEUS esse non posset, nisi in sua Natura habeat naturalem Naturantem, Naturatum & Naturare, sinè quibus Divina Natura non haberet, in quo esset sustentata; & etiam sinè naturali Naturante, Naturato & Naturare in Divina Bonitate non posset esse naturalis Bonificans, Bonificatus & Bonificare, & sic de aliis Dignitatibus.

5. DEUS est cum conversione suæ Essentiæ & suæ Operationis naturalis, sicut cum sua Bonitate, & hoc idem de Magnitudine & aliis, quæ sunt sua Essentia, quæ convertitur cum suo naturali Bonificare, ut Bonificare possit esse de coëssentiali & naturali Bonificante & Bonificato, & ut omnes tres sint Essentia Bonitatis, & illa sit omnes tres.

6. DEUS est cum sua Unitate, & cum una Bonitate, & non cum multis; & est cum una Magnitudine, & non cum multis; cum una Æternitate, & non cum multis, & sic de aliis; & est cum conversione omnium in sua Unitate, & cum conversione suæ Unitatis in illis; quia, si DEUS esset cum duabus bonitatibus, & sic de cæteris, differentibus per essentiam, quælibet bonitas esset finita & terminata per aliam infinitam, aut una esset finita, & alia infinita; & hoc est falsum & impossibile, cùm sit infinita secundùm quòd probavimus; etiam, quia, si Unitas DEI non converteretur cum omnibus Unitatibus suarum Dignitatum, esset composita de omnibus in tantum, quòd transiret in tertium numerum, hoc est, quòd DEUS non esset sua Bonitas, sua Magnitudo &c., nec sua Bonitas, Magnitudo &c. essent DEUS, in quantum esset pars, & non tota substantia DEI; &, quia hoc est falsum & impossibile, manifestatur & probatur, quòd Divina Unitas & Unitates suarum Dignitatum habeant conversionem, & quòd DEUS sit cum illa conversione.

7. DEUS est cum personalibus Proprietatibus, quæ sunt Paternitas, Filiatio & Spiratio, sinè quibus DEUS in sua Essentia & in suis Dignitatibus non haberet proprios & naturales actus; sicut in suo Intellectu, & sic de aliis, non haberet proprium & naturalem Intelligentem, proprium & naturalem Intellectum, & proprium & naturale Intelligere; &, quia Intelligens concipit Intellectum per naturam, per naturam de suâ Essentiâ, quæ est Intellectus, producit ipsum per activam Intellectivitatem, quæ est Intelligens; & quia Intelligens de sua Essentia producit Intellectum, de necessitate existit Pater, & de necessitate existit Filius, cùm conveniat, quòd omne ens, quod est de essentia alterius entis, de necessitate sit Filius per modum Generationis, & Intelligere, cum quo Pater generat Filium, est Operatio naturalis Operantis & Operati, Intelligentis & Intellecti; &, quia Intelligens & Intellectus se amant cum Intelligere, cùm in DEO Intellectus & Amor convertantur, secundùm quòd probavimus in *secunda Quæstione & in secundo paragrapho*, ideo exit Amare de Intelligente & Intellecto & Intelligere; quod Amare est Sanctus Spiritus, qui est Persona ita necessaria, sicut est Persona Patris & Filii, ut Amare sit substantia, & non accidens, & æquale Intelligenti & Amanti, Intellecto & Amato.

8. DEUS est cum Unitate suæ Paternitatis & Filiationis & Spirationis, hoc est, cum una Paternitate, & non multis, cum una Filiatione, & non multis, & cum una Spiratione, & non multis, sicut est cum una Magnitudine, & non multis, & sic de aliis: DEUS etiam est cum Unitate suarum personalium Proprietatum, & cum Unitate suæ Essentiæ, Substantiæ & Naturæ, absque eo, quòd DEUS transeat in quartum numerum, ut ipse sit sua Trinitas, & sua Trinitas sit ipse, & non magis nec minùs; & ut DEUS sit Pater, Filius & Sanctus Spiritus, & ut Pater sit DEUS, & Filius sit DEUS, & Sanctus Spiritus sit DEUS, & omnes tres unus DEUS, & non multi.

9. DEUS est cum Concordantia & Æqualitate suarum Dignitatum & suarum Divinarum Personarum; cum qua Concordantia est remotus à contrarietate, & per Æqualitatem non potest esse cum Majoritate & Minoritate suarum Dignitatum; DEUS non posset esse cum Concordantia & Æqualitate sinè distinctione, cùm Concordantia & Æqualitas non possint esse sinè multitudine rerum distinctarum: igitur DEUS est cum Distinctione Personarum, in quibus est Concordantia & Æqualitas, & in quibus Divinæ Dignitates, quæ per suos actus concordantes & æquales in Personis habent Æqualitatem & Concordantiam, sicut Bonificans, Bonificatus & Bonificare, Magnificans, Magnificatus & Magnificare &c., habent Æqualitatem & Concordantiam per Generare & Spirare.

Inqui-

10. Inquisivimus & invénimus Proprietates & Conditiones, cum quibus DEUS est, & sinè quibus non potest esse; & ideo respondemus ad quæstionem dicendo: quòd DEUS sit cum se ipso tantùm, cùm ille sit suæmet Proprietates & Conditiones, cum quibus est: nunc volumus dicere, quòd DEUS sit cum suis Dignitatibus Creator; quia cum sua propria Bonitate increata creavit bonitatem creatam, & cum sua Magnitudine increata creavit magnitudinem creatam, & cum Æternitate creavit durationem, & sic de aliis; & cum bona & magna Justitia est justus, & cum bona & magna Misericordia dat veniam; & sic de aliis Divinis Dignitatibus.

Finita est prima Pars hujus Libri, in qua respondimus ad decem Quæstiones generales factas de DEO, „ per quam responsionem potest haberi doctrina respondendi ad alias quæstiones peregrinas & „ speciales factas de DEO, quia cum Principiis universalibus positis in ordine, sicut nos ipsa posuimus in hac Parte, potest haberi cognitio de dubiis particularibus.

SECUNDA PARS
De JESU Christo.

IN hac *secunda Parte* tractabimus de nostro Domino DEO JESU Christo, & inquiremus eum per decem Quæstiones generales, sicut inquisivimus DEUM; & hoc facimus ideo, ut illum multùm intelligamus & amemus, &, ut demus Doctrinam solvendi Quæstiones factas de JESU Christo, sicut dedimus doctrinam solvendi Quæstiones factas de DEO.

QUÆSTIO I.
Utrùm DEUS sit incarnatus?
sive
Utrùm sit JESUS?

1. QUando DEUS creavit mundum, omnes suæ Dignitates fuerunt in creatione. DEUS creavit mundum cum sua Bonitate, & ideo creavit illum bonum; &, quia mundum creavit cum sua Magnitudine, creavit illum magnum; &, quia illum creavit cum sua Æternitate, creavit Cœlum & Elementa, Angelos & Homines ad perdurabilem Finem; &, quia creavit mundum cum Potestate, creavit illum potentem; &, quia illum creavit cum Sapientia, creavit Intellectum Angelorum & hominum, & naturalem instinctum; &, quia illum creavit cum Voluntate, creavit Voluntatem Angelorum & hominum & naturalem appetitum; &, quia illum creavit cum naturali Virtute, creavit naturales virtutes; &, quia illum creavit cum Veritate, creavit veras naturales creaturas; &, quia illum creavit cum Gloria, creavit delectationem in creaturis; &, quia illum creavit cum Perfectione, creavit mundum perfectum cum suis naturalibus partibus; &, quia ipsum creavit cum Fine, creavit quamlibet creaturam ad Finem increatum, cum quo fuit creata. Et in hoc passu potest cognosci, quòd Incarnatio DEI significetur & declaretur, hoc est, quòd Finis creatæ bonitatis sit creatus ad Finem increatæ Bonitatis, & Finis creatæ magnitudinis sit creatus ad Finem increatæ Magnitudinis; &, quia Finis increatus est melior, major & durabilior, qui possit esse, ideo convenit etiam, quòd Finis creatus mundi sit melior, major & durabilior &c., qui esse possit, ut Finis creatus & Finis increatus sibi ad invicem correspondeant, quantum possunt; & hunc ordinem intellexit divina Sapientia, & dilexit divina Voluntas, quia fuit rationabilis & diligibilis; & divina Bonitas bonificavit ipsum, quia est bonificabilis, & divina Magnitudo magnificavit ipsum, ut sit magnus: unde, cùm Divina Sapientia sciverit, quòd major Finis, ad quem mundus potuit creari, sit, quòd DEUS sit Homo, & quòd Homo, qui est pars mundi, & naturaliter participat cum omnibus creaturis, sit DEUS,

ideo

ideo convénit, quòd, ſicut Sapientia ſcivit majorem Finem, ſic Voluntas DEI voluerit illum majorem Finem; & convénit, quòd Divina Bonitas ipſum bonificaverit, &, quòd Magnitudo ipſum magnificaverit, & ſic de aliis, ut divinæ Dignitates, & earum Actus æqualiter ſe haberent, & concordarent ad majorem Finem mundi, quem divina Sapientia potuit intelligere: igitur eſt manifeſtum & probatum, quòd DEUS ſit incarnatus, poſtquam convenit, quòd ipſius Incarnatio ita ſit amabilis & amata, & per divinam Bonitatem bonificabilis & bonificata, & per divinam Magnitudinem magnificabilis & magnificata, ſicut per divinam Sapientiam eſt ſcibilis & ſcita; quòd, ſi non, deficerent omnes dignitates DEI majori Fini mundi, qui eſt Incarnatio Filii DEI, exceptâ Sapientiâ DEI, quæ potuit ſcire majorem Finem mundi, & Voluntas non dilexit ipſum, & Bonitas DEI non bonificavit ipſum, nec Magnitudo magnificavit ipſum, & ſic de aliis divinis Dignitatibus; quod eſt impoſſibile, quòd Dignitates & earum Actus eſſent contra earum naturam & Finem, & contra ordinationem, quam habuerunt in mundo per creationem.

2. DEUS creavit mundum de nihilo, & nihil habet nullam dignitatem vel nobilitatem; nam, ſi aliquam haberet, eſſet aliquid, & eſſet, & non eſſet; quod eſt impoſſibile & contradictio: unde, cùm mundus ſit creatus ad cognoſcendum, amandum & honorandum DEUM, & ad ſerviendum ipſi, & mundus per ſe non poſſit habere dignitatem vel virtutem, per quam poſſit ſufficere tam alto & tam nobili Fini, ideo DEUS voluit eſſe Homo, qui per naturam participat cum omnibus partibus mundi, ut Finis mundi per illum Hominem DEUM vocatum JESUM Chriſtum poſſit ſufficere Fini, propter quem eſt creatus.

3. Si DEUS non eſt incarnatus, vel non poſſit incarnari, non haberet poteſtatem, cum qua poſſet exaltare creaturam ſupra naturam nihili, cùm omnis creatura ſit creata de nihilo; igitur divina Poteſtas eſſet defectiva, & idem de divina Bonitate, Magnitudine &c., quæ non poſſet aliquid exaltare ſupra naturam nihili; &, quia talis defectus in DEO eſt impoſſibilis, exaltavit creatam naturam cum ſua divina Natura, quæ eſt Ens æternum & infinitum,

4. DEUS creavit mundum ad cognoſcendum magnam Poteſtatem ſuæ æternitatis, & aliarum ſuarum Dignitatum; & convenit, quòd illud ſit verum, per quod Poteſtas Æternitatis poteſt eſſe major in mundo, qui eſt creatus ad cognoſcendum majorem Poteſtatem Æternitatis: unde, ſi DEUS eſt incarnatus & factus Homo, Æternitas cum ſua infinita Poteſtate eſt conjuncta cum finita poteſtate, & in tempore principiata in Unitate Perſonæ, quæ appellatur JESUS: Æternitate conſervante ſuam infinitam naturam & omnium aliarum Divinarum Dignitatum immutabilem, & Æternitate conſervante naturam humanam in illis conditionibus, quæ ad illam naturaliter pertinent; & talis manifeſtatio æternæ Poteſtatis eſt major, quam DEUS de ſe ipſo poteſt facere in creatura: unde, cùm æterna & infinita Poteſtas per naturam ſuæ infinitæ Magnitudinis requirat majorem manifeſtationem, quæ poſſit fieri de illo in creatura, & quia hoc non poteſt fieri ſinè Incarnatione, convenit, quòd DEUS ſit incarnatus & factus Homo.

5. Hoc, per quod Poteſtas Divinæ Voluntatis meliùs poteſt cognoſci & amari per creaturam, eſt, quòd Voluntas tantum poſſit amare creaturam, quòd illam faciat conjungi & uniri cum Divina Natura, & ambas Naturas eſſe unam Perſonam, in qua DEUS amat ſe ipſum; ideo, quia eſt DEUS, & DEUS amat eſſe Homo, & hoc, quia poteſt eſſe Homo: unde cùm major amor, quem DEUS poteſt habere erga hominem, ſit, quòd velit eſſe Homo, convenit, quòd ille major amor manifeſtetur ſecundùm naturam magnitudinis Divinæ Voluntatis, & convenit, quòd Divina Voluntas amet illam manifeſtationem tam magnam; &, ſi illam amat, convenit, quòd ſit; & quia tam magna manifeſtatio non poſſet eſſe ſinè Incarnatione, convenit, quòd Incarnatio ſit.

6. Convenit, quòd hoc, per quod Divinæ Dignitates in ſubjecto creato poſſunt habere majorem concordantiam, ſit verum, ut in illo magìs poſſint eſſe remotæ à contrarietate; &, ſi non convenit, quòd hoc ſit verum, & convenit, quòd ſuum contrarium ſit verum, conveniret, quòd eſſet poſſibile, quòd divinæ Dignitates in ſubjecto creato poſſent ſibi contrariari; quod eſt falſum & impoſſibile: igitur convenit, quòd ſit verum hoc, per quod Divinæ Dignitates

nitates poſſunt habere majorem concordantiam in ſubjecto creato; & illa major concordantia eſt per Incarnationem, in qua Divina Bonitas non poteſt magìs bonificare creaturam, nec Magnitudo magìs magnificare creaturam; & ſic de aliis.

7. Hoc, quare convenit, quòd DEUS ſit incarnatus, eſt ideo, ut DEUS poſſit eſſe Finis corporalium creaturarum, ſinè qua Incarnatione DEUS non poſſet eſſe Finis illarum, cùm DEUS ſit ſpiritualis Subſtantia, quæ non poteſt ſentiri; ſed, quia DEUS eſt factus Homo, qui poteſt ſentiri, poteſt DEUS cum Humanitate, quam aſſumpſit, eſſe Finis corporalium creaturarum, cum quibus naturaliter participat, in quantum eſt Homo.

8. In DEO Bonitas, Magnitudo & aliæ Dignitates habent intra Divinam Eſſentiam majores actus, quos poſſunt habere per Generationem & Spirationem, ſecundùm quòd probavimus in *prima Parte hujus Libri;* & ideo convenit, quòd ipſos habeant majores, quos poſſunt habere in Fine mundi, qui eſt id, quare eſt creatus, ſecundùm quòd jam diximus: igitur convenit, quòd illos habeant per Incarnationem, quæ ſit Finis mundi, & ſubjectum creatum, in quo Dignitates poſſunt habere ſuos majores actus, quos poſſunt habere, ſinè qua Incarnatione illos in nullo ſubjecto poſſent habere.

9. Omne ens bonum, quò magìs eſt commune, eò meliùs convenit cum eſſe, & hoc eſt ratione Bonitatis, quæ concordat cum eſſe; & quò magìs eſt commune, tantò plura particularia bona & nobilia concordant ſub ſua communitate: unde, ſi Incarnatio eſt, JESUS conſideratur eſſe DEUS & Homo, & plus commune *eſſe*, quod poſſit eſſe in Bonitate, Magnitudine, Duratione &c.; nam, in quantum eſt DEUS, comprehendit & continet omne, quod eſt, & in quantum eſt Homo, eſt Creatura tam alta & tam nobilis ratione conjunctionis, quam habet cum Deitate, quòd ſit Finis omnium creaturarum, & ſub ſua Humanitate naturaliter ſint omnes creaturæ proportionatæ, ordinatæ, quantificatæ & qualificatæ, & in generibus & ſpeciebus poſitæ: igitur eſt Incarnatio, ut illa ſit altior & nobilior communitas, quæ poſſit eſſe; &, ſi Incarnatio non eſt, DEUS, qui eſt Ens communius, eſt contra altiorem & nobiliorem communitatem, quæ poteſt eſſe, in quantum non vult, quòd ſit; quod eſt impoſſibile, cùm una bona communitas non ſit contra aliam bonam communitatem, poſtquam habent ſimilitudinem per Bonitatem, Magnitudinem & communitatem.

10. Inter DEUM & creaturam eſt Concordantia tanquam inter Factorem & ſuam facturam, quam Concordantiam convenit eſſe in Æqualitate, vel in Majoritate vel Minoritate; in Æqualitate non poteſt eſſe, cùm DEUS ſit Ens infinitum & æternum, & creatura ſit finita & principiata in tempore; in minoritate non poteſt eſſe, cùm DEUS ſit magnum bonum, & propter ſuam naturam illi meliùs conveniat creare & facere bonas & magnas creaturas, quàm parvas in Bonitate & Virtute. Non convenit, quòd omnes creaturæ ſint æquales in Bonitate, Magnitudine & Virtute; ſicut Sol, quem non convenit eſſe tam magnum, ſicut Cœlum, nec unam partem hominis tam magnam, ſicut totus homo, & ita de aliis rebus ſimilibus iſtis; ſicut non eſt conveniens, quòd granum milii ſit ita magnum ſecundùm ſuam naturam, quàm granum piperis; & hoc convenit ita eſſe, ut mundus ſit ordinatus & proportionatus cum ſuis partibus: igitur convenit, quòd ſit una creatura magìs generalis & magìs magna in Bonitate, Nobilitate & Virtute, quàm omnes aliæ creaturæ, cum qua Divina Natura habeat majorem Concordantiam, & non minorem, & ſub illa DEUS habeat Concordantiam cum aliis creaturis de gradu in gradum, ſecundùm quòd illæ ſunt bonæ, nobiles & magnæ in Virtute, & proportionatæ & ordinatæ ad altiorem & nobiliorem creaturam, quæ poſſit eſſe, cum qua DEUS habeat majorem Concordantiam, quam poteſt habere, & quæ ſit altior, melior, nobilior & cum majori Virtute & Poteſtate, quæ poſſit eſſe; quæ major Concordantia & major Creatura & altior in nobilitate &c. non poteſt eſſe ſinè conjunctione Divinæ & Humanæ Naturæ; igitur eſt manifeſtatum & probatum, quòd DEUS ſit incarnatus.

QUÆSTIO II.

Quid eſt JESUS?

1. JESUS eſt illa Perſona, quæ eſt magìs communis, quàm omnis alia perſona;

& est magìs communis Persona, quia est Divina Natura conjuncta cum humana; quia per Divinam Naturam est DEUS, qui est magìs commune Ens, quod possit esse in Magnitudine Bonitatis, Æternitatis, Potestatis &c., & similiter per humanam Naturam; cùm per Incarnationem Filii DEI sit exaltata super omnes creaturas in Magnitudine Bonitatis, Potestatis, Durationis &c.

2. JESUS est Substantia conjuncta ex Divina & Humana Natura, quæ non transit in tertium numerum, in quem tertium numerum non potest transire, ut Substantia JESU sit DEUS & Homo, & ut Persona Divina, quæ est æterna & infinita, remaneat in suo numero, qui est DEUS immutabilis, in qua Divinâ Personâ humana Natura JESU fuit facta Homo, ut esset una Persona de duabus Naturis.

3. JESUS est ille Homo, qui cum conditionibus hominis est Homo in DEO; nam, si cum conditionibus hominis esset homo in se ipso, esset homo in se ipso habens personam hominis; & JESUS esset duæ personæ differentes per Essentiam, quarum una esset Persona Divina, alia esset Persona humana, & Divina non esset humana, nec humana esset Divina in tantum, quòd JESUS transiret in tertium numerum; & non esset DEUS & Homo, nec DEUS esset homo, nec homo esset DEUS; & essent destructæ conditiones Incarnationis, quæ sunt, quòd JESUS sit DEUS & Homo, & DEUS sit Homo, & Homo sit DEUS.

4. JESUS est illa Persona, ad cujus Finem totus mundus est ordinatus & creatus. Totus mundus est creatus ad Finem DEI, qui DEUS est JESUS: & est creatus & ordinatus ad Finem Humanitatis JESU, ut sit proportionatus, dispositus & ordinatus ad Humanitatem JESU, qui est creatura nova & terminata, & mundus similiter est novus & terminatus, & non proportionatus Divinæ Naturæ, quæ est æterna & infinita; sed per proportionem, quam mundus habet ad humanam Naturam JESU, est mundus proportionatus Naturæ Divinæ, quæ est Homo JESUS.

5. JESUS est illa Persona, in qua Divinæ Dignitates & humanæ Dignitates JESU habent quietem; Divinæ Dignitates quiescunt in JESU per Incarnationem, in quantum JESUS est nobilior, melior & altior Creatura, quæ possit esse creata; &, quia est cum majori Magnitudine Bonitatis, Durationis, Potestatis &c., humanæ Dignitates JESU habent quietem in illo, in quantum habent majorem Magnitudinem Bonitatis, Durationis, Potestatis &c., quàm omnis Bonitas Magnitudinis, Durationis, Potestatis &c. omnium aliarum creaturarum.

6. JESUS est illa Persona, quæ est Creator & Creatura, & ideo est magìs commune Nomen, quod possit esse; cùm omne, quod est, vel sit DEUS, vel creatura; & quod non est DEUS, vel creatura, nihil est; & ideo, qui nominat JESUM, nominat Finem omnìs, quod est; cùm omne, quod est, sit creatum ad illum recolendum, intelligendum & amandum & honorandum & serviendum, laudandum & benedicendum, & omne, quod est creatum, est proportionatum & ordinatum secundùm proportionem & ordinem suæ Humanitatis.

7. JESUS est illa creatura, quæ magìs potest recolere, intelligere & amare, quàm omnes Angeli & omnes homines; nam, si omnes Angeli & omnes homines essent conjuncti in una persona composita ex omnibus, & transirent in tertium numerum, illa persona non posset habere tam bonum nec tam magnum, durabile &c. recolere, intelligere & amare in DEO, sicut est recolere, intelligere & amare, quod JESUS Homo habet in DEO; & hoc est ratione conjunctionis humanæ Naturæ cum Divina.

8. JESUS est illa Creatura, quæ magìs potest recoli, intelligi & amari, quàm ulla alia creatura; nam, sicut DEUS magìs potest bonificare & magnificare humanam Naturam JESU in Magnitudine Durationis, Potestatis &c., ita potest illam magìs recolere, intelligere & amare, quàm ullam aliam creaturam; cùm illa creatura, quò majorem Magnitudinem Bonitatis, Durationis, Potestatis &c. habet, eò magìs possit recoli, intelligi & amari, quàm alia; & ideo JESUS est illa Creatura, quæ plus boni potest facere, & à Divina Natura nobis impetrare, quàm ulla alia creatura, etiam quàm omnes aliæ creaturæ.

9. JESUS est ille Homo, qui est magìs verus Homo, quàm alius homo; Ratio, quare JESUS est magìs verus Homo, quàm alius homo, est, quia est factus Homo in Divina Natura, quæ est æterna & infinita Veritas; & ideo JESUS, quia est magìs verus Homo, quàm alius homo, in hoc mundo non potuit mentiri, sicut non potuit facere peccatum nec malum, quia est melior Homo, quàm alius homo, quia est factus Homo de humana natura in Bonitate DEI, qui est Filius DEI æternus & infinitus.

10. JESUS est ille Homo, qui est magìs Virgo, quàm alius homo, quia cum Virginitate fuit conceptus per gratiam Sancti Spiritûs, & de Fœmina Virgine natus; & etiam est magìs Virgo, quàm alius homo, quia assumpsit Naturam Virginitatis de Fœmina Virgine, ratione cujus, quamdiu erat in isto mundo, non potuit habere appetitum ad delicias carnales.

Per omnes istas definitiones & per multas alias potest definiri JESUS, per quas definitiones homo illum meliùs potest intelligere & recolere; & quantò meliùs homo illum per illas potest intelligere & recolere, tantò meliùs homo potest illum per illas amare, laudare, honorare, benedicere, illi servire & obedire.

QUÆSTIO III.

De quo est JESUS?

1. JESUS est de Divina & Humana Natura, ita & multò meliùs, quàm quilibet homo est de natura corporali elementali & de anima rationali; cùm homo sit compositus ex anima & corpore, & positus in tertio numero; & quia homo est positus in tertio numero, sua anima non est homo, nec suum corpus est homo, sicut pars, quæ non est totum, nec totum est pars; sed in nostro Domino JESU non est ita, quia ille est de Divina & Humana Natura, & insimul sunt una Persona non composita nec posita in tertio numero: non potest esse composita, cùm illa Persona Filii DEI sit simplex æternaliter infinitè, cum quâ essentia finita & creata non potest intrare in compositionem, & non transit in tertium numerum, ut JESUS sit DEUS & Homo; & etiam, ut humana Natura non sit facta Homo in se ipsa, sed in Divina Natura, secundùm quòd diximus.

2. JESUS, quantum ad suum Corpus, est de genere Adami per omnes quatuor naturas sui corporis, quæ sunt potentia elementativa, vegetativa, sensitiva & imaginativa, ut in natura participet cum omnibus hominibus derivatis ab Adamo, & ut sit de parentela illorum per omnes illas quatuor potentias de potentiis ab Adamo derivatas; per quam parentelam JESU tota humana natura est exaltata.

3. JESUS est de Fœmina, in quantum Corpus est sinè semine viri, de quo semine non convénit nec potuit esse, ut electio Conceptionis esset administrata per Sanctum Spiritum, & cum Virginitate electa per nostram Dominam, & ut suum corpus esset dispositum per talem administrationem & conceptionem, ut Filius DEI ex ipso posset miraculosè & dignè assumere humanam Naturam.

4. JESUS est de Anima rationali, cum qua participat in natura cum Angelis, qui sunt substantiæ spirituales rationales, & participat cum omnibus animabus rationalibus hominum, per quam naturalem participationem exaltatur natura Angelica & natura animæ rationalis.

5. JESUS est de Divina Natura, quæ est Filius DEI; Nobilitas & Altitudo, quam habet JESUS per illam Naturam, est significata in *prima Parte hujus Libri;* veruntamen hoc, quod diximus de illo, non sufficit ad significandum altam Nobilitatem Divinæ Naturæ, per quam JESUS est altus & nobilis; quia de Essentia æterna & infinita vix potest homo aliquid considerare, dicere vel scribere.

6. JESUS est de nobilioribus & altioribus Principiis, quæ possint esse; nam ille, in quantum est DEUS, est de Divina Bonitate, Magnitudine, Æternitate, Potestate, Sapientia, Voluntate, Virtute, Veritate, Gloria & Perfectione; & in quantum est Homo, est de spirituali Bonitate & de corporali Bonitate; & ambæ sunt altiores & nobiliores, quàm omnes aliæ Bonitates creatæ; & hoc idem de sua spirituali & corporali Magnitudine &c., quæ sunt altiora & nobiliora Principia, quàm omnia alia Principia creata; & ideo in Nobilitate & Altitudine creatorum Principiorum JESU Christi significatur Altitudo & Nobilitas increatorum Principiorum; sicut, quantò Nobilitas alicujus facturæ major est, tantò magìs significat Nobilitatem & Altitudinem sui Factoris.

7. JESUS est de nobilioribus & altioribus Finibus, qui possunt esse; nam, in quantum est de Divina Natura, est DEUS, & est de Fine, qui comprehendit omnes creatos

atos Fines; & ad illi ſerviendum, honorandum, laudandum & benedicendum ſunt omnes Fines creaturarum creati; & eſt de creato Fine, in quantum Homo, qui, in quantum eſt conjunctus cum increato Fine, eſt Finis & Perfectio omnium creaturarum.

8. JESUS eſt de altioribus & nobilioribus Filiationibus, quæ poſſunt eſſe; nam per unam eſt Filius DEI Patris, & per aliam eſt Filius Hominis, hoc eſt Filius Fœminæ ſuæ Matris, quam convenit eſſe nobiliorem & altiorem Matrem, quàm omnes aliæ matres, ut ille poſſit eſſe altior & nobilior Filius, quàm omnes alii filii; & ambo Filii ita ſunt una Perſona ex duabus Filiationibus, quæ ſunt Filius DEUS, & Filius Homo, ſicut illa Perſona eſt ex duabus Naturis, Divina ſcilicet & Humana.

9. JESUS eſt de altiori & nobiliori Concordantia, quæ poſſit eſſe inter DEUM & Creaturam, quia illa Concordantia eſt tam alta & tam magna, quòd DEUM & Hominem faciat eſſe unam Perſonam, & quòd in illa Perſona faciat conjungi Divinam Bonitatem & humanam bonitatem; Divinam Magnitudinem & humanam magnitudinem, & ſic de aliis.

10. JESUS, in quantum eſt Homo, eſt de naturalibus accidentibus, hoc eſt, de Quantitate, Qualitate, Relatione &c., ſicut ſunt color vel figura; quia Divina Natura aſſumpſit illa accidentia, in quantum Filius DEI eſt factus Homo, quæ in ſubſtantia illius Hominis ſunt ſuſtentata; & ideo illa accidentia ſunt altiora & nobiliora, quàm omnia alia accidentia, & quàm omnes aliæ ſubſtantiæ creatæ.

QUÆSTIO IV.
Quare eſt JESUS?

1. AD hanc Quæſtionem reſpondemus *duobus modis*, unus eſt formaliter, alius finaliter; *formaliter* poteſt reſponderi per *ſecundam Quæſtionem hujus Partis*, in qua fit definitio de JESU; nam in hoc, quod fecimus definitionem de illo, ſignificamus hoc, quod ille eſt, per hoc, quod eſt; ſicut, qui quærit: Quare eſt homo? & aliquis reſpondet, homo eſt homo ideo, quia anima rationalis eſt conjuncta cum corpore elementato, vegetato, ſenſato & imaginato; ſimili modo JESUS eſt hoc, quod eſt, ideo, quia Divina & Humana Natura in illo ſunt conjunctæ in Unitate Perſonæ: etiam poteſt reſponderi ad hanc quæſtionem per *primam Quæſtionem hujus ſecundæ Partis*, in qua probavimus, quòd DEUS ſit incarnatus ratione Finis; unde ratione hujus JESUS eſt propter hoc, ut DEUS per illum magis poſſit cognoſci & amari, & ut poſſit exaltari Finis mundi in ſua humanâ Naturâ; & ideo per duas ſupradictas quæſtiones hujus ſecundæ partis poteſt reſponderi ad hanc Quæſtionem; veruntamen volumus adferre alias Rationes ad reſponſionem hujus Quæſtionis.

2. In Incarnatione Filii DEI ſe univerunt Divina & humana Bonitas, & Divina & humana Magnitudo, & Divina Æternitas & humana duratio, & ſic de aliis; & hæc unio & conjunctio fuit facta in Unitate Perſonæ, per quam JESUS eſt bonus per Divinam Bonitatem, & eſt bonus per humanam bonitatem; magnus per Divinam Magnitudinem, & eſt magnus per humanam magnitudinem; & eſt æternus per Æternitatem, & eſt in tempore per Humanitatem, & ſic de aliis.

3. JESUS eſt ideo hoc, quod eſt, quia ſua naturalis Divina Bonitas & ſua naturalis humana bonitas (& hoc idem de aliis Divinis & humanis Proprietatibus) fuerunt conjunctæ, remanente quâlibet Proprietate in ſuo proprio numero & in ſua propria eſſentia; &, ſi numerus unius Bonitatis vel Proprietatis, vel ambarum, perderetur & mutaretur in alium numerum, duæ Naturæ divina & humana non remanerent in ſuo proprio numero; & ſic JESUS non poſſet eſſe hoc, quod eſt, hoc eſt, DEUS & Homo, DEUS per Divinam Naturam, Homo per humanam.

4. In pane eſt potentia elementativa per quatuor elementa, & vegetativa eſt in illo in potentia; & quando homo manducat panem, ſua vegetativa adducit in actum vegetativam panis in tantum, quòd ſubſtantia panis transmutetur in ſpeciem carnis per vegetationem & generationem; & elementativa, quæ eſt ſub ſpecie panis, relinquit ſpeciem panis, & ſubintrat ſpeciem carnis in homine, qui manducavit panem; ſed in Incarnatione Filii DEI non fit transmutatio Naturæ Divinæ in humanam, nec Naturæ humanæ in Divinam; quia, ſi fieret, JESUS non poſſet eſſe DEUS & Homo; ſed, quia ambæ Naturæ remanent in ſuo

ſuo proprio numero & in ſua propria eſſentia, ideo JESUS eſt DEUS & Homo; DEUS per Divinam Naturam, & Homo per humanam; „ & hunc paſſum debet „ homo monſtrare & prædicare Infideli„ bus, qui credunt, quòd Chriſtiani cre„ dant, quòd Divina Natura ſit transmu„ tata in humanam, & quòd reliquerit ſu„ um numerum; ideo Chriſtiani, qui hoc „ ſciunt, & Infidelibus non declarant, ha„ bent culpam.

5. JESUS eſt hoc, quod eſt, quia Divina Voluntas hoc vult; cùm omne id, quod illa vult, ſit; & vult, quòd JESUS ſit ratione Finis ſignificati in *ſecunda Quæſtione hujus ſecundæ Partis*, qui Finis eſt amabilis per Divinam Voluntatem, poſtquam eſt altior & nobilior Finis, ad quem mundus potuit creari, & propter quem Divina Voluntas poteſt illum Finem magis amare & exaltare, & meliùs poteſt amari & cognoſci per Angelos & per homines.

6. Secundùm Finem JESUS eſt ideo, ut Chorus Angelorum & Sanctorum Paradiſi per illum ordinetur & perficiatur, qui chorus ſinè illo non poſſet eſſe ordinatus nec perfectus; ſicut regimen vel civitas, quæ non poteſt eſſe ordinata nec in bono ſtatu poſita, quamvis habeat plures homines ſapientes, niſi habeat unum, qui ſit Dominus omnium: igitur convenit, quòd JESUS ſit, & quòd ſit in throno ſuper Angelos elevatus, ut per illum Paradiſus ſit perfectus & ordinatus, & ut per ſuum Corpus quodlibet corpus Sanctorum ſit glorificatum, & ut illorum animæ per Animam JESU ſint glorificatæ & exaltatæ in gloriando in Divina Natura JESU.

7. Sunt multæ rationes, quare JESUS eſt; quia eſt ideo, ut in hoc mundo det doctrinam hominibus ad ſerviendum DEO, & ad amandum illum ſuper omnia, quam doctrinam dedit, in quantum in hoc mundo fuit pauper, & ſuſtinuit multos labores, opprobria, contumelias, Paſſionem & Mortem in quantum Homo ad honorandum DEUM, & ut redimeret humanum genus, quod erat perditum per originale peccatum.

8. JESUS eſt, quia DEUS voluit eſſe Homo, per quem Hominem compleret Legem veterem cum novâ, quæ vetus Lex fuit fundamentum novæ Legis, & nova complementum veteris Legis.

9. JESUS eſt adhoc, ut ſit generalis Judex in die Judicii, quando fiet Judicium bonorum & malorum, bonorum ad æternam gloriam, & malorum ad perdurabiles pœnas; & convenit, quòd generalis Judex ſit DEUS & Homo; convenit, quòd ſit DEUS, adhoc, ut ille de ſe ipſo ſatisfaciat juſtis, qui illi ſervierunt, & quòd ſe ipſum abſentet à malis, qui illi non ſervierunt; & etiam convenit, quòd generalis Judex ſit Homo, ut videatur & audiatur à bonis, & à malis, quia Judicium magis manifeſtatum erit, & Sancti magis hilares erunt, & peccatores magis irati.

10. JESUS eſt ideo, ut Finis creatus & Finis increatus ſint ultimi Fines omni, quod eſt creatum, & ut in illis perficiatur & compleatur totum hoc, quod eſt in tempore præteritum, & ut ex tunc poſt finem mundi exiſtat omne, quod eſt creatum, in tempore æviternato & completo per duos Fines, de quibus JESUS ita eſt conjunctus ſecundùm Finem eorum, ſicut eſt conjunctus de Principiis ſecundùm Divinam & Humanam Naturam; & hoc ideo, ut JESUS ſit unus Finis per Unitatem ſuæ Perſonæ, in qua duo Fines ſunt conjuncti; & in illo remanent diſtincti, ſicut in illo remanent diſtinctæ Divina & Humana Natura; talis Finis tam altus, tam nobilis, tam glorioſus & tam perfectus, ſicut JESUS eſt & erit elevatus in throno ſuper choros Angelorum & Sanctorum gloriæ, non poteſt cogitari, nominari nec deſcribi.

QUÆSTIO V.
Quantus eſt JESUS?

1. JESUS eſt unus DEUS & unus Homo: eſt unus DEUS per Divinam Naturam, cùm non ſit niſi unus DEUS, ſecundùm quòd *in prima Quæſtione primæ Partis* probavimus; & eſt unus Homo, & non multi; nam, ſi DEUS Filius eſſet incarnatus in multis hominibus, Filius DEI non poſſet eſſe una Perſona cum illis, cùm multi homines non poſſint eſſe ſinè differentia multarum humanarum Perſonarum.

2. JESUS exiſtens DEUS & Homo, in quantum eſt DEUS, non habet quantitatem, cùm æterna & infinita Subſtantia non poſſit habere quantitatem; ſed, in quantum JESUS eſt Homo, habet humanam ſubſtantiam, quæ habet quantitatem, ſicut aliæ humanæ ſubſtantiæ, & habet tot

naturas, quot illæ habent, ſinè quibus naturis non poſſet eſſe verus Homo, quæ naturæ ſunt potentia elementativa, vegetativa, ſenſitiva, imaginativa & rationativa, ſecundùm quòd jam diximus.

3. Quia Divina Natura de JESU non habet quantitatem, non ſequitur, quòd per conjunctionem, quam habet cum humana Natura, habeat novam quantitatem, licèt humana Natura habeat quantitatem; quia ſubſtantia, quæ non habet quantitatem, & quæ eſt æterna & infinita, non poteſt de ſua Eſſentia producere quantitatem, poſtquam illam non habet, nec poteſt illam aſſumere de humana natura, nec humana natura poteſt illi dare illam; ſicut humanum corpus, quod illam non poteſt dare animæ cum illo conjunctæ; ſed in quantum Filius DEI eſt factus Homo, habet quantitatem & habet alias conditiones humanæ ſubſtantiæ, ſinè quibus non poſſet eſſe verus Homo.

4. JESUS eſt unus in perſonali numero in Trinitate Naturarum, quæ ſunt Divina Natura, Anima rationalis, & Corpus humanum, & omnes ſunt JESUS; ſicut de tribus Divinis Perſonis, Patre, Filio & Sancto Spiritu eſt unus DEUS; veruntamen exemplum non ſufficit, quia tres Divinæ Perſonæ non ſunt diſtinctæ per Eſſentiam nec per Naturam, ſed per perſonales Proprietates, & in JESU Divina Natura & Anima rationalis & ſuum Corpus ſunt diſtincta in tantum, quòd ſunt tres Eſſentiæ & tres Naturæ.

5. JESUS per Divinam Naturam habet Memoriam, Intellectum & Voluntatem non diſtinctas per Naturam nec per Eſſentiam; & hoc idem eſt de illorum actibus, qui ſunt memorare, intelligere & amare; & per ſuam Animam rationalem habet Memoriam, Intellectum & Voluntatem, quæ ſunt potentiæ differentes per eſſentiam & per naturam; & ideo convenit, quòd in JESU ſit una Memoria Divina & ſuum recolere, alia Memoria humana & ſuum recolere; & ſic de Intellectu & Voluntate Divina, & de Divino Intelligere & Velle, quæ differunt ab humano intelligere & velle, & ab humano Intellectu & Voluntate.

6. Homo eſt ille, qui intelligit, imaginatur & ſentit; &, quia in illo imaginativa eſt altior potentia, quàm ſenſitiva, poteſt plus imaginari, quàm videre & audire; &, quia intellectiva eſt altior potentia, quàm imaginativa, poteſt plus intelligere per Intellectum, quàm imaginari per imaginativam; ſimili modo in JESU per unam Naturam eſt altior & nobilior actus, quàm per aliam, quia plus imaginatur, quàm ſentit; plus intelligit, quàm imaginatur; & plus intelligit per ſuum Divinum Intellectum, quàm per ſuum humanum Intellectum; veruntamen, in quantum JESUS eſt una Perſona de ſenſitiva, imaginativa, intellectiva & de Divinâ Naturâ conjuncta, ipſe eſt ille, qui plus imaginatur, quàm ſentit; & plus intelligit, quàm imaginatur; & plus intelligit, in quantum eſt DEUS, quàm in quantum eſt Homo, absque eo, quòd in illo ſit defectus, poſtquam ſingulariter, in quantum eſt una Perſona, habet & operationes hominis, & operationes DEI.

7. JESUS eſt de Divina & Humana Natura; &, quia Divina Natura eſt æterna & infinita, & humana Natura eſt terminata & creata, eſt per Divinam Naturam major, & per humanam minor, & minoritas illi non eſt defectus, cùm ille ſit illa Perſona, quæ eſt major & minor; &, ſi non eſſet major & minor, non eſſet verus DEUS & verus Homo, in quantum non haberet conditiones DEI nec Hominis.

8. In JESU eſt ſua Divina Bonitas major, quàm humana, & ideo facit plus boni cum ſua Divina Bonitate, quàm cum ſua humana bonitate; & quamvìs non faciat nec poſſit facere tantum boni creaturis cum ſua humana Bonitate, quantum cum ſua Divina Bonitate, propterea non ſequitur, quòd in hoc habeat defectum nec pœnam, cùm ille faciat unum bonum & aliud, & faciat quodlibet bonorum ſecundùm ordinem & gradum ſuarum duarum bonarum Naturarum.

9. In JESU Divina Natura conjuncta cum Humana non tollit quidpiam humanæ Naturæ de ſuis Dignitatibus; nam Anima remanet Anima, & Forma Corporis, ut illi remaneat ſua Natura, cum qua informat Corpus, & ut Corpori remaneat ſua Natura, per quam naturaliter recipiat informationem ab Anima; & hoc convenit ita eſſe, ut JESUS habeat veram humanam Naturam, & informatio, quam Divina Natura facit de humana, in quantum de illa facit in ſua Divina Perſona Hominem, non eſt imperfectio humanæ Naturæ, ſed Perfectio,

fectio, cùm per illam informationem ſit facta conjunctio ambarum Naturarum, & DEUS ſit factus Homo.

10. In corpore Petri ſunt gradatæ ſuæ potentiæ corporales in Bonitate & in Virtute, quia vegetativa eſt melior & virtuoſior, quàm elementativa; & ſenſitiva, quàm vegetativa; & imaginativa, quàm ſenſitiva, & hoc eſt formaliter & materialiter, ſinè quo quidam gradus non poſſent eſſe majores, quàm alii in Bonitate Virtutis; cùm in corporalibus ſubſtantiis quædam Bonitates & Virtutes naturales non poſſint eſſe majores, quàm aliæ, ſinè multis formis & materiis diſtinctis per eſſentias & naturas; & ideo anima Petri, quæ informat ſuum corpus, informat ſupradictos gradus, & conſervat illos, quamvis formæ inferiores illâ ſint paſſivæ, in quantum per illam ſunt motæ ad eſſe informatæ: ſimili modo quamdiu JESUS erat in hoc mundo, ſua Anima informabat inferiores potentias ſui corporis, ſcilicet elementativam ad elementandum, vegetativam ad vegetandum, ſenſitivam ad ſentiendum, & imaginativam ad imaginandum, quamvis ſua Anima fuerit informata per Divinam Naturam ad informandum potentias Corporis JESU; & hoc idem facit in Cœlo.

QUÆSTIO VI.

Qualis eſt JESUS?

1. JESUS eſt ille Homo, qui natus eſt in Bethlehem, & cœnavit cum Apoſtolis; quem Judas vendidit & tradidit, & qui in Jeruſalem in Cruce mortuus eſt, & ad inferos deſcendit & tertiâ die reſurrexit, & aſcendit ad Cœlos, & qui in fine mundi veniet ad judicandum bonos & malos. Et, ſi JESUS non eſſet iſte, quem nos credimus, ſed adhuc eſſet venturus, quando veniret, non eſſet, qui in illum crederet; Chriſtiani non crederent in illum, cùm credant, quòd jam ſit natus in Bethlehem, & crucifixus in Jeruſalem; nec Judæi nec Saraceni nec Pagani crederent in illum, & ita JESUS non haberet populum, & fruſtra veniret, & de hoc modo largiùs locuti ſumus in *Libro de Articulis* & in *Arbore Scientiæ*, quos fecimus Romæ; &, quia convenit, quòd JESUS habeat populum, convenit; quòd ſit ille, quem diximus.

2. JESUS eſt bonus, & eſt bonus *tribus modis; uno* modo eſt bonus per Bonitatem Divinam ſubſtantialem & naturalem, quam habet, in quantum eſt DEUS; *ſecundo* modo eſt bonus per Bonitatem creatam naturalem & ſubſtantialem, quæ eſt una pars ſuæ Humanitatis; *tertio* modo eſt bonus per Bonitatem accidentalem, quæ eſt diviſa in *duas partes*, quarum *una* eſt de ſua humana eſſentia, per quam ſua naturalia accidentia ſunt bona, ſicut ſua quantitas, color, figura &c.; *alia* eſt moralis Bonitas, quam habuit in hoc mundo per bonos mores, ſicut per Humilitatem, Juſtitiam, Patientiam &c., quæ ſunt bonæ Virtutes & mores.

3. JESUS eſt Filius DEI Patris, in quantum eſt DEUS, & eſt Filius Fœminæ & Virginis, in quantum eſt Homo; & propterea JESUS habet duas Proprietates naturales & filiales, quæ conveniunt ad eſſe una Divina & Humana Perſona, quæ eſt JESUS DEUS eſt Homo.

4. In JESU eſt Natura propria & appropriata; propria Natura, in quantum eſt DEUS, & propria Natura, in quantum eſt Homo; & in quantum DEUS eſt factus Homo, & Homo eſt factus DEUS, ambæ Naturæ exiſtentes propriæ, ſunt appropriatæ: appropriatæ ſunt, in quantum DEUS Filius ſibi appropriavit humanam Naturam, poſtquam factus eſt Homo, cui Homini Divina Natura eſt appropriata, poſtquam eſt factus DEUS; & ideo in JESU DEUS appropriatè habet humanum recolere, intelligere & amare, imaginari & ſentire, quantitatem, colorem & figuram; ſicut ignis, qui appropriatè habet terreſtreïtatem & ſiccitatem, & aër igneïtatem & calorem; & in JESU Homo habet appropriatè Divinum Recolere, Intelligere & Amare; & in iſto paſſu poteſt homo conſiderare magnam Perfectionem JESU.

5. JESUS eſt ille, qui dicitur Creator & Creatura; Creator eſt, in quantum eſt DEUS; & Creatura eſt, in quantum eſt Homo; &, quia inter Creatorem & Creaturam eſt Differentia per Æternitatem & tempus, per Infinitatem & finitatem, & ambæ eſſentiæ differentes, ût diximus, ſunt conjunctæ in Unitate Perſonæ Divinæ & Humanæ, ideo poteſt dici, quòd JESUS ſit ille Qualis, in quo Eſſentia infinita & finita habent majorem Concordantiam & propinquitatem, quàm in ullo alio quali.

6. JESUS eſt Salvator Divinus & Humanus; Divinus, in quantum eſt DEUS; Humanus,

nus, in quantum est Homo ; in quantum est DEUS, salvat homines per gratiam & per electionem ; in quantum est Homo, per dispositionem, Passionem & Mortem, quam habuit in Cruce ; & in isto passu potest cognosci, quomodo Humanitas JESU sit instrumentum salvationis motum per Divinam Naturam ad recreandum humanum genus, quod erat perditum, & etiam, quòd JESUS, in quantum Homo, rogat DEUM, ut det veniam peccatoribus.

7. JESUS est ille Dominus, qui est Dominus omnium, quæ sunt, duplici respectu ; unus est, quia est DEUS, qui est Dominus per Creationem, per Beneficium & per Gubernationem ; & est Dominus per Recreationem & Redemptionem, quia cum sua humana Natura per Mortem recreavit & redemit totum humanum genus, quod per peccatum erat obligatum dæmoni & igni infernali & perpetuo.

8. JESUS est Justus & Misericors ; Justus, in quantum est DEUS, cùm DEUS sit Justitia ; Misericors est, qui JESUS, in quantum Homo, est instrumentum salvationis, quod cum suo magno humano amore, quem habet erga Divinam Naturam, movet DEUM ad dandum veniam per Justitiam, postquam assumpsit humanam Naturam ad salvandum homines ; quam veniam DEUS non potest denegare, postquam est rogatus per illum Hominem, qui est factus DEUS, in quantum ille est factus Homo ; & hic passus est placens recolitu peccatoribus, qui habent Spem in Domino JESU.

9. JESUS est Sanctus per Divinam & Humanam Sanctitatem ; per Divinam, in quantum DEUS est innocens æternaliter & infinitè, & non potest habere culpam nec peccatum, quod est malum, cùm DEUS sit suprema, æterna & infinita Bonitas : & JESUS est innocens & sanctus per humanam Sanctitatem, nam dum Dominus JESUS fuit in hoc mundo, fuit obediens Patri, qui illum misit, & tam legalis & fidelis ad procurandam Salvationem & Recreationem hominum, quòd se permiserit vendi, tradi, derideri, cædi & suspendi, & ultimò in Cruce mortuus fuerit. Unde cùm JESUS sit tam Sanctus & tam Innocens, malè faciunt peccatores, qui existentes culpabiles, & non sancti putant se esse amicos JESU, & cum illo habere societatem & perpetuum solatium in cœlo.

10. JESUS est Spes justorum & peccatorum, & est divitiæ hominum, qui volunt esse pauperes ob suum amorem, & est confortatio & solatium illorum, qui ob ejus amorem sunt tribulati & contempti & derisi & supressi ; & JESUS est Doctrina sanctæ vitæ & conversationis, & in illo est omne complementum perfectionis, & nihil mali.

QUÆSTIO VII.

Quando fuit JESUS ?

1. IN quantum JESUS est DEUS, est æternus, & ideo fuit, antequam mundus esset creatus ; & in quantum est Homo, fuit principiatus in tempore : unde, cùm mundus per tempus habeat principium, medium & finem, apparet, quòd JESUS, in quantum Homo, fuerit principiatus in tempore, quod fuit in medio principii & finîs mundi ; cùm virtus in medio sit nobilior, quàm in extremitatibus ; &, quia JESUS, in quantum Homo, est nobilius Ens creatum principiatum, quod possit esse, ideo apparet, quòd sit principiatus in nobiliori tempore, quod possit esse ; ut nobilius tempus sit proportionatum suo nobiliori principio.

2. JESUS, in quantum Homo, fuit principiatus Homo in Divina Natura, & fuit principiatus de humana Natura in Utero nostræ gloriosæ Dominæ Sanctæ MARIÆ ; & propterea in illo instanti, quo nostra Domina illum concepit, ex ipsâ fuit assumpta humana Natura, & fuit factus Homo in Divina Natura sinè successione & motu Principii, Medii & Finîs, quæ in uno momento cum successione & motu non possunt esse secundùm naturam.

3. Secundùm tempus, quo JESUS fuit conceptus, & DEUS fuit factus Homo, habet JESUS conditiones temporis ; hoc est, quòd Filius DEI, qui est æternus, fecerit se ipsum Hominem novum in tempore, qui Homo in tempore noviter factus fuit DEUS ; & propterea ratione magnæ propinquitatis, quæ fuit facta de Æternitate & tempore in Incarnatione, non potuit esse successio nec motus in tempore Incarnationis ; & ideo in illo instanti & momento JESUS in Utero nostræ Dominæ habuit omnia organa & membra corporis formata & figurata, & actualiter habuit sentire & imaginari, Memorare, Intelligere &

& Velle ; quæ similiter habuit, quando fuit natus, & quæ habet in cœlo.

4. Secundùm conditiones, quas JESUS habet, in quantum Homo, per tempus in Utero nostræ Dominæ, imaginabatur hominem album & nigrum, arborem, rosam, equum, Leonem, turrim, & castellum & alia his similia ; & hoc fuit ideo, quia DEUS fuit factus Homo, qui, in quantum Homo, imaginabatur omne, quod est imaginabile, ut ille Homo non haberet defectum nec impedimentum ad imaginandum ; nam, si haberet defectum, vel impedimentum, DEUS fuisset factus Homo, qui non haberet perfectam imaginationem, quia imaginaretur subjecta successivè de uno momento in aliud.

5. JESUS est una Persona, unus DEUS & unus Homo, & per Deitatem habet unum Intellectum, & per Humanitatem alium, propter quod unum est intelligere Divini Intellectûs, & alterum est intelligere humani Intellectûs ; &, quia DEUS fuit factus Homo in uno momento, & est una Persona de ambabus Naturis Divina & Humana, JESUS in uno & eodem tempore intelligit unum objectum, & omnia entia creata cum suo Divino & humano Intellectu ; & hoc est ideo, ut DEUS in Homine non habeat defectum per ignorare, & ut humana Natura, quam DEUS assumpsit, habeat exaltationem & augmentum in suo intelligere per Divinam Naturam.

6. In aliis hominibus intellectus in uno momento acquirit unam speciem intelligendo unum objectum, sicut cùm intelligit unum hominem album, & quando habet appetitum intelligendi hominem nigrum, tradit memoriæ species hominis albi, & acquirit in altero momento speciem hominis nigri per intelligere ; & quando revertitur ad intelligendum speciem hominis albi, relinquit speciem hominis nigri, & recuperat speciem hominis albi, quam memoria conservavit ; & ideo successivè intelligit unum objectum, & postea aliud ; & hoc est ideo, quia suus intellectus habuit successionem, quando fuit natus, primò attingendo objecta per sentire, & postea per imaginari, & postea per intelligere & recolere ; sed hoc non facit JESUS, cui non convenit species multiplicare, antiquare nec renovare, postquam in Incarnatione in uno momento DEUS fuit factus Homo, qui realiter attingit objecta creata in uno momento per imaginari, intelligere & recolere sinè successione multiplicandi, antiquandi & renovandi species, quas JESUS non habet necesse imaginari, intelligere & recolere, postquam omnia entia creata illi sunt dispositа & proportionata, ut illa, & omnia, quæ sunt imaginabilia, realiter & sinè medio possit imaginari secundùm exaltationem, quam sua Imaginatio assumpsit per Incarnationem ; & hoc idem de Memoria & Intellectu humano, cum quibus JESUS attingit omnia entia creata in uno momento realiter sinè medio & sinè ullo instrumento ; & hoc ideo convenit ita esse, ut DEUS Homo non habeat impedimentum in humana Natura ad Imaginandum, Intelligendum & Recolendum ; hic passus est multùm jucundus ad intelligendum.

7. In aliis hominibus voluntas habet deliberationem in eligendo hoc, quod desiderat, secundùm quòd Intellectus & Memoria disponunt species successivè de uno objecto in aliud, capiendo unum objectum, & postea aliud, per diversa momenta ; hoc non est ita in Voluntate JESU, cùm illa non requirat deliberationem per successionem ; sicut suus Intellectus & sua Memoria, quæ non requirunt illam, secundùm quòd suprà diximus ; & propterea humana Voluntas JESU in tempore, quo DEUS illam creavit in Utero nostræ gloriosæ Dominæ, amavit omnia illa, quæ nunc amat in Cœlo, ut DEUS Homo non habeat Voluntatem alterabilem de uno momento in aliud ; & alteratio amabilitatum est extra in objectis, secundùm quòd sunt dispositа ad essendum amata vel non ; sicut Magdalena, quæ, quando erat in peccato, non erat amata à JESU, quam post peccatum amavit in tempore, quando illi apparuit post suam resurrectionem.

8. JESUS in Cœlo successivè non movetur de uno loco in alium, sed voluntariè, quia in illo loco, in quo vult esse, est in illo nunc, in quo vult ibi esse ; & hoc est ideo, ut non sit antè in illo loco, in quo non vult esse, quàm in illo, in quo vult esse ; sicut homo, qui est in Monte Pessulano, & vadit Romam, ubi vult esse, ante est Genuæ, quàm Romæ.

9. JESUS in Paradiso non est in die, cùm dies sint mensuræ solis, qui non est in Paradiso ; igitur in motu glorioſissimi Corporis Domini nostri JESU Christi non

multiplicatur tempus per multiplicationem momentorum, horarum, dierum, septimanarum, mensium & Annorum.

10. Cùm JESUS sit in Cœlo Informatio & Glorificatio Sanctorum, secundùm quòd sua Humanitas est in uno nunc æviterno per suam Deitatem informata & glorificata, ideo sinè successione temporis informat JESUS Sanctos Gloriæ in uno nunc æviterno, ut illorum Gloria sit major, & non alterabilis de uno nunc in aliud.

QUÆSTIO VIII.

Ubi est JESUS.

1. JESUS, in quantum DEUS, est in omni loco, & extra locum, cùm DEUS sit Ens infinitum, secundùm quòd probavimus in *Quæstione octava primæ Partis;* sed in quantum est Homo, est in loco, cùm de conditionibus hominis sit, quòd ipse sit in loco; locus, in quo JESUS est, est cœlum, in quo convenit illum esse, quia illi est proportionatus secundùm altitudinem, nobilitatem, pulchritudinem & virtutem.

2. JESUS habet in se ipso duas Naturas, Divinam Naturam & humanam Naturam; per Divinam est DEUS, & per humanam est Homo; &, quia in se ipso habet suas duas Naturas, per quas est hoc, quod est, potest dici, quòd JESUS sit in se ipso, sicut potest dici de alio homine, quòd sit in se ipso, in quantum in se ipso est homo; & est melius in se ipso, ideo, quia est homo in se ipso, quàm ideo, quia est homo in camera, cùm æquè bene sit homo, dum est in culina, quàm erat homo, dum erat in camera.

3. JESUS, in quantum Homo, est factus Homo in Divina Natura; &, in quantum ille Homo est factus DEUS, est factus DEUS, quia DEUS est factus Homo; igitur in JESU Homo est in DEO, & DEUS in Homine: & quia JESUS est DEUS & Homo, est in se ipso, & per Essentiam non est extra se ipsum, cùm extra se ipsum non sit DEUS & Homo.

4. JESUS est in majori Bonitate, Magnitudine &c., quæ possint esse, quia ille est DEUS in Divina Bonitate, Magnitudine &c., & in illa Divina Bonitate, Magnitudine &c. factus est Homo de humana Natura; & ideo, in quantum JESUS est DEUS factus Homo, est DEUS in altiori, nobiliori, meliori & virtuosiori Homine, quàm sint omnes alii homines & omnes creaturæ; præterea DEUS est dupliciter in Homine JESU, & in aliis hominibus & creaturis est singulariter, hoc est, DEUS est in Homine JESU per Essentiam, sicut est in aliis hominibus & creaturis; & DEUS in Homine JESU est Homo, & non est Homo in aliis hominibus & creaturis, in quantum in illis non est factus Homo.

5. Quia DEUS est factus Homo, & DEUS est infinitus, est DEUS Homo in omni loco & extra locum, qui, in quantum est Homo, non est in omni loco, cùm de conditione hominis sit, quòd sit in loco terminatus & finitus; & in isto passu potest cognosci, quomodo JESUS Homo, qui est in Cœlo, sacramentaliter possit esse in multis Altaribus in uno tempore & in Cœlo, postquam DEUS est Homo in uno tempore & in multis locis.

6. DEUS est Substantia æterna & infinita, & ideo est indivisibilis & sinè partibus, quas non habet, nec potest habere; &, quia est indivisibilis, est DEUS in omni loco totus in se ipso: unde, quamvis sola Persona Filii DEI assumpserit humanam Naturam, quam non assumpsit Persona DEI Patris, nec Persona DEI Sancti Spiritûs, propter hoc non sequitur, quòd humana Natura JESU Christi sit facta Homo in parte Divinæ Essentiæ, cùm Persona Filii DEI, in qua humana Natura est facta Homo, sit tota Divina Essentia.

7. JESUS, in quantum est DEUS, non habet quantitatem, colorem nec figuram, sed in quantum est factus Homo, habet quantitatem, colorem & figuram, propter quæ convenit, quòd sit in loco, cùm sit de conditione illarum, quòd non possint esse sinè loco: igitur DEUS est in illo loco, in quo est Homo, in quo Homine ille habet quantitatem, colorem & figuram.

8. JESUS in Cruce fuit DEUS & Homo; &, quando fuit mortuus, non fuit Homo in humana Natura; sed, quia DEUS, priusquam JESUS moreretur, erat Homo, & DEUS in omni loco est Homo, ideo remansit JESUS in morte, & post mortem Homo in DEO, & non fuit Homo in sua humana Natura, cùm conjunctio Animæ rationalis & humani Corporis sit de conditione hominis, & separatio animæ & corporis sit de conditione mortis.

9. DEUS in Cruce non habuit sitim, nec sensit

sensit dolorem, nec mortuus fuit, cùm sit Substantia spiritualis viva habens gloriam æternam & infinitam; sed sicut in Cruce habebat quantitatem, colorem & figuram, in quantum erat Homo, ita in Cruce habuit sitim, sensit dolorem, & sustinuit Mortem, sicut alius homo, qui moritur, in quantum Homo; &, quamvis Corpus moriebatur, non moriebatur Anima, nec Anima, in quantum Anima, sensit pœnam mortis, sed fecit Corpus sentire illam.

10. JESUS est in Cœlo supra choros Angelorum & Sanctorum Gloriæ, & sua Sedes est super omnes, & hoc idem de sua Gloria; JESUS etiam est bonus in Divina & humana Bonitate, & est magnus in Divina & humana Magnitudine, & sic de aliis; & etiam JESUS in isto mundo est bonus per gratiam in homine bono, magnus in homine magno per virtutem, & est justus in homine justo, largus in homine largo, misericors & pius in homine, qui petit misericordiam & pietatem; & JESUS est in omni perfectione sinè ullo defectu, & omnes illi, qui sunt in JESU per Fidem, Spem, & Charitatem, sunt in perfectione & in via salvationis.

QUÆSTIO IX.

Quomodo est JESUS?

JESUS est DEUS & Homo; unde, in quantum est DEUS, non intendimus in hac Quæstione respondere, quomodo DEUS sit DEUS, quia jam respondimus in *prima Parte in nona Quæstione*, sed respondebimus, quomodo DEUS sit Homo, & quomodo Homo sit DEUS.

1. DEUS Pater generat DEUM Filium, &, quia DEUS Pater habet Proprietatem generativam, & Filius habet Proprietatem generabilem, transmisit suum Filium in nostram Dominam gloriosam Virginem, ut esset illius Filius Homo per humanam Naturam; & sicut Pater in uno momento transmisit suum Filium, in quantum voluit, quòd esset Homo sinè successione, ita in uno momento fuit generatus & factus Homo sinè successione humanæ Naturæ de nostra Domina; & Persona Sancti Spiritûs administravit Incarnationem in illo eodem momento, in quo nostra Domina concepit Filium DEI, ut esset suus Filius Homo, quando consensit Salutationi Sancti Arch-Angeli Gabriëlis; & Persona Filii tunc assumpsit humanam Naturam, quando fuit factus Homo, ut ambæ Filiationes assimilarentur, hoc est, Filius DEI & Filius Hominis.

2. Secundùm naturam positâ potentiâ vegetativâ super elementativam (& de hoc locuti sumus *in Libro*, quem fecimus *de Homine*) vegetativa attrahit ad suam naturam elementativam naturam per vegetationem in subjecto vegetato & elementato; simili modo, (veruntamen exemplum non sufficit) Divina Natura conjuncta cum humana, attraxit ad se ipsam humanam Naturam DEO faciente se ipsum Hominem, qui fuit factus DEUS, & fuit factus Homo DEUS in Divina Natura: igitur potest secundùm hunc modum responderi ad quæstionem, quæ quærit: quomodo sit JESUS? hoc est, quomodo JESUS sit DEUS & Homo?

3. In DEO Bonitas, Magnitudo & cæteræ Dignitates convertuntur, & hoc probavimus in *prima Parte secunda Quæstione*, per quam conversionem potest cognosci, quomodo JESUS sit DEUS & Homo, hoc est, quòd Divina Bonitas secundùm suam Naturam requirat bonam creaturam, & Divina Magnitudo requirat magnam, & Æternitas perdurabilem, & sic de aliis; & quia meliùs pertinet ad Divinas Dignitates producere magìs bonam & magìs magnam & magìs nobilem creaturam, quàm minùs bonam magnam & nobilem, ideo habet DEUS Modum in faciendo se ipsum Hominem, & in faciendo illum Hominem DEUM, conservante Æternitate Distinctionem inter Naturam Divinam & humanam, & inter Bonitatem Divinam & humanam, conjungendo ambas Naturas in Unitate Divinæ & humanæ Personæ.

4. Sicut Divina & humana Natura JESU fuerunt, sunt & erunt in meliori & nobiliori differentia, quæ possit esse inter DEUM & creaturam, sic fuerunt, sunt & erunt in meliori & nobiliori concordantia, quæ possit esse inter DEUM & creaturam; & propterea JESUS habet ita meliorem & nobiliorem modum in essendo DEUS & Homo, sicut in JESU est melior & nobilior differentia & concordantia, quæ possit esse inter DEUM & Creaturam.

5. Divina Natura, in quantum Persona, suam Incarnationem principiavit, & sua Incarnatio fuit principiata de humana Natura, & inter ambas Naturas fuit principiare,

quod fuit melius & nobilius, quàm omne aliud principiare, quod sit inter DEUM & creaturam; & ideo modus, secundùm quem JESUS est DEUS & Homo, est melior & major, quàm ullus alius modus, qui possit esse principiatus per DEUM in creatura.

6. DEUS est principium per creationem, & mundus, qui est creatura, est principiatus: igitur creare & principiare sunt in medio inter DEUM & creaturam; &, quia JESUS est Creator & creatura, habet modum per conversionem creandi & principiandi, quomodo ipse de duabus Naturis sit una Divina & humana Persona, ut sit aliquod medium, quod sit inter Creatorem & creaturam principians & principiatum, sinè quo medio non posset per naturam esse participatio DEI & creaturæ.

7. In *prima Quæstione hujus Partis* probavimus, quòd conveniat, quòd DEUS sit incarnatus, & in *tertia Quæstione* declaravimus, de quo sit JESUS; &, ideo in illis Quæstionibus est declaratus & significatus Modus, quem JESUS habet in essendo DEUS & Homo; quia finis, propter quem mundus est, significat modum, per quem JESUS est DEUS & Homo, cùm omnis finis habeat modum; & duæ Naturæ, de quibus est JESUS, in *tertia Quæstione istius secundæ Partis* significant modum, per quem JESUS potest esse DEUS & Homo.

8. JESUS est DEUS & Homo voluntariè per Divinam Naturam, & necessariò per humanam; voluntariè JESUS est DEUS & Homo, quia DEUS liberè vult esse Homo, & non coactè; nam, si ille non voluisset, non fuisset factus Homo; & humana Natura necessariò fuit facta Homo, postquam DEUS voluit esse Homo, cùm de necessitate conveniat, quòd finita natura sit obediens infinitæ Naturæ; & ideo JESUS habet Modum miraculosum & supra naturam in essendo DEUS & Homo.

9. JESUS est potenter una Persona de duabus Naturis; & hoc est per duas potestates, quarum una est Divina, & alia humana; quia per Divinam Potestatem hoc potest esse activè & formaliter, cùm sit infinita Potestas; & per humanam Potestatem hoc potest esse passivè & materialiter, cùm humana natura per semétipsam de potentia deducta in actum possit esse homo; igitur JESUS potest esse DEUS & Homo per Modum Potestatis formalis Divinæ, & potestatis materialis humanæ, conjunctis ambabus potestatibus in Unitate Divinæ & humanæ Personæ.

10. Natura Divina & humana non sunt conjunctæ in JESU secundùm Modum partium, cùm Divina Natura non sit de partibus, & sit tota Persona Divina JESU; & Natura humana est de partibus, hoc est, de Anima rationali & de Corpore hominis; & ideo Persona JESU est per unum Modum de partibus, & per alium de toto sinè partibus; talis Modus non est in alia persona, nisi in Persona JESU tantùm: igitur potest cognosci Modus, secundùm quem JESUS est una Persona Divina & humana.

QUÆSTIO X.

Cum quo est JESUS?

1. JESUS est cum illo Fine, propter quem DEUS est incarnatus, ût probavimus in *prima Quæstione hujus secundæ Partis*, item JESUS est cum illo Fine, quem probavimus *in quarta Quæstione:* quare JESUS sit; nam per illas duas Quæstiones potest cognosci hoc, cum quo JESUS est DEUS & Homo; cùm JESUS non possit esse sinè Fine, propter quem est; quia, si posset esse sinè fine, esset frustra hoc, quod ille est; quod est impossibile.

2. JESUS est cum tribus Naturis, & cum conjunctione omnium trium in una Divina & humana Persona; quæ tres Naturæ sunt Natura Divina, corporalis elementalis, & rationalis, & sinè omnibus tribus ipse non posset esse hoc, quod est, hoc est, DEUS & Homo; &, quia est cum omnibus tribus, est cum Divino & humano Memorare, Intelligere & Amare, & cum naturali imaginari & sentire, & cum quantitate, colore & figura.

3. In Persona JESU DEUS est Homo cum humana Natura, in quantum DEUS est factus Homo, & Homo est DEUS cum Divina Natura, in quantum DEUS fecit Hominem DEUM cum sua Divina Natura, remanente qualibet duarum Naturarum cum suis naturalibus conditionibus, sinè quibus JESUS non haberet, cum quo esset DEUS & Homo.

4. JESUS est cum infinita Potestate & cum humili Voluntate; est cum infinita Potestate, in quantum sinè infinita Potestate non

non esset, qui posset conjungere Divinam & humanam Naturam in Unitate Personæ Divinæ & Humanæ: JESUS est cum humili Voluntate, in quantum voluit esse Homo, & in quantum nostra Domina se humiliavit, ut esset Ancilla DEI, sinè qua humilitate DEUS non potuisset esse Homo.

5. JESUS est cum Divina & humana Bonitate; cum Divina est bonus DEUS, & cum humana est bonus Homo; & cum Divina Bonitate est magìs bonus, quàm cum humana; & cum humana est magìs bonus, quàm sint omnes Bonitates creatæ.

6. JESUS est cum Divina & humana Sanctitate; &, si JESUS, in quantum Homo, non esset Sanctus, Divina Sanctitas non posset esse conjuncta cum sua Humanitate in Unitate Personæ Divinæ & humanæ; & in isto passu potest cognosci, quòd conveniat, quòd humana Sanctitas JESU sit tam magna & tam nobilis, quòd non possit major creari.

7. JESUS, in quantum Homo, est cum majori Memoria, quàm omnes memoriæ creatæ, & cum majori Intellectu, quàm omnes intellectus creati, & cum majori Voluntate, quàm omnes voluntates creatæ; & hoc convenit ita esse, ut JESUS DEUS, in quantum Homo, plus possit recolere, intelligere & amare, quàm omnes alii homines, & etiam, quàm omnes Angeli & Arch-Angeli; quia, si non, suum Memorare, Intelligere & Amare esset defectivum in Magnitudine Bonitatis, Potestatis, Virtutis, Gloriæ & Veritatis; quod est impossibile.

8. JESUS, in quantum Homo, est cum majori Imaginatione & Sensu, quàm omnes aliæ imaginationes & sensus; & hoc convenit ita esse, ut suum Corpus sit ita exaltatum super corporales substantias per sentire Gloriàm, & per imaginari omnia imaginabilia, sicut sua Anima est exaltata super omnes animas & super omnes Angelos & Arch-Angelos per supremum creatum Recolere, Intelligere & Amare.

9. JESUS est cum majori & altiori Fine creato, quàm omnes alii Fines creati, & hoc convenit ita esse, ut JESUS DEUS, in quantum Homo, ita possit esse Finis & Perfectio omnium Finium creatorum cum suo creato Fine, sicut cum sua creata Bonitate est Perfectio omnium creatarum Bonitatum, & ita de aliis suis Dignitatibus creatis.

10. JESUS est cum Charitate, Misericordia & Pietate, Patientia & Benignitate; est cum Charitate, ut cum sua Charitate informet Voluntates Sanctorum; est cum Misericordia & Pietate, ut det veniam peccatoribus petentibus misericordiam; est cum Patientia, ut cum Patientia faciat homines patientes, qui ob ejus Amorem sunt tribulati; est cum sua Benignitate, ut faciat homines benignos, suaves, & ut quidam cum aliis habeant pacem: „ Unde cùm „ JESUS sit cum omnibus istis Dignitati- „ bus & cum multis aliis, malè faciunt ho- „ mines, qui illum in hoc mundo non „ magìs honorant, & non faciunt, ut per „ totum mundum prædicetur, cognosca- „ tur & ametur.

De Fine Libri.

FInitus est iste Liber, qui est de DEO, & quia est de DEO, placeat ei, quòd propter ejus amorem legatur, intelligatur & ametur, publicetur & custodiatur, & est finitus in Civitate Majoricana in Mense Decembris Anno Incarnationis Filii DEI. M. CCC.

De Practica, cum qua monstramus solvere Quæstiones artificiales per hunc Librum.

CÙm promiserimus *in Prologo*, quòd homo possit solvere Quæstiones peregrinas secundùm Artem & modum hujus Libri de DEO; ideo volumus facere aliquas Quæstiones, & illas transmittere ad loca, in quibus fecimus supradictas Quæstiones; & hoc facimus ideo, ut demus doctrinam solvendi Quæstiones, quæ fieri possunt de DEO secundùm suam Divinam Naturam, & secundùm humanam Naturam JESU Christi, in quibus locis solutio Quæstionum, quas facimus, est significata; nam, secundùm quòd nos applicamus solutiones harum Quæstionum remittentes ad loca istius Libri, poterit haberi Ars & Modus applicandi solutiones aliarum peregrinarum Quæstionum, quas homo potest facere de DEO & de JESU Christo.

De Quæstionibus Quæstionum, quæ pertinent ad primam Partem hujus Libri.

1. QUæstio: *Utrùm sint duo Dii, unus bonus, & unus malus?* Solutio: vade ad Quæstionem *de Utrùm*, in qua significatur solutio per negationem.

2. Quæstio: *Quid potest DEUS producere de se ipso?* Solutio: vade ad Quæstionem *de Quid*, in qua solutio est significata.

3. Quæstio: *De quo producit DEUS suum Intelligere?* Solutio: vade ad Quæstionem de *de Quo*, in quo solutio est significata.

4. Quæstio: *Quare DEUS habet infinitam Potestatem?* Solutio: vade ad Quæstionem *de Quare*, in qua solutio est significata.

5. Quæstio: *Utrùm DEUS sit infinitus?* Solutio: vade ad Quæstionem *de Quantitate*, in qua solutio est significata per affirmationem.

6. Quæstio: *Utrùm in DEO sint distinctæ Proprietates?* Solutio: vade ad Quæstionem *de Qualitate*, in qua solutio est significata per affirmationem.

7. Quæstio: *Utrùm per creationem mundi, qui est novus, sit aliqua mutatio in DEO?* Solutio: vade ad Quæstionem *de Tempore*, in qua responsio est significata per negationem.

8. Quæstio: *Cùm DEUS sit simplex Substantia; quæritur: utrùm in se ipso possit habere operationem coëssentialem, substantialem & naturalem?* Solutio: vade ad Quæstionem *de Loco*, in qua solutio est significata per affirmationem.

9. Quæstio: *Quomodo DEUS erat bonus antequam creavit mundum?* Solutio: vade ad Quæstionem de *Quomodo*, in qua solutio est significata.

10. Quæstio: *Cum quo DEUS potest habere Operationem æternam & infinitam?* Solutio: vade ad Quæstionem de *cum Quo*, in qua solutio est significata.

De Quæstionibus Quæstionum, quæ pertinent ad secundam Partem hujus Libri.

1. Quæstio: *Utrùm sinè Incarnatione mundus esset sufficiens, quòd esset creatus ad serviendum DEO?* Solutio: vade ad Quæstionem *de Utrùm*, in qua solutio est significata per negationem.

2. Quæstio: *Quid est hoc, per quod DEUS potest esse magis commune Bonum?* Solutio: vade ad Quæstionem *de Quid*, in qua solutio est significata.

3. Quæstio: *De quo potest DEUS homini facere plus boni?* Solutio: vade ad Quæstionem de *de Quo*, in qua responsio est significata.

4. Quæstio: *Quæ est principalis intentio, quare DEUS creaverit mundum?* Solutio: vade ad Quæstionem *de Quare*, in in qua solutio est significata.

5. Quæstio: *Utrùm Persona JESU Christi sit defectiva, in quantum sua Humanitas non est tam nobilis, sicut sua Deitas?* Solutio: vade ad Quæstionem *de Quantitate*, in qua responsio est significata per negationem.

6. Quæstio: *Utrùm DEUS sibi ipsi possit appropriare aliquod novum esse?* Solutio: vade ad Quæstionem *de Qualitate*, in qua solutio est significata per affirmationem.

7. Quæstio: *Utrùm JESUS imaginabatur in Utero nostræ Dominæ?* Solutio: vade ad Quæstionem *de Tempore*, in qua solutio est significata per affirmationem.

8. Quæstio: *In qua creatura DEUS est magis bonus?* Solutio: vade ad Quæstionem *de Ubi*, in qua responsio est significata.

9. Quæstio: *Quomodo inter Creatorem & creaturam potest esse major concordantia?* Solutio: vade ad Quæstionem *de Quomodo*, in qua solutio est significata.

10. Quæstio: *Cum quo DEUS potest operari in mundo?* Solutio: vade ad Quæstionem de *cum Quo*, in qua solutio est significata.

Finitæ sunt Quæstiones ad gloriam & Laudem nostri Domini DEI JESU Christi.

INDEX

INDEX

Librorum, Distinctionum, Partium, Quæstionum & Capitum Sexti Tomi.

ARS AMATIVA BONI.

De Prologo. pag. 1
De Divisione hujus Libri. 3

DISTINCTIO I.

De Figuris hujus Artis.

De Prima Figura. 4
De Secunda Figura. 5
De Tertia Figura. 6
De Quarta Figura. 7

DISTINCTIO II.

De Regulis hujus Artis.

REG. 1. De Simplicitate & Compositione. 8
2. De Intentione & Fine. 10
3. De Definitione. 11
4. De Generatione. 13
5. De Realitate & Ratione. 15
6. De Punctis Transcendentibus. 16
7. De Substantia & Accidente. 17
8. De Motu & Ligamine. 19
9. De Inquisitione & Inventione particularis in universali. 21
10. De Contemplatione. 23
11. De Abstractione & Contractione. 24
12. De Audacia & Timore. 25
13. De Spe. 26
14. De Consolatione. 28
15. De Contritione & Conscientia. 28
16. De Patientia. 29
17. De Satisfactione. 30
18. De Consideratione. 31

DISTINCTIO III.

De Definitionibus hujus Artis.

De Bonitate. 33
De Magnitudine. 34
De Æternitate vel Duratione. 35
De Potestate. 36
De Sapientia. 37
De Voluntate. 38
De Virtute. 40
De Veritate. 41
De Gloria. 42
De Differentia. 43
De Concordantia. 45
De Contrarietate. 47
De Principio. 48
De Medio. 50
De Fine. 51
De Majoritate. 52
De Æqualitate. 54
De Minoritate. 55

DISTINCTIO IV.

De Conditionibus hujus Artis à Pagina 57
usque 90

DISTINCTIO V.

De Quæstionibus hujus Artis à Pagina 90
usque 115

SECUNDA PARS.

De Viginti Quæstionibus. 115

QUÆST. 1. *Amor quæsivit à Bonitate: utrùm DEUS esset, quia multùm desiderabat, quòd DEUS esset, ut magis posset amare.* 116

QUÆST. 2. *Magnitudo quæsivit ab Amore: utrùm tantum amaret agere Æternitatis, quantum illius existere?* 118

QUÆST. 3. *Amicus quæsivit ab Amore: per quam naturam durare posset sufficere ipsi principiare amare?* 119

QUÆST. 4. *Amate, dixit Amicus: potestnè tantum tuus Amor de amare, quantum tua Potestas de posse?* 120

QUÆST. 5. *Sapientia & Voluntas quærebant à Potestate Amati: Sapientia quærebat ab ea: quare esset scibilis in suo scire, & Voluntas quærebat ab ea: quare esset amabilis in suo amare?* 122

QUÆST. 6. *Quæsiverunt ab Amico: utrùm amaret Opus sui Amati in tanta Magnitudine, in quanta illud posset scire & amare?* 124

QUÆST. 7. *Quæsiverunt ab Amico: utrùm Amatus illi dedisset completè suas similitudines?* 125

QUÆST. 8. *Amicus quæsivit à Differentia Amoris: utrùm in suo Amato Gloria & Veritas possent esse Rationes reales & inconfusæ, existens una alia in uno eodem numero?* 127

QUÆST. 9. *Amicus quæsivit ab Amore: utrùm in Gloria sui Amati cessaret ab amare?* 129

QUÆST. 10. *Amatus quæsivit à suo Amico: an in suo amare haberet Potestatem de Differentia, & Differentiam de Potestate?* 130

QUÆST. 11. *Amice, dixit Amatus: habesnè tam magnam potestatem amandi per amare in me unire, quam per amare Unitatem?* 132

QUÆST. 12. *Magnitudo & Voluntas Amici quæsiverunt ab Amato: utrùm in se ipso magis posset elongare suum Amicum à Contrarietate, quàm in ullo alio?* 133

QUÆST. 13. *Amicus veniebat ab amare, & alius Amicus ibat ad amare, & est quæstio: quis amborum sit propinquior ipsi amare?* 134

QUÆST. 14. *Amor, dixit Amicus: hoc meum amare estnè factum, vel fit, vel debet adhuc fieri?* 135

QUÆST. 15. *Amice, dixit Amor: cum quo ligas meum amare ad tuum Amatum?* 136

QUÆST. 16. *Amores quærebant ab Amatoribus: utrùm*

utrùm ſcirent, quomodo fiat major Æqualitas Amici & Amati? 137

QUÆST. 17. *Amice, dixit Amor: poſuiſtinè tuum Amatum in Æqualitate ſciendi & amandi?* 139

QUÆST. 18. *Minoritas quæſivit à bono amore: utrùm differentia Amici & Amati poſſit eſſe indiviſibilis?* 140

QUÆST. 19. *Amor, dixit Amicus: poſſesnè tu habere concordare in amare ſinè differentiare?* 141

QUÆST. 20. *Amice, dixit Amor: ſi tuus Amatus tibi daret plus, quàm tibi dedit, aut ſi tibi auferret id, quod tibi dedit, creſcereinè vel minueretur tuum amare?* 142

De Fine hujus Artis. 144

Tabula de Explanatione Vocabulorum hujus Artis ſecundùm Alphabetum. 149

ARBOR PHILOSOPHIÆ AMORIS.

De Prologo. pag. 1
De Diviſione hujus Arboris Amoris. 2

PARS I.

De Radicibus Arboris Amoris. 2

Prima Pars primæ Partis.

De duplici Definitione Radicum Amoris. 3
De ſimplicibus Definitionibus Radicum Amoris. 3
De compoſitis Definitionibus Radicum Amoris. 3

Secunda Pars primæ Partis.

De duplici Mixtione Radicum Amoris. 4
De ſpeciali Mixtione Radicum Amoris. 4
De generali Mixtione Radicum Amoris. 6

Tertia Pars primæ Partis.

De Cogitationibus Amoris. 8

PARS II.

De Trunco Arboris Amoris. 9

Prima Pars ſecundæ Partis.

De Forma Amoris. 9

Secunda Pars ſecundæ Partis.

De Materia Amoris. 10

Tertia Pars ſecundæ Partis.

De Conjunctione Formæ & Materiæ Amoris. 11

PARS III.

De Branchis Arboris Amoris. 12
Brancha 1. De Conditionibus Amoris. 12
Brancha 2. De Quæſtionibus Amoris. 15
Brancha 3. De Precibus Amoris. 20

PARS IV.

De Ramis Arboris Amoris. 26
Ramus 1. De Liberalitate Amoris. 26
Ramus 2. De Pulchritudine Amoris. 28
Ramus 3. De Solatio Amoris. 30

PARS V.

De Foliis Arboris Amoris. 32
Folium 1. De Suſpiriis Amoris. 32
Folium 2. De Fletibus Amoris. 33
Folium 3. De Timore Amoris. 35
De Infirmitate, quam Amicus habuit propter Amorem. 38
De Carcere Amici, qui fugit à ſuo Amato. 39
Quomodo Amicus fuerit judicatus ad Mortem propter Amorem. 39
Quomodo Amicus moriebatur propter Amorem. 41
De Teſtamento Amici, qui moriebatur propter Amorem. 42
De Oratione, quam Amicus fecit in Morte. 43
Quomodo Amicus non potuit Mori. 44
Quomodo Amicus ſpirabat & moriebatur. 46
De Sepulchro Amici, qui mortuus eſt propter Amorem. 47
De Conſolatione Dominæ Amoris. 48

PARS VI.

De Floribus Arboris Amoris. 50
Flos 1. De Altitudine Amoris. 50
Flos 2. De Laudibus Amoris. 52
Flos 3. De Honoribus Amoris & Amati. 54

PARS VII.

De Fructu Arboris Amoris. 57
De Quæſtionibus, quas quidam Domicellus Amoris faciebat Amico. 58

Prima Pars ſeptimæ Partis.

Quæſtiones de DEO & Amore. 59

Secunda Pars ſeptimæ Partis.

Quæſtiones de Operationibus DEI & de Amore. 61

Tertia Pars ſeptimæ Partis.

De Fructu Beatitudinis Amoris. 64
De Habituatione Arboris Philoſophiæ Amoris. 66
De Fine Arboris Philoſophiæ Amoris. 66

FLORES AMORIS ET INTELLIGENTIÆ.

De Prologo. pag. 1

Flores Amoris.

De Bonitate, Magnitudine &c. & Amore. 1

Flores Intelligentiæ.

De Bonitate, Magnitudine &c. & Sapientia. 5

De Quæſtionibus Amoris.

De Bonitate, Magnitudine &c. & Amore. 8

De Quæſtionibus Intelligentiæ.

De Bonitate, Magnitudine &c. & Sapientia. 11

ARBOR PHILOSOPHIÆ DESIDERATÆ.

De Prologo. pag. 1
De Diviſione hujus Libri. 2

DISTINC-

DISTINCTIO I.

De Ordinatione hujus Libri. 2

PARS I.

De Figura Arboris. 2
De Ramis Arboris. 2

PARS II.

De Figura Circulari. 3
De Floribus Arboris. 3
De Significatione Literarum Figuræ circularis. 3

PARS III.

De Definitionibus. 4

Prima Pars tertiæ Partis.

De Definitionibus B. Bonitatis, Differentiæ & Potentiæ. 4
De Definitionibus C. Magnitudinis, Concordantiæ & Objecti. 4 & 5
De Definitionibus D. Durationis, Contrarietatis & Memoriæ. 5
De Definitionibus E. Poteſtatis, Principii & Intentionis. 5
De Definitionibus F. Sapientiæ, Medii & Puncti tranſcendentis. 6
De Definitionibus G. Voluntatis, Finis & Vacui. 6
De Definitionibus H. Virtutis, Majoritatis & Operationis. 6
De Definitionibus I. Veritatis, Æqualitatis & Juſtitiæ. 7
De Definitionibus K. Gloriæ, Minoritatis & Ordinis. 7

Secunda Pars tertiæ Partis.

De Definitionibus L. Entis, quod eſt DEUS, & Entis, quod non eſt DEUS. 7
De Definitionibus M. Entis, quod eſt reale, & Entis, quod eſt Phantaſticum. 8
De Definitionibus N. Entis, quod eſt Genus, & Entis, quod eſt Species. 8
De Definitionibus O. Entis, quod eſt Movens, & Entis, quod eſt Mobile. 8
De Definitionibus P. Entis, quod eſt Unitas, & Entis, quod eſt Pluralitas. 8
De Definitionibus Q. Entis, quod eſt abſtractum, & Entis, quod eſt concretum. 9
De Definitionibus R. Entis, quod eſt intenſum, & Entis, quod eſt extenſum. 9
De Definitionibus S. Entis, quod eſt Similitudo, & Entis, quod eſt Diſſimilitudo. 9
De Definitionibus V. Entis, quod eſt Generatio, & Entis, quod eſt Corruptio. 9

DISTINCTIO II.

De Regulis. 9

REG. I. De Poſſibilitate B. 10
II. De Quidditate C. 10
III. De Materialitate D. 11
IV. De Formalitate E. 11
V. De Quantitate F. 12
VI. De Qualitate G. 12
VII. De Temporalitate H. 13
VIII. De Localitate I. 14
IX. De Modalitate K. 15
X. De Inſtrumentalitate K. 15

DISTINCTIO III.

De Propoſitionibus. 16

PARS I.

De Propoſitionibus B.L., B.M., B.N., - B.V. 16

PARS II.

De Propoſitionibus C.L. & ſeqq. 18

PARS III.

De Propoſitionibus D.L. & ſeqq. 19

PARS IV.

De Propoſitionibus E.L. & ſeqq. 21

PARS V.

De Propoſitionibus F.L. & ſeqq. 22

PARS VI.

De Propoſitionibus G.L. & ſeqq. 24

PARS VII.

De Propoſitionibus H.L. & ſeqq. 26

PARS VIII.

De Propoſitionibus I.L. & ſeqq. 27

PARS IX.

De Propoſitionibus K.

Prima Pars nonæ Partis.

De Propoſitionibus K. L. & ſeqq. ſecundùm nonam Regulam. 28

Secunda Pars nonæ Partis.

De Propoſitionibus K. L. & ſeqq. ſecundùm decimam Regulam. 30

DISTINCTIO IV.

De Quæſtionibus. 32

De Quæſtionibus primæ Regulæ B.

Quæſtio 1. B. L. *Utrùm Divina Bonitas & Æternitas habeant tantam Poteſtatem, quantam Divina Sapientia & Voluntas?* 32
Quæſtiones B. M. & ſeqq. 33

De Quæſtionibus ſecundæ Regulæ C.

Quæſtio 1. C. L. *Quid eſt DEUS?* 34
Quæſtiones C. M. & ſeqq. 34

De Quæſtionibus tertiæ Regulæ D.

Quæſtio 1. D. L. *De quo eſt Operatio, quam DEUS habet in ſe ipſo?* 34
Quæſtiones D. M. & ſeqq. 34

De Quæſtionibus quartæ Regulæ E.

Quæſtio 1. E. L. *Quare eſt DEUS?* 35
Quæſtiones E. M. & ſeqq. 35

De Quæſtionibus quintæ Regulæ F.

Quæſtio 1. F. L. *Quanta eſt Poteſtas, quam Sapientia DEI ſcit in Æternitate?* 36
Quæſtiones F. M. & ſeqq. 36

De Quæſtionibus ſextæ Regulæ G.

Quæſtio 1. G. L. *Qualis eſt Infinitas DEI?* 37
Quæſtiones G. M. & ſeqq. 37

De Quæſtionibus ſeptimæ Regulæ H.

Quæſtio 1. H. L. *Quando erit Finis Mundi?* 37
Quæſtiones H. M. & ſeqq. 38

De Quæſtionibus octavæ Regulæ I.

Quæſtio 1. I. L. *Ubi eſt major Æqualitas Veritatis & Juſtitiæ?* 38
Quæſtiones I. M. & ſeqq. 38

De Quæſtionibus nonæ Regulæ K.

Quæſtio 1. K. L. *Quomodo ordinantur Dignitates DEI?* 39
Quæſtiones K. M. & ſeqq. 39

De Quæſtionibus decimæ Regulæ K.

Quæſtio 1. K. L. *Cum quo DEUS eſt ordinatus in ſe ipſo?* 40
Quæſtiones K. M. & ſeqq. 40
De Habituatione hujus Artis. 41

LIBER PROVERBIORUM.

De Prologo. pag. 1

PRIMA PARS.

De Centum Nominibus DEI.

CAP. 1. De Nomine DEI. 2
2. Quòd DEUS ſit de neceſſitate. 2
3. De Eſſentia DEI. 3
4. De Unitate DEI. 3
5. De Pluralitate DEI, *ſive* de Divina Trinitate. 4
6. De DEO Patre. 5
7. De DEO Filio. 5
8. De DEO Sancto Spiritu. 6
9. De Divina Singularitate. 6
10. De Exiſtentia DEI. 7
11. De Operatione DEI. 7
12. De Perfeitate DEI. 8
13. De Neceſſitate DEI. 8
14. De Libertate DEI. 9
15. De Simplicitate DEI. 9
16. De Sanctitate DEI. 10
17. De Vita DEI. 10
18. De Infinitate DEI. 10
19. De Æternitate DEI. 11
20. De Perfectione DEI. 11
21. De Totalitate DEI. 11
22. De Bonitate. 12
23. De Magnitudine. 12
24. De Poteſtate. 13
25. De Sapientia. 13
26. De Amore. 13
27. De Virtute. 14
28. De Veritate. 14
29. De Gloria. 15
30. De Juſtitia. 15
31. De Largitate. 15
32. De Forma. 16
33. De Productione. 16
34. De Pulchritudine. 17
35. De JESU Chriſto. 17
36. De Creatione. 17
37. De Recreatione. 18
38. De Reſurrectione. 18
39. De Salvatione. 19
40. De Participatione. 19
41. De Ædificatione. 19
42. De Suſtentatione. 20
43. De Exauditione. 20
44. De Ordinatione. 21
45. De Viſitatione. 21
46. De Conſolatione. 21
47. De Conſilio. 22
48. De Confortatione. 22
49. De Defenſione 22
50. De Sanatore. 23
51. De Caſtigatore. 23
52. De Nutritore. 23
53. De Directore. 24
54. De Præceptore. 24
55. De Electore. 25
56. De Factore. 25
57. De Valore. 25
58. De Dominio. 26
59. De Victore. 26
60. De Gratia. 26
61. De Miſericordia. 27
62. De Pietate. 27
63. De Abundantia. 27
64. De Rege. 28
65. De Majoritate. 28
66. De Humilitate. 29
67. De Suavitate. 29
68. De Recolitione. 29
69. De Laude. 30
70. De Nomine. 30
71. De Honore. 30
72. De Invocatione. 31
73. De Benedictione. 31
74. De Servitio. 31
75. De Timore. 32
76. De Rogatione. 32
77. De Diſtinctione. 32
78. De Concordantia. 33
79. De Æqualitate. 33
80. De Altitudine. 34
81. De Significatione. 34
82. De Perſeverantia. 34
83. De Exemplo. 35
84. De Motore. 35
85. De Aſſumptore, *ſivè* Acceptore. 36
86. De Dignitate. 36
87. De Spe. 36
88. De Majori. 37
89. De Amicitia. 37
90. De Deſiderio. 38
91. De Firmitate. 38
92. De Patientia. 38
93. De Legalitate. 39
94. De Præſentia. 39
95. De Nobilitate. 39
96. De prima Intentione. 40
97. De Procuratore. 40
98. De Inviſibilitate. 40
99. De Immortalitate. 41

100. De Infallibilitate, *ſivè* Indefectione. 41
101. De Principio. 42
102. De ultimo Fine. 42

SECUNDA PARS.

De Proverbiis Naturalibus.

CAP. 1. De Ente. 42
2. De Non Ente. 43
3. De Bonitate. 43
4. De Magnitudine. 44
5. De Duratione. 44
6. De Poteſtate. 44
7. De Sapientia. 45
8. De Voluntate. 45
9. De Memoria. 46
10. De Virtute. 46
11. De Veritate. 46
12. De Gloria. 47
13. De Differentia. 47
14. De Concordantia. 48
15. De Contrarietate. 48
16. De Principio. 49
17. De Medio. 49
18. De Fine. 49
19. De Majoritate. 50
20. De Æqualitate. 50
21. De Minoritate. 51
22. De Genere. 51
23. De Specie. 51
24. De Individuo. 52
25. De Forma. 52
26. De Materia. 53
27. De Subſtantia. 53
28. De Accidente. 54
29. De Quantitate. 54
30. De Qualitate. 54
31. De Relatione. 55
32. De Actione & Paſſione. 55
33. De Habitu. 56
34. De Situ. 56
35. De Tempore. 56
36. De Loco. 57
37. De Proprietate. 57
38. De Converſione. 58
39. De Quæſtione. 58
40. De Solutione. 59
41. De Poſſibilitate. 59
42. De Impoſſibilitate. 60
43. De Potentia. 60
44. De Objecto. 61
45. De Actu. 61
46. De Generatione & Corruptione. 61
47. De Privatione. 62
48. De Motu. 62
49. De Figura. 63
50. De Sanitate & Infirmitate. 63
51. De Naturali Inſtinctu. 63
52. De Appetitu. 64
53. De Antecedente & Conſequente. 64
54. De Neceſſitate & Contingentia. 65
55. De Colore. 65
56. De Similitudine. 66
57. De Diſſimilitudine. 66
58. De Diſpoſitione. 67
59. De Proportione. 67
60. De Levitate & Ponderoſitate. 67
61. De Attractione. 68
62. De Duritie & Mollitie. 68
63. De Dulcedine & Amaritudine. 69
64. De Pleno & Vacuo. 69
65. De Cauſa, Effectu & Occaſione. 70
66. De Participatione. 70
67. De Diſcurſiva. 70
68. De Deliberativa. 71
69. De Perceptiva. 71
70. De Doctiva & Apprehenſiva. 72
71. De Opinione. 72
72. De Dubitatione. 73
73. De Affirmatione & Negatione. 73
74. De Communicatione. 74
75. De Factiva. 74
76. De Inſtrumentativa. 74
77. De Juvativa. 75
78. De Impeditiva. 75
79. De Elementis. 76
80. De Calore & Frigore. 77
81. De Humiditate & Siccitate. 77
82. De Vapore. 78
83. De Fulmine & Tonitru. 78
84. De Sono & Voce. 79
85. De Extenſione & Reſtrictione. 79
86. De Tremore & Amorticatione. 80
87. De Linea & Puncto. 80
88. De Alteratione. 81
89. De Vegetativa. 82
90. De Senſitiva. 82
91. De Imaginativa. 83
92. De Rationativa. 83
93. De Corpore. 84
94. De Homine. 84
95. De Vigilare & Dormire. 85
96. De Somniare. 86
97. De Firmamento. 86
98. De Umbra. 87
99. De Metallis. 88
100. De Angelo. 88

TERTIA PARS.

De Proverbiis Moralibus.

CAP. 1. De Incarnatione Filii DEI. 89
2. Quòd JESUS Chriſtus ſit natus ex Muliere Virgine. 89
3. De Paſſione JESU Chriſti. 90
4. Quòd JESUS Chriſtus deſcenderit ad Inferos. 90
5. De Reſurrectione JESU Chriſti. 91
6. De Aſcenſione JESU Chriſti. 92
7. De Die Judicii. 92
8. De Decem Præceptis, *& primo:* Non adorabis Deos alienos. 93
9. Sabbathum coles. 93
10. Non accipias Nomen DEI in vanum. 94
11. Non facias falſum Teſtimonium. 94
12. Honora Patrem & Matrem. 94
13. Non facias Furtum. 95
14. Non occides. 95
15. Non mœchaberis. 95
16. Non invideas Uxorem Proximi tui. 96
17. Non habeas Invidiam de rebus tui Proximi. 96
18. De Septem Sacramentis, *& primò:* de Matrimonio. 96
19. De Baptiſmo. 97
20. De Confirmatione. 97
21. De Sacramento Altaris. 98

22. De Ordine. 98
23. De Pœnitentia. 99
24. De Extrema Unctione. 99
25. De Virtutibus, *& primo:* De Prudentia. 100
26. De Fortitudine. 100
27. De Temperantia. 100
28. De Fide. 100
De Spe, *vide Parte 1. pag. 36.*
29. De Charitate. 101
30. De Humilitate. 101
31. De Caſtitate. 102
32. De Abſtinentia. 102
33. De Verecundia. 102
34. De Oratione. 103
35. De Contemplatione. 103
36. De Devotione. 104
37. De Obedientia. 104
38. De Contritione. 105
39. De Confeſſione. 105
40. De Satisfactione. 106
41. De Conſcientia. 106
42. De Diſcretione. 107
43. De Modo. 107
44. De Curialitate. 107
45. De Audacia. 108
46. De Magnificentia. 108
47. De Prædicatione. 108
48. De Diſputatione. 109
49. De Reprehenſione. 109
50. De Poſſeſſione. 110
51. De Vita Activa & Contemplativa. 110
52. De Proſperitatibus & Adverſitatibus. 111
53. De Pace & Bello. 111
54. De primo & ſecundo Motu. 112
55. De morali Inſtinctu. 112
56. De Conſenſu. 113
57. De Viſu. 113
58. De Auditu. 114
59. De Odoratu. 114
60. De Guſtu. 114
61. De Tactu. 115
62. De Affatu. 115
63. De Emptione & Venditione. 116
64. De Divitiis & Paupertate. 116
65. De Servire & non Servire. 116
66. De Lucrari & Perdere. 117
67. De Arte Morali. 117
68. De Prædeſtinatione & libero Arbitrio. 118
69. De Afflictione. 118
70. De Eleemoſyna. 119
71. De Societate. 119
72. De Lætitia. 119
73. De Perſona communi. 120
74. De Clerico. 120
75. De Theologia. 121
76. De Philoſophia. 121
77. De Militia. 121
78. De Jure. 122
79. De Medicina. 122
80. De Mercatura. 123
81. De Vitiis *& primò* De Peccato. 123
82. De Gula. 123
83. De Luxuria. 124
84. De Avaritia. 124
85. De Superbia. 125
86. De Acedia. 125
87. De Invidia. 125
88. De Ira. 126
89. De Infidelitate. 126
90. De Proditione. 126
91. De Crudelitate. 127
92. De Maledictione. 127
93. De Hypocriſi. 127
94. De Tentatione. 128
95. De Vana Gloria. 128
96. De Obſtinatione. 129
97. De Mendacio. 129
98. De Hebetudine. 130
99. De Phantaſia. 130
100. De Pœna. 130
De Fine hujus Libri. 131

LIBER DE ANIMA RATIONALI.

De Prologo. pag. 1
De Diviſione hujus Libri. 1

PARS I. De *Utrùm.*

Prima Species primæ Partis.

QUÆST. *Utrùm Anima Rationalis ſit, vel non?* 2
Decem Quæſtiones hujus Speciei cum Minoribus Solutionibus. 4 & 5

Secunda Species primæ Partis.

QUÆST. *Utrùm Anima Rationalis ſit à Creante, vel à Generante?* 5
Decem Quæſtiones hujus Speciei cum minoribus Solutionibus. 7. 8

Tertia Species primæ Partis.

Quòd Anima Rationalis ſit immortalis. 9
Decem Quæſtiones hujus Speciei cum minoribus Solutionibus. 10. 11

PARS II. De *Quid.*

Prima Species ſecundæ Partis.

QUÆST. *Quid eſt Anima Rationalis in ſe ipſa?* 11
Decem Quæſtiones hujus Speciei cum minoribus Solutionibus. 12. 13

Secunda Species ſecundæ Partis.

QUÆST. *Quid habet Anima in ſe ipſa?* 13
Decem Quæſtiones hujus Speciei cum minoribus Solutionibus. 14. 15. 16

Tertia Species ſecundæ Partis.

QUÆST. *Quid eſt Anima in alio?* 16
Decem Quæſtiones hujus Speciei cum minoribus Solutionibus. 17. 18

Quarta Species ſecundæ Partis.

QUÆST. *Quid habet Anima in alio?* 19
Decem Quæſtiones hujus Speciei cum minoribus Solutionibus. 19. 20. 21

PARS III. De *De quo.*

Prima Species tertiæ Partis.

QUÆST. *De quo eſt Anima liberè ſubſtantialiter?* 21
Decem

Decem Quæſtiones hujus Speciei cum minoribus Solutionibus. 22. 23

Secunda Species tertiæ Partis.

QUÆST. *De quo eſt Anima materialiter?* 23
Decem Quæſtiones hujus Speciei cum minoribus Solutionibus. 24. 25

Tertia Species tertiæ Partis.

QUÆST. *De quo eſt Anima poſſeſſivè?* 25
Decem Quæſtiones hujus Speciei cum minoribus Solutionibus. 26. 27

PARS IV. De *Quare.*

Prima Species quartæ Partis.

QUÆST. *Quare Anima eſt eſſentialiter?* 27
Decem Quæſtiones hujus Speciei cum minoribus Solutionibus. 28. 29

Secunda Species quartæ Partis.

QUÆT. *Quare Anima eſt finaliter?* 29
Decem Quæſtiones hujus Speciei cum minoribus Solutionibus. 30. 31

PARS V. De *Quantitate.*

Prima Species quintæ Partis.

QUÆST. *Utrùm Anima habeat ſimplicem Quantitatem?* 31
Decem Quæſtiones hujus Speciei cum minoribus Solutionibus. 33

Secunda Species quintæ Partis.

QUÆST. *Utrùm Anima habeat Quantitatem compoſitam?* 34
Decem Quæſtiones hujus Speciei cum minoribus Solutionibus. 35

PARS VI. De *Qualitate.*

Prima Species ſextæ Partis.

QUÆST. *Quales ſunt propriæ Qualitates Animæ rationalis?* 36
Decem Quæſtiones hujus Speciei cum minoribus Solutionibus. 37. 38

Secunda Species ſextæ Partis.

QUÆST. *Quales ſunt Qualitates appropriatæ Animæ?* 38
Decem Quæſtiones hujus Speciei cum minoribus Solutionibus. 39. 40

PARS VII. De *Temporalitate.*

Prima Species ſeptimæ Partis.

QUÆST. *Utrùm Anima perpetuò ſit in uno inſtanti &* nunc, *quod non mutat ſuum numerum?* 40
Decem Quæſtiones hujus Speciei cum minoribus Solutionibus. 41. 42

Secunda Species ſeptimæ Partis.

QUÆST. *Utrùm Anima exiſtat in ſucceſſione Temporis?* 43
Decem Quæſtiones hujus Speciei cum minoribus Solutionibus. 44. 45

PARS VIII. De *Localitate.*

Prima Species octavæ Partis.

QUÆST. *Utrùm Anima occupet & impediat locum?* 45
Decem Quæſtiones hujus Speciei cum minoribus Solutionibus. 46. 47

Secunda Species octavæ Partis.

QUÆST. *Utrùm Anima contineat & collocet aliquid in ſe ipſa?* 47
Decem Quæſtiones hujus Speciei cum minoribus Solutionibus. 48. 49

PARS IX. De *Modo.*

Prima Species nonæ Partis.

QUÆST. *Quomodo Anima habet ſuos actus & ſuas Operationes intra ſe ipſam?* 49
Decem Quæſtiones hujus Speciei cum minoribus Solutionibus. 51. 52

Secunda Species nonæ Partis.

QUÆST. *Quomodo Anima habet ſuos Actus & ſuas Operationes extrà?* 53
Decem Quæſtiones hujus Speciei cum minoribus Solutionibus. 54. 55

PARS X. De *Cum quo.*

Prima Species decimæ Partis.

QUÆST. *Cum quo Anima facit hoc, quòd facit?* 56
Decem Quæſtiones hujus Speciei cum minoribus Solutionibus. 57. 58

Secunda Species decimæ Partis.

QUÆST. *Cum quo Anima habet Paſſiones?* 58
Decem Quæſtiones hujus Speciei cum minoribus Solutionibus. 59. 60
De Fine hujus Libri. 60

LIBER DE HOMINE.

De Prologo. pag. 1
De Diviſione hujus Libri. 1

PRIMA DISTINCTIO.
De Eſſe Hominis & de ſua Vita.

PARS I.

De Corpore Hominis. 2
De Elementativa. 2
De Vegetativa. 3
De Senſitiva. 4
De Imaginativa. 4

PARS II.

De Anima Rationali. 4

De Quæſtionibus Animæ rationalis.

QUÆST. De Quid. 4
De De quo. 5
De Quare. 6
De Quantum. 7

De Quale. 7
De Quando. 8
De Ubi. 8
De Quomodo. 9
De Cum quo. 9

PARS III.

Quomodo Homo eſt Homo. 10

PARS IV.

De Naturalibus Operationibus Hominis.

QUÆST. De Quid. 11
De De quo. 11
De Quare. 12
De Quantum. 12
De Quale. 13
De Quando. 13
De Ubi. 14
De Quomodo. 14
De Cum quo. 15

PARS V.

De Artificialibus Operationibus Hominis.

QUÆST. De Quid. 15
De De quo. 16
De Quare. 16
De Quantum. 16
De Quale. 17
De Quando. 17
De Ubi. 17
De Quomodo. 17
De Cum quo. 17

SECUNDA DISTINCTIO.

De Morte Hominis. 18

De Diviſione hujus ſecundæ Diſtinctionis. 18

PARS I.

De Morte Corporali.

Prima Pars primæ Partis:

De Hoc, quod Mors auffert ab Hominibus, qui moriuntur. 19

Secunda Pars primæ Partis.

De Bonis, quæ Mors dat. 21
De Malis, quæ Mors dat. 22

Tertia Pars primæ Partis.

De Signis Mortis. 24

Quarta Pars primæ Partis.

De Periculis Mortis. 25

PARS II.

De Morte ſpirituali Hominis.

Prima Pars ſecundæ Partis.

De Morte Spirituali.

QUÆST. 1. *Quid eſt Peccatum?* 26
2. *De quo eſt Peccatum?* 27
3. *Quare eſt Peccatum?* 27
4. *Quantum eſt Peccatum?* 27
5. *Quale eſt Peccatum?* 27
6. *Quando eſt Peccatum?* 28
7. *Ubi eſt Peccatum?* 29
8. *Quomodo eſt Peccatum?* 29
9. *Cum quo eſt Peccatum?* 30

Secunda Pars ſecundæ Partis.

De Medicina contra Mortem ſpiritualem.

QUÆST. 1. *Quid eſt Virtus?* 31
2. *De quo eſt Virtus?* 31
3. *Quare eſt Virtus?* 31
4. *Quanta eſt Virtus?* 31
5. *Qualis eſt Virtus?* 32
6. *Quando eſt Virtus?* 32
7. *Ubi eſt Virtus?* 32
8. *Quomodo eſt Virtus?* 32
9. *Cum quo eſt Virtus?* 32

De Definitionibus Peccatorum Mortalium. 33
De Deſtructione Avaritiæ cum Juſtitia. 33
Avaritiæ cum Prudentia. 33
Avaritiæ cum Fortitudine. 34
Avaritiæ cum Temperantia. 34
Avaritiæ cum Fide. 34
Avaritiæ cum Spe. 35
Avaritiæ cum Charitate. 35
De Deſtructione Gulæ cum Juſtitia. 35
Gulæ cum Prudentia. 36
Gulæ cum Fortitudine. 36
Gulæ cum Temperantia. 36
Gulæ cum Fide. 36
Gulæ cum Spe. 36
Gulæ cum Charitate. 37
De Deſtructione Luxuriæ cum Juſtitia. 37
Luxuriæ cum Prudentia. 37
Luxuriæ cum Fortitudine. 37
Luxuriæ cum Temperantia. 37
Luxuriæ cum Fide. 38
Luxuriæ cum Spe. 38
Luxuriæ cum Charitate. 38
De Deſtructione Superbiæ cum Juſtitia. 38
Superbiæ cum Prudentia. 39
Superbiæ cum Fortitudine. 39
Superbiæ cum Temperantia. 39
Superbiæ cum Fide. 39
Superbiæ cum Spe. 40
Superbiæ cum Charitate. 40
De Deſtructione Acediæ cum Juſtitia. 40
Acediæ cum Prudentia. 41
Acediæ cum Fortitudine. 41
Acediæ cum Temperantia. 41
Acediæ cum Fide. 41
Acediæ cum Spe. 42
Acediæ cum Charitate. 42
De Deſtructione Invidiæ cum Juſtitia. 42
Invidiæ cum Prudentia. 62
Invidiæ cum Fortitudine. 42
Invidiæ cum Temperantia. 43
Invidiæ cum Fide. 43
Invidiæ cum Spe. 43
Invidiæ cum Charitate. 43
De Deſtructione Iræ cum Juſtitia. 44
Iræ cum Prudentia. 44
Iræ cum Fortitudine. 44
Iræ cum Temperantia. 44
Iræ cum Fide. 45

Iræ cum Spe. 45
Iræ cum Charitate. 45
De Deſtructione Infidelitatis cum Juſtitia. 45
Infidelitatis cum Prudentia. 46
Infidelitatis cum Fortitudine. 46
Infidelitatis cum Temperantia. 47
Infidelitatis cum Fide. 47
Infidelitatis cum Spe. 47
Infidelitatis cum Charitate. 48

TERTIA DISTINCTIO.

De Oratione.

Orationes ad noſtrum Dominum DEUM. 48
Orationes ad Dominum JESUM Chriſtum. 50
De Laudibus noſtri Domini JESU Chriſti. 54
De Precationibus. 57
De Fine hujus Libri. 61

LIBER DE PRIMA ET SECUNDA INTENTIONE.

De Prologo. pag. 1
De Diviſione hujus Libri. 2

CAPUT I.

De Diviſione Intentionis. 2

CAPUT II.

De DEO. 3

CAPUT III.

De Creatione. 4

CAPUT IV.

De Incarnatione. 5

CAPUT V.

De Tentatione. 5
De Fide. 5
De Spe. 6
De Charitate. 7
De Juſtitia. 7
De Prudentia. 8
De Fortitudine. 8
De Temperantia. 9
De Gula. 9
De Luxuria. 10
De Avaritia. 11
De Superbia. 11
De Acedia. 12
De Invidia. 13
De Ira. 13
De Oratione. 14
De Confeſſione. 15
De Sacrificio. 15
De Matrimonio. 16
De Scientiis. 16
De Infidelibus. 16
De Divitiis. 17
De Paupertate. 18
De Honore. 18
De Elementis. 18
De Prælatis. 19
De Religioſis. 20
De Clericis. 20
De Principibus. 21
De Equitibus. 22
De Populo. 22
De Fine hujus Libri. 23
24

LIBER DE DEO ET JESU CHRISTO.

De Prologo. pag. 1
De Diviſione hujus Libri. 1

PRIMA PARS.

De DEO.

QUÆST. 1. Utrùm ſit DEUS? 2
2. Quid eſt DEUS? 6
3. De quo eſt DEUS? 8
4. Quare eſt DEUS? 10
5. Quantus eſt DEUS? 12
6. Qualis eſt DEUS? 14
7. Quando eſt DEUS? 15
8. Ubi eſt DEUS? 17
9. Quomodo eſt DEUS? 19
10. Cum quo eſt DEUS? 21

SECUNDA PARS.

De JESU Chriſto.

QUÆST. 1. Utrùm DEUS ſit Incarnatus, *ſivè* Utrùm ſit JESUS? 23
2. Quid eſt JESUS? 25
3. De quo eſt JESUS? 27
4. Quare eſt JESUS? 28
5. Quantus eſt JESUS? 29
6. Qualis eſt JESUS? 31
7. Quando eſt JESUS? 32
8. Ubi eſt JESUS? 34
9. Quomodo eſt JESUS? 35
10. Cum quo eſt JESUS? 36
De Fine Libri. 37
De Practica, cum qua monſtramus ſolvere Quæſtiones artificiales per hunc Librum. 37
De Quæſtionibus Quæſtionum, quæ pertinent ad primam Partem hujus Libri. 37
De Quæſtionibus Quæſtionum, quæ pertinent ad ſecundam Partem hujus Libri. 38

)o(

814